8 n6. G. 2

AZIONALE
18
6 G
2
ROMA
CENTRALE V. E. II

Digitized by Google

R. P. ROBERTI HOLKOT, Ord. Præd.

COMMENTARIUS

IN LIBRUM

SAPIENTIAE,

Ad novam & clariorem formam redactus.

PHOENIX REDIVIVA

Ex

Relicta facundia Holkotiana palàm in lucem progrediens;

Seu

POSTILLA

Super Librum

SAPIENTIAE SALOMONIS.

Summa cum laude olim elaborata

AB ADMOD. REV. & EXIMIO

P. ROBERTO HOLKOT,

ORD. PRÆD. SS. THEOLOGIÆ MAGISTRO,

& Sacræ Paginæ ac Moralium Profeſſore ſapientiſſimo.

Nunc autem

Pro utilitate tam Sacræ Scripturæ Profeſſorum, quàm Verbi Dei Præconum, omniumque veræ Sapientiæ amatorum, ad gratam brevitatem, doctrinæ claritatem, & dubiorum expeditam elucidationem redacta.

Atque

Quadruplici Indice, videlicet Primo rerum memorabilium in hoc toto opere contentorum; Secundo Textuum explicatorum, & omnium Articulorum ſub Textibus contentorum; Tertio Concionatorio pro omnibus diebus Dominicis ac Feſtis totius anni; & Quarto denique deſerviente omnibus Monaſteriorum Superioribus pro Capitulis, ſeu Exhortationibus ad ſuos Religioſos faciendis, ornata

AB ADMOD. REV. & EXIMIO

P. RAYMUNDO ORTZ,

ORDIN. PRAEDIC. SS. THEOLOGIAE MAGISTRO,

Ejusdemq; in celeberrima Univerſitate Viennenſi Doctore, & Profeſſore emerito.

PARS PRIMA

Expoſitionis ſuper Librum Sapientiæ SALOMONIS, à Capitulo 1. uſq; ad 9. incluſivè.

In qua

Multipliciter declaratur Sapientiæ neceſſitas, utilitas, nobilitas, dotes, effectus generales; item modus poſtulandi, acquirendi, & deſponſandi ſibi Sapientiam.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud ARNOLDUM METTERNICH, Anno 1689.

SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO

HUNGARIAE, CROATIAE, DALMATIAE, ET SCLAVONIAE REGI

IOSEPHO,

Archiduci Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Tyrolis, &c.

Domino Domino meo Clementiſſimo.

EA eſt Sapientiæ longè latèque celebrata gloria, quòd ubicunq; incedit, cum ſole beneficentiæ ſuæ radios evibrat; quocunq; excurrit, cum Oceano in beneficiorum flumina ſeſe effundit; quotſum uſque aſpirat, cum Hybla odoramentorum ſuorum blandimenta promanat; & quocirca curſitat, Atalantam virtutum ſemina ſpargendo præcurrit; Argo circumſpectior, Iano providentior, & Priamo liberalior. Hanc amicus ſilentii Deus ſemel in tota æternitate locutus, uno omnia dixit in Verbo. Per hanc cœli firmati, ſtellæ digeſtæ in ordines, ſiderum curſus & recurſus ordinati, motrix aſtrorum intelligentia præfixa, Phœbus diei, & Luna nocti præferre facem juſſa ſunt. Per illam terra in regna, regna in provincias, provinciæ in urbes, urbes in caſtella, caſtella in fortalitia partita ſunt. Per hanc campi in prata, prata in hortos, horti in arbores, arbores in ramos, rami in flores & folia, flores in fructus dulciſſimos excreverunt. Cum hac ſylvæ in montes, montes in metalla, metalla in aurum & argentum, imò & in lapides pretioſiſſimos coagulata ſunt. Cum iſta mare in rivos, rivi in flumina, flumina in conchas, conchæ in gemmas & margaritas nobiliſſimas transſierunt, & quidquid ſive inter flores jocatur, aut inter arbuſta denſatur, ſeu labitur inter undas, vel in aëre remigat, ab unica & ſola Sapientia ſuam traxit pulchritudinis pompá. Cum hac ſtabilita ſunt Regna & Imperia, fulcitæ regiones & provinciæ, firmatæ urbes & fortalitia, roboratæ Reſpublicæ & Monarchiæ, deſignati Magiſtratus & Iudices, & communis omnium ſalus Herculea dextra, fortíque Marte & arte propugnata fuit. Sine hac expugnata Troja, devaſtata Carthago, & ſexcentæ aliæ nobiliſſimæ urbes, quotquot de ſe antea legerunt glorioſorum trophæorum hymnos, tot poſtea mortuali colore depictæ, infœlicitatis ſuæ ingemiſcunt epitaphia; & quotquot antea proſperitatis ſuæ erexerunt cacumina, tot modo triſtiſſimæ ſuæ infœlicitatis numerant dejecta paludamenta. Hæc eſt, quæ fulſit ſem-

per in AVGVSTISSIMIS IMPERATORIBVS, reſplenduit in Sceptris REGVM & PRINCIPVM, enituit in Tiaris Pontificum & Antiſtitum, claruítque in Laureis Conſiliariorum & Procerum, qui rationes pro utraque parte luſtrant, & ad veræ Iuſtitiæ bilancem omnia determinant. Hæc denique ſevera plectit, munifica præmiat, æqualis audit, ſapiens decernit, fida propugnat, facunda diſſerit, & veluti ad ripam aſſidens portus eſt naufragis, navigantibus Pharos, cynoſura dubiis, dimicantibus Bellona, & virtuoſis amabiliſſima & ornatiſſima ſponſa.

Agnoverat hæc omnia optimè Rex Salomon, quot & quantas divitias, gratias atque prærogativas conferat iſthæc Sapientia è cœlo nata, & ideò plenus amore erga illam exclamat, dicens: *Hanc amavi; & quæſivi à juventute mea, & quæſivi mihi Sponſam eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.* Vt autem illam adipiſceretur, ſumma cum animi humilitate rogavit Clementiſſimum DEVM hiſce verbis: *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, ut mecum ſit, & mecum laboret.* Et paucis interjectis verbis, poſtquam Sapientiam juxtà ſuum votum à divina Majeſtate impetravit, ait: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. Et lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta Sapientia, quia ſuper me Principes conticeſcent, & Seniores non aperient os ſuum.* Plurima alia addit Salomon in Libro de Sapientia à ſe ingenioſè compilato, quæ per illam adeptus eſt. Deindè verò pulcherrimo ſtylo, & ſuaviſſimâ facundiâ recenſet, quam eadem Sapientia Proto-parentem noſtrum Adamum ab errore peccati, Loth ab incendio Sodomæ & Gomorrhæ, Noëmum à diluvio, Iacob de manu fratris ſui Eſau & fallaciis Laban, & innocentem Ioſeph à fratribus ex invidia venditum, & ſine cauſa in vincula conjectum liberaverit. Et tandem declarat Rex Salomon, quomodo Sapientia in manu Moyſis & Aaron populum Iſraëliticum de ſervitute Ægypti ereptum, in terram promiſſionis induxerit, & èconträ Ægyptios in ſua perfidia perſiſtentes caſtigaverit.

Hæc porrò omnia, quæ Salomon breviter deſcribendo perſtrinxit, ego in mea Phœnice Rediviva ampliori verborũ claritate explano, textus omnes juxta ordinem Libri Sapientiæ exactè explico, explicationem ſelectiſſimis divorum Patrum dictis confirmo, dubia occaſione textuum occurrentia citò reſolvo, pulchras ſimilitudines abundantibus authoritatibus ſacræ Scripturæ ornatas adduco, plurimas antiquitates, gratas hiſtorias, & diverſa metra lectu jucundiſſima ſimul & utiliſſima depromo atque propono.

Hanc porrò Phœnicem meam Redivivam ſub GLORIOSISSIMIS REGIÆ SVÆ MAIESTATIS auſpiciis clatam lucem aſpicere deſidero. Neq; enim credo ulli alteri Librum hunc de Sapientia inſcribi poſſe, quàm SVÆ REGIÆ MAIESTATI, utpotè quæ illecta pulchritudine Sapientiæ, hoc unicum corde & ore ſonare facit: *Hanc amavi, & exquiſivi à juventute mea, & quæſivi Sponſam eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Quare da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, quæ mecum ſit, & mecum laboret, ut poſſim dicere: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Et certè dubitandum non eſt, quin ſit exaudita oratio SVÆ REGIÆ MAIESTATIS, ut ita Sapientia conjungatur vitæ ſuæ innocentiæ, eruntq; hac ratione Sapientia & Innocentia duæ bigæ Rempublicam Chriſtianam ad æternæ fœlicitatis ſolium evehentes; erunt duo magnetes, corda etiam ferrea ad ſe trahentes; erunt duo fulcra, ſuper quæ tota regni moles facilè conquieſcet; erunt duæ Aquilæ Solem divinum ſemper contemplantes; erunt

duæ

duæ alæ animam ad cœleſtia continuò ſublevantes ; erunt duo oculi omnium neceſſitati proſpicientes ; erunt duo gladii inimicorum technas & fraudulentias diſſecantes ; erunt duo ſcuta ab omni adverſitate ſubditos vaſallos fortiter protegentia ; eruntq; duæ olivæ ſemper in magnis victoriis & exoptabili proſperitate florentes. Quod ſi tamen ad lemma quoque SVÆ REGIÆ MAIESTATIS alludere liceat, dicam ego, quod Sapientia rectè conjungatur *Timori*, quia *initium Sapientiæ Timor Domini* eſt. Dicam deindè quod Innocentiæ egregiè conjungatur Amor, qui eandem conſervat, conſervatam auget, augmentatam donis cœleſtibus adornat, adornatam Deo & hominibus dilectam reddit, & viam planiſſimã aperit glorioſiſſi.morum Anteceſſorum, Heroica facta in propriam trahendi hæreditatem Quid ſupereſt? niſi ut profitear palàm, quòd REGIA MAIESTAS VESTRA, Auguſtiſſimi & Sacratiſſimi IMPERATORIS LEOPOLDI victorias victonis, trophæa trophæis, jubilos jubilis, & vitæ innocenris ſanctitatem, innocentiâ & ſanctitate laudabiliſſimè imitabitur, cum amore erga DEVM & ſuos ſubdiros.

In hoc igitur Clementiſſimo amore & amabili Clementia confiſus, cum debita humilitate hanc meam Phœnicem Redivivam REGIÆ SVÆ MAIESTATI dedico, conſecro & offero, enixè rogans, ut *MAJESTAS VESTRA* illam benigniſſimo obtutu ſuſpicere, & eo animo, quo Cræſi & Codri munera ex candore voluntatis duntaxat metiri ſolet, recipere, meq; tanquam infimum Vaſallum, unà cum ſacra mea Religione in Regia ſua gratia conſervare dignetur.

Hoc unicum annecto votum, ut Deus Ter Optimus Maximus, in cujus manu ſunr omnium poreſtates, & omnium jura Regnorum, *MAJESTATI VESTRÆ* ſtatim ab initio ſui regiminis mittere dignetur Angelum illum ultorem, qui in caſtiis Turcarum, non ſecùs ac olim in Sennacherib, una nocte occidat ultra centum & octoginta millia virorum hoſtium, ſcutum, gladium, & haſtas inimicorum perfringat, tormenta bellica conculcet, pulveres tormentarios peſſumdet : *REGIAM* autem *MAJESTATEM VESTRAM* Rex Regum Deus veluti Conſtantinum in acie, Iuſtinianum in foro, Alexandrum in triumphis, Davidem in templis, & Salomonem in conſiliis ſoſpitem & incolumem annis Neſtoreis protegat, tueatur, atque defendat. Ita vovet,

SERENIS. SVÆ MAJESTATIS

Infimus Vaſallus

F. RAYMUNDUS ORTZ, Ord. Prædic.

Ordinis Facultas.

Frater Antoninus Cloche, S. Theologiæ Profeſſor, totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & Servus.

In Dei Filio ſibi dilecto A. R. P. Magiſtro Fr. Raymundo Ortz, ejuſdem Ordinis Provinciæ noſtræ Lectori ſalutem.

LAudabilibus tuis deſideriis ſatisfacere cupientes, harum ſerie noſtrique authoritate officii tibi A. R. P. Magiſtro præfato Fratri Raymundo Ortz licentiā facimus & facultatem, publicis typis committendi librum ſeu opus ſub titulo Phœnicis Redivivæ à te compilatum & ordinatum: modò prius ab A. R. P. Magiſtro Fr. Leonardo Meſſen, & R. P. Præſentato Regente Colonienſi Fratre Sebaſtiano Kneipenperg, diligenter examinetur, & probetur, cæteraque juxta ſacros Canones, SS. Pontificum decreta, Conciliique Tridentini, nec non Conſtitutionum noſtratum, & Capitulorum generalium diſpoſitionem ſervanda, ſerventur. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam, die 26. Iulii Anno 1687.

Fr. Antoninus Cloche Magiſter Ordinis.

(L. S.)

Fr. Paulinus Bernardinus Magiſter & Socius.

APPROBATIO PRIMA.

PHœnicem de ſingularitate famoſam, de poſteritate monſtroſam ferunt, cùm vitæ ſibi imminere finem, præſagâ quadam æſtimatione cognoverit, thecam ex caſiâ, nardo, cinnamomo, thure, myrrhâ, & cæteris adornare odoribus: tunc demum completo opere eandem ſubingredi, roſtro ſecundùm pectus ſemetipſam vellicare, eóque ex vellicatu accepto vulnere cruorem fundere, ex quo primum vermiculus enaſcatur, mox pullum fieri alterum forma priori ſimilem. De hoc *Lactantius Firmianus, Carmine de Phænice Chriſtum adumbrante, teſtatiſſimè.*

Vnico ſed vivit morte refecta ſuâ;
Nam perit ut vivat, ſe tamen ipſa creat:
Vt poſſit naſci, hac appetit ante mori.

Nova hæc Holkotiana Phœnix, quam Admodum Reverendus, & Exim: P. F. Raymundus Ortz, Ordinis Prædicatorum, S.S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, ſuo denuo ſtudiorum pertinaci incubatu fovit, totam jugibus reſeminavit ſudoribus & redanimavit laboribus, ita veteri evaſit ſimilis, ut in ea quaſi ex ſe ipſa mihi viſa ſit reviviſcere: veluti ex ipſa revidendi, mihi à Reverendiſſimo P. Antonino Cloche Ord: Prædicatorum Generali Magiſtro, injuncta provincia, & attentâ ejuſdem lectione, cum ſumma animi voluptate deprehendi. Vt in eam illud *Tertulliani de Phœnice,* jure cadat meritiſſimo: *Illa natali fine decedens, atque ſuccedens, iterum Phœnix, ubi jam nemo iterum ipſe, qui non jam alius idem.* Quemadmodum autem prior ab ipſo ejuſdem ſapientiſſimo Auctore P. Magiſtro Holkot excitata Phœnix, aureo ſelectiſſimorum conceptuum, per totum paſſim hujus Operis corpus ſparſorum, annis retrò actis ad ſtuporem enituit, & hodiéque enitet fulgore, quos ex ſacrorum oraculorum fontibus hauſtis authoritatibus, SS. Patrum ſententiis, antiquitatibus, uti non cuivis facilè obviis, ita ſcitu digniſſimis, ac ſimilitudinibus pro rerum pertractatarum occurrentiâ aptiſſimis, ſolidiſſimè fulcivit: ita hunc pullum ejuſdem ſuſcitator Admodum Reverendus & Eximius P. M. Raymundus Ortz, à novo ſuo ortu, novis & roſeis exornavit plumis miriſſimæ claritatis; methodi & ordinis amœniſſimi; dubiorum per certos digeſtorum articulos exactæ dilucidationis & citæ reſolutionis; quadruplicíſque denique Indicis ad legentium commoditatem adjectione, affabrè adeò & concinne expolivit, ut ex ejuſdem ſedula lectione non communem, ſed magnam augurer utilitatem profecturam in ſacrarum Literarum ſtudioſos; Verbi divini Præcones; Monaſteriorum Præſidentes, ac in cunctos veræ Sapientiæ cultores. Quarè cum Phœnix hæc ab omni prorſus ſit adulterinæ doctrinæ, & corruptorum morum pennis immunis: ſpiret verò ſanum ſanorum dogmatum, & candidum candidorum morum doctrinæ obobalſamum: eam ob rem illam typis digniſſimam judico: ut illorum beneficio juris fiat publici, ac ejus ardentiſſimè hactenùs deſiderata, jam palàm prodeunte, omnes oblectentur claritate. Coloniæ 7. Martii Anno 1689.

P. Leonardus Meſſen, Ord. Præd. S.S. Theologiæ Doctor, & Prof. Publ. ac Ordinarius.

APPRO-

APPROBATIO SECUNDA.

Solertiſſima rerum omnium mater Natura, Phœnicem (fabuloſam paucioribus, potioribus aliis veram) finxit, quo tempore vivit in orbe, unicam, ideóq; Solis, Syderum, Imperatoris (cui quod ſolus & unicus à raritate nomen) majoribus fuit hieroglyphicum: eámque efformavit præ reliqua altilium omnium innumerata quamlibet familia, partibus plurimis elegantiſſimam, ac variegatam; aureo circa collum rubicundam fulgore; corpore cætero purpureo, & [teſte *Plinio*] cæruleam caudam pennis roſeis, criſtis faciem, caputque plumeo apice diſtinguentibus honeſtatam. Nova hæc Ortziana Phœnix a veteri *Holkotiana* in nullo degenerans, omnia illius exactè refert lineamenta. Tinxit eandem ipſiſſimis illis coloribus, quibus olim Phœnix ſplenduit antiqua; aureo ſcilicet ſacræ Scripturæ Oraculorum: gratiſſimorum paſſim interſperſorum conceptuum purpureo; cæruleo ſanctorum Patrum effatorum: rariſſimarum denique Hiſtoriarum rubeo. Atque ut ad hanc curioſiori mentis oculo arbitrandam Phœnicem vehementius inſtillaret Lectoribus deſiderium, novam faciem, ordinem novum, & formam illi affricavit aliam, methodi nitidioris, claritatis gratioris, dubiorum tempeſtivarum roſolutionum, ac quadripartiti Indicis auctarii. Habet hic divini verbi præco unde ſuæ appetentiæ, Sacrarũ Literarum ſtudioſus ſuæ eluriei, orexi cœnobiorum præfecti & ſuæ abundè litet fami veræ Sapientiæ cultor. An Holkotii in Sapientiæ Librum primam commentandi debeam mirari magis induſtriam, num Ortzii in claſſes certas ordinandi dubia, eademque reſolvendi claritatem, anceps hæſito. *Proteum* quendam uterque præ ſe mihi ferre viſus eſt ſtatim, ut primum ex juſſu Reverendiſſimi P. Antonini Cloche Ord: Præd: M. Generalis, hanc luſtrare cœpi Phœnicem; non commentitiam, ſed qualem doctiſſimus *Novarinus* monet eſſe debere [*Lib. 1. Satror: Elector. ſect. 9 n. 816.*] ſacrarum Litterarum tractatorem, multiplicem quidem illum, & ad legentium duntaxat utilitatem varium: *Ut omnibus proſit, omnibus placeat, plures illi induendæ formæ, plures figuræ, adeo ut omnibus omnia factus videatur.* Quia verò ab omni diſſonantis, & quæ corrumpendis moribus facit perverſæ Phœnix hæc prorſus aliena eſt doctrinæ fuligine, omnium eandem Typi miniſterio aſpectu dignam judico. Colon. 7. Martij 1689.

P. Sebaſtianus Knippenberg Ord: Præd: M. & Generalis, ſtudii Colon. ejuſdem Ord: Regens.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Fr. Guinandus VVynans Ord: Præd: Sac: Theol. Magiſter, ac per Teutoniam Prior Provincialis, omnibus has viſuris, & lecturis ſalutem.

CVm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis decreto Viennæ 15. Maji Anno 1666. dato, omnibus & ſingulis Typographis, & Bibliopolis, & aliis quibuscunque Librariam negotiationem exercentibus ſub gravi mulctâ ſeriò prohibeatur, ne quisquam Libros ab Ord: Præd: Patribus editos, aut deinceps edendos intra Sac: Rom: Imperii, Regnorúmque ac Dominiorum ſuæ Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum fines, ſimili, vel alio characteris genere, aut forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi impreſſos adducere, vendere, aut diſtrahere, clàm, ſeu palàm, citrà teſtimonium ſeu conſenſum ſupra dictorum Patrum audeat, vel præſumat; Ego Fr: Guinandus Wynans Ord: Præd: Sacræ Theologiæ Magiſter & per Provinciam ſuperioris Germaniæ Prior Provincialis, harum ſerie, & auctoritate officii mei, concedo Arnoldo Metternich, Civi & Bibliopolæ Colonienſi, ac poteſtatem facio, ut opus Scripturiſtico-Theologicum, cujus titulus eſt: Phœnix Rediviva à P. Magiſtro Raymundo Ottz memorati Ordinis in ſuavem methodum cum adjecto quadruplici indice redactum, & legitimè cenſum ac probatum, pro bono publico typis vulgare poſſit. In quorum fidem his ſigillo officii mei munitis propria manu ſubſcripſi. *Viennæ 7. Novembris.* 1688.

Fr. GVINANDVS VVYNANS, Mr. Provincialis Teutoniæ.

Fr. AMBROSIVS ANGERER, Mr. & Socius.

PARS PRIMA

Expoſitionis ſuper Librum

SAPIENTIAE SALOMONIS.

à Capitulo primo uſq; ad nonum incluſivè.

In Qua

Multipliciter declarantur Sapientiæ neceſſitas, utilitas, nobilitas, dotes, effectus generales : Item modus poſtulandi, acquirendi, & deſponſandi ſibi Sapientiam.

PRÆLVSIO

facundiſſima, quæ ſimul eſt

LECTIO PRIMA.

THEMA.

Dominus petra mea, & robur meum. 2.Reg. 22.

EXPLICATIO TEXTUS.

QUAMVIS omnes artes liberales non minus, quàm ſcientiæ morales quadam gloria fulgeant, ut ſeſe mutuò præcellant in dignitate, ſoli tamen & unicæ Scripturæ ſacræ citra vel adulationis crimen, aut palpi diſcrimen convenit, quod omnes alias artes ſcientiaſque naturales tantum ſuperat, quantum tennitate elementa aêr, quantum immenſitate fluvios pelagus, & quantum altitudine reliquos montium vertices tranſcendit, exceditq; Olimpus. Sive enim ejuſdem ſacræ Scripturæ Authorem principalem conſideres, ſive materiæ ſubſtratæ firmitatem perluſtres, ſeu ſacræ Paginæ vigorem & valorẽ mentis acie percurras, fatearis neceſſe eſt, quod omnes aliæ artes ac ſcientiæ, huic tanquam Reginæ & Dominæ inſervire, eamque ſubſequi debeant; utpotè cujus Authore nihil nobilius, quia *Dominus*, ille videlicet, de quo Vates Regius dixit : Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multa. Cujus tenore nihil ſolidius, quia *petra*, cujus vigore nihil potentiùs, quia *robur*, cujus valore nihil locupletiùs, quia *mea* & *meum*.

Eſt itaque primò ſacræ Scripturæ Author Dominus, ille inquam, qui ſcientiarum Dominus eſt, & Viris ſanctiſſimis ac Prophetis, intus illuminato cordis oculo : ſacræ Paginæ inſpiravit verba. Quod Vir ſecundùm cor DEI David in Pſ. palàm cõfeſſus eſt dicens, beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de Lege tua docueris eum. In hac porrò ſacra Sciprura fundatur Theologia, cui omnes ſcientiæ tenentur intendere, ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ: & ſicut ab Angelo Gen. 16. dictum eſt Agar ancillæ. Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manibus ejus. Ita quoque omnes aliæ ſcientiæ ſeſe humiliare debent coram ſacra Theologia, tanquam Domina & Regina.

Eſt deinde ſecundò ſacra Scriptura *Petra*, quoad fundamentum firmitatis ratione materiæ ſubſtratæ, ita ut de ea dici poſſit, illud Iſ. 50. Poſui faciem meam, ut faciem duriſſimam, & ſcio quod non confundar. Unde licet hæreſes ſemper manſuræ ſint in mundo uſque ad finem illius, ut dicit quædam Gloſſa ſuper Iſaiam : contra eas tamen ſemper erunt quidam ſpirituales Doctores in Eccleſia, ſicut dicit alia Gloſſa ſup. cap. 26. Exod. Et ideò ſignanter dicit Scriptura: Scio, quoniam non confundar.

Nec mirùm, ædificata enim eſt ſuper firmam petram, de qua 1. Cor. 10. dicitur: Petra enim erat Chriſtus: Cui ſi Hæretici vel etiam omnes Philoſophi comparentur, veluti ſumus deficient, & nihilum eſſe cõprobabuntur. Ac proinde licet Plato, Pithagoras & Ariſtoteles videantur aliquid dicere, ſi ſecundum ſe præciſè conſiderentur, juncti tamen *Petræ*: id eſt comparati Chriſto, nihil dicunt: ſed jacent tanquam mortui, & verificatur de ipſis illud Pſ. 140. Abſorpti ſunt *juncti*, id eſt comparati *Petræ*, ideſt Chriſto: *judices*, ideſt, Doctores, *eorum*, ideſt Hæreticorum, & inanium Philoſophorum.

Habet quoque tertiò Scriptura ſacra ſpeciale *robur*. Nã robur ſcientiarũ ſæculariũ non excedit vim rationis humanæ : at verò robur ſacræ Theologiæ fundatæ in ſacra Scriptura, eſt primæ verita-

tatis authoritas, quæ cujuslibet ingenii vim excedit. & ideo hæc unumquemque Theologum admonet, dicens illud Deut. 34. Confortare & eſto robuſtus; quaſi diceret, eſto robuſtus ad expugnandum errores & vitia, ſicut erat Elias 4. Regum. David 2. Reg. Oza 2. Reg. 2. & Booz Ruth. 4. Regum. qui omnes ex nomine ſuo robuſti interpretantur. Eſto enim robuſtus ad ſupportandum honores & officia in Eccleſia militante. Eſto præterea robuſtus ad alleviandum dolores & ſupplicia, quæ interdum innocentibus infliguntur, Et denique eſto robuſtus, ad tolerandum terrores per juſtitiam & veritatem ſanæ doctrinæ, unde dicit S. Greg. l. 26. mor. c. 29 Robuſti ſunt illi, qui pro veritate, quam detinent, deſpici non timent, ſimiliter robuſti ſunt illi, qui ad evincenda hujus mundi deſideria, convaleſcunt.

Tandem quartò nihil eſt valore ſacræ Scripturæ completius, habetq; emolumentum proprietatis quoad finem conſequentem; quod notatur per illa duo pronomina ***mea*** & ***meum***, quæ ponuntur in themate Lectioni præfixo. Cùm ſacra Scriptura ac Theologia ſit ſcientiarum Domina, ut paulò ante dictum eſt, juſtè ipſi convenit iſtis pronominibus uti. Iſta namque eſt, quæ ſingulariter dicit illud Proverb. 8. ***meum*** eſt conſilium, & ***mea*** eſt æquitas, ***mea*** eſt prudentia, ***mea*** eſt fortitudo; ubi quatuor ſibi appropriat inſignes virtutes, nimirum conſilium diſcernendo, æquitatem exequendo, prudentiam in præcavendis, & fortitudinem in ſuſtinendis.

His omnibus addo, quod ſacra Scriptura ſit petra aquoſa ad potandum, petra melloſa ad cibandum, petra ſcandali deſtinata ad detrimentum diſcredentium, & petra olei perforata ad lenimentum pœnitentium. Et quidem primò ſacra Scriptura eſt petra aquoſa ad potandum juxta illud 1. Cor. 10. Bibebant autem omnes de ſpirituali conſequente eos petra. Et Sap. 11. Sitierunt, & invocarunt te Domine, & data eſt illis aqua de petra altiſſima.

Eſt deinde petra melloſa ad cibandum, de qua Pſaltes Regius ait: Cibavit eos ex adipe frumenti, & & de petra melle ſaturavit eos. Unde Hugo Didaſcolon: lib. 4. cap. 4. ait, quod divina eloquia rectè ſaxo comparentur, quæ licet propter ſimplicitatē ſermonis arida appareant exterius, intus tamē dulcedine plena ſunt. Sicut enim lac ſecundum medicos melius nutrit, ſi ſugatur; ita etiam S. Scriptura melius nutrit, ſi ſugatur per ſtudium & devotionem, quàm ſi tantùm per brevem auditionem faciliter capiatur.

Præterea ſacra Scriptura eſt petra ſcandali deſtinata ad detrimentum diſcredentium, de qua petra 1. Per. 2. Cap. Non credentibus autem lapis, quem reprobaverant ædificantes, hic factus eſt in caput anguli & lapis offenſionis & petra ſcandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & poſiti ſunt.

Tandem ſacra Scriptura eſt petra olei perforata ad lenimentum pœnitentium, de quo Job. 29. dicitur. Petra mihi fundebat rivas olei. Perforatur autem per acutas & ſubtiles expoſitiones, ita ut anima devota intrinſecus introgreſſa in Chriſti amplexibus delectetur cum Sponſa, de qua Cant. 2. dicitur, Columba mea in foraminibus petræ. Hîc Author *Robertus Holkot* alludit ad ſuum proprium nomen & cognomen, ac dicit, quod iſta foramina ſint domunculæ ſive caſæ, in quibus juxta cognominis ſui *Holkot* conſenſum in hac ſua Poſtilla converſari intendit: ſicut enim nomen *Robertus* à robore eſt derivatum, ita cognomen *Holkot*, ſignificat foramen petræ ſeu caſæ. Ingreſſus itaque Author hoc foramen petræ ſeu Scripturæ ſacræ, rogat cum Moyſe Exodi 39. Dominum Deum hoc modo: Domine oſtende mihi gloriam tuam; & ipſe Dominus dignabitur mihi reſpondere: Tu inveniſti gratiam coram me, & temetipſum novi ex nomine, ego oſtendam tibi omne bonum. Ecce eſt locus apud me, & ſtabilis ſupra petram; cùmque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam te dextera mea. Iſta ſunt verba, quibus Author in hoc opere interpellat ſibique promittit divinam aſſiſtentiam.

Supereſt, ut etiam Nos dotes S. Scripturæ conſequamur, & virtutibus veræ Sapientiæ ornari cupientes, oremus dicamuſque cum Caſſiodoro lib. Inſtitutionum divinarum literarum Cap. ultimo. Præſta Domine legentibus profectum, Legem tuam quærentibus remiſſionem omnium peccatorum, & trahe nos ad te virtute omnipotentiæ tuæ, & non relinquas ſua voluntate vagari, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

LIBER SAPIENTIÆ. SALOMONIS.

LECTIO SECUNDA.

De quibuſdam ſcitu neceſſariis ante expoſitionem Libri Sapientiæ.

Antequam Author explicet Textum primi Capitis Libri Sapientiæ, tria præmittit & reſolvit. ſit ergò

ARTICULUS I.

De nomine hujus Libri, quod eſt Sapientia, & qualiter in præſenti accipiatur *Ly Sapientia* à Libri Authore?

DIco primò, quod Sapientia poſſit tripliciter accipi.

Explicatur aſſertio. Nam primò apud Peripateticos, Sapientia dicitur una virtus intellectualis & ſpeculativa, inter omnes virtutes intellectuales nobiliſſima, cujus non tantùm eſt rem aliquam ſcire, ſed etiam per cauſas altiſſimas cognoſcere, & ſic de illa tractat Ariſtot. 1. Met. cap. 1. Et juxta hanc acceptionem homo *ſapiens* interpretatur *ſophos* in Græco. Et ideo illi, qui olim ante tempora Pithagoræ ſe Sapientiæ ſtudio manciparant, ſophi dicebantur, ut ait S. Aug. l. 8. de Civ. Dei cap. 2. Ex quo patet, quod Author Libri Sapientiæ Sophos, vel etiam Philoſophus, ideſt Amator Sapientiæ dici poſſit.

Secundò accipitur Sapientia à Theologis pro dono quodam ſupernaturali infuſo, per quod homo habet notitiam divinorum & humanorum. Et hoc donum fidem præſupponit ac defendit. Et de Sapientia hoc modo accepta dicitur Iſ. 11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, & ſpiritus Sapientiæ.

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò accipitur Sapientia apud Stoicos & morales Philoſophos, ſicut fuerunt Socrates, Seneca & Boëtius, pro collectione omnium virtutum intellectualium & moralium. Et hoc modo ſapiens nihil aliud eſt, quàm perfectè virtuoſus, in quo ſenſu Seneca in quodam libro de Tranquillitate animi, dicit, quod in ſapientem non cadat injuria, & quod ſapiens, id eſt perfectè virtuoſus, non poſſit offendi. In hoc ſenſu etiam Lactantius l. 4. dicit, quod virtus cum ſcientia conjuncta, ſit ſapientia.

Dico 2. Nomen Sapientiæ in hac tertia acceptione, quatenus nimirum eſt collectio omnium virtutum intellectualium & moralium, accipitur ab Authore hujus libri.

Probatur. Quia nomen libri communiter accipitur à materia, de qua tractatur: in hoc libro autẽ non tractatur præcipuè ac principaliter de aliqua tantũ virtute intellectuali aut morali, ſed de omni virtute. Et ideo, nomen ſapientiæ hic non ponitur præcisè pro dono ſupernaturali, nec tantum pro virtute intellectuali, ſed pro ſumma totali omnium virtutum.

Nec obſtat S. Hier. in Prologo hujus Libri, dum dicit, quod liber iſte ideo vocetur liber Sapientiæ, quia in illo Chriſti Adventus & ejus Paſſio evidenter exprimuntur, Chriſtus autem eſt Sapientia Dei Patris. Non inquam obſtat, quia hæc S. Hieronymi locutio potiùs videtur eſſe quædam aptatio moralis, vel congruentia magis, quàm denominatio literalis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quiſnam ſit Author hujus libri Sapientiæ?

Dico 1. Philo Judæus non eſt Author hujus libri Sapientiæ.

Probatur primò, quia libri Philonis recenſentur in hiſtoriis Eccleſiaſt. ubi iſte liber Sapientiæ non ponitur.

Secundò, quia gloſſa ſuper c. 27. Matth. dicit, prædictum erat in *libro Sapientia*, morte turpiſſima condemnemus eum, ergo liber Sapientiæ fuit editus ante paſſionem Chriſti, & conſequenter Philo, qui floruit tempore Apoſtolorum, non fuit Author libri Sapientiæ.

Tertiò, Sapientiæ 9. dicitur ſic: Tu elegiſti me Regem & Judicem filiorum tuorum. Quæ verba certè non conveniunt Philoni, qui fuit Judæus Alexandrinus in Ægypto, teſte S. Hier. libro de Hæbraicis nominibus.

Nec obſtat S. Hier. qui videtur aſſerere, quod Philo Judæus librum Sapientiæ in lingua Græca ſcripſerit. Non inquam obſtat, quia ut ait Rabanus in principio hujus libri, malè hoc imponitur S. Hier. utpotè, qui tantùm recitativè, non autem aſſertivè hoc ſcribit. Unde S. Hier. tantum dicit, quod Judæi dicant hunc librum eſſe Philonis. Et ideò S. Hieron. in hoc tantum recitat ſententiam aliorum.

Nihilominùs, quia Salomon in lingua Hebraica vel Chaldaica librum Sapientiæ ſcripſit, ideo potuit eundem poſtea Philo Judæus in linguam Græcam transferre. Ac proinde Philo Judæus poteſt dici Author libri Sapientiæ non abſolutè, ſed tantum poteſt dici Author libri ſapientiæ, ut tranſlati in linguam Græcam.

Dico ſecundò, Jeſus filius Syrach non fuit Author libri Sapientiæ.

Probatur hæc aſſertio ex ratione tertio loco adducta, quia nimirum nec iſte Jeſus filius Syrach fuerat Rex, unde nec potuiſſet de ſe dicere illud Sap. 9. Tu elegiſti me Regem & Judicem.

Porrò licet aliquando S. Auguſt. fuerit hujus opinionis, quod Ieſus filius Syrach fuerit Author libri Sapientiæ, hoc ipſum tamen expreſsè retractat lib. 2. Retractationum cap. 4.

Dico tertiò, Author libri Sapientiæ fuit Salomon.

Probatur ex dictis. Tum etiam, quia in l. 4. Eccleſiaſt. Hiſtoriæ dicitur ſic: Egeſippus & Ireneus, omnium antiquorum chorus, librum, qui intitulatur liber Sapientiæ, Salomonis eſſe dixerunt.

Item feria quarta infra hebdomadam Pentecoſtes legitur in Miſſa, dixit Salomon filius Iſrael, Diligite juſtitiam, qui judicatis terram, quæ ſunt prima verba libri Sapientiæ. Conſtat autem quod Eccleſia nec dubium vel falſum velit aſſerere.

Favet quoque aſſertioni noſtræ S. Ambr. qui lib. ſuper Tres quæſtiones Salomonis dicit, quod ſapientiſſimus omnium hominum Salomon tria propoſuerit impoſſibilia, qui etiam in fine libri ſapientiæ Dominum deprecatus eſt dicens: Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam. Ergo vult S. Ambroſ. quod Salomon fuerit Author libri ſapientiæ.

Dico quartò, Liber Sapientiæ inter Canonicos reputandus eſt. Probatur ex S. Auguſtino de doctrina Chriſtiana, ubi omnes libros Canonicos & Bibliæ conſequenter numerans, de libris Sapientiæ & Eccleſiaſtici dicit ſic. Qui in authoritatem recipi meruerunt, inter propheticos enim numerandi ſunt. Hæc S. Auguſt. Unde etiam iſte liber ab Eccleſia computatur inter libros Canonicos, licet à Iudæis oppoſitum ſentiatur. Unde quamvis apud eoſdem Iudæos liber Sapientiæ Salomonis & ſapientia Ieſu ideſt Eccleſiaſt. non numerentur inter libros ſacros, apud fideles tamen habentur & ſunt magnæ authoritatis.

ARTICULUS TERTIUS.

Quiſnam ſit finis eorum, quæ in hoc libro traduntur?

Dico primò, quod finis Sapientiæ, qui in hoc libro traditur, ſit hominem diſponere & dignificare *ſpecialiter* ad gubernandam civilem communitatem.

Probatur, quia ad communitatem aliquam civiliter gubernandam, requiritur quod homines vitioſi, & ad inſtar brutorum indiſciplinati, atque à ſe invicem per varias paſſiones diſcordantes, in unam civilitatem & humanam politiam per leges debitas deducantur, vi quarum vitioſi ſunt puniendi, benè meriti autem præmiandi, ita ut exinde habeatur concordia civium: ad has autem leges condendas eſt neceſſaria Sapientia per eloquentiam ordinata, teſte Tullio. Et ideo rectè dicitur gubernatoribus populi Sap. 6. ſi delectamini in ſedibus & ſceptris ô Reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis. Unde rectè dixit ſapientiſſimus Plato.

Regna beata forent, ſi vel contingeret eſſe
Philoſophos Reges, vel Reges philoſophari.

Et meritò. Nam ut ait Boëtus lib. 1. de Conſolatione Proſ. 4. Sapientia Regibus neceſſaria eſt, nè impiis flagitioſiſque civibus urbium relicta gubernacula, peſtem bonis & pernitiem ferrent.

Dico ſecundò, quod conveniat ſecundò huic Sapientiæ diſponere hominem, ac dignificare ad expugnandam hoſtilem adverſitatem.

Probatur. Quia quantumcunq; homo ſit fortis & honeſtus corpore, ſi tamen careat Sapientiâ, nullatenus valet pro Rege aut Duce ad defendendum ſe contra hoſtem: Propter quod dicitur Eccleſ. 9. Civitas parva, & pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & facta eſt obſidio. Inventus autem eſt in ea Vir ſapiens & pauper, & liberavit eam per Sapientiam ſuam.

Et quia in antiquis eſt Sapientia, ut dicitur Job. 12. Et annorum multitudo docet Sapientiam, Job. 32. ideo meritò Alexander magnus nullum in exercitu ſuo Ducem habuit, niſi eſſet 60. annorum.

Dico tertiò, Quod Sapientiæ tertiò conveniat hominem dignificare ad caſtigandam puerilem fatuitatem.

Probatur ex illo Proverb. 29. ubi dicitur. Virga atque correctio tribuet Sapientiam: puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ, confundet matrem ſuam.

Cùm ergo hæc tria beneficia habeantur à Sapientia, Audite diſciplinam & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam, Proverb. 8.

CAPITVLVM I.

LECTIO III.

TEXTUS.

Diligite juſtitiam, qui judicatis terram, Sapient. 1.

EXPLICATIO TEXTVS.

Sapientiſſimus Salomon afflatus Spiritu ſancto ſpecialiter ſuadet Sapientiam. Medium autem ad acquirendam illam eſt Juſtitia, juxta illud Eccli. 1. Fili concupiſcens ſapientiam, ſerva juſtitiam, & Dominus præbebit tibi illam.

Porrò Salomon volens per totum corpus Eccleſiæ transfundere virtutes morales, quæ cum vera Sapientia ſunt annexæ, incipit & alloquitur ſtatim in principio ſui ſermonis Judices, Principales & Prælatos, benè conſcius, quod

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et quod converſatione plebs ſemper imitetur Dominos, ac Superiores. Unde ſicut in generatione humana primum eſt cor, quod deinde reliqua membra movet: ita bujus libri Author, volens informare corpus Ecclesiæ virtutibus moralibus, primò incipit à Dominis & Prælatis, à quorum influxu & mandato, tanquam à corde, capite, vel primo mobili, reliqui cives dependent. Unde ſi Prælati & Superiores diligant Juſtitiam, mirum non eſt, ſi ſubditi eandem amplectentur.

His præmiſſis, Sciendum eſt, quod Salomon in Textu allegato Iudices, Principes & Reges tria doceat: nimirum qualiter debeant eſſe affecti, per Ly *diligite juſtitiam*. Secundò, ad quid ſint electi, nimirum ad *judicandum*, & Tertiò, quod judicare debeant, nimirum *terram*, ideſt, homines terrenos, & terrenis deſideriis inhærentes. Homines inquam, qui de terra ſunt, & in terram ſeu cinerem revertentur. Judicare debeant Judices, Reges & Principes, qui etiam non cæleſtes ſed terreni ſunt, homines aliis ſimiles in conditionis fragilitate, in corporis corruptibilitate, & inſuper ſunt aliis hominibus æquales in naturæ vilitate. Quia etiam ſunt *terra*, ſeu de terra formati, ſicut alii homines. Circa illa verba, *diligite juſtitiam*, &c. ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

An quicunque facit Juſtitiam, ſit juſtus?

Dico, quod ad hoc ut aliquis ſit vir juſtus, non ſufficiat, quod faciat juſtitiam, ſed requiritur, quod faciat juſtitiam juſtè ex amore juſtitiæ; unde Deut. 16. dicitur. Juſte, quod juſtum eſt, exequere. Et S. Anſel. lib. de libero arbitrio Cap. 3. dicit, Quod juſtitia ſit rectitudo voluntatis propter ſe ſervata.

Ex his colligitur, quod quatuor ſunt genera hominum, qui Juſtitiam quidem faciunt, & tamen Juſtitiam non diligunt, nec ſunt juſti.

Nam primò excluduntur. Appetitivi honorum & reverentiæ, qui tantum ideo vitia corripiunt, ut laudentur & honorentur ab hominibus, quales erant Phariſæi, de quibus dicitur Matth. 5. Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Secundò excluduntur vindicativi, & ex ira, rancore vel impatientia juſtitiam judicantes. Licet enim tam juſtus, quàm iratus quærat vindictam ob delictum; juſtus tamen quærit vindictam ex præciſo zelo juſtitiæ, iratus autem ante vindictam dolet, quaſi patiens aliquod injuſtum, ſed poſtquam punivit, delectatur, ut dicitur. 3. Eth. Cap. 22. Et tales fuerunt illi duo ſenes, qui Suſannam, contemnentem eorum amorem libidinoſum, ex ira & vindicta adjudicaverunt morti, Dan. 13.

Tertiò excluduntur Lucrativi munerum: Hi enim præcisè demonſtrant ſe Juſtitiam diligere, ſed mentiuntur, quia tantùm diligunt pecuniam & propter pecuniam faciunt Juſtitiam: & tales ſunt venditores juſtitiæ ad inſtar mercatorum. Sicut enim mercatores vendunt res ſuas plus danti, ita etiam iſti vendunt juſtitiam plus offerenti. Sed terribile eſt, quod talibus judicibus dicitur Iſ. 5. Væ, qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.

Quartò excluduntur Diſſimulativi ſcelerum. Quia iſti non diligunt verè juſtitiam. Habet enim juſtitia, quod culpæ correſpondeat pœna, ſicut morbo medicina. Et ita mater prohibens, ne filius indiſciplinatus puniatur, plus nocet, quàm prodeſt filio. Ait namque S. Auguſtin. in quadam Epiſt. Quod talis falſa manſuetudo, crudelitas eſt. Et ideò ſignanter dicitur in Pſalmo. Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Cur Principibus & Prælatis potius dicatur: Diligite Iuſtitiam, quàm diligite Prudentiam, vel aliquam virtutem moralem?

DIco, quod duplex hujus ſit ratio: Prima eſt, quia habita juſtitia in Prælatis, habentur communiter omnes virtutes, & hoc eſt quod dixit S. Ambroſius in Hexameron: Ubi eſt prudentia, ibi interdum eſt malitia; ubi fortitudo, ibi iracundia; ubi temperantia, ibi impatientia & pleraque alia vitia: ubi autem eſt juſtitia, ibi eſt concordia virtutum cæterarum.

Ratio ſecunda eſt, quia ſine juſtitia non poſſunt Reges & Principes eſſe Domini, & ideo debent multum diligere illud, ſine quo Domini eſſe non poſſunt. amota autem juſtitia fiunt Reges Tyranni, Vnde S. Aug. lib. 4. de Civ. Dei c. 4. ait: Remota juſtitia quid ſunt regna, niſi magna latrocinia; & quid ſunt latrocinia, niſi parva regna?

ARTICVLVS TERTIVS.

An amicitia, vel juſtitia magis ſit Reipublicæ neceſſaria?

NOtandum ante reſolutionem, quod teſte Ariſtotele 2. Ethic. Juſtitia ſit duplex, generalis & particularis. Juſtitia generalis non eſt pars virtutis, ſed eſt tota virtus, & in ſe complectitur omnes virtutes. Alia eſt juſtitia particularis: quæ ſecundum eundem Ariſtotelem dividitur in juſtitiam Diſtributivam & Commutativam; Hoc præmiſſo,

Dico, Quod juſtitia generalis ſit magis neceſſaria reipublicæ quàm amicitia: nihilominus amicitia eſt magis neceſſaria reipublicæ, quàm juſtitia particularis.

Probatur prima pars, Quia omne totum eſt majus ſua parte, ergo etiam juſtitia generalis utporè continens in ſe omnes virtutes, eſt magis utilis & neceſſaria republicæ, quàm amicitia, quæ etiam eſt virtus particularis.

Probatur ſecunda pars ex Ariſtotele 6 Ethic. c. 1. ubi dicit quod amicitia contineat & conſervet civitates: & legis expoſitores magis circa eam amicitiam ſtudent, quàm circa juſtitiam particularem.

Argumenta quæ poſſunt fieri ad probandum, quod juſtitia magis ſit neceſſaria reipublicæ; ſolum intelliguntur de juſtitia generali, quæ etiam eſt præclariſſima virtutum, & eſt virtus perfecta: & neque Heſperus, neque Lucifer eſt ita admirabilis.

Argumenta autem quæ conantur probare, quod amicitia ſit magis neceſſaria reipublicæ, quàm juſtitia. tantum loquuntur de juſtitia particulari. Nam licet etiam per juſtitiam particularem conſerventur civitates, magis tamen conſervantur per amicitiam: Quia ſi omnes homines eſſent amici, non indigerent juſtitia particulari, & tamen ſi omnes homines eſſent juſti juſtitia particulari, adhuc indigerent amicitia, ut ait Tullius. Quod ſignum eſt, quod per amicitiam magis conſerventur civitates, quàm per juſtitiam particularem.

LECTIO QVINTA.

TEXTVS.

Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum; quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam præmiſit Salomon, quod medium ad acquirendam Sapientiam ſit juſtitia, ideo nunc ſermonem hunc proſequitur de juſtitia, oſtendendo, quomodo homo debeat in mente ad Deum ordinari.

Ordinatur autem hominis mens ad Deum per tria, ſeu per tres virtutes Theologicas; puta per Fidei integritatem, per cordis charitatem, per ſpei firmitatem. Et hæc tria manifeſtè in Textu allato comprehenduntur.

Nam, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ideo præmittit Salomon fidei integritatem, dicens: *Sentite de Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis.* Piè credite, quæ de Deo ſunt revelata in ſacra Scriptura: nec multùm diſputate, quomodo hoc aut illud poſſit ſic ſe habere, nam qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.

Quia verò fides non ſalvat ſine charitate, teſte Apoſtolo dicente: Si habuero omnē fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, 1. Cor. verſ. 13. Ideo poſtquam mens humana primò eſt illuminata per fidem, oportet, quod ſecundo ſit inflammata per charitatem. Et ideo ſubditur in textu: *Et in ſimplicitate cordis quærite illum.* Quæritur autem Deus per amorem & dilectionem, juxta illud Cant. 3. Quæſivi, quem diligit anima.

Denique quia nullus *efficaciter* aliquid quærit, quod non ſperat, ideo poſt fidei integritatem, & amoris charitatem ſubdit Salomon in Textus, ſpei firmitatem, dicens: *Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum.* Non enim tentabis Dominum Deum tuum, Matth. 4.

Subditur in Textu. *Apparet autem his, qui habent fidem in illum.* Ideſt, qui habent fidem formalem, ſeu qui habent fidem tendentem in Deum per dilectionem.

Ex his ergo manifeſtè patet, quod tres virtutes Theologicæ ordinantes mentem in Deum, ſint homini juſto neceſſariæ; Circa illa verba, *qui tentant illum*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Quot ſint modi tentandi Dominum Deum?

DIco primò, Quod tentare Deum tunc ſit, quando in verbis eſt ſimplicitas, & in corde malitia, ut dixit Gloſſa ſuper Pſalmum 81. Et tales non quærunt Deum in ſimplicitate cordis. Et Gloſſa ſupra illud Matth. 4. Non tentabis Dominum Deum tuum, dicit ſic. Nemo tentare debet Deum, quando ex humana ratione habet, quod faciat. Ille enim tentat Deum, qui committit ſe pe-

riculo, quando ex humana ratione apparet evaſio: &ideo Chriſtus dixit Matth. 10. Cum vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.

Dico ſecundò, quod ſpecialiter quinque modis homines poſſint tentare Dominum Deum.

Explicatur aſſertio: Videlicet primò aliqui tentant Dei clementiam, qui negligenter orant ſine devotione; contra quos dicitur Eccl. 18. ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi qui Deum tentat.

Secundò, aliqui tentant Dei patientiam, & ſunt illi, qui perſeverant in peccatis, de qnibus dicitur in Pſalm. Qni tentaverunt & exacerbaverunt Deum excelſum, & teſtimonia ejus cuſtodierunt.

Tertiò aliqui tentant Dei potentiam, nt ſunt temerarii in periculis, de quibus dicitur, Judith. 8. Qni eſtis vos qni tentatis Dominum. Ubi Judith loquitur contra Sacerdotes, qui ſtatuerunt, ut Deus eos liberaret intra aliquot dies.

Quartò aliqui tentant ſapientiam Dei, & ſunt illi, qui ſe exponunt ſine ſtudio ad docendum, & prædicandum ſine præmeditatione, juxta illud Pſalm. Tentaverunt Deum in cordibus ſuis; ut peterent eſcas animabus ſuis.

Quintò denique aliqui teutant Dei juſtitiam, & ſunt illi, qui orant & rogant pro viudicta juxta illnd Luc. 9. Vis ut dicamus ut deſcendat ignis de cœlo. Porrò, qui ſic tentant Deum, revera non inveniunt illum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An præter virtutes morales acquiſitas neceſsè ſit ponere Virtutes Theologicas, ordinantes mentes hominis in Deum.

DIco primò, quòd ad fœlicitatem naturalem hominis conſequendam ſufficiant virtutes morales acquiſitæ.

Probatur, quia hanc fœlicitatem naturalem poteſt homo conſequi ex viribus naturæ, & ideo Ariſtoteles, qui tantum hanc fœlicitatem naturalem hominis cognovit, ait: ſufficere virtutes morales acquiſitas ad ejus acquiſitionem.

Dico ſecundò, de fide eſt, quod ad beatitudinem ſupernaturalem hominis conſeqnendam, præter virtutes morales acquiſitas, requirantur virtutes Theologicæ, nimirum fides, ſpes, & charitas, quæ homini à Deo infunduntur, mentemq; ejus elevant ad Deum, tanquam ad objectum & finem ſupernaturalem: unde rectè ait Apoſtolus, 1. Cor. 13 Nunc autem maneut fides, ſpes & charitas, tria hæc.

Dices, Poteſt homo naturaliter aſſentire his, quæ fides prædicat, ergo non eſt neceſſaria homini fides Theologica.

Secundò, Si homo haberet charitatem ſupernaturalem ſequitur, quod poſſit eſſe certus de illa, & etiam de gratia cum qua charitas ſupernaturalis eſt connexa, ſed conſequens eſt falſum, ergo & autecedens. Probatur ſequela. Quia inconveniens eſt, quod ſummi habitus dentur in nobis & tamen ignoremus, nos eos habere. Ergo.

Reſpondeo ad primum, quod non poſſit homo aliquid meritoriè facere vel credere ex naturalibus; nam ad actum fidei ſupernaturaliter eliciendum, prærequiritur pia motio voluntatis.

Reſpondeo ad ſecundum, quod non ſimpliciter nos lateat, nos habere tales habitus, ſed rationaliter credimus nos tales habitus habere. Adde quod licet homo ſecundum legem communem non poſſit eſſe certus certitudine phyſica de ſua gratia & charitate ſupernaturali, poteſt tamen eſſe certus de ſua gratia & charitate certitudine morali, quod ſufficit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quam energiam habeant verba illa in Textu allegata: *In ſimplicitate cordis quærite illum*

DIco, quod in quatuor illis verbis quatuor inſinuentur, quæ vitam hominis Chriſtiani in præſenti reddunt meritoriam, nimirum primò rectitudo ſanctæ converſationis, per ly *in ſimplicitate*. Secundò gratitudo piæ devotionis, per ly *cordis*. Tertiò ſollicitudo diſtinctæ inquiſitionis, per ly *quærite*. Quartò altitudo gratiæ contemplationis, per ly *illum*.

Explicantur ſingulæ partes. Simplicitas debet eſſe columbina, & conjuncta prudentiæ juxta illud Matth. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ; nt autem hæc ſimplicitas ſit perfecta, debet eſſe ſimplicitas ſine plica vanæ intentionis, ſine ruga falſæ opinionis, & ſine tegumento palleatæ fictionis.

Primam ſimplicitatem non habent illi, qui quærunt laudes humanas; Secundam ſimplicitatem non habent Hæretici, qui veris ſententiis fidei Chriſtianæ commiſcent errores falſarum opinionum, qui certè non ſunt ſimplices corde & lingua, ſed duplices & bilingues, contra quos Eccl. 2. dicitur: Væ duplici corde & labiis ſceleratis, & manibus malè facientibus, & peccatori ingredienti terram duabus viis. Tertiã ſimplicitatẽ non habent proditores & doloſi, qui prætendnnt unum in ore, & aliud habent in corde, de quibus in Pſalmis dicitur: Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt.

Explicatur 2. pars, de gratitudine piæ devotionis, quàm homo tunc habet erga Deum, quando cor ſuum Domino Deo offert & donat liberaliter, integraliter & perpetualiter.

Tunc autem das cor tuum liberaliter, quando ex puro amore Dei, cogitando ejuſdem infinitam bonitatem, cor tuum tradis eidem cuſtodiendum, & dirigendum ab ipſo in vitam æternam, adeò ut cor tuum velis eſſe affixum Domino Deo, non tantùm in tempore proſperitatis, ſed etiam in tempore adverſitatum, quas Dominus Deus tibi immittit.

Et hunc modum ſignanter exigit & petit Dominus Deus Prov. 23. dicens: *Præbe mihi fili mi cor tuum*, quaſi diceret, fili mi per creationem, fili mi per informationem, fili mi per redemptionem, *præbe* per donationem, *cor* per dilectionem, *tuum* per poſſeſſionem, *mihi* per devotionem.

Debes deinde Domino Deo dare cor tuum integraliter, juxta illud Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Eſt enim Dominus Deus ſicut homo zelotypus, qui non permittit uxori ſuæ alios diligere

gere. Unde Exodi 14. dicitur. Nuli adorare Deum alienum, Deus enim Zelotes, nomen ejus Dominos & æmulator. Nec mirum, quia ſulus redemit te. Et ideo præcipit nobis Joël. 2. Convertimini ad me in toto corde veſtro.

Tertiò vult Deus, quod des ipſi cor tuum perpetualiter. Unde ſicut homines, qui volunt alicui dare poſſeſſionem perpetuam alicujus rei, accipiunt chartam, in qua ſcribunt donationem alteri factam, & poſtea ſignant eam ſigillo & ita ſigillatam alteri tradunt, ut ſit ſecurus de poſſeſſione perpetua. Ita etiam nos, ut aſſecuremus Deum de animabus noſtris, formare debemus chartam de corde noſtro, ſcribendo in illo mandata Dei juxta illud Prov. 7. Scribe illam, ideſt, Legem Dei in tabulis cordis tui: poſtea verò debemus ſignare ſigillo humanitatis Chriſti, quod ſculptum fuit multis vulneribus in ſua paſſione tanquam litteris. Poſtea verò nobis applicare debemus per devotam meditationem juxta illud Cant. 8. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum. Ex hoc enim ponemus Deum in poſſeſſione, ut per gratiam habitare dignetur in cordibus noſtris, ad Eph. 3.

Explicatur tertia pars de ſolicitudine diſcretæ inquiſitionis, quæ denotatur per ly *quærite illum*. Itaque Deum debemus quærere ſapienter cum tribus Magis. Sicut multi quæſiverunt Deum ſtella duce Matth. 2. ita etiam nos quærere debemus Deum duce beatiſſima Virgine MARIA, quæ eſt ſtella maris. Unde ſanctus Bernardus Hom. 3. ſuper M ſſus eſt, ſic ait: Si inſurgant venti tentationum, ſi incurris ſcopulos tribulationis, reſpice ſtellam, invoca MARIAM.

Secundò quærere debemus Deum dolenter cum beatiſſima Virgine & Joſepho, de quibus Luc. 2. dicitur: Dolentes quærebamus te. Illi inquam per triduum quæſiverunt Chriſtum, & per triduum invenerunt.

Tertiò quærere debemus Deum diligenter, juxta illud Luc. 15. Quæ mulier habens drachmas decem, &c.

Quartò quærere debemus Deum permanenter Matth. 7. Petite & accipietis, quærite & invenietis.

Explicatur 4. pars de altitudine quietæ contemplationis, quæ ſignificatur per ly *illum*. Nam in illo & in nullo alio quietatur noſtræ contemplationis intentio. Unde S. Aug. lib. 1. Confeſſ. ait: Tu Domine feciſti nos venire ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. In ſimplicitate ergo cordis quærite illum.

LECTIO QVINTA.

TEXTVS.

Perverſæ enim cogitationes ſeparant à Deo, probata autem virtus corripit inſipientes: quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam dictum eſt in prioribus, quod homo convenienter diſponatur, ad recipiendam ſapientiam per juſtitiam, nunc hîc oſtenditur per quid homo à Sapientia principaliter impediatur.

Impedimentum autem nè ſpiritus Sapientiæ inhabitet hominem ſpiritualiter, eſt duplex, videlicet mentalis malitia, & immunditia corporis.

Eſt ergo ſenſus *perverſa cogitatio*, ideſt affectio cogitationis, per quam Deus non diligitur, nec adoratur, nec in eum creditur, *ſeparat à Deo. Probata autem virtus*, ideſt fides operans per dilectionem, *corripit inſipientes*, id eſt coarguit conſcientiam illorum de errore & ingratitudine erga Deum, & ſic corripiendo ſuadet orare & timere Deum, in quo utroque conſiſtit vera ſapientia.

Cauſa autem, cur cogitationes infidelitatis ſeparent à Deo, eſt quia tales homines ſunt in mente malitioſi, & in corpore voluptuoſi, *Et in talem animam malevolam non introibit Sapientia*, ideſt, verbum Dei, juxta illud Eccl. 1. Fons Sapientiæ verbum Dei in excelſis. Vel *in talem malevolam animam non introibit Sapientia*, id eſt, collectio omnium virtutum tam moralium, quàm intellectualium: quia ſi unum contrariorum fuerit in ſummo, tunc nihil ſecum compatitur de altero contrario, Deus autem eſt ſumma bonitas, & ideo cum malitia animæ nullatenus eſſe poteſt.

Subditur in Textu: *Nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Ubi nomine *corporis* intelligitur totum compoſitum ſeu totus homo, accipitur hîc pars pro toto, ſicut Chriſtus Dominus, quando dixit, Hoc eſt corpus meum, tunc ibi nomine *corporis* intelligitur totum ſuum compoſitum ex corpore & anima, quæ ſubſiſtebant per ſubſiſtentiam Verbi divini. Senſus itaque præfatorum verborum eſt, *Nec habitabit ſpiritus Sapientiæ in corpore ſubdito peccatis*, ideſt, in homine operante peccata carnalia. Nam ſumma ſapientiæ bonitas ſeſe non compatitur cum ulla malitia, eò quod unum oppoſitorum non poſſit ſtare cum altero.

ARTICVLVS PRIMVS.

Cur in allegato Textu, ſpiritus Sapientiæ tantum dicatur *non habitare* in corpore ſubdito peccatis; in animam autem malevolam dicatur ſpiritus Sapientiæ *ne quidem introire*?

DIco hoc ideo fieri, ut oſtendatur differentia inter peccata carnalia & ſpiritualia, maximæ malitiæ peccata, cujuſmodi ſunt odium, ſuperbia, invidia, &c. Quia iſta peccata ſpiritualia ſunt quidam minoris verecundiæ, ſed tamen ſunt majoris culpæ, juxta S Gregorium. Contra verò peccata carnalia ſunt majoris verecundiæ, ſed minoris culpæ, & ideo communiter homines faciliùs confitentur de peccato carnali, & cum majori verecundia ſatisfaciunt, quàm de peccatis ſpiritualibus. Ex quo fit, quod peccata ſpiritualia, ut ſunt odium, ſuperbia, invidia, &c. magis in hominibus *continuantur*, ita ut licet homo videatur explicitè illa deponere, implicitè tamen eadem retinet: & in talem malevolam animam, quæ totaliter non recedit ab affectu ſui peccati, *Ne quidem introibit ſpiritus Sapientiæ*.

At verò in peccatores reóſque peccatorum carnalium, dum nimirum homines, qui iſta commiſerunt ob abſurditatem peccati carnalis & ex amore

amori Dei verè conteruntur, bene intrat aliquando, ſed tamen non diu inhabitat in iſtis ſpiritus Sapientiæ, quia tales homines carnales, ob malam contractam conſuetudinem, ſtatim iterum ad venerea ſeſe convertunt. Et hoc modo intelligendus eſt S. Gregor ſuper hunc locum. Videantur illa, quæ dicentur Lect. 6. in expl. Textus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quot ſint genera malarum Cogitationum?

DIco, quod ſint quatuor genera malarum cogitationum, quia ſunt cogitationes malitioſæ, ambitioſæ, voluptuoſæ & infructuoſæ.

Explicatur prima Cogitatio Malitioſa. Quæ eſt illa quæ procedit ex animo offendendi vel nocendi juxta illud Pſal. Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua. Et talis fuit cogitatio Saul contra Davidem, qui 1. Reg. 18. cogitavit tradere Davidem in manus Philiſtinorum Talis etiàm erat cogitatio fratrum contra Joſeph, cogitantium illum occidere, Gen. 37.

Explicatur ſecunda Cogitatio Ambitioſa. De hac ſcribitur Lucæ 9. Intravit cogitatio in diſcipulos, quiſnam major eorum eſſet / Dicit autē ad propoſitum Petrus Bleſenſis in quadam Epiſt. ad Clericos de Capella Regis Henrici, quod ambitio ſit ſimia charitatis. Nam ſicut charitas patiens eſt pro æternis, ita ambitio omnia patitur pro caducis. Deinde ſicut charitas benigna eſt pauperibus, ita ambitio benigna eſt divitibus. Et ſicut charitas omnia ſuffert pro veritate, ita ambitio omnia ſuſtinet pro vanitate, Utraque etiam omnia credit & omnia ſperat, ſed diverſimodè; nam ambitio tantum ad gloriam hujus vitæ, charitas autem ad gloriam ſine fine: & ideo rectè ſectantes charitatem, intrabunt regnum cœlorum, ambitioſi autem per multas tribulationes merentur infernum.

Explicatur tertia Cogitatio Voluptuoſa. De qua dicitur Gen. 8. Senſus & cogitatio humani cordis proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua. Et B. Albertus Magnus lib. de cauſis proprietatum Elementorum Tract. 2. cap. 2. ait: Quod ſi ſuper carbonem candelæ extinctæ, non tamen ſic omninò mortificatæ, quin ibi aliqualis ignis remanear, projiciatur tenuiſſimus pulvis ſulphuris, candela ſtatim reaccēdetur. Sic etiā tenuiſſimus pulvis ſulphuris eſt minima cogitatio libidinoſa, quæ tamen ſi cadat ſuper flammas luxuriæ, à nobis quidem extinctas, non autem planè mortificatas (neque enim in hac vita ſomea carnalia concupiſcentiæ totaliter extinguitur) ſtatim reaccenditur candela corporis noſtri ex luxuria ardens.

Cavendum proinde eſt, nè vel minimas cogitationes ex ſuaſu diaboli tanquam non nocituras admittamus. Cavendum quoque eſt cuivis pœnitenti, nè de ſe olim patratis laſciviis, cogitationes recordativas admittat: quia ut ait S. Greg. l. 3. Mor. cap. 5. Sæpè mens ita in culpæ recordatione concutitur, ut ad perperrationem illius longè gravius, quàm prius capta fuerit, urgeatur. Unde rectè Deut. 5. dicitur. Cave nè tibi ſubrepat impia cogitatio. Et Iſaiæ 1. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, dicit Dominus. Et Iſaiæ 55. Derelinquat impius viam ſuam, & impius cogitationes ſuas. Per quæ verba apertè præcipitur, ut quivis homo non tantum in corpore, ſed etiam in mente munditiam atque caſtitatem ſervet.

Porrò hanc mentis caſtitatem antiqui plurimùm æſtimarunt, ita ut ſi advertiſſent quod aliqua ex Virginibus Deo conſecratis corrupta fuiſſet mente, eandem à ſacerdotio officio repellere voluerunt. Hinc Seneca lib. 6. Declamationum, Declamat. 8. refert de Virgine Veſtali, quæ ſcripſit hunc verſum:

Fælices nupta, moriar ubi nubere dulce eſt.

Antiqui illam à ſacerdotio officio voluerint repellere, & eodem privare.

Explicatur quarta mala Cogitatio Infructuoſa & vana, quæ ſine fructu & utilitate eſt, de quibus Pſalmiſta dicit. Deus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Et alibi. In illa die: nimirum mortis: peribunt omnes cogitationes eorum, id eſt mundanorum, quorum cogitatio vel eſt de rebus terrenis congregandis, & hæc peribit, ut pat. ex Luc. 12. de divite, qui cogitavit dilatare horrea ſua, cui tamen dictum eſt: Stulte hac nocte morieris. Vel certè talium hominum infructuoſorum cogitatio eſt de differenda pœnitentia, quæ tamen cogitatio etiam peribit, ut pat. ex 4. Reg. 21. de Amon filio Manaſſe; qui totam juventutem ſuam in peccatis more patris ſui tranſigere voluit, & tantum finaliter pœnitere: ſed iſta cogitatio *periit*, quia Amon dum in mediis flagitiis viveret, à propriis ſervis ſuis interfectus eſt.

Vos autem chariſſimi non ſic, ſed operamini bonum, dum tempus habetis, ſectantes chariſmata meliora: Ut revertatur unuſquiſque à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis. Jerem. 25.

LECTIO SEXTA.

TEXTVS.

Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperveniente inquitate.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam oſtenſum eſt, quod per mentis malitiam & corporis immunditiam, homo impediatur à receptione Sapientiæ, nunc utriuſque rationem aſſignat in præſenti.

Dicitur itaq; in Textu: *Spiritus ſanctus diſciplinæ*, ideſt dator vel inſpirator diſciplinæ: *Effugiet fictum*, id eſt hypocritā, qui bonum præſefert exterius, & malitiam gerit interius, eſtq; tantum fictus diſciplinæ amator. Itaque mirum non eſt, quod Spiritus ſanctus, qui eſt Anthor & dator Sapientiæ, in malevolam animam non intrabit, ſed potius effugiet talem fictum. Et per hoc aſſignatur ratio, quare in malevolam animam non intrabit Sapientia. In verbis autem ſequentibus aſſignatur ratio, quare *non habitabit in corpore ſubdito peccatis*: quia nimirum ſe auferet à cogitationibus libidinoſis & beſtialibus ex eo, quia Spiritus ſanctus eſt Spiritus munditiæ & honeſtatis.

ſtatis. Ac proindè quia eſt Spiritus *veritatis*, ideo effugiet fictiones : at verò quia idem Spiritus ſanctus, eſt Spiritus *honeſtatis*, ideo effugiet beſtiales & libidinoſas cogitationes, repugnantes rationi, & intellectui. Ideò in textu ſubditur: *Auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.*

Sequitur in Textu: *Ex corripietur à ſuperveniente iniquitate*; id eſt fictus talis, qui per ſuam malitiam à ſe fugat Spiritum ſanctum, certè non evadet finaliter ſinè pœna: imò *corripietur*, id eſt, per rationem rectè damnabitur, & hoc à *ſuperveniente iniquitate*, id eſt, propter iniquitatem, quæ ejus conſcientiam opprimet ſicut onus grave, juxta illud Pſalmi: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Eſt tamen differentia inter modum corripiendi peccatorem pœnitentem & impœnitentem; nam in peccatore pœnitente ſupervenit manſuetudo & miſericordia, juxta illud Pſalmi: Quoniam ſupervenit manſuetudo & corripiemur : In peccatore autem impœnitente finaliter ſupervenit ira Dei & pœna infernalis, juxta illud Baruch. 4. Ignis enim ſuperveniet ei ab æterno in longiturnis diebus. Circa illa verba: *Corripietur à ſuperveniente iniquitate*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Quot ſint ſpecies mali circa mores, ab hominibus fugiendæ?

Dico cum Ariſtotele 7. Eth. c. 3. quod ſint tres, nimirū Incontinentia, Malitia & Beſtialitas.

Explicatur prima ſpecies, quæ eſt Incontinentia, quæ nihil aliud eſt, quam quando homo habet debitam cognitionem, quidnam facere debeat, victus tamen tentationibus, non continet ſe intra limites propriæ conſcientiæ, judicantis ſpeculativè, hoc non eſſe faciendum; ſed propter tentationem, quâ vincitur, recedit à recto judicio rationis & conſcientiæ, & errat in ſuo judicio practico, dum practicè judicat, quod hic & nunc ſit faciendum malum & non bonum. Et hæc incontinentia eſt prima ſpecies fugienda circa mores.

Explicatur ſecunda ſpecies nimirum Malitia, quæ ſecundum Ariſtotelem eſt habitus malus generatus ex aſſuetudine ſequendi paſſiones; & per iſtum malum habitum conſcientia eſt ita corrupta, ut judicet omne illud eſſe bonum & proſequendum, ad quod appetitus ſenſitivus inclinat. Unde talis homo non ampliùs operatur perversè ex aliqua tentatione, ſed ex electione; & talis homo ab Ariſtotele vocatur intemperatus; qui eſt multo pejor quàm incontinens.

De tali homine intemperato loquitur Seneca, de Copia verborum, ante finem, ubi ait: Tunc eſt conſummata infelicitas quando turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent, & deſinit eſſe remedio locus, ubi, quæ fuerunt vitia, mores ſunt.

Explicatur tertia ſpecies ; quæ eſt Beſtialitas, quæ tunc habetur, quando malitia eſt tanta, ut excedat limites humanæ affectionis circa materiam iræ vel libidinis, aut alterius peccati. Itaque homo conſtituitur in medio confinio inter ſubſtantias divinas vel Angelicas, ac beſtias; & ideo ſi ſapit naturam alterius extremi, ab illo denominatur. Et ideo viri excellentes in contemplatione & honeſtate, vocantur divini vel Angelici : homines autem excedentes in malitia, ita ut nec beſtia fœdius & turpius poſſet ſequi appetitum ſenſitivum, tales inquam homines vocantur beſtiales. Et hæc beſtialitas ſuperat duas priores ſpecies.

Ab omnibus autem iſtis tribus ſpeciebus ſubtrahit ſe Spiritus ſanctus, & eas diligentem, projicit in infernum. Bonus autem Chriſtianus orare debet cum Pſalmiſta: Ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Spiritus ſanctus deteſtetur & fugiat omnem fictionem?

Dico, quòd Spiritus ſanctus omnem fictionē deordinatam & importantem aliquam falſitatem, deteſtetur ; non autem deteſtetur illam fictionem quæ deordinata non eſt, nec falſitatem importat.

Probatur prima pars, quia Spiritus ſanctus eſt Spiritus veritatis. Ergo deteſtatur omnem fictionem importantem falſitatem aliquam.

Probatur & explicatur ſecunda pars : Nam iſte terminus *fictio*, non neceſſariò importat falſitatem ſeu deordinationem, ſed poſſibile eſt, quod fictio aliquid ſignificet ſicut eſt, & tunc fictio non importat aliquid falſum. Unde S. Auguſt. in lib. de Quæſtionibus Evangelii docet: Non omne quod fingimus mendacium eſt, ſed quando illud fingimus quod nihil ſignificat, mendacium eſt.

Itaque quando fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, tunc non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis; Sic enim Dominus finxit ſe longius ire, quia compoſuit motum ſuum, quaſi volens ire, ad aliquid ſignificandum.

Ex his formatur talis ratio : Fictio ordinata ad aliquid ſignificandum, non importat aliquam falſitatem; Ergo talem fictionem non fugit, vel deteſtatur Spiritus ſanctus. Antecedens patet ex authoritate *S. Auguſtini* mox citata, & Conſequentia ſimiliter conſtat.

Confirmatur ex Authuritate *S. Gregorii Hom. 25. in Evangelia*, ubi ait : Nihil per duplicitatem ſimplex veritas facit, ſed talem ſe exhibuit diſcipulis euntibus in Emaus in corpore, qualis erat apud eos in mente. Hoc enim egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud illos agebatur in oculis mentis : apud ſe intus autem diſcipuli amabant & dubitabant, & Dominus eis præſens erat propter hoc quod amabant, ſed aberat propter hoc, quod dubitabant. Ergo ex mente *S. Gregorii* Chriſtus habuit fictionem non deordinatam, vel importantem aliquam falſitatem; & conſequenter talem fictionem Spiritus ſanctus non fugit, vel deteſtatur. Ex his patet reſponſio ad ſequens Argumentum.

Dices I. Spiritus ſanctus non fuit deteſtatus fictionem Chriſti, quâ apud diſcipulos euntes in Emaus finxit ſe longius ire: Ergo Spiritus ſanctus non fugit omnem fictionem.

Reſpondeo ex dictis, quod illa fictio Chriſti non fuerit deordinata, ſed fuerit figura ſignificans, quales fuerint diſcipuli illi, intus amando &

tamen dubitando, ut explicat S. Greg. mox citatus.

Dices ſecundò, Lucæ & Matth. 17. legitur quòd Chriſto transfigurato coram diſcipulis Petro, Joanne, & Jacobo, apparuerint Moyſes & Elias. Ex quo fit tale Argumentum: Moyſes & Elias vel apparuerunt tunc ſolùm imaginariè, vel verè? Sed non apparuerunt verè. Ergo tantum apparuerunt imaginariè, quæ apparitio imaginaria ſolum eſt fictio. Minor probatur. Quia ſi Moyſes vel Elias in Transfiguratione Chriſti verè apparuiſſent, ſequeretur, quòd Elias fuerit translatus de paradiſo ad montem Thabor, & quod Moyſes fuerit tunc reſuſcitatus à mortuis, ſed utrumque eſt falſum, ergo & illud unde ſequitur. Probatur minor à paritate rationis: Inconveniens eſt, quod anima Samuelis fuerit reſuſcitata, quando Samuel mortuus videbatur apparere Sauli; imò illa apparitio Samuelis fuit ſolum illuſio imaginaria diaboli, & non ſpiritus Samuelis à requie ſua ſuſcitatus. Ergo ſimiliter inconveniens eſt dicere, quod Moyſes fuerit reſuſcitatus ad ferendum teſtimonium in Transfiguratione Chriſti in monte Thabor.

Confirmatur. Gloſſa Lucæ 9. ſuper illa verba, apparuerunt Moyſes & Elias, dicit: Sciendum eſt, non corpora vel animas Moyſis & Eliæ ibi apparuiſſe, ſed etiam ſubjectâ creaturâ illa corpora fuiſſe formata. Poteſt etiam credi hoc eſſe factum Angelico miniſterio, ut Angeli eorum perſonas aſſumerent. Ergo Moyſes & Elias in Transfiguratione Chriſti verè non apparuerunt.

Reſpondeo primò ad argumentum cum S. Thoma ſuper 3. Sent. diſt. 16. q. 4. art. 5. Quod tam Moyſes quàm Elias ibi verè apparuerint, ſed Elias in corpore & animâ, Moyſes autem in anima tantum; quæ apparere potuit, vel per corpus aſſumptum, ſicut Angeli ſubinde apparent; vel poterat anima ſpeciem quendam cauſare in oculis videntium repræſentantem hominem, cujus erat illa anima. Undè ex mente Angelici Doctoris ſufficit ad veram apparitionem Moyſis, quod ibi vera anima Moyſis fuerit, licet corpus aliunde fuerit formatum.

Reſpondeo ſecundò cum S. Auguſtino de mirabilibus divinarum Scripturarum c. 9. Quod in Transfiguratione Chriſti. Moyſes & Elias verè realiter & perſonaliter apparuerint. Circa quorum apparitionem, ait S. Pontifex, hæc quatuor notanda ſunt:

Primò, quòd in veris ſuis corporibus ibi fuerint. Secundò, quòd in Moyſe non fuerit finaliter reſurrectio completa, ſed corpus ſuum iteratò in terram vel pulverem ſit reverſum. Tertiò quòd corpora iſtorum Sanctorum non perfectè ſed ſimilitudinariè habuerint reſurrectionis futuræ gloriam pro tunc; Undè Lucæ 9. dicitur: Quod Moyſes & Elias viſi ſint in majeſtate & gloria.

Quantum ad hoc tamen dicit S. Thomas, quod claritas in Moyſe & Elia non fuerit ejuſdē rationis cum claritate corporum in patria, ſicut claritas Chriſti fuit; ſed fuit quædam claritas ſic ſe habens ad illam claritatem corporum glorificatorum in patria; ſicut ſe habet fides in via ad viſionem in patria; & ideò claritas Moyſis & Eliæ Apoſtolorum aſpectum non offendebat, vel lædebat, ſicut aſpectus claritatis Chriſti. Et hujus diverſitatis ratio eſt, quia anima Chriſti glorificata fuit, non autem anima Moyſis; & ideò corpori Chriſti iſta ſublimis claritas benè potuit attribui, non autem corpori Moyſis vel Eliæ; ne prius eſſet gloria in corpore, quàm in anima. Hæc S. Doctor.

Quartò. Quod aliter fuerit de apparitione Samuelis; quia ibi fuit unum corpus formatum ex aëre, quod apparuit eſſe corpus Samuelis per opus diaboli.

Huic reſponſioni S. Auguſtini favet quoque S. Chryſoſt. Quod rectè unus de mortuis nempe Moyſes, & alter de vivis, nempe Elias, in Transfiguratione Domini adducti ſint ad teſtificandum Chriſto Domino in monte Thabor, ut ille oſtenderetur, de quo Sap. 16. dicitur: Tu es Dominus, qui vitæ & mortis habes poteſtatem. Et ſubdit S. Chryſoſtomus; Satis credibile & rationabile eſt, quod corpus Moyſis reſuſcitatum fuerit propter ſecundum teſtimonium ferendum; ſicut multi alii reſurrexerunt Chriſto reſurgente, qui poſtea iterum obierunt ſecundum S. Auguſt. de mirabilibus divinarum Scripturarum, ubi ſuprà.

Ad confirmationem reſpondeo: Quod Gloſſa illa ſit ſuſpecta; undè etiam ab antiquis Magiſtris eſt impugnata, & negata, ut ait S. Thomas in 3. Sent. diſt. 16. q. 4. art. 5.

Dices tertiò, claritas in Chriſto transfigurato non fuit vera, ergo ſolum fuit imaginaria & ficta. Probatur antecedens: Quia corpus verè glorificatum, non eſt opacum & coloratum; ſed corpus Chriſti adhuc fuit opacum & coloratum. Ergo illa claritas in Chriſto transfigurato non fuit vera, ſed tantum imaginaria, & ficta.

Et hoc idem dicit gloſſa Bedæ ſuper Caput 9. Lucæ, ſuper illa verba: Non guſtabunt mortem, donec viderint Filium Dei, id eſt glorificationem in imaginaria viſione.

Confirmatur. Quando Chriſtus Dominus glorioſè apparens Diſcipulis & Thomæ dixit; Mitte manum tuam in latus meum; Tunc ibi Chriſtus non apparuit verè in corpore glorioſo; Ergo ſolùm apparuit imaginariè & fictè. Probatur antecedens. Quia in corpore glorioſo nullus manebit defectus naturæ, vel corruptio aut deformitas, ſed in Chriſto Domino tunc apparente Diſcipulis & Thomæ manſerunt cicatricum aperturæ, & diſcontinuatio partium propter vulnera accepta, quæ ſunt veri defectus naturæ & deformitas: Ergo Chriſtus non apparuit tunc Diſcipulis in corpore verè glorioſo.

Reſpondeo ad primum. Quod claritas faciei in Chriſti transfiguratione fuerit vera; ſed per miraculū &c. non per formam aliquam permanentem ſeu immanentem corporis Chriſti: ſicut erit in corporibus glorificatis poſt reſurrectionem. Item ille fulgor in Chriſto fuit ejusdem ſpeciei cum fulgore corporum glorificatorum, non tamen ita perfectus, ſicut claritas viæ aſſimilatur claritati patriæ. Porrò illa claritas in Transfiguratione, non fuit in toto profundo corporis, ſed in ſuperficie tantum: & ſic non fuit impoſſibile, quod idem Corpus Chriſti fuerit opacum intrinſecus, & lucidum in ſuperficie duntaxat.

Dum autem dicit Gloſſa Bedæ, quod fuerit imaginaria repræſentatio: hoc in tantum verum eſt, in quantum illa Transfiguratio Chriſti fuit imago & figura glorificationis futuræ.

Ad confirmationem reſpondeo cum S. Thoma in 4. Sent. q. 29. art. ultimo ad 2. Quod in Chriſto fuerit apertura vulnerum, & ſolutio continuitatis partium, compenſata per majorem decorem

Digitized by Google

corem gloriæ: Et quod S. Thomas Apoſtolus verè tetigerit vulnera Chriſti Domini. Reſpondeo ſecundò: Quod aliud ſit loqui de cicatricibus, & aliud de vulneribus, ſivè de diſcontinuatione carnis in Corpore Chriſti.

Nam quod fuerint cicatrices in corpore Chriſti, omnes Doctores concedunt: ſed de vulneribus vel diſcontinuatione planè hoc negat B. Albertus Magnus: imò aſſerit, hoc repugnare glorificationi, quæ non erit ſine integritate naturæ. Nec eſt credendum, quod S. Thomas Apoſtolus miſerit manus ſuas intra latus Chriſti, quia hoc fuiſſet præſumptuoſum in Apoſtolo, & infirmum in Domino. Cum quo tamen ſtat, quod S. Thomas Apoſtolus verè latus Chriſti tetigerit, & cicatrices viderit; & ſic idem S. Thomas Apoſtolus ad aſpectum vulnerum credidit, & non ad tactum vulnerum: & ideò rectè dictum eſt illi à Chriſto Domino: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti, &c. Addit deindè B. Albertus Magnus: Quod cicatrix non afferat deformitatem, niſi quod mutet ſitum vel figuram membri. At verè cicatrices in Chriſto fuerunt adeò ſubtiles, ut nec hoc fecerint. Unde ſecundum S. Auguſtinum L. 5. de Civit. Dei cap. 19. Hujuſmodi cicatrices vulnerum manebunt in Martyribus ſine quâcunque deformitate: imò manebunt pro decore, quaſi quædam inſignia ſuæ victoriæ.

Et ideò rationabiliter tenetur, quod cicatrices ſint, & ſemper manſura ſint in Corpore Chriſti, ut docet S. Thomas in 3. Sent. diſt. 21. art. penultimo.

LECTIO SEPTIMA.

TEXTUS.

Benignus eſt enim Spiritus Sapientiæ, & non liberabit maledictum à labiis ſuis; quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & lingua illius auditor. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.

EXPLICATIO TEXTUS.

Huc uſq; docuit Sapiens, qualiter homo virtuoſus debeat ordinare in Deum ſuas affectiones. Hic autem proſequitur Spiritus ſanctus informare, quomodo debeat ordinare in Deum ſuas locutiones. Et circa hoc docet hominem, ut vitet malitiam loquendi: quia maliloquus nec ratione tergiverſationis, nec ratione occultationis ſuæ culpæ, poterit evadere pœnam ſui mali ſermonis.

Dicitur ergo in Textu: *Benignus eſt enim Spiritus Sapientiæ.* ubi ly *Spiritus*, vel accipitur *notionaliter*, & ſic eſt Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, Joannis 15. Vel ly *Spiritus* accipitur *eſſentialiter*, pro tota ſanctiſſima Trinitate, quæ eſt Deus, juxta illud Joannis 4. Spiritus eſt Deus Sive autem ly *Spiritus* accipiatur notionaliter, ſivè eſſentialiter, ſemper Spiritus Sapientiæ eſt *benignus*, juſtos exaudiendo: juxta illud Pſalmi: Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Eſt etiam Spiritus ſanctus *benignus*, malos reducendo: juxta illud Rom. 2. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit. Eſt etiam Spiritus ſanctus *benignus*, benè omnes regendo tam bonos, quàm malos; juxta illud Luc. 6. Benignus eſt ſuper ingratos & malos. E Matth. 5. Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.

Porrò licet iſte Spiritus Sapientiæ ſit benignus, *non tamen liberabit maledictum*, id eſt, maledicentem ſeu detractorem, & non pœnitentem; *à labiis ſuis*, id eſt à pœna ſibi debita pro peccatis labiorum ſuorum.

Quoniam renum illius, id eſt delectationum, & voluptatum, quæ vigent in renibus. *Et cordis illius*, id eſt cogitationum vanarum, *ſcrutator eſt verus.*

Et lingua illius, id eſt perverſi & detractorii ſermonis, *auditor*: Quia Deus ubique præſens eſt, & omnia nuda, ac aperta ſunt oculis ejus.

Itaque quia Deus reſpectu voluptatis renum, eſt teſtis: & reſpectu vanitatis hominis penetrando ad interiora cordis, *eſt ſcrutator*; & tanquam Deus eſt ubique præſens, & reſpectu falſitatis ac perverſi detractorii ſermonis, *eſt ipſe auditor*; ideò inquàm Deus ſimul eſt Judex, & teſtis, juxta illud Jeremiæ 29. Ego ſum Judex, & teſtis dicit Dominus.

Subditur in Textu. *Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, id eſt, quia Dominus replevit orbem terrarum: cum ubique ſit per eſſentiam, præſentiam & potentiam: juxta illud Jeremiæ 23. Cœlum & terram ego impleo. Et S. Auguſtinus dicit: Ubique Deus eſt, & intra omnia etiam incluſus; extra omnia non excluſus: ſuper omnia non elatus, & infra omnia non depreſſus.

Sequitur in Textu: *Et hoc quod continet omnia.* Id eſt idem Spiritus, qui continet ſeu gubernat, & conſervat omnia: *Scientiam habet vocis*, id eſt, notitiam habet omnium, quæ ab homine dici poſſunt in quocunque ſermonis idiomate. Circa illa verba: *Quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & lingua ejus auditor*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Quæ corporis membra homo difficillimè regat?

Dico, quod homini etiam devoto, difficile ſit regere renes, cor, & linguam. Nam in renibus voluptas, in corde vanitas, & in lingua falſitas dominatur. Et ideò difficile eſt etiam Sanctis, quod ſe perfectè regant in delectationibus, quæ per renes; in cogitationibus quæ per cor; & in locutionibus, quæ per linguam ſignificantur.

Explicatio primæ partis, de Renibus. Nam Ariſtoteles 13. de Animalibus ait: Infirmitas renum in hoc eſt difficilis curationis: quia infirmitas renum carnalem nominat concupiſcentiam, quæ vocatur languor naturæ: & ideò Pſalmiſta rogat Dominum dicens. Miſerere mei Deus, quoniam infirmus ſum. Et certè, quod hæc infirmitas ſit difficilis curationis, patuit in Paulo, qui rogavit Dominum, ut à ſe auferret ſtimulum carnis. Undè S. Auguſtinus ait: Quod mitigari, non autem omninò tolli poſſit, niſi per mortem. Et S. Bernardus inquit: Sive velimus; ſive nolimus, Jebuſæus iſte in finibus noſtris habitat, ſupprimi poteſt,

conſtringi non poteſt. Hoc ipſum benè agnovit Urſinus Presbyter, qoi jam agooizans venieuti ad ſe Presbyteræ ſuæ dixit: Recede à me mulier, adhuc igniculus iſte vivit, & his dictis exſpiravit. Ita oarrat S. Greg. 4. Dialogorum c. 13.

Explicatio ſecundæ Partis de Corde. Dicit enim S. Gregorius 4. Moralium: Facile eſt perverſa opera vitare, ſed nimis difficile eſt ab illicita cogitatione immunem eſſe. Undè etiam S. Bernardus in ſuis meditationibus dicit: Nihil in me corde meo fugacius, quod quoties me deſerit, & per pravas cogitationes diffluit, toties Deum offendit. Et ideo ſignanter dicitur Proverb. 4. Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.

Eſt autem cor humanum ſimile argento vivo; nam ſicut argentum vivum ſemper eſt in motu, ſiſtitur autem per odorem ſeu fumum ſulphuris, ut docet Ariſtoteles in 4. Meteororum. Ita ſimiliter ſi quis domare velit cor ſuum à vanis motibus, adhibeat fumum ſulphuris, cogitando de pœnis gehennæ, cujus una portio eſt ſulphur, juxta illud Pſalmi: Ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum para calicis eorum.

Explicatio tertiæ Partis de Lingua. De qua dicitur Jacobi 3. Linguam nullus homo domare poteſt. Super quem locum S. Aug. lib. de natura & gratia dicit: Non ait Apoſtolus, linguam nullus domare poteſt, ſed nullus hominum; ut cum domatur, divino auxilio & gratia hoc fieri fateamur. Unde in verbis Apoſtoli non eſt expreſſio impoſſibilitatis, ſed magnæ ſolùm difficultatis. In cujus figuram natura ordinavit circa linguam, quod duplici muro clauderetur, oſſeo & carneo, id eſt dentibus & labiis; ad docendum, quod duplex examinatio fieri debeat, antequam lingua ſuum opus exercear, & ideò dixit Pſalmiſta: Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Et alibi dicit: Poſui ori meo cuſtodiam. Huc facit illud, quod legitur lib. 9. Hiſtoriæ tripartitæ de Paphnutio: Qui cum ignoraſſet litteras, acceſſit ad quendam, ut addiſceret eas, & cum veniſſet etiam diſcendo ad illum verſum: Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; dixit ſe ſatis didiciſſe, nec opus eſſe plus addiſcere, ſi iſtam lectionem benè poſſit ſcire.

Beatus proinde vir, qui in lingua ſua non eſt lapſus. Eccl. 25. Ex licet juſtus ſubiude corripiat, habet tamen mel & lac ſub lingua ſua. Mala lingua autem eſt, quæ aut perverſa laudat, aut recta reprehendit, teſte S. Bernardo.

LECTIO VIII.

TEXTUS.

Propter hoc, qui loquitur iniqua, non poteſt latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus impii interrogatio erit: ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet, & ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris Zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Sapiens declaravit, quod vitioſa locutio non tranſibit impunita per aliquam tergiverſationem vel cavillationem: nunc conſequenter oſtendit, quod nec manebit impunita in judicio propter aliquam occultationem.

Dicit ergo Sapiens, quaſi concludens ex præcedentibus; Quia ſpiritus Domini replevit orbem terrarum, ita ut ubique ſit per eſſentiam, præſentiam & potentiam, ideo inquam is, *qui loquitur iniqua, non poterit latere* Dominum Deum, qui ſcrutatur renes & corda, & cujus oculis omnia ſunt nuda & aperta. Et licet malè facta ab hominibus, lateant ad tempus alios homines, in finali tamen judicio omnia manifeſtabuntur, juxta illud Lucæ 12. Quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur, & quod in aure locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Hoc modo nec adulterium Davidis, occultè commiſſum cum Berſabæa uxore Uriæ Deum latuit. Propter quod etiam Dominus Deus miſit ad illum Prophetam Nathan 2. Reg. 12. dicens: Tu feciſti abſconditè: Ego vero faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis hujus, & ſic per pœnam manifeſtam declarabo culpam tuam. Et ideo benè dicit S. Anſelmus in ſuis meditationibus de peccatore hæc verba: Peccatori latere erit impoſſibile, & apparere in judicio, intolerabile. Subditur in textu: *Nec præteriet illum corripiens judicium.* Hoc eſt non diſſimulabit juſtus judex: faciens judicium cum tali peccatore.

Subditur: *In cogitationibus impii interrogatio erit:* Hoc eſt, interrogatio fiet à Domino de cogitationibus, juxta illud Pſalmi: Dominus interrogat juſtum & impium. Et quidem ſi Dominus interrogaverit de cogitationibus impiorum, quas diſcutiet & puniet: à fortiori diſcutiet & puniet ſermones iniquos. Et ideo additur in textu: *Et ad correptionem iniquitatis illius.*

Sequitur: *Quoniam auris zeli*, id eſt Dei zelantis *audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur.* Per quæ verba Sapiens vult oſtendere, quod ſupremus Judex in judicio non parcet, nec diſſimulabit. Quod probat ſic, quia qui ſummè zelat, ſummèque eſt zeloſus pro obſervatione ſuæ legis non præteribit in judicio, quin puniet tranſgreſſores: ſed Deus eſt talis judex, qui ſummè eſt zeloſus pro ſua lege. Ergo non præteribit in judicio, quin puniat tranſgreſſores legis. Circa illa verba: *Quoniam auris zeli audit omnia*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Quot modis accipiatur ly *zelus*, & quomodo accipiatur in hoc Textu?

Dico primò, quod zelus poſſit accipi quinque modis.

Explicatur. Nam imprimis zelus ſumitur pro invidia, & hoc modo accipitur Eccl. 7. ubi dicitur. Qui docet in zelum, hoc eſt in invidiam, nutrit inimicum.

Secundò accipitur pro ira, ut patet ex Pſal. Accendatur ut ignis zelus tuus.

Tertiò accipitur pro imitatione, ut patet ex Pſal. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, id eſt, ne imitatus fueris.

Quartò accipitur pro ferventi amore. Unde zelotipus & zelotes dicitur ille, qui ferventer amat,

mat, & taliter deſiderat redamari. Et hoc modo Deus eſt ſumme zelotipus in amando, cum enim Deus nos ſummè diligat, vult etiam reciprocè ferventer à nobis amari. Unde de Deo dicitur Exod. 34. Dominus zelotes nomen ejus.

Quintò accipitur pro rigore & juſta affectione ulciſcendi.

Dico ſecundò, ly zelus in præſenti accipitur quinto modo pro rigore ſeu juſta affectione ulciſcendi. Cum enim Deus in judicio peccatoribus non parcet, nec eos pertranſiet impunitos, ubique ulciſcetur peccata commiſſa. Et ideo dicitur Proverb. 6. Zelus & furor viri, id eſt, Filii hominis, apparentis in majeſtate, non parcet in die vindictæ. Et Sap. 5. Accipiet armaturam zelus ejus, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum peccata per pœnitentiam codonata, revelabuntur in Judicio generali?

Dico quod in juſtis peccata per pœnitentiam condunata revelabuntur in judicio generali, ſed ſine erubeſcentia eorum: in malis autem ad eorum confuſionem.

Probatur primò, ex Apoſtolo 2. Corint. 5. ubi dicitur. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Gloſſa etiam ſuper illud 1. Cor. 4. Manifeſtabit conſilia cordium, ait, quod geſta & cogitata bona & mala, nota tunc erunt omnibus hominibus. Unde S. Bernardus hunc locum pertractans ait,

Cunctáque cunctorum, cunctis arcana patebunt.

Probatur ſecundò Concluſio & explicatur. Quia quod in judicio univerſali peccata damnatorum revelentur, hoc juſte fit, pro eorundem damnatorum confuſione, & ut appareat juſta fuiſſe ipſorum damnatio, qui finalem reſpuerunt facere pœnitentiam de peccatis ſuis. At verò in Electis manifeſtatio peccatorum eorundem nullam confuſionem aut erubeſcentiam, vel infamiam in eis cauſat, ſed potius ordinatur talis oſtenſio peccatorum ipſis ad Dei gloriam, qui miſericorditer eos ſalvavit & à peccatis liberavit. Ex quo formatur talis ratio pro concluſione. Quia in judicio univerſali relucere debet tam juſtitia vindicativa erga damnatos, quam miſericordia ejuſdem erga Electos, qui pœnitentiam egerunt finalem de ſuis peccatis; atqui hoc fit ſi tam in malis cum ſua confuſione, quam in bonis, ſine eorum erubeſcentia, manifeſteorur eorum peccata per pœnitentiam condonata. Ergo.

Confirmatur primò. Non eſt confuſio, ſi quis dicat coram aliis, quod debuerit centem aureos Regi, quodque Rex ei permutavit & remiſit pro uno obulo. Ergo nec erit confuſio juſti, ſi conſtet, quod Deus ipſi donaverit pœnam æternam pro ſuo peccato mortali remiſſo, & hanc pœnam æternam ſimul permutaverit in pœnam aliquam temporalem hujus mundi, vel purgatorii, quæ pœna temporalis reſpectu pœnæ æternæ ſe habet ſicut unus obulus reſpectu centum aureorum.

Confirmatur ſecundò. Quilibet juſtus gaudebit de liberatione ſua & proximorum ſuorum à pœna æterna. Ergo oportet conſtare peccatum, propter cujus remiſſionem ipſis gratia eſt facta.

Nec oportet timere erubeſcentiam, quia ſicut Deus poteſt facere quod ignis appropinquet combuſtibili ſine combuſtione: ſic etiam poteſt facere notitiam peccatorum ſine verecundia in aliis. Et quod tamen ſcias peccata tua commiſſa ſine erubeſcentia, quia Deus qualitates rerum ſuſpendit, quando vult.

Confirmatur tertiò. Si haberet juſtus erubeſcentiam ex eo, quia omnes ſcient ejus peccata commiſſa, ſequeretur, quod etiam haberet aliqualem erubeſcentiam, ſi tantum aliqui ſcirent ipſius peccatum, ideoque ſaltem haberet erubeſcentiam, quia Deus, anima Chriſti, & Angelus tuus Cuſtos ſcient tua peccata; ſed conſequens non eſt concedendum. Ergo nec aliqualem erubeſcentiam, quæ ſine dolore eſſe non poteſt.

Dices primò. Quod tectum eſt, videri non poteſt, ſed peccata dicuntur eſſe tecta, juxta illud Pſalmi: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Ergo videri non poſſunt in judicio univerſali. Unde dicit etiam Magiſter Sententiarũ in 4. diſt. 43. cap, 7. Non irrationabiliter putari poteſt, peccata hic per pœnitentiam tecta & deleta, illic etiam tegi aliis. ergo.

Reſpondeo ad 1. Quod peccata dicantur tecta in juſtis, quantum ad erubeſcentiam, & punitionem pro iis ſuſtinendam: non autem quantum ad ſcientiam, & cognitionem eorundem.

Eodem modo reſponderi poteſt ad Magiſtrum Sententiarum. Vel dic: quod is quidem fuerit hujus opinionis, ſed hac in parte non curatur.

Dices ſecundò Jacobi 5. dicitur: Charitas operit multitudinem peccatorum, ſed juſti habent charitatem, ergo illa operit multitudinem peccatorum à ſe commiſſorum; conſequenter videri non poſſunt in extremo judicio, nec revelabuntur.

Reſpondeo ex dictis, quod peccata juſtorum non revelabuntur ad pœnam vel erubeſcentiam juſtorum, ſed ad manifeſtandam miſericordiam divinam in vaſa miſericordiæ. In reprobis autem manifeſtabuntur peccata eorum, ad monſtrandam juſtitiam Dei vindicativam in reprobos, tanquam in vaſa iræ. Et ita manifeſta erunt omnium peccata, tam juſtorum ſcilicet, qui egerunt pro iis finalem pœnitentiam: quàm reproborum, qui in finali impœnitentia mortui ſunt: ut ita juſti, qui cum Chriſto Nationes judicabunt, dicturi ſint: Juſtus es Domine & rectum judicium tuum.

Juſtus inquam es reſpectu juſtorum, quibus tantum, vel tantum de gloria, conformiter ad merita, dediſti. Juſtus etiam es Domine, & rectum judicium tuum reſpectu reproborum, quibus conformiter ad ſua ſcelera, tantum vel tantum de pœna ſuſtinenda ſtatuiſti: Imò hoc ipſum juſtum judicium Dei ipſimet damnati approbare debebunt, dum clarè videbunt, tantum pœnam ſuis delictis eſſe debitam.

Circa verba in textu allegata: *In cogitationibus impii interrogatio erit*, ſit

ARTICVLVS TERTIVS.

De quibus Dominus Deus in Judic io Prælatos, ſeu in honore conſtitutos, intertogabit?

DIco, quòd Deus tales Prælatoa & in dignitate conſtituros interrogabit de tribus; Primò, qualiter vixerint. Secundò, qualiter ſubditos rexerint. Tertiò, qualiter talenta, & bona ſibi à Deo conceſſa impenderint, & expenderint. Hæc inquam omnia interrogabit Deus; ille enim eſt, à quo nulla poteſt fieri appellatio ad aliam inſtantiam, *quia ipſe eſt Altiſſimus.* Item coram eo nulla poteſt fieri advocatio, *quia eſt juſtiſſimus*; nulla quoque apud eum recipitur excuſatio, quia eſt ſapientiſſimus; nulla item ſumetur dilatio, *quia eſt ſtrictiſſimus*; & denique nulla apud eum erit muneris acceptatio, *quia eſt fideliſſimus.*

Explicatur prima pars, de interrogatione Dei, *qualiter vixerint.* Nam *Sap. 6.* dicitur: Præbete aures veſtras vos, qui cootinetis multitudines, & placetis vobis io turbis nationum, quoniam data eſt vobis poteſtas à Domino, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſerutabitur.

Explicatur ſecunda pars, de interrogatione, *quomodo ſubditos rexerint.* Nam malitia ſubditorum vertitur pro magna parte in caput malorum dominorum. Unde *Sap. 4.* Ex iniquis enim omnes filii, qui naſcentur, teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes, in interrogatione ſua: id eſt tam in interrogatione parentum, id eſt Prælatorum, quàm filiorum, id eſt ſubditorum. Unde S. Auguſtinus, in quadam Epiſtola ad Comitem Bonifacium, monet non tantùm Prælatos, ſed etiam Doctores ſæculares, ut curam diligentem habeant de ſubditis. Ait enim: Eſto mi frater ſollicitus & vigil, quia pro omnibus tibi ſubjectis, qui in domo tua ſunt, rationem Domino reddes. Hæc ille.

Explicatur tertia pars interrogatioois, *qualiter tua expenderis.* Et bujus interrogationis manifeſtum exemplum habemus Lucæ 16. De villico diffamato apud Dominum: Quid hoc, inquit, audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. Et ideò ſummè debemus eſſe providi de iſto computu, quem reddemus. Nam ſi repente interroget Dominus, quis reſpondebit ei? Iob 9. Certè ſi homo imparatus inveniatur, accedet diabolus ad Deum & contra talem perorabit dicens: Æquiſſime Iudex, judica iſtum eſſe meum ob culpam, qui tuus noluit eſſe per gratiam; tuus eſt per naturam, meus per miſeriam; tuus ob paſſionem, meus ob ſuaſionem; tibi inobediens, mihi obediens. Itaque æquiſſime Iudex judica illum, quia Iuſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ, judica illum eſſe meum, & mecum eſſe damnandum. Ita in eadem Epiſtola ad Comitem Bonifacium introducit S. Auguſtinus diabolum loquentem ad ſupremum Iudicem contra peccatorem. Igitur non præteriet illum corripiens judicium. Occaſione hujus ſit

ARTICVLVS QVARTVS.

An Judicium divinum rectè comparetur arcui?

DIco, quod judicium divinum rectè comparetur arcui, propter tria. Explicatur. Nam judicium comparatur arcui primò ideò, quia antequàm arcus feriat, incutit timorem. Unde Gloſſa: Arcus meus extenſus jam minatur, ſed nondum ferit; quia judicium nos terret, ſed nondum damnat. Et ideò in Pſal. dicitur: A judiciis enim tuis timui.

Secundò comparatur Iudicium arcui, quia corda arcûs, quantò magis retrahitur, tantò fortius percuſſus læditur; ſic etiam quantò magis Deus differt judicium ſuum circa puniendum peccatorem, tantò acrius eum reſpicere nolentem ferit. Unde dicitur Romanorum 2. Secundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti Iudicii Dei. Et ſicut videmus quod arcus à ſua naturali rectitudine ſit incurvatus; ita Chriſtus in Iudicio, cum ſit naturaliter miſericors, tanquam Filius Matris miſericordiæ Mariæ, ex uoa parte; & Filius Patris miſericordiarum, ex altera perte, ut dicitur 2. Corint 1. Flectetur tamen & incurvabitur per arcum rigoris & juſtitiæ, & emittet ſagittas diræ ſententiæ dicens: Ite maledicti in igoem æternum. Matth. 25.

Tertiò, comparatur Iudicium arcui: dicit enim S. Iſidorus 18. Ethimologorom cap. 9. Quod arcus curvetur, ut arceat hoſtem; ſic etiam fiet in Iudicio. Unde S. Anſelmus in ſuis meditationibus ait: O anguſtiæ! hinc erunt peccata accuſantia, indè terrens juſtitia, ſubtus horrendum chaos inferni patens, deſuper Iudex iratus: intus conſcientia urens, foris mundus ardens: Peccator ſcilicet deprehenſus, in quam partem ſe premet conſtrictus, ubi latebit? Hæc ille, & ideo ante judicium para juſtitiam: Eccl. 18.

LECTIO NONA.

TEXTUS.

Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquàm Sapiens diſſuaſit, omnem malitiam locutionis in generali; jam in particulari diſſuadet murmurationem, dicens: *Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.* In quibus verbis Sapiens ex præcedentibus ſic arguit: Nullus peccator maliloquus poteſt evadere impunitus, ſed judicabitur & punietur à Deo. Ergò etiam cuſtodite vos à murmuratione, utpotè quæ non ſolum Deum offendit, ſed etiam eſt inutilis; quia quantumcumque murmures, debes tamen hoc, quod tibi à Deo immittitur, ſuſtinere. Unde ait Seneca: Optimum eſt pati, quod emendare non potes, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari: Et ideo dicitur Eccl. 10. Vir prudens & diſciplinatus non murmurat.

Ex his colligitur, quod murmuratio nihil ſit aliud, quàm querela cum impatientia in his, quæ homo deberet ferre patienter, vel ſuſtinere. Licet autem murmuratio ſoleat contingere ſubinde contrà Prælatos per ioobedientiam, vel contra proximum per invidiam: ſolent tamen plerumque homines murmurare contra Dominum Deum per diſplicentiam, & in hoc graviſſimè peccant. Pro cujus majori explicatione ſit

ARTI-

ARTICVLVS VNICVS.

Propter quot cauſas, homines mundani & vitioſi contra Deum murmurent?

DIco, quod homines mundani ſuleant murmurare contra Deum propter quatuor cauſas. Primò ideo, quia Deus non ſemper tribuir eis ſerenitatem vel tempeſtates juxta ſuas voluntates. Secundò ideo, quia proſperitatem & adverſitatem Deus ipſis non tribuit in hac vita juxta merita, vel demerita hominum. Tertiò murmurant propterea, quod Deus immittat eis frequenter tribulationes & infirmitates. Quartò denique murmurant ſpecialiter pauperes involuntarii contra Deum, ex eo, quia Deus ipſis non ita abundanter tribuit temporalia, ſicut quibuſdam divitibus facit.

Explicatur prima pars, de iis, qui murmurant contra Deum, quod non ſemper habeant ſerenitatem vel tempeſtates prout volunt. Tales inquam murmuratores multum faciunt contra ſeipſos, quia impediunt propriam tranquillitatem & pacem, non conſormando ſe divinæ voluntati, imò ſi ſic eſſet, ſicut vellent, mundus periret, quia talis temperies, qualem unus homo vellet pro oleribus ſuis, vel pro agro ſuo, diſpliceret vel noceret vicino ſuo: imò ſibi ipſi diſpliceret, vel noceret poſtea; quia homo neſcit quid ſibi vel ſuis expediat. Unde legimr de quodam Eremita, qui ſeminaverat olera, & ſive petiit pluviam, ſive ſerenitatem à Deo illam obtinuit & tamen nec unicum olus crevit: Dum autem accederet alium Eremitam, vidit quod is haberet olera in abundantia. Et quomodo inquit tu habes tot olera? & ego nec unicum; cùm tamen à Deo pluviam vel ſerenitatem ſemper pro voto meo impetraverim, reſpondit ipſi alter Eremita, certè hoc juſtè & rationabiliter tibi accidit, putabas enim te ſapientiorem eſſe Deo, & ipſe oſtendit tibi ſatuitatem tuam. Undè etiam alius agricola rogatus, unde proveniat, quud habeat ſemper tot fructus in ſuo agru, reſpondit, quia ſemper habui talem temperiem qualem volebam: & quomodo hoc reponunt alii? reſpondit, quia ſemper appeto tale tempus, quale dat Deus, qui eſt in omnibus ſapientiſſimus.

Revera tales murmuratores ſe habent ſicut Cajus Cæſar, qui ut narrat *Seneca Lib. 1. de ira in fine, & Suetonius Lib. de vita 12. Cæſarum*, cùm die quodam ſuis nobilibus voluit facere ſolemniſſimum feſtum, pluit horrendè. Iratus Cæſar, mandavit militibus ſuis, quod contra Jovem in cœlum magno cum impetu jacerent ſagittas; qui tamen nihil effecerunt: Sed reverſæ ſagittæ plurimos partim ex ſagittariis, partim ex aliis hominibus occiderunt. Sic idem fit murmuratoribus, qui ſagittas murmurationum jaciunt contra Deum, cui tamen nocere non poſſunt, ſed tantùm revertuntur in propriam perniciem talium murmuratorum.

Taliter murmuraverunt filii Iſraël in deſerto contra Deum, & petierunt, nec intrare potuerunt in terram promiſſionis. Undè Num. 14. dicitur: Omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra, murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſupra quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Joſue filium Nun. Et ideò ſignanter dicitur Cor. 10. Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatione.

Explicatur ſecunda pars, de murmuratoribus contra Deum, quod non tribuat proſperitatem & adverſitatem, juxta merita vel demerita hominum, dùm enim in hac terra boni ſæpè mortificantur, & econtra peccatores in proſperis vivunt.

Hæc fuit antiquiſſima murmuratio gentilium Philoſophorum contra Deum; imò ex hac cauſa dixerunt mundum non regi à Deo, ſed à caſu, juxta illud Claudiani Lib. 1. Pag. 1. in principio, ubi dicit:

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent Superi terram, aut nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.

Sed poſito, ſicut rei veritas eſt, quod Deus regat hunc mundum, tunc apparet multis mirabile, quare mali in hoc mundo reportent prœmia Iuſtorum, & Sancti aliquando luunt & puniuntur loco malorum. Imò ſancti Prophetæ prima fronte videntur propter hoc murmuraſſe, ſed tamen in rei veritate non murmuraverunt, ſed tantùm ex admiratione quadam exclamaverunt, qualiter incomprehenſibilia ſint judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus: Ad Rom. 11. Undè Iob. 21. dicitur: Quare impii vivunt? ſublimati ſunt, & confortati in divitiis: Et Ieremi. 12. Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt. Item Pſal. Uſquequo Domine peccatores gloriabuntur? Et Baruch. 10. Quare reſpicis ſuper contemptores, & taces, conculcante impio juſtiorem ſe: Ita inquam loquuntur Sancti ſolùm admirando: Mali verò turpiter murmurant. Sed certè, ſi cauſa debitè penſetur, iſtud murmur eſt irrationabile. Nam Medicus prudēs & fidelis, ægro de quo deſperat, omnia indifferenter concedit, quæcunque deſiderat: ægro verò de cujus ſanitate ſpem habet, multa negat, dietas & abſtinentias ordinat, & potiones etiam amaras ſumendas præbet. Hoc modo etiam Deus reprobis abundantiam bonorum temporalium in hac vita tribuit, ut pro paucis bonis operibus, paucis diebus in hac vita præmientur: Undè S. Greg. 21. Moral. Cap. 4. ſuper illud Jobi: Nunquid non eſt perditio impio? dicit ſic; Injuſtus ad debitum mortis currens, effrenatis voluptatibus utitur, quia & vituli, qui macerandi ſunt, in uberioribus paſcuis relinquuntur. Econtra Iuſtus à delectionis tranſitoriæ voluptate reſtringitur; quia etiam vitulus ad labores uſumque vitæ deputatus, ſub jugo detinetur.

Explicatur tertia pars de murmurationibus contra Deum, quod nos flagellat, vel ipſis mala & infirmitates immittat.

Sed certè hoc murmur irrationabile eſt, quia ſæpè infirmitas homini utilior eſt, quàm ſanitas pro æterna Beatitudine conſequenda: Undè in vitis Patrum legitur, quod cum quidam petiit liberari à febri tertiana à Ioanne Eremita, reſpondit ei: Rem tibi neceſſariam cupis abjicere. Huc facit illud Ariſtotelis 3. Topicorum, ubi dicit: Illud, quod eſt effectivum Beatitudinis, magis eſt eligendum, quàm quod ſanitatis; ſed effectivum occaſionale Beatitudinis per patientiam ſæpè eſt infirmitas. Ergo. Huc quoque pertinet illud

Ecce

Eccl. *31.* Ubi dicitur: Infirmitas gravis, ſobriam ſacit animam, flagella etiam & tribulationes & tædia faciunt nos fugere ad Deum. Et ideò conſiderató, quod Pater noſter eſt, qui nos flagellat, & quod nobis hæreditatem ſervat, patienter debemus ſuſtinere, quidquid nobis irrogat.

Explicatur quarta pars, de murmurantibus pauperibus involuntariis, contra Deum, qui nimirum non ex virtute; ſed ex neceſſitate ad pauperiem rediguntur.

Sed certè etiam iſti ſunt fatui, quia ſi de ſoa neceſſitate ſacerent virtutem, indubitatè eligerentur à Deo. Juxta illud Jac. 2. Deus elegit pauperes in mundo.

Ad hæc, juvat paupertas multos ad vitam æternam conſequendam: Nam ſicut peregrinus inops ad patriam, & ſicut Falco famelicus avidius ad prædam, ita etiam talis pauper cum majori deſiderio quærit regnum cœleſte tanquam patriam, & Beatitudinem æternam tanquam meritorum ſuorum præmium.

Deficit tamen hodiernâ die fides in multis, qui putant, Deum non velle ſufficienter ſubvenire his, qui fiunt pauperes pro amore ſuo. Verumtamen nec illi advertunt, quod Pater fidelis habens multos filios, plus de illo ſollicitus ſit, qui minus poteſt ſeipſum juvare, & cui nondum proviſum eſt, unde poſſit vivere: & Mater pia plus eſt ſollicita circa unum filium infirmum, quàm circa multos filios ſanos: Ita Deus circa pauperes voluntarios, qui propter ſolum amorem Dei omnia relinquunt plus eſt ſollicitus, quàm circa divites, maximè quia dicit Chriſtus: Conſiderare lilia agri, quomodò creſcunt. Et iterum: Nunquid multis paſſeribus meliores eſtis vos. Itaque non murmuraveritis chariſſimi, ſed obſervate illud, quod ſcribitur ad Philipp. Omnia facite ſine murmuratione.

LECTIO X.

TEXTVS.

Et à Detractione partita lingua, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquàm Sapiens diſſuaſit primum genus malæ locutionis, quod fit directè contra Deum, nempè murmurationem; nũc diſſuadet ſecundum genus malæ locutionis, quod fit contra proximum per detractionem. Dicit ergo: Et *à detractione partita lingua*: Id eſt, cuſtodite vos à detractione, hoc eſt, diviſæ vel duplicis linguæ. Omnis enim detractor, partitur linguam ſuam; tùm quia in eadem narratione de eadem perſona dicit aliqua bona & aliqua mala; mala autẽ profert principaliter, bona autem ſecundariò, ad hoc ſolum, ut mala connexa veriſimiliora videantur; tùm quia omnis detractor ordinariè ſimul eſt adulator; blanditur enim in præſentia, & mordet in abſentia Undè ſicut Amon Rex Amonitarum 2. Regum, 60. tulit ſervos David, & raſit dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit veſtes eorum uſque ad nates, & dimiſit eoa turpiter confuſos: Ita etiam detractores unam partem radunt per adulationes ſuaves, & aliam dimittunt, reſervantes in memoria; & veſtem, id eſt bonam famam hominis, præſcindunt uſque ad nates, id eſt uſque ad denudationem illorum; de quibus homo habet verecundari & confundi.

Sequitur in Textu: *Quoniam ſermo obſcurus:* (Id eſt in occulto prolatus) *In vacuum non ibit:* Id eſt non manebit impunitus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ad quid homini data ſit lingua?

DIco, quòd homini data ſit lingua ad duo officia, ut docet *Ariſtoteles ſecundo de Anima:* Scilicet ad guſtum, & ad loquendum: Ad guſtum quidem propter eſſe animalis, ad loquelam verò propter benè eſſe: Nam homo eſt animal politicum, hoc eſt civile, & communicativum naturaliter ſuorum conceptuum, & affectionum ſuarum, deſiderans amare & amari. Et ideò ad iſtud *benè eſſe*: Et ad iſtum bonum effectum: qui eſt, amare, & amari, dedit Deus linguam homini. In cujus etiam rei figuram Spiritus ſanctus, qui eſt Amor Patris & Filii, in ſpecie linguæ voluit apparere, non autem in forma manûs, auris vel oculi; Apparuerunt enim Apoſtolis diſpartitæ linguæ tanquàm ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum Spiritus ſanctus. Act. 2.

Et ideò naturale officium linguæ eſt loqui bona, & multiplicare amorem ac benevolentiam inter homines, ſine ullo labore aut difficultate, juxta illud Eccl. *6.* Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Econtrà verò, quia detrahere vel contendere eſt contra naturam hominis, ideò talis detrahens, vel contendens infructuoſum facit laborem; & turpiter vexat ſuam linguam, juxta illud Pſal. Cujus maledictione os plenum eſt, ſub lingua ejus labor & dolor.

Dicunt Doctores, quod Pſitacus naturaliter nihil novit loqui, niſi verbum ſalutandi, undè Pſitacus Imperatorem dicitur naturaliter ſalutare, juxta illud Martialis Epigramma.

Pſitacus à vobis aliorum nomina diſcam
Hoc didici, per me dicere, Cæſar ave.

Et ita etiam in hiſtoria Caroli Magni legitur, quod cùm erraſſet per deſerta Græciæ, obviæ fuerunt ei aves, quæ Pſitaci vocantur, quæ ſtatim ipſum in lingua Græca ſalutarunt, clamantes: *Charkaior Anickos*, id eſt, ave Cæſar invicte. Et hæc ſalutatio erat prognoſticon quod Carolus, qui tunc temporis ſolum erat Rex Franciæ, ſit poſtea futurus Imperator, quod etiam factum eſt.

Applicatur autem hoc optimè linguæ hominis, cujus naturale ſeu à natura & Authore naturæ (qui non poteſt intendere aliquod malum) inditum officium eſt, quod ſolùm loquatur bona ſeu amicabilia; adeòque homo ſi malè & detractoriè loquatur, facit contra naturam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An de Detractoribus rectè dicatur in Pſ. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum? Et an ex hoc, ipſis rectè conveniat, quod ſint receptivi immunditiæ, effectivi injuſtitiæ, & infectivi omnis nequitiæ?

Dico,

Dico, quod per allegata Davidis verba rectè deſcribantur detractores, ſunt namq; receptivi immunditiæ, quia *ſepulchrum patens*; ſunt etiam effectivi injuſtitiæ, *quia linguis ſuis dolosè agebant*; & tandem ſunt infectivi omnis nequitiæ; quia *venenum aſpidum ſub labiis eorum*.

Explicatur prima pars, quod detractores tanquam ſepulchrum patens ſint receptivi immunditiæ. Nam ſepulchrum patens indifferenter accipit quodcunque corpus mortuum, & quia non eſt clauſum, ideo fœtores & humores, quos recipit, omnibus oſtendit, & omnes accedentes inficit & corrumpit.

Sunt itáque detractores primo receptores immunditiæ, quia colligunt & annotant omnes defectus proximorum tanquam immunditias; & quia carent cooperculo, ideo defectus quos notaverunt, omnibus publicant, nec aliquid celare poſſunt: unde Num. 19. Vas, quod caruerat operculo, immundum erit. Quidni ergo etiam immundi erunt detractores, carentes cooperculo ſilentii charitativi de defectibus aliorum.

Explicatur ſecunda pars, quod ſint effectivi injuſtitiæ, quia linguis ſuis dolosè agebant. Nam communiter ſub ſpecie ſanctitatis & compaſſionis, proponunt venenum malitioſæ intentionis. Unde de iis dicit *Pſalmiſta*: Os tuum abundavit malitiâ.

Explicatur tertia pars, quod ſint infectivi omnis nequitiæ, quia venenum aſpidum ſub labiis eorum. Eſt autem hoc venenum ita nocivum, quia ſic intoxicat, ut vix aut nè vix quidem curari poſſit, quia homo in fama multum læſus vix curatur, aut ſaltem cum magna difficultate. Huc facit illud *Deut*. 32. Venenum aſpidum eſt inſanabile.

ARTICULUS TERTIUS.

Quot ſint modi detrahendi?

Dico, quod ſint tres. Primus modus eſt bona, quæ homo facit, diminuere, vel malè exponere, tanquam corrupta intentione ſint facta: vel ex comparatione ad alium oſtendere, quod non ſint virtuosè facta, vel non ita excellenter, uti decebat.

Secundus modus eſt defectus, occultos tamen, & de lege charitatis celandos, publicare, & proponere cum intentione lædendi famam.

Tertius modus eſt peſſimus, qui eſt falſa crimina confingere, & innocentibus imponere.

Porrò iſti tres modi detrahendi figurati fuerunt per illam beſtiam ſimilem urſo, quam vidit Daniel habere tres ordines dentium in ore ſuo. *Dan*. 7. Econtra verò adverſus hos tres ordines dentium, ſeu adverſus hos tres detrahendi modos invehitur Apoſtolus *in ſua prima Epiſtola cap*. 2. dicens. Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones, quaſi modò geniti infantes ſine dolo lac concupiſcite. In quibus verbis Apoſtolus ſignanter admonet, quod debeamus deponere omnem detractionem, adeòque à nobis abjicere tres ordines dentium viſorum à Daniele, per quos tres modi detrahendi ſignabantur. Illis porrò depoſitis, vult *S. Apoſtolus*, quod debeamus eſſe ſicut infantes, qui carent dentibus, & mordere non poſſunt, debeamuſque cum infantibus lac dulcis & ſuavis affabilitatis ſine dolo deſiderare, ut de unoquoque noſtrum verificetur illud *Cant*. 4. Favus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua.

ARTICULUS QUARTUS.

Quot modis nos armare debeamus contra detractionem?

Dico, quod tribus modis nos virtuosè armare debeamus contra detractionem, primò nè vel minimam detractionem faciamus, ſecundò nè eam faciliter audiamus, & tertiò, nè eam puſillanimiter timeamus. Explicatio primæ partis, quod nè vel minimam debeamus ipſimet detractionem facere. Nam *Iacobi* 4. dicitur: Nolite detrahere alterutrum fratres. Unde *S. Bernardus ſuper Cantica ſermone* 23. *ait*: Omnis qui detrahit, ſeipſum prodit vacuum eſſe à charitate, & paulò infra ſubdit. Unum verbum homo dicit vel profert, & tamen illud unum verbum in uno momento, audientium aures inficit, & animas interficit. Cave ergò detrahere mi frater, omnes enim diſcordiæ, lites, & odia, quæ ſunt in mundo, habent originem, vel ad minus augmentum per detractionem, vel per tertiam linguam. Et iſte ſeminator diſcordiarum eſt ſeptimus ex his quos odit Deus, ut dicitur *Proverb* 6. Propter quod etiam *ad Rom*. dicitur. Detractores Deo ſunt odibiles. Et Deus ipſemet per os *Pſalmiſtæ* inquit: Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequabar. De hoc vitio *S. Greg. Moral.* ſuper illud *Iobi* 19. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini, ſciendum inquit eſt, quod hi, qui alienæ vitæ detractione paſcuntur, alienis proculdubio carnibus ſatiantur. Et ſubdit. Omnis detractor eradicabitur. *Hæc Gregor.*

Explicatio ſecundæ partis, quod non faciliter audiamus detracturem, dicit enim *S. Bernardus ſuper Cant. ſermone* 43. Detrahere aut detrahentes audire, quod eorum ſit damnabilius, non facilè dixerim. Certè talis auditor detractionis à fœtido halitu detrahentis inficitur, ejuſque detractioni conſentire videtur, quod certè abominabile eſt, juxta illud *Prov*. 24. Cogitatio ſtulti peccatum eſt, & abominatio hominum detractor, cui addo & detrahentis auditor, qui per benignum auditum implicitè conſentit detrahenti, & eum occultè magis ſtimulat ad detrahendum.

Explicatur tertia pars, quod non debeamus detractionem puſillanimiter timere, aut à bono propoſito propter illam retardari, vel bona opera deſerere, aut ſaltem in pietate frigeſcere, vel tepeſcere.

Nam debemus, ut ait *S Gregor*. 6 *Mor*. *cap*. 17. detractiones hominum deſpiciendo & contemnendo ſuperare. Primò expedit nobis ſcire, quod aliqui nobis detrahant. Et ideo ait *S. Gregorius* 22. *Moral*. *cap*. 12. Sed inter hæc ſciendum, nè immoderatis laudibus efferamur, plerumque miro Rectoris noſtri moderamine, & detractionibus lacerari permittimur, ut cum nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet. Et *Seneca de copia verborum inquit*: Sit tibi tam triſte laudari à turpibus, quàm laudari ob turpia. Lætior eſto, quoties diſplices malis, & malorum de te exiſtimationes malas, veram tibi laudationem adſcribe.

Deniquè ſcito, quod detractores ſint adinſtar falſatoris monetæ Regalis. Nam primò, ſicut iſti detruncant monetam veram Regalem v. g. ali-

quid ab ea abſcindendo, ut verum pondus non habeant, nec tantum valeat ut antea: ita detractores famæ, detruncant, & abſcindunt aliquid de bona & publica fama, ut homo tantum non valeat, quantum antea valebat in hominum communitate. Sunt etiam ſecundo detractores impeditores legati Regalis; Chriſtus enim qui eſt Rex ſuper omnes Reges, legavit nobis pacem juxta illud *Joannes* 14. Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: hanc autem pacem detractores concitantes invidiam vel odia inter fratres diſturbant, & perdunt.

Tertio, detractores ſunt exhumatores cadaveris fraternalis, patefaciendo poſt mortem peccata fratrum ſuorum perpetrata in vita, & ita quaſi reſuſcitant peccata, quæ jam pridem fuerunt oblivioni tradita. Cave igitur frater mi à detractione, quæ nihil prodeſt, nec abſconditur, nec ſine finali pœna permittitur.

LECTIO XI.

TEXTUS.

Os autem, quod mentitur, occidit Animam.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Sapiens diſſuaſit murmurationem & detractionem contra proximum, nunc diſſuadet mendacium, quo homo peccat contra ſeipſum: Eſt enim mentiri nihil aliud quam contra mentem dicere, & ideò dum homo contra mentem dicit, facit contra ſeipſum. Diſſuadet autem Sapiens mendacium hac ratione. Id, quod occidit animam ſpiritualiter, & privat gratiâ, hoc eſt fugiendum; ſed mendacium occidit ſpiritualiter animam & privat gratiâ; ergo mendacium eſt fugiendum. Et ita licet os phyſicè loquendo, vitam animæ in corpore conſervet, ſiquidem per os exſpiramus & reſpiramus, alimenta ſumimus, conceptus mentis exprimimus, ſi tamen malè utamur ore noſtro, & lingua, graviter mentiendo, ſpiritualiter animam occidimus.

ARTICULUS UNICUS.

Cur mendacium dedeceat ſpiritualiter hominem.

DIco, quod hominem dedeceat mendacium propter tria, nempe quia homo eſt rationalis Dei Indago, Dei filialis Propago, & Dei naturalis Imago.

Explicatur prima pars, quod hominem dedeceat mendacium, in quantum eſt Dei indago, id eſt quatenus eſt inveſtigatio & inquiſitio Dei: nam ob hanc cauſam homo factus eſt intelligibilis à Deo, & ideo homini intellectu utenti repugnat falſitas mendacii. Cùm enim veritas ſit bonum intellectus, conſtat quod falſitas ſit malum intellectus. Unde S. Auguſtinus *in Enchiridio cap.* 23. *ait.* Vis naturalis refugit naturaliter falſitatem; & quantum poteſt, devitat errorem: & ideo falli etiam nolunt illi, qui amant fallere, ita S. Auguſtinus.

Porrò figura mendacii fuit ſerpens ille, in cujus forma Diabolus ſeducturus primos Parentes apparuit. Nam ſicut ſerpens eſt hoſtis naturæ humanæ, ita etiam mendacium homini repugnat; & ſicut ſerpens per ſuum venenum occidit, ita mendacium occidit animam. Et ideo cum anima ſit præſtantior corpore, etiam mendacium animam occidens eſt deterius quàm venenum, quod ſimul corpus occidit. Ex quo clarè ſequitur, quod mendax ſit deterior venefico; & ideò rationabiliter mendax & veneficus ſimul combinabuntur in die Judicii, & à ſocietate Dei & Sanctorum expellentur. Undè *Apoc.* 22. *& ultimo* dicitur: Foras canes & venefici, & omnis, qui amat & facit mendacium.

Nuntii, & alii morantes in curia Papæ, pro negotiis expediendis ingrediuntur Palatium, & inter fores ſeu portas exſpectant, donec poſſint ad Cameram introduci ad Papam, ſed quando pulſatur campana Papæ, omnes recedunt triſtes & certi, quod pro illo die Papæ loqui non poſſint, & vacui revertuntur domum. Summus Pontifex eſt Chriſtus *ad Heb.* 9. Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum: ad hujus curiam ſeu vallem Joſaphat veniunt in die Judicii omnes homines, juxta illud 2. *Cor.* 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, & tunc certè dicetur Juſtis, quod intrent ad Chriſtum, juxta *illud Matth.* 25. Intra in gaudium Domini tui: id eſt in vitam æternam; ſed aliis injuſtis & mendacibus, campana pulſante, hoc eſt tuba ſonante, clamabitur per Angelos *Matth.* 13. Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et ibidem ſubditur: Malos autem foras miſerunt, ſic erit in conſummatione ſeculi. Inter hos malos autem, qui mittentur foras, erunt etiam homines mendaces.

Et certè mirum non eſt, ſi mendax ejiciatur à Chriſto, quia naturaliter unum contrariorum expellit alterum. Modò autem Chriſtus eſt veritas *Joannis* 14. Ego ſum via, veritas & vita: Ergo neceſſario homo falſus, & mendax ejicietur à Chriſto, juxtà illud Matth. 25. *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores.*

Dicitur, quod ſi fiat circulus de terra Hibernica, tantæ potentiæ ſit terra illa, ut nullum animal venenoſum poſſit illum circulum intrare, vel ſi tale animal in ejuſmodi circulo fuerit incluſum, non poterit exire, niſi aliunde violenter ejiciatur. Terra iſta veritatem deſignat, ut dicitur in Pſal. Veritas de terra orta eſt. Iſta autem veritas potentiſſima circuit & munit Chriſtum juxta illud 10. *Pſal.* Potens es Domine & veritas tua in circuitu tuo. Modò autem uſque ad diem Judicii homines infecti mendacii veneno, continentur à divina veritate tanquam in circulo, ita ut impoſſibile ſit eos evadere, Cum ſit nemo, qui de manu ejus poſſit eruere. *Job.* 10. Sed certè tunc judicabuntur & ejicientur extra circulum iſtum, & tradentur paſſionibus æterni ignis, juxta illud *Rom.* 1. Mutaverunt veritatem Dei in mendacium, propterea tradidit eos Deus in paſſiones.

Explicatur ſecunda pars, quod homo debeat fugere mendacium, quia eſt filialis Propago Dei. Nam ut dicitur 1. *Joannis* 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur & ſimus. *Et Act.* 17. Dei enim genus ſumus. Ergo ſicut Deo tanquam primæ veritati repugnat falſitas

ſitas & mendacium, ita etiam filiis à Deo per gratiam ſanctificantem genitis mendacium repugnare debet.

Si Rea aliquis filio ſuo proponeret pulcherrimam aliquam & Regiam ſponſam omnibus dotis ornatam, & iſte filius Regis hac relicta acciperet ſibi pro ſponſa & uxore alicujus Ribaldi & hominis viliſſimi filiam, turpem, & nè oculo quidem aſpiciendam, utique filius iſtius Regis imprudentiſſimè & impudentiſſimè faceret. Rex Regum & Dominus dominantium eſt Dominus Deus, cujus nos per Baptiſmum & gratiam ſumus filii, juxta illud *Joannis* 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iſte Rea ſupremus, & Pater noſter cœleſtis, paravit nobis ſponſam pulcherrimam, veritatem & ſapientiam. Dicitur enim *Sap.* 8. Vice ſeu in perſona naturæ humanæ. Hanc amavi, & exquiſivi à juventute mea, & quæſivi mihi ſponſam eam aſſumere. Si ergo aliquis hominum tanquam filius Dei adoptivus, relicta veritate tanquam ſponſa Regia, quæ etiam ſecundum *S. Bernardum* eſt filia Dei, acciperet pro ſua ſponſa & uxore mendacium, quæ ſecundum eundem *S. Bernardum* eſt filia turpiſſima turpiſſimi Diaboli, ſine dubio talis imprudentiſſimè faceret, maximè, quia Diabolus tanquam pater mendacii tali homini ſibi deſponſanti mendacium, tanquam ſuum filium, nihil aliud daret pro dote quàm infernum; undè dicitur *Apoc.* 21. omnibus mendacibus: Pars illorum eſt in ſtagno ignis.

Explicatur tertia pars, quod homo tanquam imago Dei debeat fugere mendacium. Nam *S. Aug. 14. de Trin. cap. 15. dicit* Mens humana imago Dei eſt, & ideò ſicut in Trinitate paternus intellectus gignit Verbum, quod eſt veritas, ita mens humana nullum aliud verbum gignere debet, niſi verax.

Perſonæ diverſorum regnorum & nationum faciliter dignoſcuntur ex loquela vel idiomate, num ſit Gallus, Anglus, Hiſpanus, Italus vel Germanus; undè etiam de Petro dicitur *Matth.* 26. Verè tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit. Moraliter loquendo ſunt in hac vita duo regna contraria, nimirum regnum cœleſte & regnum Diaboli. Porrò idioma regni cœleſtis eſt veritas juxta *illud Pſal.* 10. Domine in cœlo miſericordia tua & veritas tua uſque ad nubes. Idioma verò regni terreſtris, vel Diaboli eſt falſitas, & mendacium, juxta illud *Oſea* 4. Non eſt veritas, non miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra, maledictum & mendacium, homicidium & furtum & adulterium inundaverunt. Si ergo homo velit ſcire, ad quale regnum pertineat, videat, quali utatur idiomate, an nimirum loquatur veritatem vel mendacium; nam ſi loquatur veritatem, credere poteſt ſe eſſe ex regno cœleſti: ſi autem loquatur mendacium, credere poteſt ſe eſſe ex regno Diaboli. Itaque noli velle mentiri omne mendacium, aſſiduitas enim illius non eſt bona, *ut dicitur Eccl.* 7.

LECTIO XII.
TEXTUS.

Nolite zelare mortem in errore vita veſtra, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum: quoniam Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Spiritus ſanctus declaravit, qualiter homo tenetur ordinare virtuosè ſuas affectiones; primò cogitando, ſecundò ſuas locutiones ſermocinando: hic ulterius docet, quomodo homo debeat ordinare ſuas operationes peccatum deteſtando.

Dicit ergo nolite *zelare*, ideſt diligere, ***mortem*** ideſt peccatum mortale, quod eſt cauſa mortis animæ, ***in errore vita veſtra***, ideſt infernum juxta illud *Prov.* 15. Infernus & perditio coram Domino. ***In operibus manuum veſtrarum***, ideſt per opera manuum veſtrarum, vel per opera propria: quia anima eſt organum organorum hominis ut ***dicitur 3. de Anima***, & ideò quæcunque malæ operationes per manus exerceri poſſunt prohibentur. Certum enim eſt, quod vitam illam non poſſimus habere, niſi per Deum, perditionem autem poſſimus habere per opera manuum noſtrarum; undè ſignanter dicitur *Oſea* 13. Perditio tua ex te Iſrael, in me tantum auxilium tuum. ***Quoniam Deus non fecit mortem***, ideſt non ordinavit nos ad mortem æternam, ſed potiùs ad vitam æternam; vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri: hoc eſt leges dedit, per quas omnis homo ſalvari poſſit, ſi velit. Vel ſic: Deus mortem non fecit, ideſt, peccata non approbat, nec diligit. Nec delectatur in perditione vivorum, ideſt non ordinat homines principaliter ad hoc ut perdantur, ſeu damnentur, ſed ipſi per malitiam propriam perdunt ſeipſos. Unde dicitur *Joannis* 12. Qui amat animam ſuam in hoc mundo, perdet eam. *Luc.* 9. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare. Nolite ergo zelare mortem, ideſt, nolite diligere peccatum. Circa iſta verba ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum peccatum rectè vocetur mors animæ?

Dico, quod peccatum rectè ad ſimilitudinem mortis corporis, vocetur mors animæ propter tria: nimirum propter ſimilem defectum, propter conſimilem effectum, & propter conſimilem aſpectum.

Explicatio primæ partis, de ſimilitudine mortis animæ ad mortem corporis propter ſimilem defectum. Quia moriente corpore, talis eſt proceſſus in deficiendo. Primò corpus diſtemperatur, ſecundò infirmatur, tertiò moritur, quartò portatur extra domum, quintò ſepelitur, & ſextò à vermibus conſumitur. Sic etiam anima, primò diſtemperatur per tentationem & cogitationem de peccato; ſecundò infirmatur per concomitantem delectationem; tertiò moritur per conſenſum; quartò aſportatur de domo, & elongatur ab hominibus per culpæ ſuæ abominationem apud homines; quintò ſepelitur per malam conſuetudinem; ſicut enim terra vel lapis ſuperpoſitus onerat, & opprimit corpus, nè reſurgat etiamſi poſſit: ita mala conſuetudo eſt quaſi quædam moles graviſſimè opprimens, & quaſi neceſſitans hominem ad peccandum, ut docet *S. August. l. 8. Confeſſionum cap.* 5. Sextò ſicut corpus mortuum à vermibus conſumitur, ſic etiam mens per peccatum privata vitâ gratiæ, à vermibus conſcien-

 tiæ,

tiæ, deſperationis, & finalis impœnitentiæ corroditur & mordetur. Rectè proindè dixit Apoſtolus *ad Rom.* 5. Peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.

Explicatur ſecunda pars, quod peccatum ad ſimilitudinem corporis mortui, convenienter vocetur mors propter *conſimilem effectum.* Nam mors facit corpus rigidum & frigidum, fœtidum & putridum; horridum, terrum, & ponderoſum: ſic etiam moraliter loquendo peccatum facit animam rigidam per ſuperbiam, & inobedientiam ad Deum; undè *Prov. 18. dicitur:* Divea & ſuperbus, ut exponit Gloſſa, effabitur rigidè. Item peccatum efficit animam frigidam per invidiam, quam vocat Propheta malitiam, dicitur enim *Ieremiæ* 6. Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam facit malitia animam ſuam. Deindè peccatum facit animam fœtidam per luxuriam. *Iſaiæ* 34. De cadaveribus eorum aſcendet fœtor. Præterea peccatum facit animam putridam per gulæ immoderantiam, per quam ſenſus & ratio ſepeliuntur & operiuntur, & homo quaſi in aſinum commutatur, undè *Jeremiæ* 22. dicitur: Sepultura aſini ſepelietur putrefactus, & projectus extra portas Jeruſalem. Facit quoque peccatum animam horridam per iracundiam, *Gen.* 15. Horror magnus & tenebroſus invaſit Abraham. Facit etiam peccatum animam terream per avaritiam, quia nihil ſapit niſi terrenum; ut dicatur tali animæ ſicut Deus dixit Serpenti *Gen.* 3. Terram comedea cunctis diebus vitæ tuæ. Et denique peccatum facit animam ponderoſam ſeu pigram per acediam, qua homo nihil boni operatur. Nam ut dicitur *proverb.* 13. Piger vult & non vult. Patet ergò quod peccatum convenienter vocetur mors propter conſimilem effectum.

Explicatur tertia pars, quod peccatum habeat ſimilitudinem cum morte corporis in aſpectu. Nam ſicut homo qui fuit pulcher, amabilis, & delicatus, per mortem fit turpis & abominabilis: ità anima quæ ante peccatum per gratiam erat amabilis, & formoſa, juxta illud *Cant.* 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; per peccatum fit turpis & abominabilis coram Deo, ita ut dicat ei Deus illud *Ezech.* 16. Abominabilem feciſti decorem tuum: ita ut propter talem abominabilitatem anima ſeparetur ab amicitia Dei, & conſortio bonorum Angelorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quotuplex ſit mors?

DIco quod mors ſit triplex, nimirum mors clauſtralis converſationis, mors carnalis reſolutionis, & mors infernalis cruciationis.

Explicatio primæ partis, de morte clauſtralis converſationis; Quæ nihil aliud eſt quàm ſacra Religio, vocaturque mors figurativè; undè vulgariter regulares vocantur mortui, & ſæculares viventes: & tamen malus ſæcularis verè mortuus eſt, & bonus religioſus verè vivit. Nam de malo ſæculari dicitur *Apoc.* 3. Nomen habes ut vivas, & mortuus es. Et de Sanctis dicitur 1. *Cor.* 6. Quaſi morientes, & ecce vivimus. Mortui enim ſunt peccato, viventes autem Deo; undè iſtis ſicut mortuis dicitur *ad Coloſſ.* 3. Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt in Chriſto.

Explicatur ſecunda pars, de morte carnalis reſolutionis, quæ multifariè eſt meditanda. Undè *Eccl.* 14. dicitur: Memor eſto, quoniam mors non tardabit. Et ſicut idem cibus eſt infirmo amarus, qui ſano eſt ſuavis, ita memoria mortis hominibus juſtis eſt dulcis & amabilis, impiis autem & peccatoribus eſt amara. Et ideò dicitur *Eccl.* 41. O mors quàm amara eſt memoria tua homini injuſto. Et infrà. O mors, quàm bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus.

Certè hæc meditatio mortis facit mundum contemnere, undè *S. Hieron. ad Paulinum* ait, Facilè contemnit omnia, qui cogitat ſe quotidie eſſe moriturum, juxta illud:

Non aliter melius poterit caro viva domari,
Mortua qualis erit, quàm ſemper præmeditari.

Facit quoque iſta memoria mortis, quod homo peccata vitet; & ideò dicitur *Eccl. 7. in fine.* In omnibus operibus memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.

Explicatur tertia pars, de morte infernalis cruciationis; & hæc mors eſt quotidie deteſtanda, Et de hac morte dicitur *in Pſal.* quaſi oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.

Ovis eſt ita ſtolidum pecus, quod ſi ſit in domo accenſâ, non exit ab igne, ſed magis ingerit ſe igni. Sic damnati in inferno, ita effecti ſunt ſtolidi, & per malitiam obſtinati, ut de inferno, qui eſt ipſis adinſtar domus accenſæ, non ſint exituri. Perſeverant enim in odio contra Deum eumque blaſphemant; & antequam hoc odium deponant in quo mortui ſunt, manere volunt in inferno; non enim amplius ſunt flexibiles aut mutabiles de malo in bonum. Et iſta mors peccatorum eſt peſſima ut dicitur *Apoc.* 21. Sed huic morti contrariatur illa vita, de qua ſcribens *S. Ambroſius* ait: Eſt vita ſine morte, dies ſine nocte, gaudium ſine mœrore, tranquillitas ſine labore, fortitudo ſine debilitate, rectitudo ſine perverſitate, veritas ſine falſitate, charitas ſine invidia, fœlicitas ſine miſeria, quam nobis concedat omnipotens & miſericors Dominus.

LECTIO XIII.

TEXTVS.

Creavit enim Deus, ut eſſent omnia: & ſanabilis fecit nationes orbis terrarum: non enim eſt in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Spiritus ſanctus diſſuaſit peccatoribus iniquas operationes ob pœnam quæ ſequitur, nunc etiam diſſuadet eaſdem operationes iniquas, per amorem recitando divina beneficia, quæ homini conferuntur. Poſtquam enim prius oſtendit, quod Deus non fecerit *mortem*, id eſt peccatum, quod infert animæ mortem, & facit hominem, *non eſſe*, juxta illud *Trenorum* 4. Patres noſtri peccaverunt, *& non ſunt*; nunc proſequitur ſuum ſermonem, & dicit: *Creavit enim*

Deus

Google

Deus ut eſſent omnia, id eſt ſuâ potentiâ in magna ſapientia creavit omnia, *ut eſſent*, id eſt perſiſterent ſine peccato,quod ut dictum eſt, facit hominem *non eſſe*. Vel creavit Deus omnia ut eſſent propter hominem, cujus uſui & commoditati ſervirent. Omnia ſubjecit pedibus hominis, oves & boves & univerſa pecora campi, *pſal. 8.* ex quibus verbis patet, quale beneficium Deus contulerit homini per creationem, dum paulò minus ab Angelis minoravit eum, & cuncta pedibus ejus ſubjecit.

Sequitur: *Et ſanabiles fecit nationes orbis terrarum*, hoc eſt Deus ita creavit homines, ut ſi labantur in peccata, ſanari poſſint per ſua Sacramenta. Et ideò dicit: *Sanabiles fecit nationes orbis terrarum*, id eſt homines, qui naſcuntur in terra. Et hoc eſt ſpeciale beneficium, quod ſolis hominibus eſt collatum; Angeli enim inſanabiliter peccaverunt, quia quod Angelus ſemel apprehendit, nunquam dimittit; undè quia mali Angeli ſemel apprehenderunt malitiam & ſuperbiam, eam non dimittunt amplius; & ideò dicit *S. Greg.* Angelus qui non habuit tentationem, non meruit habere Redemptorem ſicut homo. Hinc facit etiam illud, quod *S. Damaſcenus lib. 2. cap. 3. dicit*. Scire oportet, quoniam, quod hominibus eſt mors, hoc Angelis eſt caſus. Undè ſicut homo mortuus, eſt inſanabilis per naturam, ita Angelus poſt caſum eſt inſanabilis. Homini tamen hoc eſt collatum, quod licet ſæpius infirmetur per peccatum,ſemper tamen manet ſanabilis, quamdiu vivit. Et hoc eſt, quod agnovit *Pſalmiſta* dicens: Benedic anima mea Domino; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Sequitur: *Non eſt enim illis medicamentum exterminii*: hoc eſt, non enim ineſt omnibus rebus à Deo creatis in mundo, *medicamentum exterminii*, id eſt neceſſaria immutatio,vel infectio ad cauſandum *exterminium*, id eſt peccatum, propter quod homo exterminatur, id eſt extra terminos Eccleſiæ tam militantis, quàm triumphantis collocatur;

Subditur: *Nec inferorum regnum in terra*, id eſt, regnum,vel dominium; *inferorum*,id eſt dæmonum; *non eſt in terra*, id eſt in hominibus viventibus in terra: & ideò licet dæmones poſſint homines tentare ad peccatum, nullo tamen modo poſſunt homines violentare vel neceſſitare ad peccatum.

Ex dictis colligitur bonitas & clementia Dei in creatione creaturarum. Undè *S. Aug. lib. 11. de Civ. Dei cap. 21. ait*: Maximè ſcienda ſunt de creatura, quis eam fecit, per quid eam fecit, & quare eam fecerit. Et hæc tria inſinuat *Scriptura* dum dicit: Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem,quod eſſet bona. Si ergò quærimus,quis fecerit? Deus eſt. Si per quid fecerit? Dixit *fiat* & facta eſt. Si quare fecerit? quia bonus eſt: hæc ille. Undè etiam *S. Damaſcenus lib. 2. cap. 2.* ait: Quia bonus & ſuperbonus eſt Deus, ideò non eſt contentus ſuiipſius contemplatione,ſed ſuperabundantiâ bonitatis acceptavit producere quædam, quibus benefaceret, & participata ſua bonitate ex non *eſſe ad eſſe* deduxit & condidit univerſa. Hæc ille. Cùm verò omnia alia Deus creaverit propter hominem; Cœlum, ut ibi fruatur viſione divinæ eſſentiæ; Angelos, ut ipſi inſerviant eumque cuſtodiant; Elementa, ut ſint pro ſua conſervatione; omnia alia animalia, ut ſubſint pedibus ejus; ideò ſine dubio magna eſt hominis dignatio & excellentia. Circa illa verba: *Creavit enim Deus, ut eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Quot ſint excuſationes, quas peccatores ferre poſſunt de ſuo peccato, & an aliquid valeant?

Dico, quod peccatores afferant tres excuſationes de ſuo peccato, quarum tamen nulla aliquid valet. Primò dicunt, quod ſpecioſitas, & bonitas rerum creaturarum allicit hominem, & incitat ad concupiſcentiam oculorum contra legem Dei. Secundò dicunt,carnis fragilitatem neceſſitare hominem ad peccatum. Tertiò dicunt, quod dæmones homines decipiant, & peccare faciant quadam violentia extrinſeca.

Explicatio primæ partis, quod ſpecioſitas & bonitas rerum creatarum non excuſet homines à peccato. Quia bonitati rerum, aut ſpeciei vel formæ nullo modo imputandum eſt, quod homines in amore mundanorum contra amorem Dei captiventur, ſeſe oblectent, ſed hoc tantum provenit ex perverſitate hominum, quia malè utuntur rebus benè à Deo creatis. Undè *S. Aug. lib. de vera religione cap. 38.* dicit; Nec aqua eſt malum, nec animal quod in aëre vivit, nam iſtæ ſubſtantiæ ſunt. Malum eſt voluntaria præcipitatio in aquam, & ſuffocatio quam merſus patit. *Hæc S. Auguſt.*

Explicatio ſecundæ partis, quod homines ob fragilitatem carnis non neceſſitentur ad peccandum, adeoquè hæc fragilitas carnis non excuſat homines à peccato. Dicit enim *S. Greg. Moral. cap. 36.* Superna diſpenſatio idcircò nos ſibi tota intentione ſervientes, carnem noſtram permittit impugnationibus concuti, ne mens noſtra audiat in ſuperbia præſumptione ſuæ ſecuritatis elevari; ut dum pulſata trepidat,in ſolo Creatoris adjutorio pedem robuſtius ſpei figat. *Hæc S. Greg.*

Explicatio tertiæ partis,quod propter dæmonum infeſtationes, homines non excuſentur à peccato. Licet enim dæmones permittantur à Deo homines tentare, nullo modo tamen permittuntur violentare voluntatem humanam ad peccandum: & ideò dæmones non habent dominium in hominem, niſi homo ſponte per liberum arbitrium ſeſe dæmoni ſubdere velit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ad quid teneatur homo ex eo, quod Deus omnia creaverit propter hominem?

Dico, quod homo ex creatione aliorum omnium propter ſe, teneatur ad quinque videlicet: ad amorem, ad honorem, ad ſtuporem, ad timorem Dei,& ad laborem pro Deo.

Explicatio primæ partis, de amore Dei. Nam *S. Auguſt. 10. confeſſ. cap. 18.* dicit: Cœlum & terra, & univerſa, quæ in eis ſunt, ecce undique mihi

mihi dicunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles: & infrà *cap. ſeptimo.* Quid autem amo cùm te amo? non ſpeciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, nec dulces melodias cantilenarum, non florum & aromatum ſuavitatem, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum; & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum interioris hominis mei: ubi fulget animo meo, quod non capit locus; & ubi ſonat, quod non capit tempus; & ubi olet, quod non ſpargit flatus; & ubi ſapit, quod non minuit edacitas; & ubi hæret, quod non divellit ſocietas: hoc eſt quod amo dum Deum meum amo Ita S. Auguſtinus. De iſto amore *Hugo de Arrhà Animæ* diſſerens, ſic ſeipſum alloquitur: Magno debito obligata es anima mea, & multum accepiſti, & pro his omnibus non babes quod retribuas, niſi ut tantùm diligas. Nam quod per dilectionem datum eſt, non meliùs, nec decentiùs, quàm per dilectionem rependi poteſt, ità Hugo.

Explicatio ſecundæ partis, quod homo teneatur ad honorem Deo præſtandum: Omnis enim Creatura pro ſuæ naturæ potentiâ nititur honorare Deum, qui ſe & omnia regit, de iſto honore loquitur *S. Anſelmus l. 1 Cur Deus homo cap. 12.* dicens: Omnis voluntas rationalis creaturæ ſubjecta debet eſſe voluntati Dei; & hoc eſt debitum quod debet Angelus & homo Deo, quod ſolvendo nullus peccat, & quod omnis, qui non ſolvit, peccat. Hæc eſt juſtitia ſive rectitudo voluntatis, quæ juſtos facit ſive rectos corde, ideſt voluntate. Hic eſt ſolus honor & totus, quem debemus Deo, & à nobis exigit Deus, hæc Anſelmus. Hanc conſiderationem omnium creaturarum obligatarum ad præſtandum honorem Deo, cujus potentia & ſapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, benè conſiderarunt illi tres Pueri in fornace, qui omnes creaturas ſigillatim ad Deum laudandum & honorandum ac invocandum induxerunt, Daniel 3. Benedicite omnia opera Domini Domino &c. undè etiam 1. Petri 4. dicitur: In omnibus honorificetur Deus.

Explicatio tertiæ partis, quod homo debeat moveri ad ſtuporem Dei, quia non eſt tam parva creatura in hoc mundo, cujus notitiam, compoſitionem, & virtutem, poſſit comprehendere intellectus, ſed magis ſtupere & mirari debet. Undè Jeremiæ 5, dicitur: Stupor & mirabilia facta ſunt in terra; & Eccl. 11. Mirabilia opera Altiſſimi ſolius, ubi Gloſſa addit, & abſcondita, & immenſa opera ejus.

Explicatio quartæ partis, quod conſideratio creaturæ debeat hominem movere ad timorem Dei. Nam omnis creatura triplici voce alloquitur hominem, ut ait *Hugo de Arca Noe.* Prima vox dicit: *Accipe*, ſecunda dicit, *redde* tertia dicit, *fuge* ideſt, accipe beneficium, redde debitum, fuge ſupplicium. Prima vox eſt famulantis, ſecunda admonentis, tertia comminantis. *Vox famulantis eſt. Cœlum dicit*: Ego miniſtro tibi lucem in die, ut vigiles tenebras in nocte, ut pauſes: Ego ad oblectationes tuas gratas temporum viciſſitudines paro, & tempero Veris & Æſtatis fervorem, Autumni plenitudinem, algorem Hyemis; & ego alternantibus incrementis dierum & noctium ſpatia ſimili ratione diſſimiliter extendo, ut & varietas tollat faſtidium, & nova oblatio pariat oblectamentum. *Aer dicit*: Utilem tibi præbeo flatum, & omne genus animalium, ad tuum mitto obſequium. *Aqua dicit*: Potum tibi præbeo, ſordes purgo, arentia rigo, & diverſa genera piſcium ad tuum uſum miniſtro. *Terra dicit*: Ego te porto, pane conforto, vino lætifico, omni genere fructuum oblecto, & diverſis animalibus menſas tuas impleo.

Secunda vox admonentis eſt, *Mundus dicit*, vide quomodo amavit te Deus, qui propter te fecit me, ſervio tibi, quia factus ſum pro te, ut tu ſervias illi qui facit te, & me propter te, te propter ſe, ſi ſentis beneficium, redde debitum; accipis benignitatem, redde charitatem, illud tribuit Deus; hoc exigit Deus.

Tertia vox *comminantis*; *Ignis* dicit à me combureris; & *Aqua* dicit, in me ſubmergeris, *Terra* dicit, à me abſorbeberis; *Infernus* dicit, à me deglutieris, quia omnis creatura, ſicut ex conditione homini famulatur, ſic etiam peccatoribus pro malorum ſuorum conſcientia comminatur: ut in ſingulis creaturis ſe punire timeant, quod ſe meruiſſe cognoſcunt. Et ideò ſignanter dicitur Eccl. 25. Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit, quia ex omni creatura homo debet percipere timorem Dei. Ita ſapientiſſimè diſſerit citatus *Hugo.*

Explicatio quintæ partis, quod conſideratio creaturarum ſeu univerſi moveat hominem ad laborem pro Deo. Omnis enim creata natura habet aliquam utilem operationem; undè dicitur 9. Meth. cap. 7. Qui aufert proprias operationes à rebus, aufert rerum naturas. Homo autem ad laborem naſcitur, Job. 5. Et ideò homini cavendum eſt, nè otioſus & inutilis habeatur, & rogandus eſt Deus, ut nobis cooperari dignetur, quia ipſe eſt ille, de quo ſcribitur Iſaiæ 26. Omnia opera noſtra in nobis operatus es Domine.

LECTIO XIV.

TEXTVS.

Iuſtitia enim perpetua eſt & immortalis, injuſtia autem mortis acquiſitio. Impii autem manibus & verbis accerſierunt illam, & æſtimantes illam amicam, defluxerunt, ſponſiones poſuerunt ad illam, quoniam morte digni ſunt, qui ſunt ex parte illius.

EXPLICATIO TEXTVS.

IVſtitia enim perpetua eſt, id eſt juſtitia homini in ſtatu innocentiæ collata, quantum ex ſe præciſè fuit, potuit fuiſſe *perpetua*, quia Deus nunquam eam ſeparaſſet à voluntate nolente, teſte *S. Auguſt. de libero arbitrio cap.* 8. Similiter juſtitia eſt perpetua, & *immortalis effectivè.* Quia facit homines perpetuos & immortales. Undè Sap. 5. dicitur: Juſti autem in perpetuum vivent. *Injuſtitia verò eſt acquiſitio mortis*, id eſt peccati & per peccatum damnationis & inferni; juxta illud Pſal. Virum injuſtum mala capient in interitu. Sequitur in textu. *Impii autem*, id eſt primi parentes, à pietate, quæ eſt cultus Dei; recedentes

manibus

manibus, id eſt operibus, comedendo pomum vetitum, *& verbis*, id eſt, colloquendo ſerpenti; *accerſierunt illam*, id eſt injuſtitiam; *& æſtimantes illam*, ſcilicet injuſtitiã, vel tranſgreſſionem divini præcepti; *Amicam*, id eſt utilem, & ſibi expedientem, quia putabant, quod juxta promiſſionem ſerpentis futuri eſſent ſcientes, ſcilicet *Dii*. Gen. 3. *Defluxerunt*, id eſt ſpontè ſe præcipitaverunt in illam tranſgreſſionem ſive injuſtitiam; vel *defluxerunt*, id eſt perdiderunt ſtabilitatem juſtitiæ originalis. *Et ſponſiones*, id eſt pacta, promiſſiones ſeu fœdera, *poſuerunt ad illam*, nempè injuſtitiam & mortem. Et quale peccatum eſt hoc? Certè tale, *quoniam digni ſunt morte, qui ſunt à parte illius*, id eſt omnes qui de illis primis Parentibus obligatis injuſtitiæ deſcenderunt. Adam enim commiſit crimen læſæ Majeſtatis, & ideò puniri debuit, tam in ſe quàm in ſuis filiis. Et ideò ad Epheſ. 2. Eramus filii iræ.

Ex dictis ergo conſtat, quod homo à Deo fuerit creatus juſtus in ſtatu innocentiæ, & juſtitiam originalem homo non habuerit à ſe ſed à Domino Deo, at verò injuſtitiam primus homo incurrit voluntate propria, liberè peccando & tranſgrediendo præceptum divinum. Circa illa verba: *Iuſtitia enim perpetua eſt, & immortalis*, ſic

ARTICULUS PRIMUS.

An Virtutes cardinales, nimirum: Prudentia, Juſtitia, Fortitudo & Temperantia manebunt in patria?

Dico enim *S. Thoma 22. q. 6. Art. 7.* quod in iſtis virtutibus aliquid ſit materiale, & aliquid formale. Materiale eſt, quædam inclinatio partis appetitivæ ad paſſiones, vel operationes ſecundum aliquem modum. Formale autem, eſt ordo rationis determinans modum illum. Dixit ergo S. Thomas, quod iſtæ Virtutes cardinales non ſint manſuræ quantum ad ſuum eſſe materiale, manebunt tamen quantum ad ſuum eſſe formale. *S. Auguſtinus autem lib. 14. de Trin. cap. 9.* paulò aliter reſpondit ad quæſtionem propoſitam, & dicit, quod juſtitia manebit; de aliis autem aſſerit, quod fortè manebunt: ſed tam juſtitia quàm prudentia habebunt alios actus, quàm modò habent. Quod enim nunc agit juſtitia in ſubveniendis miſeris; quod prudentia in præcavendis inſidiis; quod fortitudo in perferendis moleſtiis; quod temperantia in coërcendis delectationibus pravis: hoc inquam non erit ibi omninò, ubi nihil omninò mali erit. Sed tunc erit opus Prudentiæ, nullum bonum Deo præponere vel æquare; actus Fortitudinis, ei fortiſſimè cohærere; Temperantiæ, nullo noxio delectari; & Iuſtitiæ, ſubjectum eſſe Deo. *Hæc S. Auguſtin.*

Et huic ſententiæ S. Auguſtini multum favet ſapientiſſimus *P. Magiſter Robertus Holkot*, dum in præſenti ait: Quod manebunt iſti habitus, ſed habebunt diverſos actus. Et ſubdit, quod juſtitia plenius manebit quàm aliæ, quia in patria principaliorem actum habebit quàm nunc; nimirum reddere unicuique quod ſuum eſt, Deo amorem ſuper omnia, & proximo ſecundum menſuram voluntatis divinæ. Et ideò de *juſtitia* ſignanter dicitur, quod ſit perpetua & immortalis.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Juſtitia originalis includat aliquod donum ſupernaturale?

Dico, quod ſi juſtitia originalis dicat perfectam rectitudinem animæ ad Deum, & ſubjectionem ad illum tanquam Authorem naturalem, & ſupernaturalem, & corporis ad animam; ſic ſine dubio juſtitia originalis includit donum aliquod ſupernaturale: quia anima ſine perfecta gratia, non poteſt cum omnimoda rectitudine ſubdi Deo tanquam Authori ſupernaturali. Sic ſimiliter vocatur naturalis rectitudo, vel juſtitia, quâ anima corpori præficiebatur in ſtatu innocentiæ. Plura de hac re tractantur à Theologis in materia de Gratia, Juſtificatione, & Merito.

ARTICULUS TERTIUS.

An Juſtitiæ rectè conveniat, quod ſit munimentum prælantis, ornamentum triumphantis, & inſtrumentum judicantis?

Dico quod ſic.

Explicatio primæ partis, quod ſit *munimentum prælantis*. Nam propter hoc comparatur Juſtitia Loricæ *ad Epheſ. 6. & ultimo*: State induti Lorica juſtitiæ. Eſt enim Lorica genus armorum defenſivorum, & non invaſivorum; & diſponit ipſum hominem ad ſuſtinendum invaſiones aliorum ſine læſione vulneris. Iſto modo juſtitia munit hominem inter perſecutiones, ut nihil ei noceant, ſi juſtitiam habeat. Matth. 5. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Et iſtâ Loricâ debet homo indui, ut omne opus ſuum juſtitiâ reguletur; ſicut enim & paramenta Loricæ valent ad caput, tibias & pedes, cuſtodienda, ſic etiam juſtitia cuſtodit totum hominem. Et ideò ſignanter dicitur de juſto: Indutus eſt juſtitia, & Lorica & galea ſalutis in capite ejus.

Explicatio ſecundæ partis, quod juſtitia ſit ornamentum triumphantis; & ideò comparatur coronæ in ludis agoniſticis, ſicut in palæſtra vel curſu proponitur bravium in fine ſtadii: & illud eſt præmium certantis ſicut tangit *Apoſt. 1. Cor. 9.* Stadium, in quo currimus, eſt vita præſens, cujus terminus eſt mors. In iſto termino reponitur merces noſtra finalis, juxta illud Eccl. 4. uſque ad mortem certa pro juſtitia, ſed certè contingit ſæpè hominibus impedimentum in currendo, propter quod deficiunt à triumpho, ſicut contigit Athalantæ virgini per Hypomenem. De qua narrat *Ovidius X. Metamorph. prope finem*, quod tantæ agilitatis fuerit in currendo, ut à nullo vinci potuerit; nec aliquem virum dignabatur habere, niſi talem, qui eam in currendo viciſſet. Fuit quoque Athalanta tantæ venuſtatis & pulchritudinis, ut fuerit amata ab omnibus Nobilibus. Cucurrerunt quidem multi cum eadem, ipſius nuptias affectantes, ſed omnes defecerunt, undè & capitibus plexi ſunt. Tandem juvenis quidam informatus à Venere, nuptias ejus poſtulavit, & Athalanta offert ſe certamini. Porrò ju-

rò juveni Venus tria poma aurea dedit, nt ea juxta ſtadium projiceret, & à curſu ſuo faceret virginem deviare. Itaque currunt ambo agillimè; Hypomenes autem dum incipit fatigari, projicit pomum aureum ſecus ſtadinm: quod Athalanta videns, divertit à ſtadio, & ita Hypomenes præterit & præcucurrit; Athalanta puſtea ſua velocitate deviationem ſuam compenſavit, & prævenit Hypomenem, ſed iſte intra currendum projecit ſecus ſtadium ſecundum pomum, de quo conſimiliter fecit Athalanta ut prius, & prævenit Hypomenem. Dum autem hic adverteret, qund Athalanta appropinquaret ad metam, tunc Hypomenes tertium pomum longius à ſtadio, quàm prius fuerat projecit. Athalanta porrò cupiditate allecta cucurrit ad pomum aureum, & interim Hypomenes metam attigit, & ſic de Athalanta victoriam reportavit. Applicatio. Virgo illa velociſſima eſt anima humana, quæ eſt miræ pulchritudinis, quia creata eſt ad imaginem Dei. Eſt etiam anima noſtra ſuis cogitationibus miræ agilitatis, quia nunc eſt Romæ, nunc Pariſiis, nunc Viennæ, nnoc in cœlo, nunc in terra, nunc in inferno, &c. Ita anima noſtra debet currere per ſtadium vitæ præſentis ad bravinm finalis juſtitiæ. Sed unus ejus agillimus inimicus nimirum diabolus (qui erecto collo currit adverſus Deum) ſimul cum anima noſtra conatur currere, & videt quod virtute & velocitate nō poſſit animam noſtram vincere, ideò ſtratagemate utitur pro virtote. Habet igitur diabolus tria poma aurea, id eſt tres delectationes, quas projicit juxta viam hujus vitæ. Primum projicit quaſi ſtatim poſt principium vitæ; Secundum in medio, Tertium prope metam, id eſt, prope finem vitæ. Primum juvenibus, ſecundum viris, & tertium ſenibus. Primum pomum eſt delectatio laſciviæ, ſecundum ſuperbiæ, & tertium avaritiæ. Et ſi fiat qnod aliquis non decipiatur primis duobus pomis, vix tamen tertium evadere poterit, & ſic perditur corona juſtitiæ finalis. Itaque certare debemus viriliter, & per virtuoſam continentiam à talibus abſtinere, juxta illud *Apoſtoli* 1. *Cor.* 9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus abſtinet, ſupple iſtis tribus. Et Eccl. 15. Qui continens eſt juſtitiæ, apprehendet illam. Sic enim certaverat & cucurrerat Paulus, ſicut ipſemet teſtatur 2. ad Tim. 4. dicens: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; de reliquo repoſita mihi eſt corona juſtitiæ.

Explicatio tertiæ partis, quod juſtitia ſit *Inſtrumentum judicantis.* Nam ſine juſtitia nullus ſuperior judicat, nec benè diſponit; & ideò comparatur regulæ. Sicut enim Latumus lapidem cedens, & complanans, duo ſemper habet in promtu, nimirum regulam & martellum; & cum martello percutit, & cum regula dirigit & examinat planitiem: Ita quicunque bonus Judex vel Prælatus duo debet habere in manibus, nimirum malleum ad corrigendum delicta, & regulam legis & juſtitiæ, ne fiat exceſſus in vindicta; & ideò dicitur Iſaiæ 28. Ponam judicium in pondere, & juſtitiam in menſura. Hinc Greg. *Lib.* 19. *Moral. cap.* 11. ait: Ille juſtitia ſicut veſtimento veſtitur, qui ſe undique bono opere protegit, & nullam partem ſuæ actionis nudam relinquit. Nam qui in aliquibus actionibus eſt juſtus, in aliquibus injuſtus, non eſt perfectè veſtitus. Undè Job. 29. dicitur: Juſtitia indutus ſum, veſtivi me ſicut veſtimento.

CAPITULUM II.

LECTIO XV.

TEXTUS.

Dixerunt impii cogitantes apud ſe non rectè. Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ: & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis.

EXPLICATIO TEXTUS.

D*Ixerunt Impii* mente tenus, juxtà illud Pſalmi: Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. *Cogitantes apud ſe non rectè*, ideſt falsè, quod *exiguum & cum tædio ſit tempus vitæ noſtræ*, quia dies noſtri ſicut umbra pertranſeunt. Sed tamen cogitarunt *non rectè* ideſt falsè; *& non eſt refrigerium* ideſt quies ſeu præmium: *in fine hominis* ideſt poſt mortem, cùm tamen expreſsè dicatur in Pſalmo: Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium; & Jerem. 6. Ambulate in via bona & invenietis requiem animabus veſtris. Subdunt ſed *non rectè* & falsè, *& non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis*, ſed etiam in hoc falſum dicunt, cum conſtet, quod Chriſtus ab inferis reſurrexerit Joannis 23. & Lazarus ſimiliter Joannis 9. Decipiuntur autem impii in hoc, quia putant poſt mortem non eſſe locum aliquem pœnæ vel tormenti; undè dicunt, *Non eſt agnitus, qui ſit reverſus ab inferis*, quaſi dicerent, ſi eſſet aliquis talis tormentorum locus, tunc illi, qui ſunt ibidem puniri, accederent aliquando ad nos, & nobis de ſuis pœnis aliquid dicerent. Decipiuntur inquam tales impii, quia non attendunt ad illud, qnod dicitur Lucæ 16. Chaos magnum firmatum eſt inter nos & vos: qui volunt tranſire hinc ad vos, non poſſunt, neque indè huc tranſmeare. Circa illa verba: *Et non eſt agnitus, qui ſit reverſus ab inferis*; ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum anima rationalis ſit immortalis, & an hoc rectè probari poſſit ex divina bonitate, æquitate, & veritate?

DIco, quod anima ſit Immortalis, catholicè tenendum eſt, & ejuſdem immortalitas convenienter probatur ex Dei bonitate, æqnitate, & veritate.

Prima pars oſtenditur Catholicis, pluribus teſtimoniis ſcripturæ, in quibus animæ immortalitas innuitur, confirmaturque plurimis miraculis; & clarè habetur ex determinatione Eccleſiæ: ſufficiat pro nunc illud Scripturæ; Animæ eorum in pace ſunt, & vivent nomina eorum in æternũ. Et iterum. Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.

Secunda pars oſtenditur adducendo triplicem illam rationem:

Prima ratio deſumitur ex *bonitate Dei*. Licet enim Deus ſit ſummè bonus, eſt tamen ſpecialiter

bonus

bonus ſuis amicis ; ſed amicorum proprium eſt convivere, ut dicitur in 8. Ethicorum. & amicus ſalvat vitam amici, ſi poteſt, ergo ut juſti tanquam amici Dei ſimul cum eo vivant, confert eis immortalitatem.

Secunda ratio deſumitur ex *Æquitate Dei*. Nam juſtitia Dei requirit, quod omnibus reddatur conformiter ad ſua merita vel demerita; Præmium enim datur bonis & pœna malis, ſed hoc non fit in iſta vita, ubi mali ſæpè lætantur, & proſperantur, boni autem deprimuntur & tribulantur: Ergò neceſse eſt, ut hoc fiat in futuro, & conſequenter anima eſt immortalis.

Tertia ratio deſumitur *ex veritate Dei*. Quia Deus neminem fallit, & promiſit vitam æternam dare benè agentibus, ignem autem æternum operantibus malè: ergò ut alterutrum horum homo conſequatur, debet habere animam immortalem.

Præter Catholicos, etiam olim Plato, Hermes Triſmegiſtus, & Ariſtoteles agnoverunt animæ immortalitatem Nam *Plato in Timæo cap.4* inter multa alia quæ de animâ humana affert, dicit: Quod anima ſit immortalis, & ſolum ſi paſſiones vicerit, præmiabitur : ſi autem victa fuerit ab iiſdem paſſionibus, punietur poſt mortem. Hermes verò Triſmegiſtus ad Aſclepium propè principium ait. O Aſclepi omnis anima humana immortalis eſt. Et Ariſtoteles 2. *de Anima ait*. Animam intellectivam ſeu rationalem, ſolam contingit ſeparari à corpore, ſicut perpetuum à corruptibili. Idem fatetur *Pythagoras*, ut recitat *Ovidius 5. Metamorphoſ.* ubi ita habetur:

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sicq; de Jovis domibus vivunt habitantque
recepta.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An conſultum ſit pœnitentiam differre?

NOtandum eſt antè reſponſionem, quod tempus verà breve ſit: tempus vitæ noſtræ, quia *exiguum* ut dicitur in Textu. Eſt etiam vita noſtra gravi afflictioni ſubjecta, & ideò eſt *cum tadio*: Ac denique ſubeſt inſtabilitati, ſeu labilitati continuæ mutationis, & ideò dicitur in Textu: *Tempus vita noſtra*, quod nunquam in eodem ſtatu permanet. Et quidem *exiguitas* temporis vitæ noſtræ colligitur ex Sap. cap. 9 ubi dicitur: Homo infirmus & exigui temporis. *Tædium* autem vitæ patet ex Job. 10. Tædet animam meam vitæ meæ, *Inſtabilitas* autè labilitaſq; ue mutationis patet ex Eccl. 18 ubi dicitur : De mane uſque ad veſperam immutabitur tempus. Jam itaq; ſtante hac exiguitate & mutabilitate vitæ humanæ quæ cum tædio peragitur, quæritur in hoc articulo, an ſit conſultum differre pœnitentiam ; hoc prænotato;

Dico quod nullatenus ſit conſultum differre pœnitentiam, ſed potius juxta conſilium *Apoſtoli ad Galat.6.& ultimo.* Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes ; maximè autem ad domeſticos fidei. Et rectè ſane hæc monet Apoſtolus. Nam ſenes, debiles, & impotentes non habent tempus, ſed habentur à tempore, infirmi & graviter patientes non habent tempus, cùm non ſint ſui compotes. Mortui tranſierunt tempus ſuum, & ideò, nec ſenectus, nec morbus, nec mors exſpectandæ ſunt ad benè vivendum, ſed ſtatim incipiendum eſt, dum tempus noſtrum eſt. Nec oportet, ut verbis S. *Auguſtini Hom. 15. de verbis Domini* utar, voce corvina clamare *cras cras*, quia repentè oſtium vitæ clauditur. Hæc S. Doctor, qui etiam lib. *de diſciplin. Chriſtiana* ſic ait: Malè mori times, malè vivere non times: corrige malè vivere, nec time mori : non poteſt malè mori qui benè vixerit, *ita S. Antiſtes.*

Porrò homo malè vivens, non tam vivus, quàm mortuus eſſe cenſendus eſt, ſolùm enim ille vivit, qui bene operatur, ut colligitur ex Seneca Epiſtola 88. ubi ait: Nullius vita exſpectat in craſtinum, non enim vivunt (ſupple homines peccatores) ſed victuri ſunt ut ſibi imaginantur: decipiuntur tamen miſerè, dum repentè ex hac vita trahuntur. Econtrà verò ille beatiſſimus ſui poſſeſſor eſt, qui craſtinum ſine ſollicitudine exſpectat: & quiſquis dixit *vixi* (ſupple benè) quotidiè ad lucem ſurgit teſte Seneca Epiſt. 47. Et hujus ſententiæ fuit etiam quidam Religioſus, qui quantum vixiſſet interrogatus ab aliquo, reſpondit *vixi*. Fuit enim in religione ſacra ſanctè converſando 17. annis. Et cùm alter diceret, quæro non an vixiſti, ſed quantum vixiſti, tunc religioſus reſpondit: dum dixi, *vixi*, quantum vixi, ibi dixi. Voluit enim dicere, quod per tantum temporis nempè per 17 annos benè vixerit, quantum ſignificant literæ numerales in hac dictione *vixi*, illæ autem ſignificant 17. annos, ut patet. Undè *Martialis l.2.Epigrammatum c.1.* ait:

Non eſt crede mihi, ſapientis dicere vivam,
Sed vivo.

Itaque *ne impiè agas multum*, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo, Eccl. 7. & ad Galat. 6. dicitur : Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes, quia Vita brevis, caſuſque levis, nec ſpes remeandi.

Quanta feres hic, tanta feres, ſit cura parandi
Plura foras, ut plura feras, ne non ſerviſſe
Pœniteat, dum nil valeat jam pœnitu ſſe.

LECTIO XVI.

TEXTVS.

Quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tanquam ſi non fuerimus ; quoniam fumus efflatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum ; quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, ſpiritus diffundetur tanquam mollis aër.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam impii dixerunt, quod poſt mortem homo nec præmium, nec pœnam habebit; eò quod anima hominis non ſit immortalis, ſed mortalis : nunc ſuum errorem ſic ſtolidè probant ac dicunt.

Ex nihilo nati ſumus, & id eſt, ergò, *etiam poſt hæc erimus nihil*, & *tanquam ſi non fuerimus*. Verumtamen in hoc ſuo argumento falluntur, & turpiſſimè errant impii. Nam productio ani-

mæ rationalis eſt quidem ex nihilo, quia fit per creationem; ſed productio corporis humani eſt ex aliquo, nempè ex ſemine viri & mulieris: anima verò utpote ſpiritualis, corrumpi non poteſt, ſed corpus ſolum corrumpitur.

Sequitur in textu: *Quoniam fumus*, id eſt anima, quod impii putant eſſe aërem; *Efflatus eſt ex naribus noſtris*, id eſt, abſceſſit ex corpore noſtro; ibi enim nares tanquam pars accipiuntur pro toto corpore.

Et ſermo, id eſt ſenſus, ſermo enim non poteſt fieri ſine imaginatione, nec imaginatio eſt ſine ſenſibus, qui ceſſant poſt mortem. *Scintilla*, id eſt caloris naturalis, qui poſt mortem perit. *Ad commovendum cor noſtrum*, id eſt, motus cordis moventis reliqua membra, non eſt amplius poſt mortem.

Sequitur: *Quia extinctus cinis erit corpus noſtrum*; Per quæ verba volunt impii dicere, quod ſicut quando ignis extinguitur, nihil manet, niſi ſolus cinis extinctus; ita etiam quando homo moritur, nihil maneat quàm cinis extinctus, corpus corruptum. Addunt impii; *Spiritus*, id eſt, anima; *diffundetur*, id eſt, facile reſolvetur; *tanquam mollis aer*, id eſt, tanquam aër tenuis vel humidus. Itaque per illa verba volunt impii dicere, quod ſicut quando vas repletum aëre, evacuatur ab aëre, nihil remanet, niſi tantum vas replétum aliquo alio: Sic etiam quando homo moritur, *aër*, id eſt, anima à corpore expellitur, ita ut nulla vita maneat, ſive in corpore, ſive in anima. Sed revera impii plurimum errant ſic dicendo, conſtat enim ex lectione præcedenti, quod anima rationalis ſit immortalis, adeoque manet poſt mortem vitæ in anima, quæ proindè in altero mundo recipiet præmium vel pœnam, prout geſſit in corpore ſive bonum, ſive malum.

Ex dictis confutati manent quatuor quorundam antiquorum Philoſophorum falſæ opiniones, quas etiam reprobat *Ariſtoteles 1. de anima*. Prima fuit *Heracliti*, qui poſuit animam eſſe vaporem, quem impii vocant fumum vel flatum. Secunda fuit *Diogenis*, qui poſuit animã eſſe aërem, quem impii vocant ſermonem; quia ſermo eſt vox ſignificativa articulata, & vox eſt aër percuſſus ſecundum *Priſcianum*. Tertia opinio fuit quorundam antiquorum, aſſerentium, quod anima ſit ignis, quem impii vocant ſcintillam. Quarta denique opinio fuit *Meliſſi Itali* dicentis, quod anima ſit ſolum quoddam motivum corporis, & hæc opinio tangitur, dum impii dicunt ad *commovendum cor*. Sed relictis his opinionibus, quarum falſitas ex antecedentibus conſtat, ad alia progrediamur. Itaque occaſione illorum verborum poſitorum in textu: *Quoniam extinctus cinis erit corpus noſtrum*. Sit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum de lege communi omne corpus humanum ſit in cineres redigendum?

Dico 1. Loquendo ſtrictè & propriè de incineratione, quatenus hæc reſultat ex combuſtione ignis elementaris, ſic non omnia corpora humana reſolvenda ſunt in cineres; quod clarè conſtat: cùm plurimi homines moriantur, qui honeſtiſſimè ſepeliuntur, imò ex privilegio divino ſunt multa corpora Sanctorum adhuc incorrupta. Ergo.

Dico 2. ſecundum legem communem omnia humana corpora incinerabantur, prout incineratio idem eſt ac reſolutio in elementa, vel prout idem eſt ac corruptio. Patet quoque iſta reſolutio. Quia ſententia lata à Domino Deo pro peccato originali in pœnam corporis, tenebit de lege communi uſque ad reſurrectionem; ſed illa ſententia non ſolum fuit de morte; ſed etiam de reſolutione in elementa, juxta illud Gen. 3. Pulvis es, & in pulverem reverteris, Ergo illa ſententia de reſolutione in elementa & cineres, tenebit, ſicut illa de morte; ſed hæc ſententia mortis tranſit in omnes, in quos tranſit peccatum originale, Ergo etiam ſententia incinerationis. Undè *ad Hebr. 9.* dicitur: Statutum eſt hominibus ſemel mori; Et 1. *Cor.* 15. In Adam omnes moriuntur.

Dico 3. Sancti Patres reſolutionem corporis humani in elementa, & in ea ex quibus componitur, vocarunt incinerationem, ex quadam ſimilitudine antiquæ conſuetudinis, quâ apud veteres humana corpora maximè Nobilium comburebantur, & poſtea cineres pro memoria conſervabantur in urnis; & ideò mos inolevit dicere: quod illa, in quæ reſolvitur corpus humanum, dicantur cineres.

Alia ratio hujus denominationis deſumitur ex cauſa reſolutionis corporis humani. Nam cauſa reſolutionis corporis humani eſt ignis concupiſcentiæ carnalis, quæ vocatur fomes; & hæc concupiſcentia de lege communi corpus humanum continuè accendit; & ideò propter iſtum fomitem corpus humanum in elementa reſolvitur, ad hoc ut purgetur à tali infectione. Illud autem quod per accenſionem ignis reſolvitur, ſi combuſtum fuerit, dicitur in cineres reſolvi.

Dices 1. contra ſecundam reſolutionem. Aliqui homines morientur immediatè ante Judicium, & ante reſurrectionem; ſed corpus hominis non poteſt incinerari neque corrumpi, niſi per magnũ tempus poſt mortem; Ergo ſaltem talium corpora non incinerabuntur ſeu corrumpentur. Maximè quia de aliquibus dicitur, quod ſimul rapientur in nubibus obviam Chriſto in aëra, 1. *ad Theſſal.* 4.

Reſpondeo quod tales reſolventur per ignem, qui mundum ante judicium concremabit; & ſic reſolventur, & citò iterum reparabuntur.

Dices 2. Si omnia corpora redigerentur in cineres, ſequitur quod in reſurrectione reſurgeret idem Petrus, & non idem Petrus; ſed conſequens eſt falſum; Ergo & antecedens. Sequela probatur. Nam reſurgeret idem Petrus, ut ſupponitur, & & nõ reſurgeret idem Petrus, quia cùm omnium corporum reſolutorum cineres ſint ejuſdem ſpeciei, non videtur eſſe ulla ratio, cur Petrus potius hos quàm illos cineres, in reaſſumptione ſui corporis recipiat; Ergo.

Reſpondeo quod nulla ſit naturalis inclinatio cinerum Petri ad animam Petri reaſſumendam, tanquam ex viribus naturæ à cineribus Petri poſſet fieri reaſſumptio animæ Petri; nihilominus ordo divinæ providentiæ hoc faciet, quod illi cineres magis uniantur animæ Petri, qui fuerunt relicti ex corpore Petri reſoluto, quàm quod alii cineres animæ Petri reuniantur. Et hoc eſt valdè rationabile, quia anima Petri habet majus jus ad illos cineres, qui fuerunt ex reſoluto ſuo corpore relicti, quale jus non habet ad cineres relictos ex reſolutione aliorum corporum.

Ex dictis, & maximè ex ratione ſecunda adducta pro tertia concluſione patet, quod corpus beatiſſimæ Virginis MARIÆ, non fuerit reſolvendum, quia in ipſa fomes concupiſcentiæ fuit extinctus. Similiter dicendum eſt de aliis, ſi qui alii ſint hujuſmodi, quod ipſis hoc ſit conceſſum ex privilegio ſpeciali. Idem dicendum eſt de reliquiis Sanctorum, quod de lege communi ante reſurrectionem communem incinerabuntur, vel ſi non incinerabuntur, hoc iis conceſſum fuit ex ſpeciali privilegio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An meditatio incinerationis ſerviat contra ſuperbientes ratione honoris, contra delicatè corpus ſuum nutrientes, & contra pigros?

Dico, quod ſic; & quidem quod ſerviat contra ſuperbientes ob honorem patet ex uſu antiquo Græcorum, qui die coronationis Regis, miſerunt ad eum ædificatores, ut interrogarent eum de quali lapide vellt habere ſua monumenta, ſeu ſepulchra; & hoc ſecerunt ideò, ne per vanam gloriam ſuperbirent ejuſmodi Reges. Similiter fit in conſecratione Papæ, in cujus conſpectu accenditur ſtupa, eique dicitur: *Pater ſancte, ſic tranſit gloria mundi*, ad quam vanam gloriam reprimendam rectè canit Poëta:

Forma, genus, mores, ſapientia, vis & honores,
Non retinent hominem, quin redit in cinerem.

Undè rectè admirativè dicitur Eccl. 10. Quid ſuperbis terra & cinis? Patet etiam ſecunda pars; quod meditatio incinerationis deſerviat contra delicatè, & ſumptuosè nutrientes, & veſtibus molliſſimis veſtientes corpus ſuum, putantes, quod ignem ſeu calorem vitæ naturalis perpetuare velint. Sed certè hi valdè decipiuntur, quia Job. 34. dicitur: Omnis caro deficiet, & homo in cinerem revertetur. Patet quoque tertia pars de pigris & otioſis; qui corpus ſuum per pœnitentiam nolunt affligere, cùm tamen ipſorum corpus paulò poſt ſit futurum pulvis & cinis; in cujus ſignum dicitur cuicunque in die cinerum; Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris; ita ut tam pulchritudo hominis, quæ cõſiſtit in quadam proportionali claritate, quàm fortitudo hominis, quæ conſiſtit in quadam poteſtate facilis operationis, ſint peritura.

ARTICVLVS TERTIVS.

An intenſa recogitatio incinerationis fuget tentationem, ſervet devotionem, & ornet orationem?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod recogitatio incinerationis hominis fuget tentationem. Dicit enim *B. Albertus Magnus libro ſuo de Vegetabilibus*; Quod ſi corvus nidificaverit in arbore, & ova poſuerit, poſſit tamen faciliter impediri, ne de ovis valeat pullos procreare: nam accipiatur cinis vitri, & ponatur ſubtiliter inter lignum & cortices arboris portantis nidum, & quamdiu cinis durabit, corvus nunquam pullificabit. Applicatio moralis eſt hæc: Corvus diabolum ſignificat, undè *Theodorus* ait: Corvum perfidiæ damnant animalia quæque: Homo verò moraliter loquendo eſt arbor. Sicut dicit Chriſtus Dominus Matth. 7. Arbor bona, fructus bonos facit. Porrò in iſta arbore nititur diabolus per tentationem nidificare, ova ponere, & poſtea pullos producere. Et quando nidos facit de ramuſculis diverſarum cogitationum, ova ponit per munuſcula diverſarum delectationum, ſed pullos producit per conſenſum. Si ergo iſtum corvum impedire velimus, etiamſi nidificaverit per adventitias cogitationes, imò etiamſi ova poſuerit, per ſurreptitias delectationes; ne tamen pullos producat per aſſenſivam electionem, accipiamus cineres vitri. Vitrum quod eſt fragile, eſt anima noſtra, quæ frangitur omni ictu; Cinis autem hujus vitri eſt memoria ſtatus, quem caro noſtra habebit poſt mortem, quæ erit juxta litteram textus allegati *ſtatus cineris*. Undè Job. 13. dicitur: Memoria noſtra comparabitur cineri. Ponamus ergo iſtum cinerem ſub cortice, id eſt, ſub noſtra exteriori converſatione per privatas & occultas meditationes mortis, & infallibiliter nunquam conſentiemus ſuggeſtionibus diaboli per cogitationes, & delectationes conceptas. Et hoc eſt quod dicitur Eccl. 7. Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.

Explicatur ſecunda pars, quod recogitatio incinerationis conſervet devotionem. Refert *S. Iſidorus lib. 7. Ethimologiorum cap. 7.* Quod ignis per integrum annum poſſit conſervari ſub cineribus Juniperi. Ita etiam homo ignem divini amoris, & exactæ devotionis per totum tempus vitæ conſervabit, ſi iſtum ignem divini amoris, ac devotionis involverit cineribus carnis noſtræ, aſſiduè meditando, quod in cinerem revertemur. Taliter Job. cap. 13. ſe feciſſe teſtatur dicens: Me ipſum repræhendo, & ago pœnitentiam (quæ ſine igne divini amoris non eſt) in favilla & cinere.

Explicatur tertia pars, quod meditatio incinerationis ornet orationem. Nam quantò magis pauper ſe humiliat, & ſuas neceſſitates declarat, tantò facilius impetrat, quod petit. Sic etiam nos, quantò magis fragilitatem noſtram coram Deo fatemur, tantò faciliùs exaudimur. Exemplum habemus de Abraham, qui volens Domino Deo ſupplicare ait Gen. 18 Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis. Et in hujus rei figuram Judæi Deum rogare volentes, aſperſerunt capita ſua cineribus, ut patet ex diverſis Scripturæ locis Undè ſi nos ſimiliter fecerimus, dabitur nobis corona pro cinere, uti dicitur Iſaiæ 61. hic etiam audiendus eſt Poëta ſic canens:

Dic homo vas cinerum, quid confert flos faciorum?
Copia quid rerum? mors ultima nota dierum?
Flos eſt mar eſcens, candens in morte nigreſcens,
Audis, ſurdeſces, formidas, multa paveſces,
Hac lege, lecta tene, lachrymis laxentur habenæ,
Ne pateat pœna tibi janua, tempore cœna.
Forma, genus, mores, ſapientia, vis & honores,
Non retinent hominem, quin redit in cinerem.

Item:

Ortus cuncta ſuos repetunt matremq́; requirſit,
Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

LECTIO XVII.

TEXTVS.

Et tranſiet vita noſtra, tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis, & à calore illius aggravata.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Salomon in præcedentibus poſuit rationes impiorum, quibus probare nitebantur, quod homines per mortem peribunt ſicuti bruta; ita ut moriantur cum corpore & anima ſimul: nunc adducit impiorum ſimilitudines, quibus hunc totalem hominis interitum monſtrare voluerint.

Dicunt ergo impii: *Et tranſiet vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur.* Per quæ verba impii comparant vitam noſtram veſtigio nubis, quod ſecundum *Ariſtotelem* eſt nebula, atque hoc modo ly, *Et*, poſitum in textu, accipitur expoſitivè, pro *id eſt*. Vel *veſtigium nubis* accipitur per contrarium vel ironicè, quaſi diceret: Sicut nullum eſt veſtigium nubis ſed totum diſparet, poſtquàm nubes reſoluta fuit in pluvias, vel grandines, aut nives, ſic etiam nulla erit poſt mortem noſtra memoria, ſed omninò peribimus in corpore & anima. Sequitur: *Quæ fugata eſt à radiis ſolis*, id eſt, derelicta eſt à calore radiorum ſolis, vi cujus caloris aſcendere potuit uſque ad mediam regionem aëris, ubi tamen propter frigus ibidem circumſtans, ille calor nubi à ſole impreſſus perit, & ſic nubes in pluvias reſolvitur. Sequitur: *Et à calore illius aggravata*, id eſt calore ſolis deficiente, aggravata eſt nubes, dum reddita eſt ad naturalem ſuam gravitatem, quam habet aqua & terra, ex quarum vaporibus nubes fuit conflata.

Nota, quod generatio nubis fit de vapore elevato de aquis & terra, uſque ad mediam regionem aëris, ubi eſt locus frigidus. Elevatur enim talis materia virtute ſolis & corporum cœleſtiū, immiſſo vapori quodam calore accidentali, per quem aſcendit. Cùm autem pervenerit ad mediam regionem aëris, ubi eſt locus valdè frigidus, tum propter diſtantiam à reflexione radiorum ſolarium à terra, quæ reflexio calefacit aërem, quem nos inhabitamus, tum propter conſimilem diſtantiam talis nubis à corporibus cœleſtibus & ſphæra ignis; poſtquàm inquam ſic pervenit uſque ad mediam regionem aëris, tum calor incompactus nubi per quam aſcendebat, deficit & corrumpitur per circumſtantem frigiditatem, & perit nubes, & reſolvitur in pluviam, vel in nivem aut grandinem, juxta majorem vel minorem vim ſeu fortitudinem frigoris comprimentis; ſic igitur generatur nubes de vapore, & corrumpitur per reſolutionem. Nebulæ autem ſecundum *Ariſtotel. 2. Metheor.* ſunt reliquiæ nubis, vel nubium reſolutarum, aqua adhuc modica pluente, & ita nebula ſignificat ſerenitatem mox ſecuturam. Porrò, quia ſacra Scriptura eodem modo loquendi impiorum videtur uti, tanquam vita corporis humani non ſit reparanda, ideò pro hujus majori explicatione, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

An vita hominis ſit denuò reparanda?

DIco, quod omninò credendum & aſſerendum ſit, vitam humanam denuò eſſe reparandam.

Colligitur hoc manifeſtè ex illo Job. 19. Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novisſimo die de terra reſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. *Et Ezech. 37.* dicitur: Ego aperiam tumulos veſtros, & adducam vos de ſepulchris veſtris, & ibi dicit Dominus oſſibus aridis; dabo vobis ſpiritum, & vivetis. Idem habetur *Danielis 12.* & *Iſaiæ 26.* & in pluribus aliis locis Scripturæ. Idem quoque clarè habetur ex Symbolo Apoſtolico, Nicæno & S. Athanaſii. Præterea anima humana utpotè immortalis, & tanquam compars corporis, habet ex *parte termini*, naturalem inclinationem ad corpus ſuum æternaliter adminiſtrandum; naturalis autem inclinatio non eſt fruſtra; Ergo cùm conſtet omnes mori, oportet aſſerere corpora eorum quandoque ad vitam eſſe reditura.

Dices 1. *in Pſalmis* dicitur: Remitte mihi, ut refrigerer, priuſquam abeam, & amplius non ero. Secundò Job. 7. dicitur: Sicut conſumitur nubes & pertranſit, ſic qui deſcendit ad infernum non aſcendit, ut revertatur ultra in domum ſuam. Tertiò Job. 10. dicitur: Vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Ergo corpora humana non reſuſcitabuntur ad vitam.

Reſpondeo *ad primum*. Quod illum locum Scripturæ exponat Gloſſa hoc modo: Remitte mihi peccata mea, ut refrigerer per miſericordiam ab æſtu vitiorum; priuſquam abeam & amplius non ero, id eſt, priuſquam moriar ſine remiſſione peccatorum à te mihi facta; & amplius non ero, id eſt, ſi non impetravero à te remiſſionem peccatorum meorum ante meam mortem, *non amplius ero*, id eſt, non ero amplius *in vero eſſe*, quod eſt eſſe cum Deo per gratiam & gloriam conſummatam.

Reſpondeo ad *ſecundum & tertium*, quod Job ibi loquatur de reverſione ad vitam hanc mortalem, dum enim corpora humana reviviſcunt, vivent vita immortali.

Dices ſecundò. Unus eſt interitus hominis & jumentorum, & æqualis utriuſque eſt conditio, ſicut moritur homo, ſic & equa moritur. Ita *legitur Eccl. 3.*

Secundò. In *Pſalmis* dicitur: Sepulchra eorum, domus ipſorum in æternum.

Tertiò. *Sap. 16.* dicitur: Homo quidem per malitiam occidit animam ſuam, & cùm exierit ſpiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta eſt.

Quartò. Omnes morimur, & quaſi aqua delabimur in terram, quæ ultra non revertetur, *2. Reg* 14.

Quintò. 1. *Corinth.* 15. dicitur: Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Ergo ex Scriptura habetur, quod vita hominis non ſit reparanda.

Reſpondeo ad primum: quod Eccleſiaſticus ſubindè loquatur more concionatoris, in perſona hominis fatui, videlicet in perſona impiorum, qui ut dictum eſt, putant homines morituros tam quoad corpus, quàm quoad animam, ſicut moriuntur beſtiæ. Subindè verò loquitur in perſona propria, ſive in perſona alicujus *S*apientis, ut quando docet quod reſurrecturus ſit in noviſſimo die de terra, ut patet ex loco citato Job. 19. Itaque paritas illa de equa & homine, non eſt paritas adæquata, ſed ſolum inadæquata; ita ut ſenſus ſit; quod mors equæ, vel alterius bruti, æqualis ſit morti hominis ſolùm quoad apparentiam extrinſecam.

Reſpon-

Reſpondeo ad ſecundum cum Gloſſa, quod ſepulchra eorum fiut domus eorum in æternum hujus ſæculi, vel in æternum ſecundum falſam impiorum opinionem.

Reſpondeo ad tertium, quod Scriptura ibi loquatur de reverſione ad vitam præſentem & mortalem.

Reſpondeo ad quartum, quod ibi ſit ſimilitudo in hoc; quod ſicut aquæ fluunt in terram, & revertuntur ad mare, ut iterum fluant, ſicut dicitur Eccl. 1. Ità etiam corpora redeant in terram, ut iterum virtute divinâ reſurgant. Dixi *virtute divinâ*, quia naturaliter, vel virtute propria, corpora humana non revertentur ad vitam.

Reſpondeo ad quintum cum Gloſſa, quod caro & ſanguis, id eſt homines dediti vitiis, quæ ex carne & ſanguine oriuntur, regnum Dei non poſſidebunt. Nihil enim immundum vel otioſum intrabit in regnum Cœlorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An vita præſens convenienter in Scriptura ſacra comparetur rebus caducis, & citò tranſeuntibus, ut v.g. herbæ, flori, nubi, rori, hoſpiti, curſori?

Dico, quod ſic.

Explicatur *prima & ſecunda pars*, quod vita humana rectè comparetur *herbæ & flori*. Nam ita dicitur in Pſalmis: Manè ſicut herba tranſeat, manè floreat & tranſeat, veſperè decidat, induret & areſcat. Ubi Gloſſa ſic dicit: Vitam humanam in tria tempora dividi, ſcilicet pueritiam, adoleſcentiam, & ſenectutem. Tempore pueritiæ comparatur homo herbæ nondum florenti, in adoleſcentia comparatur herbæ florenti; undè ſic vulgariter dicitur adoleſcens: quod ſit in floribus ſuis propter duas primas ætates, & ideò ſignanter Pſalmiſta repetit bis *manè*. Tertium verò tempus eſt ſenectus, quod vocatur veſpere. Dicit ergò *manè* id eſt in pueritia, ſicut herba tranſeat, *manè*, id eſt. in adoleſcentia ſua, floreat & tranſeat. Sed *veſpere*, id eſt, in ſenectute decidat in firmitate, induret per mortem, & areſcat per reſolutionem in pulverem.

Explicatur *tertia pars*, quod vita humana rectè comparetur *Nubi*. Ita enim habetur Job. 7. Sicut nubes pertranſit & conſumitur: ſic, qui deſcendet ad infernum, non aſcendet. Sicut enim nubes de inferioribus elevatur cœleſti calore, & aſcendit, volatque in altum ad tempus, & quandoque in ſua altitudine circumfertur, & agitatur continuò ſine quiete, & tandem iterum in terram diſſoluta deſcendit. Ità homines in vita præſenti oriuntur de terra elevantur ad dignitates & honores, ubi circumaguntur, fatigantur, & inquietantur, & tandem de dignitatibus decidunt, & convertuntur in terram; undè Job. 3. dicitur: Abſtulit quaſi ventus deſiderium meum, & velut nubes pertranſiit ſalus mea.

Explicatur *quarta pars*, quod vita præſens rectè comparetur *Rori*. Ità enim dicitur Oſeæ 40. de vita noſtra: Quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens. Et Ariſtoteles dicit: quod permanentia roris non eſt niſi unius diei. Sic etiam vita noſtra eſt tanquam dies heſterna, quæ præteriit.

Explicatur *quinta pars*, quod vita humana rectè comparetur *Hoſpiti*; undè dicitur Eccl. 29. Tranſi hoſpes, & orna menſam, & quæ in manu habes, ciba cæteros: quilibet enim noſtrum ſtat in vita iſta ſicut in hoſpitio, non ſicut in domo. Rectè ad iſta *Tullius de ſenectute ait*: Sapiens de hac vita diſcedit, tanquam ex hoſpitio, non ex domo; commorandi enim diverſorium nobis natura dedit, non habitandi locum. Receptus etiam hoſpitio uſum habet domus, lecti, vaſorum, & hujuſmodi, ſed non dominium. Undè nihil ſecum auferet, ſed emit liberè, & expendit, & tandem in fine pro omnibus tenetur computare. Sic eſt de nobis, in vita iſta ſumus in hoſpitio mundi, uſum mundanorum habere poſſumus, ſed nihil aſportare nob.ſcum in morte. Undè Job 27. dicitur: Dives cùm dormierit, nihil ſecum auferet.

Explicatur *ſexta pars*, quod vita præſens rectè comparetur *Curſori*. Nam Job. 9. dicitur: Dies mei velociores fuerunt curſore, tranſierunt, & non viderunt bonum. Dicitur de vulpecula tranſitura glaciem, quod nullo modo confidat in illa glacie, quando audit aquam currentem, & fortiter fluentem ſub glacie, timet enim vulpecula, quod glacies tunc ſit nimis tenuis ad ſe portandum. Applicatio. Iſta cautela etiam debemus nos uti, nam gloria mundi eſt quaſi aliqua pulchra & ſplendens glacies; quia delectabile eſt honorari ab hominibus, paſci, potari, & veſtiri delicatè, & habere magnam familiam, cui poſſit imperare, ſed cavendum eſt, quod glacies iſta ſit valdè fragilis: proindè auſculta diligenter, & audies murmur aquarum tranſeuntium ſub iſta glacie Apocalypſ. 17. Aquæ multæ, populi multi: adverte inquam & audi, quod modò tranſiverit onus Rex in mortem, modò unus Comes, modò Epiſcopus, modò Miles, & ſic de aliis: & ideò de iſta glacie non eſt confidendum. *Rabanus* in Legenda de omnibus Sanctis ait: Tranſeant cuncta, quæ temporaliter feſtivè celebrantur: quia mundus tranſit & concupiſcentia ejus. Quod exponens S. Auguſtinus ſic diſſerit: Ecce inquit mundus tranſit, & concupiſcentia ejus, quid vis ergo, otrû amare temporalia & tranſire cum tempore, vel potiùs amare Chriſtum, ut cùm eo in ævum poſſis vivere? rerum temporalium fluvius tranſit, quando tanquam juxtà fluvium arbor nata eſt Dominus JESUS Chriſtus. Raperis in præceps? tene lignum. Volvit te amor mundi? tene Chriſtum. Quod ſi amatis iſtam vitam miſeram & fluidam, ubi cum labore vivitis, quantò magis amare debetis vitam æternam, ubi nullum laborem ſuſtinebitis. Hæc S. Auguſtinus.

LECTIO XVIII.

TEXTUS.

Et nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo habebit memoriam operum noſtrorum.

EXPLICATIO TEXTVS.

Poſtquam impii dixerunt, quod homo peribit tam quoad corpus, quàm quoad animam; nunc volunt dicere, quod etiam totum genus humanum peribit ſecundum ſui recordationem, ita

ita ut omnis homo periturus ſit, non tantum quoad ſuam perſonam, ſed etiam quoad ſuam famam. Undè licet impii ſummè deſideraverint æternitatem ſui nominis, & memoriam ſuorum operum, nihilominùs deſperantes de perpetuitate tum ſui corporis, tum animæ, ac famæ, dixerunt: ***Et nomen noſtrum***, non obſtante dignitate, quam habuimus, ***oblivionem accipiet per tempus***, ideſt, per lapſum temporis: omnia enim tabeſcunt & corrumpuntur in tempore. ***Et nemo habebit memoriam operum noſtrorum***, ideſt, oblivio operum noſtrorum erit, ſive rerum à nobis glorioſè geſtarum, vel à nobis ingenioſè inventarum, ſeu eleganti ſtylo ſcriptarum, ſive etiam operum noſtrorum, ideſt, ædificiorum magnificentiſſimorum à nobis extructorum. Circa verba textus ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Quot modis in præſenti vita homines ſe diſponant ad ſuum nomen apud alios divulgandum?

DIco, quod hoc fiât tribus modis. Nam primò aliqui nomen ſuum ambitioſè magnificant ad oſtentationem. Secundò aliqui nomen ſuum ſcandaloſè vilificant in deteſtationem. Et tertiò quidam nomen ſuum virtuoſè dignificant ad ædificationem. Primi nomen ſuum & famam excellenter attollunt ac æſtimant. Secundi nomen ſuum negligenter aſpernantur. Et tertii nomen ſuum convenienter venerantur.

Explicatur *prima pars*, de hominibus ambitioſè magnificantibus nomen ſuum. Tales enim ſunt homines vani & mundani, qui nihil aliud in ſuis operationibus appetunt, nec intendunt, niſi quod ſint magni nominis, & famoſæ opinionis apud homines; & iſti ſcribunt nomina ſua in cineribus, hoc eſt, in vanis memoriis hominum, qui ſolùm ſunt cinis & terra. De his loquitur S. Gregorius 2. Moral. c. 18. dicens: Omnes, qui huic ſæculo cogitatione terrena conformantur, per omne quod agunt, conantur huic mundo relinquere ſui nominis memoriam. Alii bellorum titulis, ut Hercules, Hannibal, Hector, Pompejus & Alexander. Alii ædificiorum mœnibus altis, ut multi Reges & Principes; alii diſertis ſæcularibus libris conſcribendis inſtanter laborant, ſibique perpetuitatem ac memoriam ſui nominis acquirere conantur. Inter quos cum primis numerandus eſt *Ovidius*, qui in fine *Metamorphoſeos* ità metricè canit:

Iamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas,
Cùm volet illa dies, quæ nil habet corporis hujus
Ius habet incerti, ſpatium mihi finiat ævi
Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar, nomenque indelebile noſtrum,
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, perque omnia ſæcula fama,
Si quid habent veri vatum præſagia, vivat.

Sed quid de hominibus iſtis vanis, qui ſive per bellum, ſive per ædificia, ſive per ſcriptionem librorum ſolùm pro ſua oſtentatione ambitioſè quærunt memoriam ſui nominis; quid ſentiat præfatus S. Gregorius, audiamus. Ait enim loco citato ſic: Quantumlibet indè quiſque pro facienda gloria ſui nominis laboravit, memoriam ſuam quaſi cinerem poſuit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit: è contra verò de juſtis dicitur in Pſalmis: In memoria æterna erit juſtus.

Porrò contra tales, qui nimium attollunt & requirunt nominis ſui, ac famæ gloriam & celebritatem, rectè ſimul & eleganter arguit *Boetius lib. 2. de Conſolatione Proſa* 7. declarans famæ vanitatem per quinque rationes.

Prima deſumitur ex terreni ſpatii parvitate. Quia tota terra non habet niſi rationem unius puncti reſpectu cœli, ut probat *Alpharabius de differentiis aſtrorum, differentia tertia*. Inſuper de ſuperficie terræ tantùm quarta pars eſt habitabilis, & tamen nec illa tota; tum propter partes propinquas æquinoctiali ex una parte, ubi eſt nimius calor; tum propter partes propinquas polo Arctico, ex parte Boreali, ubi eſt algor & frigus. Quid ergò magnum eſt, dato etiam, quod homo per totum mundum habitabilem, qui ſolùm eſt pars puncti, poſſit nomen ſuum divulgare? hinc facit illud Job 20. Gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti.

Secunda ratio eſt. Impoſſibile eſt (moraliter loquendo) quod divulgetur nomen hominis ubique per mundum; & hoc propter difficultates itineris, ob defectũ cõmunicationis & victus, quia non omnes homines ſibi invicem communicant.

Tertia ratio eſt quia dato, quod nomen hominis poſſet innoteſcere toti orbi, res tamen geſtæ ab illo homine non eſſent ei ubique ad gloriam: quia illud quod veſtra gens approbat & commendat, alia deridet & damnat.

Quarta ratio eſt, quia homines moriuntur, & memoria hominis ferme totaliter peribit. Undè dicitur: Quis modò habet memoriam fidelis Fabricii vel Catonis, vel Bruti? jacent ubique nomina eorum in paucis litteris, nec tamen quando legimus litteras, per eaſdem literas habemus perſonarum notitiam.

Quinta ratio eſt. Is qui intendit vivere in nomine ſuo, in memoriis hominum, facit ſibi duas mortes, unam corporis, & aliam poſtea ſui nominis: quia neceſſariò è memoriis hominum cadet, *Ita Boetius*. Talem vanam nominis ſui celebritatem etiam olim quæſierunt poſt diluvium filii Noë, quando volebant ædificare turrim, cujus ſummitas cœlum tangeret, dixerunt enim Gen. 11. Celebremus nomen noſtrum antequam dividamur in univerſas terras: & cœperunt ædificare turrim, cujus culmen attingeret cœlum. Sed quid accidit eis? dum voluerunt ſibi facere nomen honoris, fecerunt ſibi nomen confuſionis: & idcircò vocatum eſt nomen illius turris *Babel*, ideſt confuſio.

Explicatur *ſecunda pars*, quod ſint aliqui qui nomen ſuum negligenter aſpernantur, & tales ſunt notorii peccatores, qui perdita verecundia ingerunt aliis exemplum malè vivendi, & peccant ſine fræno: & iſti propriè loquendo ſcandalizant Eccleſiam Dei, præbentes infirmis occaſionem peccandi & ruinæ perverſo exemplo. Naturale enim eſt homini tanquam animali politico, quod ſequatur mores eorum, cum quibus vivit. Undè de talibus ſcandaloſis conqueritur S. Jacobus in Epiſtola ſua Catholica cap. 2. dicens: Nonnè ipſi blaſphemant nomen bonum quod invocatum eſt ſuper vos: bonum enim nomen quod vocatum eſt ſuper vos, eſt nomen Jeſu Chriſti.

Expli

Explicatur tertia pars, quod ſint aliqui, qui nomen ſuum virtuosè dignificent ad ædificationem; & ſunt tales, qui honeſtè & laudabiliter in exteriori homine converſantur, dantes aliis ſanctum vivendi exemplum; de quorum quovis dici poteſt illud Eſth. 9. Fama nominis ejus creſcebat quotidie.

Magna differentia eſt inter ea, quæ ſcribuntur in pavimento, & ea quæ ſcribuntur in celatura domus, hæc enim ab omnibus legi poſſunt, ſemperque manent legibilia: illa autem conculcantur & facilè prætereuntur. Applicatio. Homines mundani ſcribunt nomina ſua in terris ac in pavimento, juxtà illud Pſal. Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis. Sed nomen iſtorum facilè prætereitur, nec memoriæ traderur à poſteris, juxtà illud Pſal. Nomen eorum deleſti in æternum & in ſæculum ſæculi. At verò Viri ſancti ſcribunt nomina ſua in celatura, hoc eſt in cœlo, ubi eſt Liber vitæ. Et ſicut cœlum eſt incorruptibile, ita nomen Juſtorum eſt indelebile, juxtà illud Apoc. 3. Non delebo nomen ejus de libro vitæ. Undè etiam nomen juſtorum videbitur ab omnibus in die judicii; & ideò ſignanter dicitur Luc. 10. Gaudete & exultate, quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.

Figura ad præſens propoſitum, eſt hoc quod Chriſtus Dominus geſſit, narrans Hiſtoriam de Lazaro & divite Epulone Luc. 16. Ubi nomen divitis noluit memorare, in ſignum quod nomen iſtius divitis fuerit deletum, conformiter ad illud Pſalmi: Nec memor ero nominum eorum per labia mea. At verò nomen pauperis ſtudio expreſſit, ut ſignificaret, quod nomine æterno hæreditabit illum, Eccl. 15.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum nomen cujuslibet virtuoſi debeat habere honorem honeſtatis, tenorem veritatis, & favorem pietatis?

Dico, quod ſic.

Explicatur prima pars, quod nomen virtuoſi debeat habere honorem honeſtatis, ideſt, vita illius debet eſſe honeſta & munda; honeſta quoad compoſitionem morum, & ſecundùm regulas congruentiæ; & munda à vanitate & iniquitate; ſicut enim non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ità neque vera laus ſeu bonum nomen eſt de peccatore.

Explicatur ſecunda pars, quod nomen bonum cujuslibet virtuoſi debeat habere tenorem veritatis, ideſt, quod nomen debeat concordare cum re, juxtà illud Pſalmi: Secundùm nomen tuum, ſic & laus tua. Moderno tamen tempore ſæpè fit quod multi magnum nomen habeant, ſed nihil de re, imò habent nomina per antiphraſin, ſicut corvus niger vocatur cygnus; & ſicut quidam appellantur Paſtores, & ſunt lupi; vocantur diſpenſatores, & ſunt diſſipatores; appellantur rectores, & ſunt deſtructores, de quorum quovis dicitur Apoc. 3. Nomen habes quod vivis, & mortuus es.

Tales ergo ſunt ſimiles pomis, quæ naſcuntur circa mare mortuum, quæ ſunt extrinſecus pulchra & rubicunda, ſi verò aperiantur intus repleta ſunt cinere. Item de tali homine verificatur illud, quod ſcripſit quidam Clericus de Abbatia quæ vocatur Vallis Dei, ubi cùm exiguiter valdè fuiſſet hoſpitatus, ſummo manè recedens ſcripſit hos verſus in porta:

Vallis dicta Dei, domus eſt mira ſpeciei,
Magnum nomen ei, gratia nulla rei.

Explicatur tertia pars, quod virtuoſus debeat habere favorem pietatis. Nam ſi fama hominis ſit conſperſa crudelitatibus, & immiſericordia, talis inquam neceſſariò erit odioſus: & è contrariò ſi fama pietatis de aliquo divulgetur, fiet omnibus diligibilis; undè Cant. 1. Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ, ideſt, proficientes, & honeſtæ, dilexerunt te nimis.

Ex dictis colligitur, quod omnis homo virtuoſus triplex teſtimonium debeat habere. Nempè à Superiore, ab Interiore & Exteriore. A Superiore ſcil. Deo ad Rom. 8. Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filii Dei. Ab Interiore nempè à conſcientia noſtra, nam ut dicitur 2. Corinth. 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ bonæ. Et tertiò ab Exteriore nempè proximo; undè ad Timoth. 3. dicitur: Oportet autem Sanctos teſtimonium habere ab his qui foris ſunt. Et quidem duo prima teſtimonia ſunt neceſſaria ad ſalutem: tertium autem eſt utile, licet ſine eo ſalus poſſit haberi.

ARTICVLVS TERTIVS.

Utrum ſit virtuoſum negligere ſuam famam?

Dico, quod homo virtuoſus non debeat negligere ſuam famam.

Probatur primò ex illo Eccl. 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quàm mille theſauri magni, & pretioſi. Et Proverb. 22. dicitur: Melius eſt nomen bonum quàm divitiæ multæ.

Probatur ſecundò, & explicatur ex *S. Auguſtino de communi vita Clericorum*, qui etiam allegatur *in Iure Canonico* 11. q. 3. *Non ſunt audiendi*, ubi S. Auguſtinus ita diſcurrit: Duæ ſunt res, conſcientia & fama; conſcientia eſt nobis neceſſaria propter nos, ſed fama propter proximos. Et ideò contemnere propriam famam peccatum mortale eſt, & negligere famam eſt peccatum, vel mortale vel veniale, prout negligentia fuerit major vel minor. Cujus ratio eſt, quia eſt directè contra charitatem, cujus eſt proximum ædificare per bonam converſationem.

Dices 1. Bona fortunæ contemnere eſt virtuoſum, ſicut fecerunt multi Sancti, qui omnia propter Chriſtum reliquerunt, ſed fama eſt de bonis fortunæ ut dicit *Boetius 2. & 3. de Conſolatione*, ergo virtuoſum eſt famam contemnere.

Reſpondeo quod bona fortunæ ſolùm ſunt relinquenda, quatenus ſunt impedimentum virtutis, & hoc modò divitiæ externæ, quæ diſtrahunt mentem ab amore Dei, & impediunt virtutem rectè relinquuntur à Sanctis bona autem fama non impedit, ſed magis promovet ad virtutem: imò bona fama oritur ex virtute hominis. Cum quo tamen ſtat, quod ſubindè poſſit eſſe nimia cupiditas bonæ famæ, per quam intenditur

vana

vanæ gloriæ; & hæc nimia cupiditas non eſt laudanda: ſicut amor cibi & potus poteſt eſſe nimius, licet utromque ſit neceſſarium ad conſervationem vitæ.

Dices ſecundò, Illud eſt contemnendum, cujus contemptus ducit ad perfectionem; ſed contemptus famæ, vel nominis boni ducit ad perfectionem, nam Matth. 5. dicitur: Beati eritis cum vos oderint homines & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter Filium hominis, ergo.

Reſpondeo, quod benedictio illius beatitudinis refertur ad patientiam infamiæ injuſtè illatæ, non autem ad negligentiam bonæ famæ. Sicut ſi oculi hominis eruerentur propter Chriſtum, laudabilis eſſet hæc patientia, & tamen negligentia cuſtodiendi oculum, non eſſet laudabilis. Imò iſte terminus negligentiæ expreſsè importat defectum virtutis, ideòque negligentia in nulla materia eſt laudabilis.

Dices tertiò 2. Corinth 6. dicitur: In omnibus noſmetipſos exhibeamus ſicut Dei miniſtros *& infrà*: Per infamiam & bonam famam; ubi Gloſſa inquit: Exhibeamus nos Deo, ut nec bona æſtimatione ſuperbiamus, nec da mala doleamus. Ergo ſi non debemus dolere de infamia, etiam non debemus curare de illa, ſed poſſumus eam negligere. Reſpondeo, quod Gloſſa velit dicere, quod de infamia nobis injuſtè illata, non debeamus dolere, ſed patienter ſufferre: attamen occaſionem non debemus dare, ad infamiam nobis ſuſcitandam.

L E C T I O XIX.

TEXTVS.

Vmbra tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam impii dixerunt, quod homo totaliter periit, tam quoad corpus & animam, quàm etiam quoad ſuum nomen ſuique memoriam; nunc hujus rationem aſſignant dicentes: *Vmbra tranſitus eſt tempus noſtrum*, ideſt, vita noſtra eſt ſimilis umbræ. Undè ſicut umbra ſtatim tranſit & continuò variatur, ità ut ejus memoriam ſtatim perdamus, ità etiam tempus vitæ noſtræ ſtatim tranſit, adeò, ut etiam memoria noſtræ tranſactæ vitæ ſtatim deperdatur. *Et non eſt reverſio finis*, ideſt, non eſt reditus hominis à morte, quæ eſt finis vitæ noſtræ, ad vitam. *Quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur*, hoc eſt, quia jam eſt per conditionem naturæ firmatum & ſignatum, quod eadem natura non utatur iſto modo reparandi homines, & eos à morte reducendi ad vitam, & ideò nemo revertitur. Circa illa verba: *Nemo revertitur*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Reſurrectio omnium generaliter ſit futura: excepto Chriſto Domino, & beatiſſima V. Maria; de qua piè credit Eccleſia, quod in ea fuerit reſurrectio completa: eaque cum corpore & anima aſſumpta ſit in cœlum.

Dico, quod omninò tenendum ſit, quod Reſurrectio omnium hominum generaliter futura ſit, excepto Chriſto Domino, & beatiſſima Virgine. Probatur ex illo Joannis 5. Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent. Et 1. Corinth. 15. Omnes quidem reſurgemus. Item Apoſtolus ad Rom. 5. Quia ſi peccatum, & mors pertranſiit etiam omnes homines per unum, ſivè propter culpam originalem, ergò multò magis Reſurrectio ad vitam dabitur in omnes homines à Chriſto tanquam Reparatore generis humani.

Itaque tenendum eſt, quod erit generalis Reſurrectio omnium hominum, quia hoc ſonant expreſsè verba Scripturæ allegata, & plura alia. Tum etiam quia hoc ſanctis Patribus eſt revelatum. Veritatem quoque hanc confitemur in *Symbolo Apoſtolico*, *Nicæno*, *& ſancti Athanaſii*, in quibus omnibus fit expreſſa mentio de reſurrectione mortuorum.

Dices primò, Danielis 12, dicitur: Multi de his qui dormierunt in pulvere terræ, evigilabunt. Multi inquam, ergò non omnes.

Item in Pſalmo dicitur: Non reſurgent impii in judicio.

Præterea Job 14. dicitur: Homo cùm dormierit non reſurget, donec atteratur cœlum; ſed cœlum nunquam atteretur, ergò etiam homo nunquam reſurget.

Reſpondeo ad primum cum S. Auguſtino, quod ibi *ly multi* accipiatur pro ly *omnes*, uti ſæpè fit in ſacra Scriptura.

Reſpondeo ad ſecundum, quod impii non reſurgent in judicio ad gloriam, ſed ſolùm ad pœnam conſequendam.

Reſpondeo ad tertium, quod cœlum nunquam atteretur per ſui corruptionem, ſed atteretur, ideſt, ceſſabit ejus motus, per quem motum nunc cœlum cauſat generationem & corruptionem in his inferioribus.

Dices ſecundò, illi qui Chriſto reſurgente reſurrexerunt, ſimul etiam cum Chriſto aſcendente aſcenderunt in cœlum, cum corpore & anima: ergò ſaltem hi non reſurgent. Antecedens patet per *Rabanum*, & habetur in *Gloſſa* communi dicente: Qui reſurgente Domino reſurrexerunt à mortuis, etiam illo aſcendente ad cœlum, ſimul aſcendiſſe credendi ſunt: ità *Rabanus*. Ergò.

Confirmatur primò, ſi iſti qui cum Chriſto reſurrexerunt, iterum fuiſſent mortui, ſequeretur, quod bis fuiſſent paſſi pœnam & dolorem mortis, cum mors ſine dolore non ſit, ſed conſequens eſt falſum, & contra illud ad Hæbr. 9. Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Ergò

Confirmatur ſecundò, hi, qui ſurrexerunt cum Chriſto, reſurrexerunt ut eſſent ſocii & teſtes reſurrectionis Chriſti; Sed Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur; ergò nec illi amplius tanquã teſtes reſurrectionis Chriſti mortui ſunt.

Reſpondeo ad primum cum S. *Hieronymo in ſermone: Cogitis me ô Paula*, ubi dicit ſic. Quos cum Domino reſurrexiſſe credimus utrum redierint in pulverem, certum non habemus, melius eſt totum Deo committere, quàm aliquid temerè diffinire. Et hæc ſententia placet. Eadem eſt ſententia *Magiſtri ſententiarum in hiſtoriis ſuper Evangelium*. Addit tamen, quod quidam opinantur, quod aliqui de illis, qui cum Chriſto reſurrexerunt, ſepulti ſint in Jeruſalem.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo ſecundò cum *S. Auguſtino libro de mirabilibus divinæ Scripturæ cap 9.* Ubi expreſsè diffinit, quod illi qui reſurrexerunt cum Chriſto, iterum mortui ſint. Sicut enim in reſuſcitatis mortuis ſimilitudo tantum, non autem mors continua fieri cernitur, ita etiam in his ſimilitudo reſurrectionis, non autem ipſa reſurrectio oſtenditur, de continua enim morte nullus ad vitam indecedivam, niſi Dominus, uſque in diem noviſſimum revertitur. Hæc S. Auguſtinus

Undè dicendum eſt ſecundum mentem S. Auguſtini, quod appareat eſſe probabile in hac parte, quod illi, qui cum Chriſto ſurrexerunt, iterum mortui ſint, quorum corpora iterum ad monumenta revertebantur. Nam veriſimile eſt, quod inter eos debuerint fuiſſe Moyſes & David, & quidam alii, quorum fidem maximè commendat Apoſtolus ad Hæb. 11. Et in fine ſubjungit: Hi omnes teſtimonio fidei probati inventi ſunt, acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, *nè ſine nobis conſummarentur.* Et hæc ratio movet S. Auguſtinum ad ſic dicendum.

Ad Rabanum verò dicitur, quod is non ſatis conſideraverit Apoſtolum, nec etiam *S. Auguſtinum*, qui tamen ſatis ipſum præceſſit.

Reſpondeo ad primam Confirmationem. Quod ſi iſti, qui cum Chriſto reſurrexerunt, iterum mortui ſint, non tamen ſequitur quod mortui ſint cum aliqua pœna vel dolore; Sicut nec S. Joannes Evangeliſta dolorem aliquem in morte ſenſit: Potens eſt enim Deus, ut cum ſtatuto communi diſpenſet, & eis pro pœna gloriam recompenſet.

Reſpondeo ad ſecundam Confirmationem. Quod illi reſurrexerint pro teſtimonio reſurrectioni Chriſti abſolutè perhibendo, non autem quantum ad omnes circomſtantias reſurrectionis. Undè non ſequitur, quod ſi Chriſtus reſorgens à mortuis, non ſit amplius mortuus, nec illi mortui ſint.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An vita humana convenienter umbræ comparetur?

Dico, quod ſic.

Explicatur aſſertio. Nam in *Umbra* eſt indigentia luminis, aſſiſtentia frigoris, & apparentia corporis. Primò dico, quod in *Umbra* ſit indigentia luminis, quia in umbra eſt lumen diminutum. Applicatio. Iſto modo, licet in iſta vita ſit aliquod lumen cognitionis naturalis, & etiam fidei de Deo; iſta tamen cognitio non eſt niſi umbra reſpectu illius cognitionis, & ſcientiæ, quam ſumus in patria habituri. Sicut enim lex antiqua umbra fuit fidei, quæ nunc eſt, ad Hæb. 10 Ita fides moderna non eſt niſi umbra reſpectu notitiæ Beatorum. *Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, cum quodam deſiderio beatitudinis. *Cant. 2. Sub umbra illius*, id eſt fidei, *quam deſideraveram*, id eſt, viſionem beatificam ſedi. Virtute quoque fidei Chriſtum ſpiritualiter concipimus, ſicut beatiſſima Virgo Maria concepit ipſum corporaliter, Lucæ 10. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

Secundò. Vita præſens comparatur umbræ propter *aſſiſtentiam frigoris*: eſt enim frigidius in umbra quàm ex[illegible]. Ita etiam in præſenti vita eſt torpor & carentia charitatis. Et ſicut umbræ ſunt longiores & frigidiores verſus veſperum: ita defectus charitatis cordium humanorum verſus finem mundi [illegible]: Quoniam ſuperabundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum, Matth. 24 & Jerem. 6. Væ vobis, quoniam declinavit dies, & longiores factæ ſunt umbræ veſtræ.

Tertiò. Comparatur vita humana umbræ: in umbra enim eſt apparentia corporis, & non exiſtentia veri corporis. Ita etiam in præſenti vita eſt apparentia ſoliditatis in divitiis, dignitatibus, & honoribus & tamen non eſt exiſtentia vel potius conſiſtentia, ſeu conſtans exiſtentia eorundem. Promittunt enim ſubjectum, & afferunt egeſtatem; promittunt beatitudinem, & afferunt ſollicitudinem [illegible] & [illegible] mentiuntur nobis hæ umbræ, noſque [illegible]. [illegible] dicitur: Eccl. 34. Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum, ſic qui attendit ad [illegible]. Et ſicut videmus quando homo [illegible] oculis & ante faciem ſuam, tunc [illegible] umbram à tergo; quando autem [illegible] à tergo, tunc projicit umbram ſuam ante & coram oculis ſuis, ita ut ſol & umbra ſe non compatiantur ſimul in eadem parte. Iſto modo ſit moraliter loquendo de delectationibus hujus vitæ, quæ [illegible] umbra, & de ſole juſtitiæ, qui eſt Chriſtus. Nam ille qui habet Chriſtum coram oculis cordis in præſentem, illuminantem per fidem, & [illegible] antem per charitatem, talis inquam in [illegible] projicit umbram à tergo, [illegible] & contemnit illecebras hujus vitæ, ſed certè homines mundani, qui Chriſtum [illegible] oblivioni, & à ſe projecerunt, ipſi habent umbras in conſpectu ſuo, & quantò Chriſtus magis diſtat, & elongatur ab eis, tantò eis umbra vanitatis humanæ magis apparet, cùm tamen nihil ſit.

LECTIO XX.

TEXTVS.

Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam impii errando dixerunt, quod integraliter poſt hanc vitam [illegible], tam quoad corpus & animam, quàm [illegible] & famam: nunc ex illis [illegible] inferunt concluſionem, & [illegible] nihil de nobis manſurum ſit [illegible]. *Venite*, id eſt ſocialiter, & à pari [illegible]; *Et fruamur bonis quæ ſunt* id eſt [illegible] temporalibus, quia alia ſperare non poſſumus poſt hanc vitam; & *utamur*, ſicut nobis placet; *Creatura*, id eſt, omni re creata; *tanquam in juventute* id eſt, tempeſtivè, & ſine frœno, avidè & voluptuosè; & hoc *celeriter*, id eſt, ſtatim, quia tempus breve eſt. Itaque concluſio impiorum conſiſtit in hoc. Cùm poſt hanc vitam non ſit præmium pro bonis operibus, nec pœna pro malis; cùm anima ſic

 morta-

mortalis (ut illi erroneè aſſerunt) Ergo indulgendum eſt omni ei, quod delectat in hac vita. Sed iſte diſcurſus nihil valet, cùm antecedens ſit falſiſſimum, ut ſupra dictum eſt, & ideò nec conſequentia admittenda eſt. Mirum tamen non eſt, quod impii ex illo ſuo antecedenti falſo, inferant hanc conſequentiam falſam : cum dato uno abſurdo ſequantur plura abſurda. Porrò in allegatis verbis in textu, ſatis patet fatuitas impiorum, dum ſeſe alliciunt ad fruendum creatura, cùm tamen fruitio non ſit reſpectu creaturæ, dumque reſpectu ejuſdem creaturæ dicunt *fruamur & utamur eadem* : eſt enim impoſſibile, quod homo eadem re fruatur & utatur, ut dicitur *in 1. ſent. diſt. 1.* Nam fruitio, ut docet *S. Auguſtin lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 7.* eſt inhæſio finis vel alicujus rei propter ſe ipſam : omnes autem res temporales non ſunt propter ſe ipſas, ſed propter Deum. Undè Proverb. 16. dicitur : Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus ; Ergo malè dicunt impii fruamur creatura. Deindè fruitio eſt reſpectu rei, quæ res facit beatos; ſed creaturæ ſeu temporales res non faciunt homines beatos, ut patet, quia tranſeunt. Beatitudo autem cùm ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, tranſire non debet. Ergo

Præterea, *ut*, eſt reſpectu mediorum, eſtque aliquid diligendo referre in Deum ſicut in finem; Ergo ſicut implicat, quod eadem creatura ſit medium, & finis ultimus, in quo homo quieſcat; ita etiam implicat, quod homo ſimul eadem re utatur & fruatur ; & conſequenter impii in textu malè dicunt: *Venite fruamur & utamur creatura.* Circa quæ verba ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

An homo ex charitate teneatur plus diligere Deum quàm ſeipſum?

ANte reſolutionem, Nota 1. Quod dilectio, qua homo diligit aliquid penſetur duobus modis, nimirum ex fervore ſeu *intenſione actus*, & ex quantitate boni voliti illius, quem diligit. Quando ergo Theologi dicunt, quod homo teneatur plus diligere Deum quam ſe, tunc hoc non debet intelligi de intenſione vel fervore actus, ſed de quantitate boni voliti. Nam debeo Deo velle ſummum honorem & ſummam beatitudinem; quam ſummam beatitudinem & ſummum honorem, non debeo velle mihi, utpote mihi non competentem : & ideò homo Deum propter infinitam ſuam bonitatem diligere debet appretiativè ſuper omnia.

Nota 2. Quod in homine ſit duplex dilectio, puta naturalis, quæ non elicitur liberè à voluntate: ſed naturaliter, eſtque ſemper in voluntate. Alia eſt dilectio rationalis conſequens ad rationem, eſtque libera : & de hac dilectione rationali debet intelligi ſtatus quæſtionis, non autem de amore naturali. His præmiſſis

Dico, quod homo dilectione rationali debeat appretiativè Deum plus diligere quam ſeipſum.

Probatur. Nam ut ait : *S. Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 7.* Te ipſum propter te non debes diligere, ſeu amare, ſed propter ipſum qui eſt rectiſſimus finis tuæ dilectionis ; Quia propter quod unum quodque tale, & illud magis tale: Ergo homo tenetur magis diligere Deum appretiativè, quàm ſeipſum.

Confirmatur. Id quod eſt bonum proprium non tantum Petri, ſed etiam omnium hominum, & totius univerſi, hoc Petrus debet magis diligere dilectione rationali quam ſeipſum ; Sed Deus non ſolum eſt bonum Petri v. g. ſed etiam omnium, & totius univerſi : Ergo Petrus, ſeu quivis homo, [illegible]etur magis diligere appretiativè Deum, quàm ſeipſum tantum ; Ita quidem, ut Deum diligat propter ſeipſum ; quia nimirum in ſeipſo t[illegible]ta & infinita bonitas eſt, reliqua autem participantia bonitatem divinam debet diligere p[illegible]pter eundem Deum.

Dices : Illud quod eſt ratio diligendi alterum, plus debet diligi illo altero, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis tale; ſed ratio quare Deus debeat ab homine diligi, eſt, quia Deus eſt bonum proprium talis hominis : Ergo homo debet magis diligere ſe, quàm Deum.

Reſpondeo Negando minorem, cùm ut dictum eſt, qui rationaliter diligit Deum, non diligit Deum præcisè, quia eſt bonum ſuum proprium : ſed quia eſt bonum omnium hominum, & totius univerſi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De quatuor *Venite*, ſeu Invitatoriis, quæ cantari ſolent à Voluptuoſis, Malitioſis, Ambitioſis, & Sanctis ſeu Religioſis.

DIco, quod voluptuoſi, malitioſi, & ambitioſi cantent in choro diabo[illegible] autem Sancti & Religioſi cantant in choro Chriſti.

Exp[illegible] *prima pars*, de Invitatorio quod cantant Voluptuoſi: Nam de his dicitur in textu lectioni præ[illegible], *Venite fruamur.* [illegible]quis intret Eccleſiam Cathedralem, ſtatim ex Invitatorio poteſt diſcernere, in quali veneratione ſit [illegible] Sanctus, de quo ſit officium ; nam ſi plures cantent Invitatorium, erit utique Feſtum ſolemne, ſi autem ſolùm agatur de feria, [illegible]um unus cantat Invitatorium. Applicatio moralis. Inter nos in vita præſenti dii multi coluntur : Undè ad Corint. 8. Dii multi, & Domini multi, mundus, caro, diabolus, Deus. Videamus ergò quis in choro habeat plures ad cantandum Invitatorium, & inveniemus, quis habeat plures vel pauciores cantores ſeu invitatores ? Certè ſi loquamur de mundo, habet is multos invitatores ad ſe, quia ſenes, juvenes, & pueri ab incunabulis ſtatim alliciuntur, & invitantur ad colendum mundum : iſte ut fiat mercator, iſte ut fiat miles, alius ut fiat dives, Doctor & ſic de aliis, qui omnes una voce dicunt : *Venite & fruamur bonis quæ ſunt.* Et ſicut illi qui ſunt magis vicini cantoribus, magis excitantur ad cantandum ; ita hominibus accidit, qui familiariter magis tractant cum mundanis, & carnalibus hominibus, qui nullo modo poſſunt evadere, quin eis in moribus conformentur. Undè *S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono* ait : Rarum eſt ut aliquis inter ſæculi voluptatea poſitus, à vitiis maneat illibatus. Quot ſunt qui his diebus invitant homines ad contemptum mundi ? Certè, vel nulli vel pauci ; imò tantus [illegible] ſtrepitus Cantotum mundi, ut illi qui [illegible]unt Invitatorium Chriſti, vix in aliquo poſſi[illegible]t audiri.

Explicatur *ſecunda pars*, ſeu Invitatorium quod

quo can[illegible], ut [illegible] Jerem. 18. *Venite, [illegible]* cogitationes, non enim per[illegible] Sacerdote, neque conſi-[illegible] a Sapien[illegible] ſermo à Propheta. Ubi adverte, quos & quales homines ponant malitioſi pro ſua parte, nam ponunt Sacerdotes, Sapientes, & Prophetas. *Moraliter loquendo* Sacerdotes ſunt [illegible] Prælati; Sapientes Juſtitiarii, & Prophetæ ſunt Religioſi, Et nunquam vi[illegible] in aliqua Republica magnam injuſtitiam [illegible] alitiam fieri, niſi vel ab omnibus iſtis, vel ab [illegible] iſtorum procedat. Undè iſti tres perfectè cantant Invitatorium malitioſorum, & ibi ſciunt facere conſpirationem contra optimum hominem, dicentes: Venite, percutiamus eum lingua, & non attendamus ad univerſos ſermones ejus. In quibus verbis perpendendum eſt, quod percutere hominem lingua, ſit ei præcludere viam reſpondendi, ut nihil poſſit dicere pro ſeipſo. Vel percutere hominem linguâ, & falſum conſpirare, vel falſum teſtimonium perhibere.

Nota hic, quod iſti homines malitioſi habeant triplex Invitatorium, nimirùm proprium, quo ſe invicem ad malitiam provocant, & animent. Primò enim, ſe colligunt ad conſpirandum ſubtiliter, dicentes illud Jerem. 18. Venite cogitemus contra Jeremiam cogitationes.

Secundò recolligunt ſe ad accuſandum civiliter ſub juris colore, dicentes illud Jerem. 18. Venite percutiamus eum lingua, & non attendamus ad univerſus ſermones ejus. Tertiò recolligunt ſe ad occidendum hoſtiliter, dicentes illud Matt. 21. Venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. Et hæc eſt concluſio malitiæ ultima.

Expl[illegible] *tertia pars*, de Invitatorio, quod cantant ambitioſi ut colligitur ex Gen. 11. ubi dicitur: Venite facia[illegible] nobis civitatem & turrim, cujus culmen pe[illegible] cœlum, & celebremus nomen no[illegible]. Ubi [illegible], quod omnes amb[illegible] labo[illegible] intantum, ut [illegible] Deum [illegible] ad ædificandum, fodien[illegible] [illegible] Pa[illegible], & Prin[illegible] pum [illegible] uent. Dant mun[illegible], mentiuntur, & ſe nequiter humi[illegible] omnibus. Undè *Innocentius de vilitate conditionis humanæ* [illegible] *dicit*: Ambitioſus ſemper eſt pav[illegible] ſemper [illegible] tentus nè dicat quod diſpliceat, & hum[illegible] [illegible] ulat, honeſtatem mentitur, affabil[illegible] exhi[illegible] benignitatem oſtendit, ſubſequitur, & obſe[illegible] cunctos honorat, & benè novit illud [illegible] *Ovidii lib. 1. de arte amandi*.

Et ſi nullus erit pulvis, tamen excute illum.

Et id[illegible] curial bus, qui caſtra Regum ſequuntur [illegible] quidam:

Sunt, non dicuntur miſeri, qui caſtra ſequuntur.

Explicatur *quarta pars*, de Invitatorio quod cantant San[illegible] & Religioſi dicentes: *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro. &c.* Hoc tamen [illegible] cantatur valdè *ferialiter*, [illegible] pauci illud cantant: imò cantus eſt ſtrepitus in choro mundi, ut illud invitatorium non audiatur in choro Chriſti, quod reverà dolendum eſt.

Matth. 22. narratur de homine Rege, quod fecerit nuptias filio ſuo, & miſit ſervos ſuos dicere invitatis, omnia ſunt parata, venite ad Nuptias. Quod poſtquam factum fuiſſet, invitati neglexerunt venire, & abierunt, alius in villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam; ſed ſibi caveant iſti, contingit enim aliquando quod faciens feſtum magnum invitat multos diu ante; diſponit, ut illis ordinatè ſerviatur, habet etiam fortes cuſtodes in ingreſſu portarum, qui cum veneratione recipiunt invitatos, reliquos autem non invitatos excludant; hoc modo facit Chriſtus Dominus. Nunc mittit ſervos ſuos prædicatores ad invitandum ad cœnam Agni; attamen in Judicio ſoli illi recipiuntur, qui ſuam invitationem admiſerunt, alii vero excluduntur, dicétque Chriſtus bonis, dulce illud invitatorium: *Venite Benedicti Patris mei*, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Econtra verò reprobris dicet illud horr[illegible]onum; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Et ideò dum tempus habemus *Venite procidamus ante Deum*, ploremus coram Domino qui fecit nos, ut habetur in Pſalmis.

LECTIO XXI.

TEXTUS.

Vino pretioſo & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam impii in prioribus ſeſe invicem hortati ſunt in generali ad amplectenda temporalia, hic in particulari ſuadent illa, quæ ſunt delectabilia guſtui; item quæ ſunt delectabilia tactui; & quæ olfactui deſerviunt. Vinum enim delectat guſtu[illegible], unguentum emollit ad tactum, & flos redolet ad olfactum.

Dicunt ergo impii: *Vino pretioſo*, ideſt vino non qualicunque, ſed carè empto; *nos impleamus*, id eſt, licet natura paucis contenta ſit non volumus tamen ſolùm bibere vinum pro noſtra ſufficientia, ſed etiam nos implere vino, ita ut ſtomachus plus portare non poſſit: *Et unguentis nos impleamus*, ideſt, electuariis conditis, & bene præparatis veſcamur, ut vinum dulcius intret, & in hoc ſenſu unguentum pertinet tam ad tactum quàm ad guſtum. Vel impleamus nos *unguentis* ad ungendum corpora noſtra, & ut facies noſtræ magis reſplendeant, ſuavius redoleant, & mollius tangi valeant; & in hoc ſenſu unguentum pertinet non ſolùm ad guſtum, & tactum, ſed etiam ad olfa[illegible]um. *Et non prætereat nos flos temporis*, quin de flo[illegible]ibus ſingulis juxta tempus ſuum odoris, & fragrantiæ delicias ſentiamus. Vel aliter *flos temporis* vocatur flos juventutis noſtræ, & tunc eſt ſenſus; non *prætereat nos flos*, ideſt tempus juventutis noſtræ: quin fruamur, quantum poſſibile eſt, omni genere voluptatis. Circa illa verba; *Vino pretioſo nos impleamus*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum uſus vini ſit homini licitus?

Dico, quod per ſe loquendo, uſus vini moderatè ſumpti ſit homini licitus. Dixi, *per ſe* loquendo, quia poteſt contingere, quod alicui homini uſus vini ſit illicitus per accidens; nimirum vel ex conditione bibentis, quia fortè alii ex tuo facto ſcandalizarentur, vel fortè quia vino facilè læditur, & perdit caput, linguam & pedes, vel quia per votum ſe aſtrinxit à vino abſtinere.

Aſſertio ſic explicata clarè colligitur ex Apoſtolo ad Thim. 5. ubi dicitur: Noli adhuc aquam bibere, ſed modulo vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates. Item Eccl. 31. dicitur: Exultatio animæ & cordis, vinum temperatè potatum.

Dices primò. Eccl. 2. dicitur: Cogitavi à vino abſtinere animam meam, ut eam transferrem ad ſuperbiam.

Secundò ad Rom. 14. dicitur: Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.

Tertiò S. Hieronymus videtur docere, quod Chriſtus ſe retraxerit à vino. Reſpondeo ad hæc omnia, quod ſolùm probent eſſe actum conſilii, abſtinere à vino: non tamen eſt actus præcepti.

Reſpondeo tamen ſecundò ſimpliciter ad primum, quod duplex ſit ſapientia, una infuſa, & altera per ſtudium & doctrinam acquiſita; & ad ſcientiam infuſam diſponit quidem abſtinentia à vino, non autem ad ſapientiam acquiſitam per ſtudium. undè licet vino moderatè uti.

Reſpondeo ad ſecundum, quod illa authoritas ſit truncata; Nàm Apoſtolus ibi ſolùm vult perſuadere Romanis converſis ad fidem, quod nec carnibus, nec vino abundanti utantur in ſcandalum Chriſtianorum de novo converſorum, undè *ſubdit loco citato* Neque in quo frater tuus offenditur vel ſcandalizatur.

Reſpondeo ad tertium, quod S. Hieronymus ſolùm velit, quod Chriſtus ſe retraxerit à vino tanquam ab impedimento perfectionis ſi exceſſivè ſumatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An uſus vini im̃oderatus cauſet detrimentum libertatis, atramentum honeſtatis, complementum voluptatis, & experimentum fatuitatis?

Dico, quod ſic.

Explicatur *prima pars*, quod uſus vini immoderatus, *cauſet detrimentum libertatis*; quia prima radix ſervitutis & ignobilitatis fuit vinum. Nam ante tempora Noëmi ſeu antè diluvium nullus fuerat ſervus, nec homines habuerunt vel biberunt vinum. Poſtquam autem Noë plantavit vineam, & vinum exindè bibiſſet, inebriatus eſt, & dormiens jacuit in tabernaculo, poſteriora nudatus, *ut legitur Gen. 9.* Porrò dum iſta fierent: acceſſit Cham filius Noëmi ad eum, & videns patris ſui verenda, deriſit eum; quod cùm nuntiatum eſſet Noëmo, damnavit Cham filium ſuum ſervituti; & hæc fuit prima origo ſervitutis, ut docet *S. Auguſtinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 15.*

Explicatur ſecunda pars, quod vinũ immoderatè ſumptum ſit atramentum honeſtatis; confundit enim & deturpat hominis nobilitatem tam corporis quàm animæ; undè *Innocentius de vilitate naturæ humanæ* ait: Quid turpius ebrioſo; cui fœtor in ore, tremor in corpore, promit ſtulta, prodit occulta; cui mens alienatur & facies transformatur. Et Seneca Epiſt. 12. ait. Animus ebrietate devinctus non eſt in ſua poteſtate, & ſicut muſto impleta dolia rumpuntur, & quidquid in primo jacet in ſummum vis caloris ejiciat; ſic vino æſtuante, quidquid in corde latet abditum, effertur & prodit in medium. Hæc Seneca. Et quia luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas, ut dicitur Prov. 20. ideò vinum ſpecialiter prohibetur tribus, nempè Virginibus, Sacerdotibus & Regibus. Undè S. Hieronymus Epiſt. 8 r. ait: Si experto creditur, hoc primum moneo, ut ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. Sacerdotibus etiam ingreſſuris tabernaculum prohibitum erat, nè biberent vinum; Levit. 10. Denique Regibus quoque erat prohibitum vinum, Prov. 31. Noli dare Regibus vinum.

Explicatur tertia pars, quod vinum immoderatè ſumptum ſit complementum voluptatis. Nam per vinum aufertur verecundia; ſtatim voluptas quæ latuit in corde, ſe detegit, undè *Seneca loco paulo ante citato* ait Plures pudore peccandi, quàm bona voluntate prohibiti ſunt à ſcelere. At verò ubi animum poſſedit nimia vis vini quidquid mali latebat, emergit. Et ideò ad Eph. 5. ſcribitur: Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria; puta effective: exemplum eſt de Loth. Gen 19. & Eccl. 31. dicitur. Multos enim exterminavit vinum.

Explicatur *quarta pars*, quod vinum immoderatè ſumptum ſit experimentum fatuitatis; quia homo ſit diſpoſitus ad quodcunque malum in ebrietate; & poteſt facilè de eo capi experimentum, qualiter internè ſit conſtitutus; quod enim eſt in corde ſobrii, hoc eſt in ore ebrii, undè Eccl. 31. dicitur: Vinum corda ſuperborum arguit, & oſtendit, & prodit.

Ex dictis, & maximè ex explicatione primæ partis colliguntur quatuor mala, quæ ebrietas homini infert. Nam primò hominem privat uſu ſenſus & rationis, & facit eum deteriorem beſtia, quæ nunquam ſe inebriat, & hoc ſignificat Noë inebriatio. Secundò ſpoliat hominem divitiis ſuis, & ideò ſæpè magni potatores fiunt finaliter pauperes, & hoc ſignificat Noë denudatio. Tertiò reddit hominem deriſibilem non ſolùm inimicis ſed etiam amicis. Et hoc ſignificat Cham: qui tanquam filius deriſit Noëmum patrem ſuum ebrium. Quartò quod *Noë* punitat filium *Cham*, damnando eum ad ſervitutem, hoc ſignificat, quod potatores filios ſuos & proles mendicitati & ſervituti ſæpè exponant, poſtquam omnia vorando & hauriendo dilapidarunt.

LECTIO XXII.

TEXTVS.

Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra; nemo noſtrum exper ſit luxuriæ noſtræ; ubique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.

EXPLI-

EXPLI[illegible]IO TEXTVS.

IN præfatio[illegible] ſeſe al[illegible]cīunt[illegible] ſuperbiæ vi[illegible] a[illegible] s volu ptat[illegible]. Unde dicunt: *Coronemus nos roſis antequam marceſcant*, id eſt, cùm [illegible] ve, [illegible] poſſumus nil [illegible] *Coronemus nos roſis* [illegible] mus [illegible] und tatem, & decoris ſpe[illegible] itat[illegible] breviter durat [illegible] pulchritudo [illegible] *Coronemus nos roſis antequam marceſcant*. Ver[illegible] impu, [illegible] la[illegible] n hac vi[illegible] ot [illegible], in fu[illegible] tur [illegible] ; un[illegible] re [illegible] 22. Co[illegible] ione [illegible] & t[illegible] [illegible] de quomod[illegible] dent [illegible] um 4. Defecit gaudium [illegible] dum chorus noſter; [illegible] ; væ nobis, quia peccavimus. [illegible] ntur [illegible] : *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Id eſt, nullus [illegible] us, [illegible] quo n[illegible] lux[illegible] ut omnis [illegible] conſ[illegible] t de le[illegible] tionem.

[illegible] a[illegible] um expers [illegible] luxuria noſtra ; Id eſt, luxu[illegible] noſt[illegible] c[illegible] mmun[illegible] ſit omnibus, ita ut ſit libertas g[illegible] ner[illegible] [illegible] can[illegible], & alio[illegible] ad peccata [illegible] n[illegible]. *Ubique relinquamus ſi[illegible]na lætitiæ noſtræ*, [illegible] p[illegible] c[illegible]tu, [illegible] dis. U[illegible] ant c[illegible] us [illegible] ccandi, & [illegible] ndi [illegible] : *Quia hæc eſt pars noſtra & ſ[illegible] noſtra*, q[illegible] d dicerent: Quia hæc [illegible] p[illegible] mus frui [illegible] vita, ſi[illegible] quidem [illegible] vit[illegible] poſt [illegible] non [illegible] ; nec poſt [illegible] datur p[illegible] mium bonis & pœna malis, ut [illegible] & ſtolide imaginantur. Quia totus textus eſt de voluptate, & luxuria; iden ut

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum fornicatio ſimplex ſit peccatum?

DI[illegible], [illegible] peccatum mortale [illegible]nicatio [illegible]x.

Proba[illegible] A[illegible] ad Galat. 5. ubi dicit: Manifeſt[illegible] a[illegible] nis, [illegible] fornicatio; quo[illegible] qui tal a agu[illegible] D[illegible] non poſſidebunt. Nullus autem [illegible] regno cœlorum, niſi propter pecca[illegible].

Item [illegible] t. 13. Non e[illegible] de [illegible] [illegible] Et ad Hæb. 13. For[illegible] res ju[illegible] D[illegible] ubi Gloſſa ſubdit: In ju[illegible] generali æter[illegible] nationis. Probatur etia[illegible] ne, & [illegible]. Id quod contr[illegible] riatur bono finis po[illegible] hominis collatæ à Deo, eſt pec[illegible] fornicatio ſimplex contra[illegible] generativæ, homini [illegible] à [illegible] peccatum mortale. Mi[illegible] no[illegible] roba[illegible] onum potentiæ generativæ h[illegible] mini [illegible] *corporale*, pro conſerva[illegible] ſpecie[illegible] *ſpirituale* pro implend[illegible] umero E[illegible] ſed [illegible] hæc fini contra[illegible] forn[illegible] Ergo. Probatur minor. [illegible] m ad bonum [illegible] le, requiritur corporali[illegible] ncatio pro[illegible] bonum autem ſpirituale r[illegible] ntur debita in[illegible] mat[illegible] prolium ſeu filiorum his quæ ad fidem eu bonos mores pertinent, [illegible] tam debitæ educatio[illegible], quam debitæ inform[illegible] prolium de rebus fidei, obſtat fornicatio ſimplex, Ergo. Probatur minor. Quia tam ad debitam educationem corporalem prolis, quàm ad debitam informationem ejus de rebus fidei, requiritur certa cognitio prolis, quæ haberi non poſſet, niſi mulier appropriata eſſet uni viro per verum vinculum maritale: Veriſ[illegible]tem non poſſet haberi ita bene, in cohabitatione aliqua diviſa, dum nempè mulier diviſa à viro habitat. Vel licet ſimul tali viro cohabitat, ſemper tamen pro ſuo libitu poſſet accedere alteram, ſi fornicatio foret licita: adeoque ſtante hoc, quod fornicatio ſimplex eſſet licita, non poſſet haberi certa cognitio prolis, tam in corporalibus educandæ, quam in ſpiritualibus inſtruendæ. Undè *S. Auguſtinus* dicit: Quod concubitus fornicarius ſit contra charitatem, quam homo debet proli generandæ.

Dices 1. Deus præcepit Oſeæ Prophetæ: Vade, & accipe tibi uxorem fornicariam: Ergo ſignum eſt, quod fornicatio non ſit peccatum, alias Deus eam non præcepiſſet.

Confirmatur. Antiqui Patres commiſerunt fornicationem ſine ulla repræhenſione; Undè Gen. 21. Abraham ingreſſus eſt ad Agar ancillam ſuam. Et Jacob ſimiliter ad ancillas uxorum ſuarum, Balam & Delfam ingreſſus eſt. Ergo fornicatio non eſt peccatum. Judas quoque acceſſit ad Thamar, quam æſtimabat eſſe meretricem.

Reſpondeo *ad primum*, quod Deus præcepit Oſeæ, quod in uxorem acciperet illam, quæ quon[illegible]m fuit fornicata cum alus, poſteà verò per legitimum matrimonium aſſumpta eſt à Propheta Oſea in uxorem. Vel dic, quod diſpenſatio Dei fecerit non eſſe peccatum, quod alias peccatum fuiſſet: Sicut diſpenſavit cum Abraham in homicidio, quod Abraham volebat committere in occiſione filii ſui Iſaac.

Reſpondeo *ad Confirmationem*. Quod Abraham, & Jacob, plures habuerint uxores, undè non fuit ibi fornicatio. Vocabantur tamen concubinæ, quia cum duo conveniant in uxore, nempè inſeparabilis conjunctio, & familiaris coadminiſtratio, in quantum uxor eſt ſocia mariti: Ideò, illam habuerunt concubinæ, ſed non ſecun[illegible]. Prima faciebat matrimonium, ſecunda non. Undè præfatæ ancillæ fuerunt uxores quoad thorum non autem quoad regimen familiæ, ſecundum quod uxores noſtras, matresfamiliàs vocamus.

De Juda verò concedendum eſt, quod peccarit mortaliter.

Dices 2. Gloſſa ſuper illud Deut. 23. Non erit meretrix de filiabus Iſraël, ait: Ad eas prohibet accedere, quarum venialis eſt turpitudo: Ergo fornicatio ſimplex ſolum eſt veniale.

Confirmatur. Nam ſuper illud 1. ad Timoth. 4. Exercete in pietate, ait Gloſſa *S. Ambroſii*; Omnis ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in miſericordia, & pietate eſt, quam ſi aliquis ſequens lubricum carnis patiatur, ſine dubio vapulabit, ſed non peribit. Ergo ſi non peribit, non peccat mortaliter.

Reſpondeo *ad primum*: quod in textu allegato, vera littera habeat venalis, non autem venialis.

Reſpondeo *ad Confirmationem*. Quod pietas juvat hominem, ut liberetur à morte æterna, ſi tamen deſiſtat à peccato, & verè pœniteat de illo.

Ex dictis colligitur, quod non ſolum conſen-

ſus in actum peccati mortalis, ſit peccatum mortale, ſed etiam conſenſus in delectationem peccati mortalis, ſit peccatum mortale: & ideò oſcula, amplexus, attactus, quæ fiunt propter delectationem inordinatam, ſunt peccata mortalia, & vocantur oſcula libidinoſa, vel tactus libidinoſi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An voluptas carnalis ſit effœminativa vigoris & poteſtatis militaris; accumulativa doloris, & diſplicentiæ ſingularis: offuſcativa decoris, & ſapientiæ ſalutaris.

Dico, quod ſic.

Explicatur *prima pars*, quod voluptas carnalis ſit *Effœminativa vigoris, & poteſtatis militaris.* In hujus figuram Samſon, dum dormiret in ſinu Dalilæ, ſpoliatus eſt ſtrenuitate ſolita pugnandi, Judicum 16. Sic etiam quæcunque perſona dormit in ſinu Dalilæ, quæ ſe negligenter cuſtodit, & tradit voluptuoſæ vitæ, & ita ſpoliatur vigore fortitudinis. Undè fingit *Ovidius 15. Metamorphoſeos*, de fonte Salmano, quod fuerit talis virtutis, ut ſexum abſtulerit viro, ſeſe in illo balneanti. Iſto modo evenit de voluptate; Nam ſi homo militaris ſeſe balneet in deliciis voluptatis carnalis, effœminabitur, emollietur, & animoſitatem perdet. Et indè factum eſt, quod nobiliſſimi Principes, qui armis vinci non poterant, victi ſint per luxuriam; ſicut narrat *Valerius lib. 9. cap. 1.* de Hanibale Duce Carthaginenſi, quem mulier quædam per proditionem Romanis occidendum tradidit. Campana, inquit, luxuria ſua invictum Hanibalem armis ſuis, ille ebris amplexata, vincendum Romano militi tradidit. Patet quoque exemplum manifeſtum de Holoferne Judith. 12. Et de talibus dicitur Job. 35. Morietur in tempeſtate anima eorum inter effœminatos.

Explicatur *ſecunda pars*, quod voluptas ſit *Accumulativa dolorum, vel mœroris, & diſplicentiæ ſingularis.* Quia naturaliter poſt voluptatem, ſequitur diſplicentia. Undè *Boëtius lib. 3. de Conſolatione cap. 7.* ait: Quid autem de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena eſt anxietatibus, ſatietas verò pœnitentiæ. *Et infra* comparat voluptatem api, quæ eſt in eodem loco: Nam primo fundit mel ſedendo, & infigit aculeum recedendo. Undè dicit: Habet hoc omnis voluptas, quod in primis grata multa fundat, poſtea autem nimis tenaci ictu corda ferit. Hæc prudenter adverterat Demoſthenes Philoſophus, à quo Tays ſolemnis meretrix de Corintho, pro unico concubitu petiit centum talenta, at ille in cœlum ſuſpiciens ait: Tanti pœnitere non emo. Id eſt pro tam modica voluptate carnali, quam poſtea ſequitur tantus animi dolor, tantum pecuniæ nolo expendere.

Explicatur *tertia pars*, quod voluptas carnalis ſit *Offuſcativa decoris & ſapientiæ ſalutaris.* Exemplum hujus habemus in Salomone Rege, qui fœmora ſua curvavit mulieribus, & poſuit maculam gloriæ ſuæ. Ad quam hiſtoriam Valerius ad Ruffinum ſic alludit. Sol hominum Salomon, Theſaurus deliciarum Domini, ſapientiæ ſingulare domicilium, craſſo tetrarum ebriarum fuſcatus atramento, lucem animæ ſuæ, odorem famæ ſuæ, gloriam domus ſuæ, amore mulieris amiſit: & poſtremo curvatus coram Baalim, ex Eccleſiaſtico dono mutatus eſt in membrum Zaboli, id eſt: ex Concionatore Domini, mutatus eſt in membrum diaboli.

LECTIO XXIII.

TEXTVS.

Opprimamus pauperem, juſtum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec revereamur canos multi temporis; ſit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ; quod enim infirmum eſt, inutile invenitur.

EXPLICATIO TEXTVS.

Poſtquam impii ſe invicem provocarunt ad peccata laſciviæ; nunc ſeſe invitant ad peccata injuſtitiæ fraternalis contra ſuum proximum. Quamvis autem quatuor generibus hominum ſoleamus parcere, nempè *primò Pauperibus* propter impotentiam, *ſecundò Juſtis* propter innocentiam, *tertiò Viduis* propter clementiam, & *quartò ſenibus* propter reverentiam; hæc enim omnia dictat ratio naturalis compaſſionis: Nihilominus impii contra hos omnes conſpirant dicentes: *Opprimamus pauperem*, quantum ad primum, *juſtum*, quantum ad ſecundum, *& non parcamus viduæ*, quantum ad tertium, *nec revereamur canos multi temporis*, quantum ad quartum. Sed revera horum quatuor oppoſitum mandatur in ſacris litteris. Nam Iſaiæ 1. dicitur: Subvenite oppreſſo, judicate pauperem, & defendite viduam. Quantum ad quartum autem, ſpecialiter dicitur Levit. 19 Coram cano capite aſſurge, & honora perſonam ſenis; undè rectè quidam dixit:

Magna fuit quondam hominis reverentia cani,
Neque ſine pretio, ruga ſenilis erat.

Non tamen ſic ſenſit *Ovidius de arte amandi*, qui *lib. tertio de calvis*, ſic dicit:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Sequitur in textu: *Sit autem fortitudo noſtra lex juſtitia*, id eſt, pro lege juſtitiæ habeamus ſolam noſtram fortitudinem: ita quidem ut ſi nobis objiciatur, quod faciamus contra legem, [illegible] nihil dicemus, quam quod lex juſtitiæ noſtræ [illegible] ſit alia, quam [illegible] fortitudo & poten[illegible] noſt[illegible]

Quod enim infirmum eſt, inutile inven[illegible] id eſt, quod non habet aliquam fo[illegible]tudin[illegible] eſt inutile, ſeu non conducit ad noſtram [illegible]viam provocandam, ſeu continuandam. C[illegible] [illegible] particulam in textu allegato, id eſt, [illegible] ly *Opprimamus*

Nota, quod tripliciter fiat oppr[illegible] proximi. Nam *primò* opprimunt Tyranni [illegible] [illegible]entiam & violentiam. Jacobi 9. Non[illegible] [illegible]vites opp[illegible]munt per potentiam.

Secundò

Secundò opprimunt Advocati per ſapientiam, Ex[illegible] prone Venite ſapienter opprimamus eū. Et [illegible] 10. Scribentes injuſtitias ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes.

Tertiò opp[illegible] Prælati per negligentiam; unde 3.Reg.3. dicitur: Dormiens [illegible] eum.

N[illegible] 2. Quod tales oppreſſores proximi, & impii atque crudeles homines, qui claudunt viſcera miſericordiæ ſuæ à pauperibus juſtis, viduis ac ſenibus, cor [illegible] habent ſaxeum. Ad pro[illegible] dicit *Ovidius lib. 15. Metam.* Quod ſit fluvius quidam, [illegible] qua hauſta [illegible] viſcera [illegible] ſaxe[illegible], & quidquid [illegible] gitur in illa aqua, [illegible] lapideum. Unde [illegible]:

Flumen habent Cicones, quod potum, ſaxea reddit
Viſcera, quæ tactis inducit marmora rebus.

Fluvius iſte eſt cupiditas deordinata hominis impii ac divitis, cujus affectiones privant miſericordiâ, charitate, & pietate. Sed [illegible] de talibus [illegible] Ezech. 36. Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.

ARTICVLVS PRIMVS.

An liceat per potentiam opprimere Proximum?

NOta, Quod opprimere nihil ſit aliud quam alium contra vires & voluntatem premere. Hoc autem poteſt fieri dupliciter; Uno modo ſecundum ordinem juris: ſicut pater opprimit & verberat filios ſuos delinquentes, quos tenetur caſtigare. Alio modo contra ordinem juris, ſicut Tyranni opprimunt ſubditos. Hoc præmiſſo.

Dico, Quod contra ordinem juris non liceat per potentiam opprimere proximum. Probatur breviter. Quia opprimere per potentiam proximum contra ordinem juris, id eſt ſine ullo jure, quod habet in proximum, eſt proximum premere contra ſuam voluntatem, vel in ſuis rebus, vel in perſona; [illegible] do premere [illegible] um proximum non eſt [illegible] contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam; cum taliter læſus & oppreſſus habeat jus, ut non lædatur vel opprimatur ab alio: Ergo.

Dices. Licet prædari ab hoſtibus; Ergo etiam opprimere. S. Auguſtinus in Epiſtola ad Vin[illegible] Donatiſtam de infidelibus Donatiſtis [illegible] ibit: Res inquit falsò appellatis veſtras, [illegible] nec juſtè poſſidetis, & ſecundum legem [illegible] Re[illegible] amittere juſſi eſtis. Ergo res et [illegible] poſſunt, quæ auferuntur in bello juſto.

Reſpondeo ad [illegible], quod ſi bellum ſit juſtum, ſp[illegible] us reportata, optima conſcientia [illegible] autem ſi bellum ſit injuſtum.

Reſpondeo ad ſecundum, quod *S. Auguſtinus* loquatur ibidem [illegible] immobilibus, quæ Donatiſtæ [illegible] Catholicis abſtulerunt: & hæc ſicut [illegible] juſſi ſunt reſtituere, ita etiam à Regibus, quorum legibus ſubduntur, poſſunt auferri.

Dices ſecundò: Reges & Principes ſæpè multa violenter extorquent à ſuis ſubditis, ſed hoc videtur pertinere ad oppreſſionem; & tamen Reges ſic extorquendo non peccant: Ergo oppreſſio eſt licita.

Confirmatur. Verbera pertinent ad oppreſſionem: & tamen Domini licitè poſſunt verberare ſubditos, Ergo etiam opprimere.

Reſpondeo ad primum, quod quando Principes à ſubditis extorquent ea, quæ ſunt neceſſaria pro Republica defendenda, nullatenus peccent: ſi autem extorquent à ſubditis ea, quæ non ſunt neceſſaria, tunc peccent, teneanturque ad reſtitutionem.

Reſpondeo ad ſecundum, quod nemini liceat alterum verberare, niſi ſit ei ſubjectus, & delinquat: & ita verberare licitum eſt Domino ſervos ſuos, parentibus filios, & marito uxores. Caveant tamen tales, ne in verberando crudelitatem exerceant, ſed utantur moderamine. Circa ly *pauperes* poſitum in textu, ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An triplex reperiatur paupertas in hominibus?

DIco, quod ſic. Eſt enim paupertas egeſtatis, paupertas honeſtatis, & paupertas vanitatis. Ex quibus prima eſt miſerabilis, quia voluntati contraria; Secunda commendabilis, quia virtuoſa & voluntaria: Tertia autem eſt vituperabilis & nulli conceſſa.

Explicatur *prima pars de Paupertate egeſtatis*, quam ſuſtinent homines involuntariè, optantes ſibi divitias; & ideò plerumque accuſant Deum de iniquitate, proximum de tenacitate, fortunam ſuam de infidelitate: Suntque pleni murmurationibus, furtis, & mendaciis. Nihilominus tales pauperes licet ſint vitioſi ut plurimum, pium tamen eſt ipſorum defectibus ſubvenire. Unde Pſalmiſta ait: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Et Gloſſa *S. Hieronymi ſuper illud Eccl.* 12. Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem, dicit ſic: Qui indigenti miſericordiam tribuit, nec pro delicto ſpernit, miſericordiam verè facit. Natura enim reſpicienda eſt, & non perſona; qui enim indigenti dat peccatori; non quia peccator eſt, ſed quia homo eſt, non peccatorem, ſed juſtitiam nutrit, quia non delictum diligit, ſed naturam. Ita planè eleganter purpuratus Doctor.

Explicatur *ſecunda pars*, de *Paupertate honeſtatis*, quæ eſt voluntariè aſſumpta propter Chriſtum; dum homo non ſolùm ſæculum deſerit, ſed etiam multis indigentiis ſe exponit; de quibus tamen dicit Chriſtus: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Explicatur *tertia pars*, de *Paupertate vanitatis*; talis fuit quorundam Philoſophorum tempore S. Joannis Evangeliſtæ: qui pro vana gloria pretioſas gemmas fregerunt in ſignum mundani contemptus.

ARTICVLVS TERTIVS.

An voluntarii pauperes propter Chriſtum, ſint Chriſto ſimiliores in converſatione; validiores in tentatione, & beatiores in remuneratione?

DIco, quod ſic.

Explicatur *prima pars*, quod voluntarii paupe-

pauperes propter Chriſtum, *ſint ipſi ſimiliores in converſatione*: Quia ipſe realiter, & effectualiter factus eſt pro nobis pauper, vivendo, docendo, & moriendo: ita ut Filius hominis non habuerit ubi caput ſuum reclinet. Undè in figura Chriſti dicitur in Pſal. Pauper ſum ego & in laboribus à juventute mea. Et ideò iſti pauperes voluntarii dicere poſſunt Chriſto; Domine ſi decepti ſumus, tu decepiſti nos, ſic vivendo, ſic docendo. Venit autem Chriſtus ad ſuſcipiendam paupertatem hominibus odioſam, ut eam nobis redderet gratioſam, dicens illud Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.

Explicatur *ſecunda pars*, quod pauperes voluntarii ſint *validiores in tentatione*. Nam ſi duo homines ſimul pugnent, & unus ſit pannis undique circumdatus, alius verò ſit nudus, tunc ille, qui eſt nudus, habebit quidem verecundiam, ſed tamen habilior & agilior eſt ad luctam; nam non habebit in ſe, undè à ſocio ſuo vel hoſte teneatur. Applicatio. Vna noſtra colluctatio eſt cum diabolo, ut dicitur ad Eph. 6. Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, ac Rectores tenebrarum harum. Homo autem pauper & qui de divitiis non curat, eſt nudus; divites autem ſtant veſtiti ex omni parte; & ideò poteſt eos diabolus tenere ex omni parte, & proſternere in tentatione: Pauperes autem quia nudi ſunt, ideò evadunt. Undè ait *S. Greg.* Nudi cum nudo luctari debemus: facile enim ad terram trahitur, qui habet in ſe undè teneatur.

Serpens, ſicut dicit *Magiſter ſententiarum in Hiſtoriis*; Hominem nudum fugit, & inſilit in veſtitum. Sic Diabolus qui eſt ſerpens antiquus, pauperes fugit, & in divites inſilit. Quia qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, ad Thim. 6. & Eccl. 30. dicitur: Melior eſt pauper fortis, quàm dives imbecillis, & flagellatus malitia.

Explicatur *tertia pars*, quod pauperes voluntarii ſint *beatiores in remuneratione*. Erunt enim judicis Chriſti aſſeſſores in judicio; unde Matth. 19. dicitur: In reſurrectione, vel regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos judicantes; & Job 36: Judicium pauperibus tribuet.

Nota hîc, quod tria ſint genera hominum, qui licet nihil habeant, tamen non reputantur pauperes. Nimirùm electi, & vocati ad magnam dignitatem. Secundò habentes in ſecuro depoſito divitias & theſaurum. Tertiò hæredes magnorum .... Modò autem hæc omnia tria inveniuntur in pauperibus ſpiritu; Jacobi 2. dicitur: *Nonnè pauperes elegit Deus in hoc mundo*; Ecce primum, *divites in fide*, ecce ſecundum, *& hæredes regni*, ecce tertium.

Itaque ex dictis patet, quod paupertas voluntaria pro Chriſto ſuſcepta omninò laudabilis ſit, ſi tamen ſit humilitati conjuncta. undè S. Hieronymus in quadam Epiſtola inquit: Pauperes Dei ſunt, qui mundana ſuperbia derelicta, humilitati ſe per omnia tradiderunt. *Et Caſſiodorus ſuper illud Pſal.* Edent pauperes & ſaturabuntur ait: Pauper ſi ſuperbiat, non eſt Dei pauper; & locuples ſi humilitatem diligat, non eſt ſæculi dives, voluntates enim talium ſunt inſpiciendæ, non nomina.

LECTIO XXIV.

TEXTVS.

Circumveniamus ergo juſtum quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis; & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ, promittit ſe ſcientiam Dei habere, & Filium Dei ſe nominat.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquàm Spiritus ſanctus poſuit verba reproborum conſpirantium contra juſtos in generali, nunc ponit verba Judæorum reproborum conſpirantium contra Chriſtum in particulari. Dicunt ergo *circumveniamus juſtum*, id eſt, Chriſtum, qui per antonomaſiam, ſeu per excellentiam vocatur *juſtus*. Iſta autem conſpiratio Judæorum contra Chriſtum impleta eſt Joan. 11. ubi dicitur: Collegerunt Principes & Phariſæi conſilium, & dicebant, quia hic homo multa ſigna facit, quid facimus?

Porrò ne Judæi videantur ſine cauſa contra Chriſtum conſpiraſſe, ideò adducunt contra eum, & accuſant ipſum de duodecim punctis: Nempè *primò* de infructuoſa occupatione. *Secundò* de malitioſa perturbatione. *Tertiò* de improperioſa contentione. *Quartò* de injurioſa diffamatione. *Quintò* de ambitioſa præſumptione. *Sextò* de ſuperſtitioſa blaſphematione. *Septimò* de ſecreti revelatione. *Octavò* de diſcordi converſatione. *Nonò* de criminali parvipenſione, ſeu irriſione. *Decimò* de partiali diviſione. *Vndecimò* de præjudiciali comparatione, & *Duodecimò* de ſupernaturali uſurpatione. De iſtis inquam omnibus accuſant Judæi Chriſtum; de primis tamen ſex punctis, quæ continentur in textu præſentis lectionis agemus hic; de aliis autem punctis in ſequentibus lectionibus dicetur.

Itaque ſenſus prænotati thematis eſt iſte. *Circumveniamus ergo juſtum*, id eſt Chriſtum, qui dicitur juſtus per antonomaſiam, ſeu per excellentiam; *quoniam inutilis eſt*, id eſt nullum fructum tanquam otioſus affert reipublicæ noſtræ; *& eſt contrarius operibus noſtris*, id eſt, perturbat pacem; *& improperat nobis peccata legis*, id eſt, taxat nos peccaſſe contra legem; *& diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ*, id eſt, dicit, quod nos Judæi frivola doceamus, legemque diſſolvamus, & tamen hoc nobis non probat. *Promittit ſcientiam Dei ſe habere*, id eſt, aſſerit & jactat, ſe in ſcientia ſua æqualem eſſe Deo; *& Filium Dei ſe nominat*. id eſt, exigit à nobis cultum, qui debetur Filio Dei, quod tamen eſt blaſphemum. Iſta ſunt ſex puncta, de quibus in præſenti nefandiſſimi Judæi Chriſtum accuſant, ſed quàm falsè, & nequiter iſta Chriſto imponant, patebit ex ſequenti articulo.

Undè ſit

† † †

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

In quo ſigillatim omnes iſtæ de ſex punctis allegatis accuſationes Judæorum contra Christum refelluntur.

REfellitur prima Judæorum accuſatio, *de inutili & otioſa Chriſti operatione*. Nam lux illuminans mundum, & lignum vitæ afferens fructum per duodecim menſes, eſt res aliqua ſummè utilis mundo; ſed Chriſtus fuit lux mundi, *Ioannis* 8. Et eſt lignum faciens fructum per duodecim menſes, *Apoc.* 22. Idem docet, & informat duodecim Apoſtolos rectam fidem habere; ergo Chriſtus fuit ſummè utilis, & non otioſus. Nec refert, quod Judæi non fuerint uſi iſtâ luce; Nam lux in tenebris luxit, & tenebræ eam nó compræhenderunt; & Judæi per odium Chriſti ſeſe à vero lumine diviſerunt: & ideò mirum non eſt, quod ipſi manſerint in tenebris ſuæ perfidiæ, juxta illud, 1. *Ioannis*. 2. Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt, & in tenebris ambulat.

Refellitur *ſecunda* Iudæorum accuſatio. *de malitioſa Chriſti perturbatione*: Nam Chriſtus fuit ſummus amator pacis; Ergò non fuit malitioſus pacis perturbator. *Probatur* antecedens, quia Chriſtus ſtatim poſt ſuam Nativitatem promulgavit per ſuos Angelos pacem, *Luc.* 2. In terra pax hominibus bonæ voluntatis. Chriſtus quoque prædicavit pacem docendo, *Luc.* 10. In quamcunque domum intraveritis: dicite primum pax huic domui. Item Chriſtus per teſtamentum legavit nobis pacem dicens: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Ioan.* 14. Ergo.

Nec refert, quod Chriſtus fuerit contrarius operibus Judæorum; quia hæc contrarietas cauſabatur ex operibus Judæorum, quibus Chriſtus non poterat conſentire, ut docet *Caſſiodorus* ſuper illud *Pſalmi*: Factus eſt in pace locus ejus. Itaque pax vera debet habere concordiam cum bonis moribus, & litigare cum vitiis; & quia Judæi habuerunt mores peſſimos, mirum non eſt, quod Chriſtus fuerit operibus eorum contrarius.

Refellitur *Tertia* Judæorum accuſatio, *de improperioſa contentione, increpatione tranſgreſſionis legis*; quâ increpatione Chriſtus uſus fuit. *Ioann.* 7. dicens: Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Porrò quod Chriſtus benè fecerit improperando peccata Judæorum, patet ex eo, quia Reparatori generis humani ſummè convenit peccata publica Judæorum taxare; ſed Chriſtus fuit Reparator generis humani: Ergo rectè increpavit vitia Judæorum. Nec mirum quod increpando vitia Judæorum, incurrerit eorum invidiam, & odium; quia veritas odium parit.

Refellitur *Quarta* accuſatio Judæorum; *de injurioſa diffamatione*; dum nimirum Chriſtus dixit Judæis, quod frivola doceant, legemque diſſolvant, juxta illud, *Matth.* 15. Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras: ſed quàm malè Judæi Chriſtum in hoc peccato accuſent, taliter oſtenditur. Nam Magiſter verax debet falſas informationes, falſamque doctrinam tollere (quia amico Socrate, & amica veritate, debet præhonorari veritas) ſed Chriſtus Dominus fuit Magiſter verax, juxta illud *Matth.* 22. Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces; imò Chriſtus fuit ipſa veritas, dixit namque de ſe: Ego ſum via, veritas, & vita: Ergo Chriſtus falſas eorum informationes, quas populo Judæi dabant, debebat tollere. Neque verum eſt, quod Chriſtus eos diffamaverit: quia opera Judæorum erant notoria, adeoque ipſi ſeſe diffamârant.

Refellitur *Quinta* accuſatio Judæorum, *de ambitioſa præſumptione Chriſti*, dum aſſerit, ſe in ſcientia eſſe æqualem Deo. Nam in Chriſto non fuit ambitioſa ulla præſumptio, ſed ſolum fuit humilis notificatio ſui dum dixit: *Ioannis*. 8. E me ipſo non veni, ſed verax eſt, qui miſit me, quem vos neſcitis, ego autem ſcio eum.

Ex quo deinde ſequitur, quod quando quis perfectè ſcit Deum, ſit æqualis Deo in ſcientia, quodque ſciat omnia; undè etiam Judæi hoc ipſum fateri debuerunt, *Ioan.* 16. Nam ſcimus, quia ſcis omnia, & non eſt tibi opus, ut quis te interroget, nec mirum, quod Judæi fuerint invidi Chriſto, ex eo, quod ſcientiam Dei habuerit; nam cum ſcientia Dei penetret ad cogitationes cordium, quas Chriſtus verè cognovit, juxta illud; Quid mala cogitatis in cordibus veſtris: ideò fuerunt confuſi Judæi.

Refellitur *Sexta* accuſatio Judæorum, *de ſuperſtitioſa blaſphematione Chriſti*: Dum Filium Dei ſe dixit; *Ioannis* 5. Refellitur inquam iſta accuſatio hoc modo: Vera annuntiatio. & per opera miraculoſa, quæ alius nemo facit, aut virtute propriâ facere poteſt, eſt ſolum comprobatio, & non eſt blaſphemia; ſed Chriſtus Dominus, ſolùm verè Judæis annuntiavit ſe eſſe Filium Dei, & quod hoc ſit verum, comprobavit per opera miraculoſa, cæcos illuminando, leproſos mundando. & mortuos ſuſcitando virtute propriâ, propter quæ *Matth.* 27. dixit Centurio: Verè Filius Dei erat iſte. Ergo Chriſtus non commiſit ſuperſtitioſam blaſphemiam. Eſt autem Chriſtus ſecundùm naturam divinam, & ſanctam hypoſtaſin Filius Dei naturalis, homines autem juſti ſunt Fili Dei adoptivi (juxta illud 1. *Ioannis* 3. Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus: *Et Sap.* 6. Computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt)

Porrò, quia Filius Dei aſſimilari debet Patri, quia ſecundùm *S. Auguſtinum* Filius dicitur, quia fit ut ille; Deus autem eſt incommutabilis in potentia, ineffabilis in ſapientia, & indictibilis in clementia; Ideò in filiis Dei adoptivis, debet apparere Patris potentia per carnis mortificationem, filii Sapientia, per ſanctam informationem, & Spiritus Sancti clementia per injuriarum remiſſionem. Pro cujus majori explicatione ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

An in filiis Dei adoptivis debeat apparere Patris potentia, per carnis mortificationem; Filii ſapientia per ſanctã informationem; & Spiritus ſancti clementia per injuriarum remiſſionem?

DIco quod ſic.

Explicatur *prima pars*, quod in filiis Dei

adoptivis debeat apparere *Dei Patris potentia per carnis mortificationem.* Nam filiis Dei illud 1. Machabæorum 3. Accingimini,& eſtote filii potentes, id eſt accingimini per continentiam carnalis voluptatis. Debet autem iſta accinctura habere quatuor Zonas, ut colligitur ex ſacra Scriptura: Una debet eſſe *Zona aurea* ad pectus; Secunda Zona debet eſſe *linea* ad ventrem. Tertia debet eſſe Zona *funea* ad renes; & quarta debet eſſe Zona *pellicea* ad lumbos. Et quidem Zona *aurea* eſt munditia mentalis puritatis; & hæc debet poni ad pectus contra immundas cogitationes. Unde dicitur *Apoc. 1. de Ioanne*, Quod viderit perſonam ſimilem Filio hominis, veſtitam podêre, & præcinctam ad mamillas Zonâ aureâ.

Zona *linea* eſt temperatio nimiæ ſuperfluitatis, & hæc debet poni ad ventrem contra ſuperfluas commeſſationes; Et de hac Zona fit ſermo à Joannis 13. ubi dicitur: Chriſtus præcinxit ſe linteo,& cœpit lavare pedes diſcipulorum. *Zona funea* eſt pœna rigida & auſtera; & hæc debet poni ad rene, contra libidinis titillationes. Et de hac Zona dicitur Job. 12. Balteum Regum diſſolvit, & præcinxit fune renes eorum. Denique *Zona pellicea* eſt reminiſcentia noſtræ mortalitatis; & hæc debet poni ad lumbos contra voluptatis delectationes: & de hac zona dicitur Matth. 3. Joannes habebat zonam pelliceã circa lumbos ſuos. Qui autem ſic ſunt accincti poſſunt eſſe filii Dei potentes per carnis mortificationem; & unicuique illorum dicet Pater æternus illud Matth. 3. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.

Verumtamen contingit ſæpè, quod illi qui fuerunt per gratiam facti filii Dei, carnis mortificationem debitè non ſequantur. Unde Chriſtus talibus dicit illud Iſaiæ 1. Filios enutrivi, ipſi autem ſpreverunt me. Dum enim vivunt in pompis, & vanitatibus, in deliciis & voluptatibus,& carni ſuæ ſuccumbunt, nec contra eum, ſed contra Chriſtum pugnant; de quibus loquitur S. *Bernardus ſuper Cantica Serm. 33. Et ad Clerum in Concione Viennenſi*: Miniſtri inquit Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto; honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde eſt eis meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Indè aurum in frœnis, in ſellis, in calcaribus, plus calcaria quàm altaria fulgent. Indè menſæ ſplendidæ cibis, & ſcyphis: indè commeſſationes & ebrietates; inde cithara & lyra, indè redundantia torcularia, & promptuaria eructantia ex hoc in illud. Pro hujuſmodi volunt eſſe, & ſunt Eccleſiarum præpoſiti: Decani, Diaconi, Archidiaconi, & Epiſcopi. Hæc ille Mellifluus Doctor, qui etiam ſubdit: Olim prædictum eſt, & nunc tempus adimpletionis advenit: ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara priùs in nece Martyrum; amarior poſtea in conflictu hæreticorum: amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Hæc ille.

Sed iſti profectò non ſunt filii potentes benemeriti: ſed ſunt imbecilles & filii ſuæ carnis. Huc pertinet illud ad Rom. 9 Non qui filii carnis, hi qui filii Dei ſunt, ſed qui filii promiſſionis. Itaq; chariſſimi, non ſitis filii carnis, ſed appareat in vobis potentia patris noſtri: juxta illud ad Eph. 5. Eſtote imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi.

Explicatur ſecunda pars, quod in filiis Dei adoptivis maximè in perſonis Eccleſiaſticis, debeat apparere filii ſapientia per ſanctam informationem. Nam iſtis dicitur illud 1. ad Theſſ. 5. Omnes vos filii lucis eſtis, & filii Dei, lucendo per bona opera, & alios ſibi ſubjectus luce veræ ſapientiæ illuminando, ac docendo. Sed moderno tempore eſt timendum, ne multis dicatur illud 1. Reg. 2. Filii Heli, filii Balaam, neſcientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum; qui tamen lucis charitate lucere deberent: porrò ut filii lucis ambulate, ad Eph. 5.

Explicatur tertia pars, quod in filiis Dei adoptivis debeat apparere *Spiritus ſancti clementia per injuriarum remiſſionem*: Nam per hoc maximè veri filii Dei & Chriſti diſcernuntur: ſiquidem Chriſto proprium eſt miſereri, & ideò nobis dicitur Lucæ 6 Eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos. Eſtote ergo miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.

LECTIO XXV.

TEXTUS.

Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum; gravis eſt nobis etiam ad videndum: quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutata ſunt via illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſt illas ſex accuſationes, quas Judæi contra Chriſtum habebant; nunc adducunt Judæi adhuc duas alias, accuſantes Chriſtum primò de ſecreti revelatione, quæ pertinet ad proditionem & fraudulentiam: undè dicunt *Factus eſt nobis in traductionem cogitationum*: id eſt, in propalationem cogitationum noſtrarum.

Porrò materiam hujus accuſationis deſumpſerunt Iudæi ex illo Matth. 9. ubi cùm Chriſtus vidiſſet cogitationes eorum, dixit: Ut quid mala cogitatis in cordibus veſtris? ubi Chriſtus loquebatur judæis murmurantibus de hoc, quod paralytico peccata dimiſerit.

Refellitur tamen hæc accuſatio; quia ex hoc quod Chriſtus ſit verus Deus, cui ſoli patent arcana cordium, juxta illud Pſalm. Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.

Secundò accuſant Chriſtum de diſcordi converſatione, in quantum in vita & moribus ipſis eſt diſſimilis, & recedit à viis illorum, quod partialitatem quandam & ſchiſma præſe ferre videtur. Dicunt ergo: *Gravis eſt nobis ad videndum*, id eſt moleſtus eſt nobis, & illibenter ipſum oculis noſtris aſpicimus: *Quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutata ſunt via illius*: id eſt, planè aliam habet vivendi rationem, quam nos habeamus: & ideò illum tanquam ſchiſmaticum nolumus aſpicere.

Refellitur tamen facilè illa accuſatio. Nam Chriſtus bonis fuit in vita ſimilis, ſed malis etiam vitâ & moribus ſine dubio diſſimilis fuit. Et ideò Iudæi hanc Chriſti optimam vivendi rationem debuiſſent ſequi, ſicut eam alii boni amplexati ſunt, & conſequenter de ſanctiſſima vita Chriſti, qui ad reformandum genus humanum venit in mundum, & cum hominibus per triginta tres annos converſatus eſt, Judæi nullatenus

debuiſ-

debuiſſent conqueri: Sed eandem potiùs magnis laudibus debuiſſent deprædieare. Circà illa verba: Factus eſt nobia in traductionem, ſivè propalationem,

ARTICVLVS PRIMVS.

An aliquis teneatur ex præcepto ſui Judicis revelare ſecretum fidei ſuæ commiſſum?

DIco, quod ſi illud ſecretum ſit de re nulli nociva, nullus teneatur ex præcepto judicis revelare illud ſecretum: Si autem eſſet de re nociva proximo, ut ſi quis ſub ſecreto (extra tamen ſigillum confeſſionis) alteri diceret, ego iſtum hac ratione occidam, vel accendam domum iſtius vicini ad furandum: tunc homo talis tenatur ex præcepto ſui judicis revelare illud ſecretum.

Prima Pars patet, nam ſervare ſecretum de re nulli nociva, pertinet ſummè ad fidelitatem, quàm unus homo tenetur alteri præſtare ad honeſtè convivendum; turpe enim eſt effutire illa, quæ ſine ullius læſione, cordialiter ſub ſecreto communicata ſunt, ſummeque læderetur charitas proximi per ejuſmodi futilem garritum.

Secunda Pars ſimiliter conſtat; quia quod pro charitate inſtitutum eſt, contra charitatem non debet militare, ut dicit S. *Bernardus lib. de præcepto, & diſpenſatione*: imò eſſet contra bonum juſtitiæ, ſi talis vellet ſervare ſecretum, & alter deindè nequiter ad effectum deduceret occiſionem proximi ſui, vel incenſionem domus ſui vicini: Ergo talis homo ad præceptum judicis, teneretur hoc ſecretum cedens in damnum proximi ſui revelare. Huc facit illud S. Iſidori. in malis promiſſis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretum. Et hæc eſt ſententia S. *Thomæ Quodlibeto primo qu.* 15.

Dixi autem in concluſione: *Extra tamen ſigillum confeſſionis*, quia ſi quis *ſub vero confeſſionis ſigillo* aliquid intellexiſſet, quantumvis illud nocivum foret alteri, nullo modo illud revelare deberet, quantumvis à judice malè ad hoc aſtringente, aſtringeretur. Dixi *ſub vero confeſſionis ſigillo*; quia quãdo ſubindè aliquæ perſonæ laicæ, vel quicunq; alii loquuntur hoc modo: *Hoc tibi dico ſub ſigillo confeſſionis*, & tamen non confitentur ſacramentaliter, tunc inquam, non eſt ſigillum cõfeſſionis, ſed tantũ ſigillũ ſecreti. Et ideò ſi talis illud, quod ſibi hoc modo extra verũ ſigillũ Confeſſionis diceret: eſſet quidẽ revelator ſecreti, ſed non eſſet revelator ſigilli Confeſſionis.

Porrò ſigillum ſecreti tunc eſt, quando unus dicit alteri, hoc tibi dico ſub ſecreto; viſne illud tali modo accipere, & ſervare ſub ſecreto? & alter reſpondet, ita, ego accepto ſub iſto ſecreto, Et de hoc ſecreto loquitur *Prima Pars* concluſionis, quod nimirum illud revelans peccet, & crimen proditionis incurrat. Præcipit enim Deus, quod homo ſervet alteri fidelitatem in eo, quod non redundat in damnum proximi.

Caveant proindè ſervi, ne aliquid acceptent ſub ſecreto ab eo, qui damnificare vult ſuum dominum; quia acceptando tale ſecretum, faceret ſervus contra juramentum fidelitatis, quod præſtitit ſuo domino; & licet illud ſecretum contra ſuum juramentum fidelitatis domino ſervandæ acceptaſſet, non tamen teneretur ſervare illud ſecretum hominis, volentis ſuum dominum damnificare; quia etiam malè promiſſis eſt fides reſcindenda, ut dictum eſt. Pro cujus majori intelligentia

QVÆRES, quomodo licitum ſit ſervis jurare dominis de revelando ſecreto, cùm hoc videatur eſſe contra præceptum correctionis fraternæ Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum?

Reſpondeo, quòd tale ſervòrum juramentum de revelando ſecreto proximis ſuis, debeat intelligi ſalvo illo præcepto correctionis fraternæ, & per conſequens talia ſervus tenetur corripere conſervum, quando poſſet ipſum per hoc corrigere, & movere ad reſtitutionem, ſi hanc oporteat facere. Poſtea tamen, ſi ipſum ſæpiùs depræhenderit, poterit eum domino intimare, non autem pro prima vice, ſi tibi conſtiterit profuturam ſuam correptionem: Et hoc propter præceptum Chriſti loco citato Matth. 18.

Ex triplici ergo cauſa poteſt contingere, quod homo teneatur celare illud quod novit ſub ſecreto. Primò ex hoc quod ille ſciat ſolus, & necdum ſervaverit ordinem correctionis fraternæ. Secundò ex commiſſione ſub ſigillo ſecretorum in his quæ ſunt ſine læſione proximi. Tertiò ex ſigillo confeſſionis, quod ſigillum eſt omnium maximũ. Circà illa verba textus: *Gravis eſt nobis*. Sit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quænam peccatoribus ſint gravia?

DIco, quod peccatoribus, & perverſis quatuor ſint gravia; Nimirum onera peccatorum. Secundò opera mandatorum. Tertiò vicinum beneficium, & quartò divinum judicium.

Explicatur *Prima Pars, de onere peccatorum*. Nam de peccatore dicitur: In Pſal. *Iniquitates* meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Conſtat, quod quantò aliquid eſt gravius, tantò velocius deſcendit ad centrum; & ſi eſſet aliquod corpus grave, quod in inſtanti ad ſuum centrum deſcenderit; diceretur illud habere gravitatem infinitam, ut patet *ex Ariſtotele. 4. Phyſ. cap. 6.* Modo ſubſumo: Sed peccator in ſuis delictis moriens, in inſtanti ſeu in puncto ad infernum, qui eſt in medio terræ, deſcendit, juxta illud Job. 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt: Ergo ſignum eſt quod peccator in peccatis moriens habeat gravitatem infinitam, ratione ſui peccati mortalis, quod in ſententia S. Thom. ratione offenſæ divinæ, eſt infinitum.

Si ferrum trahatur à magnete, tunc ferrum ſuam gravitatem non ſentit, nec cadit deorſum, ſed manet unitum magneti. Applicatio. Noſtrum liberum arbitrium eſt ferrum durum, Magnes autem eſt Deus; neq; ullus poteſt venire ad Filium, niſi Pater cœleſtis ad inſtar magnetis traxerit illum. Joan. 6. quamdiu ergò homo Deo per charitatem conjungitur, non ſentit homo ſuam gravitatem, nec curat terrena, ſed trahitur ſemper ad cœleſtia. Si autem homo à Deo ſeparetur peccando mortaliter, tunc petit ſuam gravitatẽ adeò ut mox ad infernũ deſcendat. Undè ſignanter dicitur: Job. 7. Poſuiſti me contrarium tibi,

by Google

& ſactus ſum mihimet ipſi gravis, quare non tollis peccatum meum, & quare non auſers iniquitatem meam. Quaſi dicat: Auſer peccatum quod me ita gravat, & volabo ad te per charitatem, & in te qu eſcam.

Porrò in figura gravitatis vidit Zacharias mulierem quandam in amphora, habente in ore ſuo maſſam plumbi, & dictum eſt Prophetæ: Hæc eſt impieias, Zachariæ 5. In ſignum, quod omnis iniquitas opilabit os ſuum, & quod omnis iniquitas gravis ſit. Undè Eccl. 22. dicitur: Super plumbum quod gravabitur. Et ideò per iniquitatem populus ad væ æternum deſcendet, ſi ſe hic non correxerit, pœnitendo. Et hoc eſt quod dicitur Iſaiæ 1. comminando væ genti peccatrici, Populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis.

Explicatur *ſecunda pars*, quod *peccatoribus mandata Dei gravia eſſe videantur*; ſed revera in hoc miſeri peccatores ſummè errant ac decipiuntur: cùm expreſsè dicatur 1. Joannis 5. Mandata ejus gravia non ſunt. Gravitas rei nunquam perpenditur per unum hominem impotentem, ſed ſemper per hominem ſortem. Similiter judicium in vitiis & virtutibus, nunquam debet accipi ſecundum falſam opinionem errantis, ſed ſecundum rectam rationem Sapientis; ut patet ex 4. Ethic. Et ideò, quod malis videtur eſſe grave, non eſt eo ipſo grave; quia mali ſunt homines infirmi, juxta illud Pſal. Infirmati ſunt, & ceciderunt. Scitis quod ignis ſit levis, & terra gravis: in compoſito verò ex terra & igne, ſi prædominetur terra, mixtum deſcendet; ſi autem prædominetur ignis, mixtum aſcendet. Terra eſt anima humana gravis per peccatum, & per concupiſcentiam originalem; & ideò Eccl. 40. dicitur: Jugum grave ſuper filios Adæ. Et in Pſal. Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Charitas verò eſt ignis, Lucæ 12. Ignem veni mittere in terram. Quandò ergo ita eſt, quod anima ſeparetur à charitate, tunc manet terra ſimplex, & ab uno peccato labitur in aliud, ſitque tota gravis; undè tales habentes animam ſine charitate ſic alloquitur Pſalmiſta: Filii hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? ſed ſi fiat commixtio charitatis ad animam, charitasque Dei prædominetur, tunc anima perdit gravitatem ad hæc temporalia, teſte *S. Auguſtino*; & acquirit levitatem, mentem levando ad cœleſtia, juxta illud ad Coloſſ. 3. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Et illi qui tali modo per charitatem ſunt leves, mente aſcendendo in cœlum, manifeſtè ſateri debent, quod mandata Dei ſint facillima. Omnia enim poſſumus in eo, qui nos conſortat, *teſte Apoſtolo*.

Explicatur tertia pars, *quod peccatoribus ſit grave videre vicinum beneficum*. Sed re vera in hoc fingunt ſibi fieri aliquod gravamen, illudq; ſolùm ex particulari quadam invidia ſibi ipſis imponunt: diſplicet enim malis, quod boni, qui vivunt in proxima vicinitate ſeu propè illos, benè faciant, & benè vivant. Et talia invidi erant Judæi, qui cum nollent benè agere, etiam non libenter viderunt Chriſtum Dominum in ſanctiſſima vita ambulantem; ſed ex invidia contra illum dixerunt: Gravis eſt nobis etiam ad videndum.

Explicatur quarta para quod *malis videatur eſſe grave divinum judicium*. Et in hoc nullatenus errant, quia dicitur de illo extremo judicio. Iſaiæ 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus eſt gravis ad portandum. Iudex iſte ab alto deſcendet; quia teſte Pſalmiſta, A ſummo cœlo egreſſio ejus. Et ideò terribiliùs percutiet, peccatores autem gravitati ſuæ relicti, deſcendent ad inferna. Habebunt autem corpora damnatorum inexplicabilem gravitatem, & tamen Deus adhuc miſericorditer cum damnatis aget; quia licet quilibet damnatus mereretur eſſe in centro inferni, illi tamẽ qui erant majores peccatores loca centralia occupabunt; & alii minus gravea, loca ſuperiora & exteriora occupabunt, & ſic erit minor preſſura, quàm, ſi fieret è converſo.

Cur autem peccatores in mundo viventes non ſtatim ad inferna deſcendant, ratio eſt; quia Dominus ſupponit manum ſuam per ſe, vel per ſuos Sanctos, & prædicatores, qui eos reducunt ad pœnitentiam: differt enim Deus finalis ſententiæ ictum, atque diſſimulat peccata hominum, per pœnitentiam.

LECTIO XXVI.

TEXTUS.

Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis, & profert noviſſima juſtorum & gloriatur ſe Patrem habere Deum.

POſt octo accuſationes in duabus præcedentibus lectionibus à Iudæis contra Chriſtum allatas, à & nobis refutatas, nunc adducunt Iudæi adhuc quatuor accuſationes contrà Chriſtum. Itaque accuſant primò Chriſtum de criminali deriſione, & quod eos contemnat & parvi pendat; undè dixerunt: *Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo*, id eſt, æſtimati ſumus ab illo tanquam truſatorea vani, & inutiles.

Reſellitur tamen iſta judæorum accuſatio, quia in hac accuſatione judæi ſolum confundunt ſeipſos: Siquidem in rei veritate Iudæi erant tantum homines vani, truſatores ac inutiles: & quia Chriſtus ipſa veritas fuit, non poterat eos alio modo intitulare.

Secundò accuſant Iudæi Chriſtum *de partiali diviſione*, in quantum ſe diviſit à vita judæorum, & certos diſcipulos ad ſe traxit; quod videtur ſonare aliquam confœderationem nocivam reipublicæ. Undè dicunt: *Et abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis.*

Reſellitur tamen etiam hæc accuſatio; quia Chriſtus non ſolum totam eorum legem ſervavit, & implevit (Non enim venit ſolvere legem, aut Prophetas, ſed adimplere) ſed etiam perfectiorem legem & vitam docuit, quæ ſecundum eorum Prophetas legi eorum per novum legiſlatorem ſucceſſura erat. Undè Chriſtus novus Legislator, legem hanc ſanctam divulgavit, & bonis ac ſanctis illam recipientibus ſe conjunxit, & à malis hominibus Deo inobedientibus ſe ſubtraxit.

Tertiò accuſabant Iudæi Chriſtum, *de prajudiciali*

dicіali comparatione, quæ ſemper eſt odioſa, & in communitate ſemper comparat diſcordiam. Dixerunt ergò, *præfert noviſſima juſtorum*, id eſt, præfert vitæ noſtræ noviſſima, id eſt finale præmium juſtorum gentilium, non obſtante lege noſtrâ. Et hoc dixit Chriſtus Matth. 12. Ubi dixit: Quod viri Ninivitæ, qui egerunt pœnitentiam ad prædicationem Jonæ, & Regina Auſtri, quæ audita ſola fama Salomonis venit, ut informaretur ab eo, *ſurgent*, inquit, in judicio & condemnabunt generationem Judæorum, qui contempſerunt credere Chriſto, qui fuit major Salomone, & Jona.

Refellitur tamen iſta Judæorum accuſatio paucis verbis. Quia Chriſtus tanquam juſtus Judex juſtiſſimè fecit in hoc, quòd bonos prætulerit malis.

Quartò accuſant Judæi Chriſtum *de ſupernaturali uſurpatione naturæ divinæ*, per illa verba. *Et gloriatur Patrem ſe habere Deum.* Et hæc accuſatio in re coincidit cum ſexta accuſatione ſupra Lectione 4. explicata: Nam in re idem eſt Filium Dei ſe nominat, & gloriatur Patrem ſe habere Deum. Repetitur tamen ſecunda vice, quia agitur de re magni momenti. Sed

Refellitur etiam iſta Judæorum accuſatio. Nam Chriſtus per opera ſua miraculoſa, quæ fecit propria virtute, mortuos ſuſcitando, ſurdos curando, probavit ſe eſſe verum Deum. Et præterea Matth. 3. Vox Patris audita eſt de Chriſto: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Circà hoc

Nota quod ſit magna gloria veraciter habere Deum pro Patre, & poſſe quotidie cum ſana conſcientia dicere: Pater noſter qui es in cœlis, &c. Matth. 6. Nam gloriatur quidem de primogenitorum nobilitate; nihil autem eſt nobilius Deo: de quo dicitur *Luc.* 19. Homo quidam nobilis abiit in regionē longinquam accipere ſibi regnū & reverti. Quidā gloriantur de primogenitorum dignitate: Deus autem totius univerſi Rex eſt & Imperator: undè in Pſal. Deus autem Rex noſter ante ſæcula. — Quidam gloriantur de primogenitorum divitiis: & de Deo ſcribitur in Pſal. Gloria & divitiæ in domo ejus. Quidam de primogenitorum militiis: Deus autem eſt Dominus exercituum, Princeps militiæ & belli. De quo Job. 25. dicitur: Nunquid eſt numerus militum ejus? confidenter ergo gloriemur, nos Deum habere Patrem, quia gloria hominis eſt honor Patris ſui. Eccl. 3.

ARTICVLVS VNICVS.

An Pater cœleſtis reſpectu hominum ſervet liberalitatem ſufficientis exhibitionis, ſi ei ſerviamus; regularitatem ſufficientis caſtigationis ne delinquamus; & hilaritatem allicientis reconciliationis, ſi ad eum redeamus?

DIco, quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Deus tanquam Pater cœleſtis ſervet reſpectu hominum, *liberalitatem ſufficientis exhibitionis*, ſi ei ſerviamus. Nam ita Chriſtus dicit Luc. 11. Quis inquit, de hominibus petit à Patre panem, nunquid lapidem dabit ei? aut piſcem? nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? aut ſi petierit ovum, nunquid ſcorpionem porriget illi? Quaſi diceret, non; & conſequenter à fortiori arguit Chriſtus, quod Pater cœleſtis, qui miſericors & dives eſt in omnes, non denegabit illa nobis, quæ petemus ab illo. Undè ſubdit Chriſtus; Si ergo vos homines cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris; quantò magis Pater veſter cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Et ideò nullus timeat mundum contemnere, & paupertatem pro Chriſto ſubire, quia Deus ſibi ſervientibus ſufficienter providebit. Cùm aliquando ſecundus Generalis noſter, ſeu Magiſter Ordinis beatus Jordanus vir ſanctitate & doctrina illuſtriſſimus, in quadam Abbatia Ciſtercienſium benigniſſimè receptus fuiſſet, convenerunt optimi illi Religioſi & affabiliter locuti fuerunt beato Jordano, inter alia autem quæſiverunt ab illo; Magiſter quomodo poteſt Ordo veſter durare, cùm nihil habeatis undè vivatis? licet mundus ſit modo devotus, tamen ſcriptum eſt in Evangelio, quod refrigeſcet charitas multorum, & cùm non habueritis eleemoſynas, deficietis. Sed manſuetiſſimè ad hæc reſpondit beatus Jordanus. Veſtra ratio inquit, probat, quod vos potiùs deficiatis. Quia vos allegatis quod ſuperabundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum, ex hoc autem, quod ſuperabundabit iniquitas, iniqui homines, prædones, & raptores auferent bona veſtra, & cùm vos mendicare neſciatis, deficietis: ipſi autem de bonis veſtris conferent nobis abundanter *Hæc beatus Jordanus.*

Scitis, quod pater, qui habet tres vel quatuor filios, mittendos ad ſcholam, ſemper pecuniam pro omnibus dat ſeniori, non quia ipſum ſemper plus diligit (cùm ſæpè juniorem plus amet) ſed quia ſenior plus expertus eſt de ſæculo. Illo modo Deus alicui dat divitias hujus mundi non pro ſe ſolo, ſed etiam pro ſuis pauperibus, quorum diſpenſatorem Deus talem divitem conſtituit. Undè vos divites rectores, portatis communes pauperum fratrum burſas: ſed caveat ſibi quilibet, quod non ſit Judas. Judas enim loculos habebat, & ea, quæ Chriſtus ordinavit pro pauperibus, aſportavit, & in uſus proprios convertit: ſic modo faciunt aliqui divites, qui portant loculos pauperum, ſed eos ſolùm conſumunt in voluptatibus, & vanitatibus.

Qualiter autem Deus divitibus det divitias ratione pauperum, docet S. *Auguſtinus. Serm.* 24. Dives inquit & pauper, duo ſunt ſibi contraria, ſed iterum duo ſibi invicem ſunt neceſſaria. Nullus indigeret, ſi invicem ſe portarent; & nemo laboraret, ſi ambo ſe juvarent: dives propter pauperem eſt factus, & pauper propter divitem factus eſt. Pauperis eſt rogare, divitis erogare, Dei pro parvis magna repenſare, de miſericordia ejus parva, magna naſcitur copia: fœcundus eſt ager pauperum, citò reddit donantibus fructum. Via cœli eſt pauper, per quem venitur ad patrem. *Hæc S. Auguſtinus.*

Nec oportet, quod pauper ſolicitudinem exceſſivam habeat circa victum ſuum, & veſtitum. Undè Chriſtus Matth. 6. dixit ſuis diſcipulis: Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. *Et infra.* Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt, ſcit enim Pater veſter

cœleſtis, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primò regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

Explicatur *Secunda Pars*, quod Deus tanquam Pater cœleſtis reſpectu hominum ſervet *Regularitatem convenientis caſtigationis*, ut delinquamus. Inter illa, quæ Pater dat Filio, meritò *ab Ariſtotele* 8. *Ethicorum* ponitur diſciplina: Eſt enim melior puer non natus, quàm non diſciplinatus: Undè rectè dicit *Apoſtolus ad Hebræos.* 12. Quis eſt filius quem non corripit pater?

Homo nobilis, qui habet filios ſibi charos, facit eos diligenter caſtigari, corripi & flagellari pro quovis defectu; garriones autem & famulos relinquit ſibi ipſis. Sic etiam Deus reprobos, & finaliter damnandos relinquit ſuæ voluntati: Filios autem ſuos charos corripit in hoc mundo & caſtigat, nunc per infirmitates, nunc per ſubtractionem bonorum temporalium, nunc per detractionem malorum hominum; quæ omnia ſunt æquo animo ſuſtinenda, ſi cogitemus, quod Pater cœleſtis ſervet nobis hæreditatem beatam. Et hoc eſt, quod dicitur Sap. 11. Hos quidem, id eſt, filios tanquàm Pater monens probaſti, illos autem ſcilicet reprobos, tanquàm durus Rex interrogans condemnaſti: Et ideò dicitur Eccleſiaſt. 3. Iudicium patris audite filii, & ſic facite ut ſalvi ſitis.

Explicatur tertia pars, quod Deus tanquàm Pater cœleſtis reſpectu hominum ſervet *hilaritatem alliciantis reconciliationis*, ſi ad eum redeamus agendo pœnitentiam pro peccatis. Hujus rei figuram habemus Luc. 15. in filio prodigo, qui cùm portionem hæreditatis ſuæ vivendo luxurioſè in regione longinqua conſumpſiſſet cum meretricibus, tandem compulſus miſeria ad patrem rediit dicens: Pater peccavi in cœlum, & coram te, & non ſum dignus vocari filius tuus: tunc pater irruens in oſcula & amplexus filii, dixit ſervis ſuis: Citò proferte ſtolam primam. Dicamus ergo & nos Patri cœleſti: Pater peccavimus in cœlum & coram te, & non ſumus digni, vocari filii tui: & benigniſſimus Pater ex infinita ſua miſericordia reconciliabitur nobis, & ſtolam gloriæ cœleſtis nobis conſeret.

LECTIO XXVII.

TEXTUS.

Videamus ergo, ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus, quæ ventura ſunt illi: & ſciemus quæ erunt noviſſima illius; ſi enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus inimicorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus poſuit conſpirationem Iudæorum, quomodo vellent circumvenire & accuſare Chriſtum: nunc ponit Iudæorum conſpirationem ad Chriſtum occidendum. Moventur autem Iudæi ad occidendum Chriſtum ex aliqua crudeli curioſitate, ut nimirum experiantur quatuor de Chriſto, quæ per ejus mortem innoteſcent. An *Primò* Chriſtus ſit infallibilis veritatis. *Secundò*, an ſit impaſſibilis poteſtatis. *Tertiò*, an ſit infinibilis æternitatis, & *Quartò*, an ſit invincibilis Divinitatis. Itaque Iudæi primò judicant, ſi occiderint Chriſtum, ſe ſcituros an Chriſtus ſit infallibilis veritatis: & quantum ad hoc dicunt: *Videamus an ſermones illius veri ſint.* Conſtat autem quod ſermones Chriſti veri fuerint cùm Chriſtus fuerit ipſa veritas.

Secundò judicant Iudæi, quod ſcient, an Chriſtus fuerit *impaſſibilis poteſtatis*, & quantum ad hoc dicunt: *Tentemus*, id eſt, experiamur *quæ ventura ſunt illi*, ſi eum affigamus Cruci, & torqueamus. Sed ſtulti in hoc ſunt decepti: nam Chriſtus habuit duas naturas, divinam ſcilicet & humanam: Et licet fuerit impaſſibilis conſiderando ejus naturam divinam, erat tamen paſſibilis conſiderando ejus naturam humanam.

Tertio, volebant Iudæi experiri, an Chriſtus eſſet *infinibilis æternitatis*: & quantum ad hoc dicunt: *Et ſciemus, quæ ſint noviſſima illius.* Putabant enim mortem Chriſti eſſe ultimum, quod eum deſtruat, nec credebant, quod Chriſtus redivivus reſurgat à mortuis.

Quartò, putabant, quod experirentur, an Chriſtus eſſet *Invincibilis Divinitatis*. Et arguebant ſic. Si Deus permittat eum cruciari, & affligi per nos, & non liberaverit eum de manibus noſtris, colligemus, quod non ſit Filius Dei; & quantum ad hoc dixerunt: *Si enim verus eſt Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum.* Sed in hoc decepti ſunt Judæi: Chriſtus enim venit pro nobis mori, ut redimeret Sanguine ſuo quos condidit.

ARTICULUS PRIMUS.

An perſecutores Chriſti cognoverint ipſum eſſe Deum?

DIco quod nec dæmones, nec Principes, & in lege experti, neque ſimplices cognoverunt certò Chriſtum eſſe Filium Dei.

Ita enim colligitur ex Apoſtolo. 1 Corinth. 2. Si cognoviſſent, nunquàm Regem gloriæ crucifixiſſent. Quod exponitur ſecundùm Gloſſam, tam de moribus ſuggerentibus mortem Chriſti, quàm etiam de Iudæis. Item Chriſtus dixit Luc. 23. Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Item Actorum 23. dixit Petrus Iudæis: Scio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. Eſt tamen differentia inter principes ſeu majores inſtructos in lege, & inter ſimplices; quod Principes ſciebant Chriſtum eſſe Meſſiam in lege promiſſum, ſed non ſciverunt eum eſſe Deum.

Dixi in concluſione, quod non ſciverint certò Chriſtum eſſe Filium Dei, quia conjecturaliter putabant aliqui propter ſigna quæ fecit, quod ſit Filius Dei, vel ſaltem dubitabant, an non ſit Filius Dei.

Dices 1. dæmones Luc. 3. clamabant quid nobis, & tibi Ieſu Fili Dei: ergo dæmones cognoverunt Chriſtum eſſe Filium Dei.

Reſp. cum S. Thoma, quod dæmones conjecturaliter cognoverint Chriſtum eſſe Filium Dei, & ideò dæmones ex ſuppoſitione, vel ex ſuſpicione, non autem ex certa ſcientia Chriſtum vocabant Filium Dei. Vel dic, quod dæmones, & Iudæi cognoverint Chriſtum eſſe Filium Dei non

non per naturam, ſed per quandam gratiæ ſingularis excellentiam.

Dices 2. Principes ſciverunt Chriſtum eſſe illum, qui fuerat promiſſus in lege, ut docet S. *Auguſtinus in libros veteris & novi Teſtamenti:* Cùm ſecundum Prophetas Meſſias debuit eſſe Deus: Ergo Principes ſciverunt eſſe Deum.

Reſp. Quod licet Principes, & in lege periti ſciverint Chriſtum propter ſigna, & facta, quæ patravit, eſſe promiſſum in lege, non tamen ſciverunt omnes proprietates, quas de Deo prædixerunt Prophetæ, ſed tamen hoc ſciverunt, quod fuerit Meſſias. Imò nec exactè & perfectè cognoverunt Chriſtum eſſe Meſſiam, quantum ad omnia, quæ in rei veritate in vero Meſſia reperiuntur: aliàs ſi hanc exactam cognitionem Meſſiæ quantum ad omnia in ſe contenta (continet enim Meſſias in ſe naturam humanam & Divinam) habuiſſent, utique etiam cognoviſſent Chriſtum eſſe Filium Dei. Circa ly *Videamus*, ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An ad vitam noſtram virtuosè regendam requiratur, quod videamus ſupernam præmiorum affluentiam, internam commiſſorum conſcientiam, fraternam proximorum indigentiam, & æternam tormentorum vehementiam?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars, quod debeamus primò videre *ſupernam præmiorum affluentiam*: recogitando jucunditatem illius beatitudinis, quæ nobis promittitur in cœlis, & ſtatim vileſcit quidquid pretioſum invenitur in terris. Et de hac viſione dicit Pſalmiſta: Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Experimentum eſt, quod ſi denarius ponitur in ſcutella vacua & recedatur à ſcutella adeò, ut denarius non amplius videatur, hoc poſito, ſi aqua ſuperinfundatur, ſtante oculo in eadem diſtantia, denarius iterum apparebit propter aquam ſuperinfuſam denario. Moraliter. Denarius vitam æternam deſignat, juxta illud Matth. 20. Nonne ex Denario divino convenisti mecum? Iſte Denarius cœleſtis non apparet quibuſdam hominibus voluptuosè viventibus, qui elongantur à Deo; quales fuerunt illi duo peſſimi ſacerdotes, de quibus Danielis 13. dicitur: Declinaverunt oculos ſuos, ne viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum. Sed ſi ponantur tales homines in aqua lachrymarum compunctionis cordis, vel ſi ponantur in aqua tribulationis, tunc ſtatim iterum cogitant de Deo, & de cœlo, ad quod facti ſunt.

Cauſa autem quarè non laboremus pro cœleſtibus præmiis, ſicut facere teneremur, eſt iſta; quia cœleſtia præmia hic necdum videmus: ſicut homo qui tranſit officinas, in quibus merces ſunt coopertæ, non tentatur ad eas emendas, in nundinis autem ubi merces ſunt expoſitæ, homo facilè allicitur ad emendum, & hoc modo, Actorum. 7. vidit Stephanus cœlos apertos, & ſtatim voluit emere cœlum dicens: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Ecce ſtatim obtulit denarium ſuum. Item Proverb. 31. dicitur: Conſideravit agrum, & ſtatim emit illum; Et infra: Guſtavit, & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus.

Nihilominus multis contingit (ſicut Moyſi) qui aſcendens in montem, benè vidit terram promiſſionis, ſed nunquàm intravit in eam: Sic etiam quidam litterati vident regna cœleſtia per ſacram Scripturam, ſed nunquam intrant in illa per contemplationem.

Explicatur ſecunda pars, quòd debeamus videre *internam commiſſorum conſcientiam.* Scriptor ſi oculos ſuos avertat à libro, facit turpem litteram. Libri noſtri ſunt conſcientiæ noſtræ; undè Danielis. 7. dicitur: Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt conſcientiarum, ſecundum Gloſſ. & Apoc. 20. Iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libro ſecundùm opera eorum. Videamus ergo quid ſcribamus, dum liber eſt in *fieri*: & quod falſum eſt, corrigamus & abradamus per pœnitentiam. Hoc proprium eſt oculo, quod alia à ſe facile videat, ſeipſum autem non poteſt videre ſine ſpeculo: Sic etiam nos facilè videmus defectus aliorum, ſed proprios defectus non videmus ſine ſpeculo: Id eſt, ſine correptione alicujus viri ſancti. Tales autem, qui facilè defectus alienos vident, arguit Chriſtus. Matth. 7. dicens: Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras. Et ideò videte voſmet ipſos. Marci. 13.

Rectè ad propoſitum S. *Baſilius lib. 3. Hexameron ait:* Quo nihil difficilius ſit, quàm cognoſcere ſeipſum: Mens, inquit, noſtra ſatis acutè aliena delicta contemplatur; tardior tamen eſt erga ſuorum vitiorum cognitionem. Et ideò ſignanter dicitur unicuiq; noſtrum illud Ieremiæ. 2. Vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum. Te. inquit, *non alios.*

Explicatur tertia pars, quod debeamus videre fraternam proximorum indigentiam. De hac re Geneſis. 37. dicitur: Vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos: Sed revera multi vident fratres ſuos indigentes, ſicut Sacerdos & Levita, viderunt hominem ſauciatum, & tamen Levita pertranſiit, ut dicitur Luc. 10. Pertranſiit, inquam, nec miſericordiâ motus eſt. De tali autem immiſericordi homine dicitur Ioan. 3. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsè habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodò charitas Dei manebit in illo? id eſt nulla charitas manet in eo. Nos autem ſequi debemus Samaritanum, qui vulnera illius hominis ſauciati alligavit, & in ſtabulum ſecum duxit. Luc 10.

Explicatur quarta pars, quod debemus videre *æternam tormentorum vehementiam.* Homo, qui ſibi non prævidet diligenter de ſovea vel puteo, facilè cadit in illum: ſic etiam homo, qui non diligenter prævidet pænas putei infernalis, facilè incidit in illum puteum infernalem. Undè Pſalmiſta ait: Oculis tuis conſiderabis & retributionem peccatorum videbis. Quicunque autem rectè contemplaretur pœnas inferni, facilè ſe retraheret à peccato. Nahum. 3. Omnis, qui viderit te, reſiliet à te. Undè pulchrè *Hugo de S. Victore lib. ſuo de anima* ſic ait: Infernus lacus eſt ſine menſura, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili; ibi miſeria,

ibi

ibi tenebræ, ibi nullus ordo, ibi horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali. *Hac Hugo citatus.* Et ideò videte, vigilate, & orate. Marci. 13. & ad Epheſ. 5. Videre itaque fratres, quomodò communiter ambuletis; non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.

LECTIO XXVIII.

TEXTUS.

Contumeliâ, & tormentis interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus; & probemus patientiam illius: Morte turpiſſimâ condemnemus eum, erit enim reſpectus ex ſermonibus illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

QUia per ***Contumeliam*** probatur hominis humilitas, & per ***tormenta*** hominis patientia; ideò Judæi, ut probarent Chriſti humilitatem, voluerunt ei inferre contumelias; ad probandam autem Chriſti patientiam, voluerunt ei inferre tormenta. Dicunt ergò: ***Contumeliâ & tormentis interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus***, id eſt humilitatem, & ***probemus patientiam ejus per tormenta.*** Et mox ſubdunt, ***Morte turpiſſimâ***, id eſt, talem mortem inferamus ei, quæ ſit ſummè inhoneſta, & turpitudinem vilitatemque perſonæ Chriſti deſignet; ideòque ***condemnemus eum***, ad ſubeundam mortem Crucis, cum turpiſſimis & crudelibus circumſtantiis. ***Erit enim reſpectus ex ſermonibus illius***, id eſt, defenſionem & excuſationem habebimus nos ex ipſius ſermonibus, quibus dixit Joannis 2. Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quaſi dicerent: Videbimus, an poſt mortem reſurget.

Itaque quia omnis pœna homini infligenda conſiſtit in duobus; nempè in verbis, dum homo per verba convitiativa dehoneſtatur: Et in factis, dum homo per facta cruciativa debilitatur: ideò inquam, Judæi ad exſatiandam ſuam iram contra Chriſtum, eum volebant afficere utrâque pœnâ, tam verbis, quàm factis. Et ideò dicunt: ***Contumeliâ, & tormentis.*** Ut autem melius ſciatur quot modis poſſit homo verbotenùs injuriari, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Quot ſint vitia loquendi, quibus homo proximo ſuo injuriatur?

DIco, quòd ſint ſeptem talia vitia proximo injuriativa, nempè, ***Convitium, contumelia, improperium, detractio, ſuſurratio, deriſio & contentio.***

Explicatur aſſertio. Quia ſunt quatuor bona in homine, quæ alius homo injurioſè nititur diminuere, vel auferre, nempè ***Veritas, honor, fama, & amicitia.***

Et quidem contra ***veritatem*** eſt ***contentio***, quæ eſt quædam inordinata contrarietas in verbis, per quam homo intendit oſtendere, quod proximus dixerit falſum.

Contrà ***honorem*** autem ſunt quatuor vitia, puta ***Convitium, contumelia, improperium & deriſio.***

Convitium eſt verbo quomodolibet hominem dehoneſtare, ſive exprimatur vitium culpæ, vel pœnæ.

At verò ***Contumelia*** nunquam eſt, niſi quando homo injurioſè dehoneſtatur verbo exprimente culpam. Undè ſi dicam te eſſe ſcabioſum vel cœcum (quod pertinet ad pœnalitatem naturæ) convitium eſt: Si autem dicas de proximo quod ſit fur, vel latro, tunc eſt contumelia. Ex quo fit, quod quidem omnis contumelia ſit convitium, ſed non è contra.

Improprium eſt injurioſè recitare hominis indigentiam præcedentem, ſicut quando aliquis injurioſè, & contra charitatem coram aliis objicit alicui auxilium à ſe factum tempore ſuæ indigentiæ: quod cedit in diminutionem honoris talis perſonæ.

Dirſio eſt vitium ludendi, quo finaliter intenditur erubeſcentia alterius. Undè deriſor ſub ſpecie ludit, proponit aliquid, per quod facit hominem timere dehoneſtationem. Et hæc deriſio poteſt ſubindè eſſe peccatum mortale.

Contra famam hominis eſt ***detractio***, quâ dicuntur verba injurioſa, & latentia quædam de alio, cum intentione minuendi ſuam famam. Undè contumelioſus palàm ſua dicens, ſe habet ad famam & honorem, ſicut raptor ad bona exteriora. At verò detractor eſt fur famæ, nam de ratione detractionis eſt, quod latenter ſeu occultè quædam contra proximum dicantur alteri alicui. Contra amicitiam eſt ***ſuſurratio***; cujus finis eſt ſeparare amicitiam occultè, & ſeminare diſcordiam: & hæc eſt peſſima locutio. Cujus ratio eſt, quia amicitia eſt ***de bonis exterioribus optimum***; eſt enim melior, quàm fama & honor; & ideò ***ſuſurratio*** eſt pejor detractione, & contumelia. Sicut rapina pejor eſt quàm furtum, ita detractio pejor eſt quàm convitium, quæ non eſt ſimul contumelia; & contumelia pejor eſt deriſione, & improperio & etiam contentione, quantum eſt præcisè ex genere peccatorum. ***Rixa*** verò non conſiſtit propriè in verbis, ſed in factis; undè rixa eſt privatum bellum, inter perſonas privatas ſine publica authoritate.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Chriſtus fuerit violenter occiſus?

DIco, quod Chriſtus fuerit violenter occiſus à Judæis: cum quo tamen ſtat, quod Chriſtus voluntariè ſit mortuus.

Explicatur aſſertio. Dicimus: quod Chriſtus fuerit à Judæis occiſus violenter, in quantum perſecutores Chriſti intulerunt eidem ab extrinſeco cauſam ſufficientem mortis ſuæ, & ideò in textu allegato dixerunt Judæi, Morte turpiſſima condemnemus eum. Et *Luc.* 18. dicitur: Poſtquam flagellaverunt, occiderunt eum. Adeò que mors Chriſti, quantum fuit ex parte Judæorum, fuit malitioſè violenta. Credebant enim Judæi, quod Chriſtus nullo modo acceptaſſet voluntariè mori pro nobis. Dicitur tamen Chriſtus ***volunta-***

Digitized by Google

luntariè occiſus, & mortuus, quia permiſit naturam humanam ſuccumbere illi Judæorum tormento, cùm tamen potuiſſet, ſi voluiſſet nocumento, vel tormento illi reſiſtere. Undè quia anima Chriſti ex unione ad Verbum habuit vim conſervandi ſuam naturam à quacunque læſione, tamen naturam ſuam non præſervavit, ſed permiſit pati naturam quantum potuit. Ex hoc inquam fit, quod Chriſtus dicatur voluntariè mortuus, & tamen violenter à Judæis occiſus. Licet enim voluntas Chriſti poſſit dici cauſa mortis ſuæ indirectè, læſio tamen Judæorum ab extrinſeco facta, fuit cauſa directa mortis Chriſti.

Dices Primò. Chriſtus fuit voluntariè occiſus; Ergo non violenter. Antecedens patet ex Iſaia 15. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Et *S. Auguſt. 4 de Trin. cap. 28. de parvis & cap. 9. de magnis*, ubi ait Spiritus Chriſti non deſeruit carnem invitus, ſed quia voluit, & quando voluit, & quantum voluit. Conſequenter etiam conſtat, quia violenter aliquid fieri homini, denotat hoc fieri contra ejus voluntatem.

Reſ. quod Violentum *ex Ariſtotele. 3 Eth. cap. 1.* ſit illud, Cujus principium extra, paſſo non conferente vim ad hanc violentiam Et quia principium effectivum mortis Chriſti fuit ab extra, nec Corpus Chriſti paſſum aliquid cooperabatur ad ſuam mortem: ideò in Chriſti occiſionem, fuit violentia per ſe. Quia tamen Chriſtus non impedivit ſui occiſionem, cùm tamen eam potuiſſet impedire, ideò dicitur mortuus voluntariè. Et ita Chriſtus quoad ſui occiſionem faciendam à Judæis ſolùm habuit ſe permiſſivè: nunquam autem approbavit eorum negotium, quod in ſui occiſione patrabant. Ex his colligitur, quod Chriſtus etiam poſuerit animam ſuam à ſe ipſo permiſſivè, quia permiſit ſe voluntatibus Judæorum, quærentium ſuam mortem.

Dices ſecundò, Samſon in morte ſua, occidendo ſeipſum cum Philiſthæis, præfiguravit mortem Chriſti, Judicum 16. Ergo etiam Chriſtus tanquam res figurata, ut correſpondeat figuræ, occidit ſe ipſum.

Reſp. quod figuratum non debeat in omnibus correſpōdere figuræ, ſed ſolū correſpōdeat figuræ in eo, quod per ipſam principaliter intenditur. Undè figura ſolùm tenet in hoc, quod ſicut Samſon moriendo, inimicos ſuos deſtruxit: ita etiam Chriſtus moriendo, hoſtem humani generis deſtruxit. Non autem eſt ſimilitudo in hoc, quod ſicut Samſon ſeipſum occidit, ita etiam Chriſtus ſe ipſum occiderit. Circa illa verba *Morte turpiſſimâ condemnemus eum.* ſit

ARTICVLVS TERTIVS.

An mors Chriſto illata à Judæis fuerit pœnalis, & doloroſa; incurialis & ignominioſa: præjudicialis, & injurioſa?

Dico, quòd ſic.

Explicatur prima pars, quod mors Chriſti fuerit *pœnalis & doloroſa*; Quia Paſſio Chriſti fuit per totum corpus extenſa, ita ut à planta pedis uſque ad verticem capitis non fuerit in eo ſanitas; Fuit etiam Paſſio Chriſti terminata uſque ad mortem Crucis. Fuit autem hoc genus mortis longum, & doloroſum nimis. Undè S. Auguſtinus lib. de Trinitate ait: Longâ morte cruciabantur ligno ſuſpenſi. De iſtius doloris magnitudine exclamat Chriſtus per Prophetam *Threnorum 1.* O vos o[illegible]es, qui tranſitis per viam, attendite & vi[illegible] ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus. D[illegible] Morte. S. Bernardus dicit in quodam ſe[illegible] O bone Jeſu, quid tibi & morti? Nos deb[illegible]s & tu ſolviſti; nos peccavimus, & tu luiſti; opus ſine exemplo; gratia ſine merito; charitas ſine modo.

Explicatur ſecunda pars, quod Paſſio Chriſti fuerit *Incurialis & injurioſa*; undè dixerunt Judæi: *Condemnemus eum morte turpiſſimâ*: turpiſſimâ inquam ex genere, ex tempore, ex ſocio, & ex loco. Nam nullum ſupplicii genus magis ignominioſum fuit, quàm Crucis. Undè S. Bernardus inquit: O bone Jeſu, quàm dura, quàm aſpera pro hominibus paſſus es! dura verba, duriora verbera, duriſſima & horrenda Crucis ſupplicia. Idem *Melliſluus Doctor* alibi dicit: Caput Angelicis tremebundum Spiritibus, denſitate ſpinarum compungitur; Facies pulchra præ filiis hominum, ſputis Judæorum deturpatur; Oculi lucidiores Sole, caligant in morte; Aures, quæ audierunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum inſultus; Os, quod docet Angelos, felle & aceto potatur; Pedes quorum ſcabellum adoratur, Cruci clavo affiguntur; Manus quæ formaverunt cœlos, ſunt in Cruce extenſæ & affixæ; Corpus vulneratur, Latus lanceâ perforatur, & quid plura? Non remanſit in eo niſi lingua, ut pro peccatoribus exoraret, & Matrem diſcipulo commendaret. Hæc S. Bernardus. Item S. Auguſtinus *de 4. virtutibus Cardinalibus* ſic effatur, Filius Dei ad Crucem ducitur, expalmatur qui eſt vera palma victoriæ; ſpinis coronatur, qui peccatorum ſpinas venit confringere; ligatur, qui ſolvit compeditos; ſuſpenditur ligno, qui erigit eliſos; aceto potatur fons vitæ; diſciplina cæditur ſalus vulnerum; vita moritur, occidit ad tempus vitam mors, ut à vita in perpetuum occideretur mors. Hæc S. Auguſtinus.

Fuit etiam mors Chriſti *ignominioſa ex tempore.* Nam tunc temporis celebrarunt Judæi Paſcha ſuum, & fuit ſolemniſſimum feſtum totius anni, & majoris ſanctitatis: & ideò maximus populus confluxit ad civitatem de Iudæis. Gravius eſt autem affligi tali tempore, quo alii gaudent & lætantur communiter, quàm quando eſt tempus pœnitentiæ, quo alii communiter affliguntur. Deindè in illo tempore à Iudæis occiditur, quo eos liberavit ex Ægypto: illo etiam die Chriſtus expiravit, quo animam primo homini inſpiravit.

Fuit quoque mors Chriſti *ignominioſa* ex parte loci; nam fuit crucifixus in monte Calvariæ, qui fuit mons altus, & potuit videri à longe. Locus etiam ille fuit abominabilis propter cadavera mortuorum propè civitatem, quæ magnum cauſabant fœtorem.

Fuit item mors Chriſti *ignominioſa* ex parte ſocietatis, quia inter latrones duos medius ſuſpenſus eſt. Item quia fuerat ibi paſſus inter cognatos, & in præſentia ſuæ chariſſimæ Matris Mariæ. Et ideò ſine dubio Chriſtus mortem turpiſſimam ſuſtinuit. 2. Machab. 11. dicitur: Ipſe Lyſias turpiter fugiens evaſit. Lyſias interpretatur *genitus* & ſignificat Chriſtum à Patre genitum æternaliter & à Matre temporaliter. Hic inquam Lyſias, ſeu Chriſtus fugiens mala Iudæorum conſortia, turpiter evaſit, dum ſuſpenſus ab eis fuit in ligno Crucis.

Explicatur tertia pars, quod mors Chriſti fuerit *Præjudicialis & injurioſa*, quia Iudæi Chriſtum nec confeſſum, nec legitimè convictum cõdemnarunt ad mortem, undè de Iudæis per os Davidis fuit prophetatum: Captabunt in animam Iuſti, & Sanguinem innocentem condemnabunt.

LECTIO XXIX.

TEXTUS.

Hæc cogitaverunt & erraverunt; excæcavit enim eos malitia eorum. Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque ſperaverunt mercedem juſtitiæ, neque judicaverunt honorem animarum ſuarum.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN præſenti ponit *Primò* Spiritus ſanctus recapitulationem erroris impiorum: *Secundò* manifeſtat cauſam, cur erraverint, & *Tertiò* quomodo ſint decepti. Dicit ergo Spiritus ſanctus primò ſic: *Hæc cogitaverunt: hæc*, id eſt animæ rationalis mortalitatem, & vitæ carnalis voluptatem, juſtitiæ perverſitatem, & mortis Chriſti crudelitatem cogitaverunt impii. *erraverunt*; coguaverunt per malam deliberationem, & erraverunt per vitioſam electionem. Sequitur: *excæcavit enim eos malitia eorum*: Quæ verba ponuntur ad manifeſtandam cauſam erroris eorum: *excæcavit* enim *eos malitia eorum*, id eſt, ignorantia affectata, & contemptus ſciendi illa, quæ tenebantur ſcire, cum voluntate malè vivendi. In talem autem malevolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sap. 1.

Et neſcierunt Sacramenta Dei, id eſt myſterium Incarnationis & Paſſionis, quæ per divinam revelationem ſunt homini neceſſaria ad ſalutem. Et hæc eſt cauſa, quarè necdum multæ gentes informatæ ſint fide Chriſti: Vivunt enim ita malè, & vitioſè contra legem naturæ, ut non ſint digni habere gratiam: Lex enim gratiæ præſupponit legem naturæ in adulto.

Neque ſperaverunt mercedem juſtitiæ, id eſt, non ſperaverunt, quod poſt hanc mortem juſtis præmia & malis pœnæ dabuntur, ut in præcedentibus jam explicatum eſt.

Neque judicaverunt honorem animarum Sanctorum, id eſt non putabant, quod Sancti, qui melius vixerunt, & plus in iſto mundo paſſi ſunt, honorabiliores erunt poſt mortem, vel habituri ſint majorem gloriam in cœlo.

ARTICVLVS PRIMVS.

An aliqua credenda ſupernaturalia fuerint homini neceſſariò revelanda ad ſalutem?

DIco, quod homini ad finem ſupernaturalem elevato conſequendum, neceſſariò fuerint danda & revelanda media ſupernaturalia, per quæ finem ultimum ſupernaturalem conſequi valeat.

Probatur, fini ultimo ſupernaturali debent aſſignari media ſupernaturalia pro ejus conſecutione: ſed finis ultimus ſupernaturalis hominis eſt ejuſdem beatitudo ſupernaturalis, juxta illud 1. Corinth. 2. Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: Ergo pro hujus beatitudinis ſupernaturalis conſecutione debent aſſignari media ſupernaturalia: ſed hæc media ſupernaturalia ſunt, Fides, Spes, & Charitas, & Sacramenta Eccleſiæ nobis revelata à Deo: Ergo homini ad finem ſupernaturalem elevato conſequendum, neceſſariò danda & revelanda ſunt media ſupernaturalia, per quæ finem ultimum ſupernaturalem conſ. qui valeat.

Dices: Fides aliqua proponit quæ ſunt contra rationem, ut eſt de Sacramento Eucbariſtiæ, vel de Incarnatione Filii Dei, ergo vituperabile eſt illa credere, & conſequenter, nec illa credere tenemur.

Reſp. quod in fide hoc particulare ſit, quod ſit argumentum non apparentium, & ideò oportet captivare, non ſolùm ſenſum, ſed etiam intellectum in obſequium Fidei, ut ita credendo habeamus meritum apud Deum. Deindè licet Fides aliqua proponat, quæ non ſunt ad plenarium captum rationis noſtræ pro moderno ſtatu, ubi videmus per ſpeculum in ænigmate, & ſolùm habemus ſcientiam ſubalternatam, eadem tamen clarè apparebunt rationi noſtræ in patria cœleſti, ubi in lumine gloriæ videbimus lumen, habebimuſque ſcientiam ſubalternantem. Ex dictis patet aliud eſſe, quod fides aliqua proponat, quæ non ſunt ſtatim ad plenarium captum hominis pro hoc ſtatu, & aliud eſſe, quod fides aliqua credenda proponat, quæ ſunt contra rationem. Primum verum eſt, ſed ſecundum falſum. Undè *Hugo de Sacramentis* ait: Fides eſt voluntaria certitudo abſentium ſupra opinionem, & infra ſcientiam conſtitutorum; ut intelligas, quod in fide magis penſanda ſit certitudo, quàm claritas, certitudinem enim fides habet, non autem claritatem, ſed obſcuritatem; & ideò teſte Apoſtolo eſt argumentum non apparentium. Circa illa verba, *excæcavit illos*, ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum ſeptem peccata mortalia inferant cæcitates ſpirituales?

DIco, quod licèt omne peccatum natum ſit excæcare ſpiritualiter, juxta illud *Sophoniæ 1.* Ambulabant ut cæci, quia Domino peccaverunt; ſpiritualiter tamen ſeptem peccata capitalia inferunt cæcitates ſpirituales, quibus ſingulis correſpondent cæcitates corporales, quæ in ſacra Scriptura nominantur. Explicatur aſſertio diſcurrendo per ſingula peccata capitalia. Et quidem inprimis excæcat ſuperbia præ ſui nimia claritate. Eccleſiaſt. 43. Sol ſuis radiis affulgens excæcat oculos. Sol eſt pompa gloriæ hujus mundi, & figuratur per Pauli cæcitatem Act. 9. Circumfulſit enim eum lux de cœlo, & cadens in terram nihil videbat. De hac cæcitate poteſt exponi illud ad Rom. 11. Cæcitas ex parte contigit in Iſraël. Iſraël interpretatur videns Deum, & ſignificat hominem dona naturæ & fortunæ præventum, cujuſmodi ſunt homines ingenioſi, ſpecio-

ſpecioſi, fortes, & divites. Hæc enim omnia ſunt materia ſuperbiæ. Undè S. Auguſtinus in quadam epiſtola ait: Vitia cætera in peccatis, ſuperbia verò etiam in rectè factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Talis fuit cæcitas Epiſcopi Laodiciæ; cui dicitur Apoc. 3. Dicis, quia dives ſum, & locuples, & non ſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, pauper, cæcus, & nudus

Secunda cæcitas eſt *Invidia*, & hæc figuratur per cæcitatem *Heli ſacerdotis, de quo 1. Reg.* legimus, quòd caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat lucernam Domini, antequam extinguebatur, id eſt, ſine læſione oculorum ſuorum non poterat videre lucernam ardentem, ſed quando fuit extincta de die, tunc benè potuit videre. Taliter etiam contingit homini invido. Nam lucernam ardentem, hoc eſt, hominem piè & ſanctè viventem, videre non poteſt, quia lædatur in oculis cordis per invidiam. Sed revera de talibus invidis poteſt dici illud Iſai. 59. Palpavimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attractavimus, impegimus in medio, quaſi in tenebris.

Tertia cæcitas eſt *Iracundia*, undè de iracundo in Pſalmo dicitur: Turbatus eſt à furore oculus meus. Et hæc cæcitas figuratur per cæcitatem *Lamech*, qui jaculando ex arcu ſagittam, voluit occidere feram, & occidit Cainum, ut docet *Magiſter in hiſtoriis ſuper quartum caput Geneſeos*. Ita eſt de judicibus excæcatis per iram contra perſonam accuſatam, qui putant ſe occidere feram, id eſt, vindicare peccatum, & tamen irâ impediente occidunt perſonam. Et de talibus ſcribitur ad Eph. 4. Ignorantia eſt in illis propter cæcitatem cordis eorum.

Quarta cæcitas eſt *Acedia*, & figuratur per cæcitatem Tobiæ, qui dormiendo cæcitatem incurrit. Tobiæ 2.

Quinta cæcitas eſt *Avaritia*, & nimia habendi cupiditas, quæ facit homines ſimiles talpis fodientibus ſemper in terris: Et hæc eſt cæcitas, quæ facit hominem pauperem & mendicum. Undè figuratur per cæcitatem mendici ſedentis ſecus viam propè Iericho, & mendicabat à turba prætereunte. Lucæ 28. De tali avaro dicit Seneca Epiſtola. 38. Non qui parum, ſed qui plus cupit, pauper eſt.

Sexta cæcitas eſt *Gula*, quæ frequenter excæcat hominem, tam ſpiritualiter, quàm corporaliter. Undè Proverb. 23. Cui, væ? cujus patri væ, cui rixæ, cui foveæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffoſſio oculorum? Nonne his, qui morantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Et hæc cæcitas Gulæ deſignatur per cæcitatem cæci nati Ioan. 9.

Septima cæcitas eſt *Luxuria*, & amor voluptuoſus, qui aufert homini judicium rationis; quia ut canit Poeta

Omnis amor cœcus, non eſt amor arbiter æquus;
Nam deforme pecus, judicat eſſe decus.

Undè ſecundùm S. *Gregorium lib. 31. Moral.* Cæcitas mentis eſt prima filia luxuriæ. Et hæc cæcitas luxuriæ ſignificatur per cæcitatem Samſonis Iudicum. 16. quem Dalila amica decepit, & Philiſthæis tradidit excæcatum. Figuratur etiam per cæcitatem, qua percuſſi ſunt Sodomitæ, Gen. 19. cùm vim fecerunt Loth, & Angelis fuiſſent abuſi, qui in forma hominum apud Loth extiterunt hoſpitati: Porrò ab iſtis cæcitatibus nos cuſtodire debemus, qui ſumus viri Eccleſiaſtici, & litterati, quorum unicuique dicitur illud Iſaiæ 42. Dedi te in lucem populi, in fœdus gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domu carceris ſedentem in tenebris.

LECTIO XXX.

TEXTUS.

Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis fecit illum. Invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſt quàm Spiritus ſanctus poſuit errorem Impiorum de mortalitate animæ, & quod poſt mortem non erit præmium juſtis, nec pœna pro malis: nunc oſtendit falſitatem hujus erroris, & dicit: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inexterminabilem* inquam, id eſt, immortalem quo ad animam, quæ ad ſimilitudinem Dei facta eſt: in quo homo differt à brutis, quorum animæ moriendo pereunt. Imò etiam Deus dedit primo homini immortalitatem corporis in arbitrio ſuæ voluntatis, ita enim ut corpus ipſius ſit immortale, ſi liberè contra præceptum à Deo poſitum, non peccet.

Invidiâ autem diaboli, mors intravit in orbem terrarum, id eſt, poſtquàm diabolus è cœlo per ſuperbiam cadens, vidit, quod homo eſſet creatus ad vitam æternam, ex invidia inſtigavit hominem ad peccandum, ut patet Geneſ. 3. Homo autem habuit præceptum, quod ſi peccaret, moreretur. Et ideò poſtquam homo contrà Dei præceptum comedit ex ligno vetito pomum, peccavit, & peccando mortem incurrit, tam pro ſe, quàm pro toto genere humano; quia primus homo ſub illa lege accepit prohibitionem ligni vetiti, ut ſi is non comedat de ligno vetito, tam ipſe Adam, quàm ejus poſteri eſſent immortales: Si autem comedat de ligno vetito, tam ipſe, quàm ejus poſteri mortis ditioni ſubderentur. Anima autem Adæ, & ſuorum poſterorum animæ, per peccatum ſolùm ſpiritualiter dicuntur mortuæ, in ſe autem ſunt immortales.

Sequitur, *Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius*, id eſt, imitantur autem diabolum, deſcendendo ad infernum, ubi ille eſt. *Qui ſunt ex parte illius*, id eſt, qui peccant, & peccando pœnam æternam, mortemque ſpiritualem animæ ſuæ merentur. Circà illa verba, *fecit hominem inexterminabilem*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum corpus primi hominis, ſeu Adami, fuiſſet incorruptibile, ſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet?

Dico, quòd homo in ſtatu innocentiæ perſeverans, non habuiſſet immortalitatem à ſua natura; ſed à ſpeciali Conditoris Dei gratia, habuiſſet homo immortalitatem corporis.

Prima pars patet ex eo; quia corpus illud fuit compoſitum ex contrariis qualitatibus: Ergo fuiſſet ex natura ſua corruptibile.

Secundò. Homo eſt animal rationale mortale, ut dicitur 8. Metaph. Ergo cùm Adam nobiſcum fuerit univocè homo, etiam fuiſſet mortalis per naturam.

Secunda pars probatur, quia homo fuiſſet ordinatus ad finem ſupra naturam ſuam corpoream; Ergo decuit, quod in ipſa inſtitutione aliquid ſibi fuerit collatum ſupra facultatem principiorum naturalium, quæ ſunt anima & corpus. Habuit ergo anima primi parentis per donum gratiæ ſupernaturalis hoc, ut quamdiu primus homo ſervaret ordinem obedientiæ ad Deum, corpus vivificare poſſet in perpetuum: & ideò corpus primi hominis, ſi is non peccaſſet, corruptum non fuiſſet. De hac re videri poteſt S. *Thomas in 2. Sent. Diſt. 19.* Ut tamen meliùs intelligatur ſecunda pars aſſertionis,

Nota, quod in rebus corporalibus quadruplex modus corruptionis invenitur. Primus eſt generalis, quod nimirum omnes res habeant ſuæ durationis periodum, ut *dicitur 3. de Generatione.* Secundus modus eſt propter prædominium unius contrariorum, ſeu unius qualitatis contrariæ: & hoc fit in mixtis, dum illa harmonia ſolvitur, quam forma ſubſtantialis requirit. Tertius modus eſt, quod calor qui eſt inſtrumentum animæ vegetativæ conſumat humidum, in quod agit: & cùm non poſſit illud humidum reſtaurari naturaliter in ſua puritate, ideò ſemper admiſcetur cum humido nutribili, & ſic fit impurius humidum radicale: ſicut vinum aquâ mixtum fit debilius, & tantum poteſt vino commiſceri de aqua, quod planè fiat aqua.ut dicitur *10. de Generatione in fine.* Sic etiam humidum conſumitur finaliter, & animal moritur. Quartus modus corruptionis eſt per violentiam ab extrinſeco agente, ut gladio, vel alio ſimili inſtrumento. Modo ergo contra iſtos duos primos modos, animæ Adami in ſtatu innocentiæ datum fuit, quod juxta conditionem ſuæ immortalitatis corpus perficeret, & eidem perpetuam æqualitatem complexionis conferret.

Contra tertium verò modum corruptionis, habuit homo in ſtatu innocentiæ illud donum, quod per eſum lignorum de Paradiſo conceſſorum, fiebat reſtauratio deperditi ad certum tempus; & quia illa reſtauratio eſt cum admixtione humidi extranei magis & magis debilitantis humidum radicale: ideò homo habuit lignum vitæ, cujus virtus erat, ut alimentum taliter aſſumptum in perfectam aſſimilationem adduceret, & faceret humidum radicale ita recens, ſicut fuit in principio naturæ conditæ.

Contra quartum verò modum corruptionis, qui eſt per violentiam, conſervabatur homo per divinam providentiam, & propriam prudentiam, ut ab extrinſeco nihil ſui corruptivum pateretur. Et ex his plura argumenta, quæ contrà concluſionem fieri poſſunt, ſolvuntur.

Dices 1. Omne corpus compoſitum ex contrariis eſt corruptibile; ſed corpus Adæ in ſtatu innocentiæ fuit compoſitum ex contrariis: Ergo erat corruptibile.

Reſp. ex dictis, quod corpus primi hominis fuerit corruptibile ex ſua natura, eo quod fuerit compoſitum ex contrariis; cum quo tamen ſtat, quod fuerit incorruptibile per præſervationem ab extrinſeco ſubſidio divinæ providentiæ: & ab intrinſeco per gratiam juſtitiæ originalis.

Dices 2. Hæc eſt definitio hominis, quòd ſit animal rationale mortale, ut dicitur 8. Metaph. ſed primus homo fuiſſet univocè homo nobiſcum: Ergo etiam fuiſſet mortalis.

Reſp. quod fuerit primus homo in ſtatu innocentiæ animal rationale mortale, id eſt natum mori naturaliter: nihilominùs ſic fuit ordinatum à Deo, quod illa aptitudo moriendi nunquam fuiſſet in actum reducta, niſi homo peccaſſet. Et ideò ut dictum eſt, homo habuit in ſua poteſtate mori, & non mori; poſſe mori, & non poſſe mori, ſtante lege Dei, ſi homo peccaverit, vel non peccaverit contra præceptum divinum. Et ideò homo fuit quidem mortalis per naturam, ſed immortalis per gratiam.

Dices 3. Calor radicalis continuò egiſſet in humidum radicale primi hominis: Ergo tandem illud conſumpſiſſet, adeòque homo fuiſſet extinctus.

Reſp. Ex dictis quod perfecta reſtauratio humidi radicalis fuiſſet facta per eſum ligni vitæ. Ubi tamen

Nota, quod lignum vitæ non habuerit ex ſua virtute naturali, dare homini perpetuitatem vivendi, quia cùm lignum vitæ fuerit res creata, ideò virtus ſua finita fuit in durabilitate. Et ideò non contulit fortitudinem humidi radicalis. niſi ad certum tempus, ut dictum eſt: quo certo tempore elapſo, debuiſſet homo iterum comedere de ligno vitæ, & ſic deinceps, ſi tamdiu perſtitiſſet, & ſi non fuiſſet aſſumptus ad cœlum integraliter.

Nec huic doctrinæ obſtat illud Geneſ. 3. Ne fortè ſumat de ligno vitæ, & vivat in æternum. Non inquam obſtat. Quia ibi ly *in æternum*, accipimr pro eo, quod eſt diutius durare, quàm fit corpori humano conceſſum per naturam, vel ex principiis intrinſecis naturæ. Circà illam particulam *Invidia*, ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Invidia ſit toxicum Charitatis, oſtium iniquitatis, & vitium vel putredo ſanitatis?

Dico. quod ſic

Explicatur *Prima pars*, quod *Invidia ſit toxicum Charitatis.* Niſi enim invidia eſſet, quilibet de bono alterius gauderet, & de malo alterius doleret, hoc autem eſt proprium charitatis. Undè *S. Auguſtinus Tractatu ſupra Ioannem* ait: Tolle invidiam, & tuum eſt, quod habeo; tolle invi-

invidiam, & meum eſt, quod habes. Conſtat, quod venenum, quod eſt vita ſerpentis, ſit mors hominis: & ècontra humor aqueus, id eſt ſaliva, eſt vita hominis, & mors ſerpentis. Iſto modo etiam id, quod eſt vita hominis virtuoſi, eſt mors invido; & quod eſt mors vel damnum in viro bono ac virtuoſo, hoc eſt vita invido, qui ad mortem vel damnum homini virtuoſo illatum, gaudet.

Explicatur ſecunda pars, quod *invidia ſit oſtium iniquitatis*. Quia per invidiam mors intravit in mundum, ut dicitur *in textu lectionis*. Item per invidiam eſt occiſus *Abel à Cain*; Jacob tribulatus eſt ab Eſau; Joſeph venditus à fratribus; David perſecutionem paſſus à Saule; & Chriſtus morti traditus eſt à Judæis; ſciebant enim, quod per invidiam tradidiſſent eum *Matth.* 27. & iſtud *oſtium invidiæ* ferè nullus poteſt vitare. Undè ait *Seneca libro ſuo de moribus*: Etſi nullos inimicos tibi fecit injuria, multos tamen fecit invidia. Et Eccleſ. 4. Induſtrias animadverti patere invidiæ proximi.

Explicatur tertia pars, quod *Invidia ſit vitium, & putredo ſanitatis*. Nam Proverb. 14. dicitur: Vita carnium ſanitas cordis; putredo oſſium invidia. Nihilominùs invidia eſt vitium juſtiſſimum, quia in ſui Auctorem regreditur. Undè Hugo de S. Victore ait: Juſtius invidia nihil, quæ protinùs ipſum auctorem punit, & cruciat ſuum. Quod etiam confirmat S. Baſilius; ſicut, inquit, rubigo ferrum, ſic invidia animam, de qua naſcitur corrumpit. Et ideò maximam injuriam Deus faceret invido, ſi poneret eum in cœlo, quia ibi eſt ſumma fœlicitas in proximo & per conſequens ſummum nocumentum eſſet invido. Rectè tamen ponitur invidus in inferno, ubi nihil videbit, cui invidere poterit. Vos verò chariſſimi Fratres deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationem, & invidias, & omnes detractiones, quaſi modò geniti infantes, rationabiles ſine dolo, lac concupiſcite, ſcilicet charitatis. 1. Petri 2.

CAPITULUM TERTIUM.

LECTIO XXXI.

TEXTUS.

Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ; viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum; & ab itinere juſto abierunt in exterminium, & quod in nobis eſt iter exterminii: illi autem ſunt in pace.

EXPLICATIO TEXTUS.

HIc Spiritus ſanctus declarat fœlicem immortalitatem animarum juſtorum, & ſimiliter errorem impiorum, qui in ferendo judicio, ſeu opinione circà juſtos, decepti ſunt.

Dicit ergo *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, id eſt, licet corpora juſtorum multa paſſi ſint ab impiis, animam tamen nunquam potuerunt tangere: ſicut diabolus ſolùm corpus Jobi potuit affligere, animam autem ejus tangere non poterat. Undè Job. 2. dixit Dominus ad Sathan: Ecce in manu tua eſt, veruntamen animam illius ſerva. Itaque impii animas juſtorum tangere non poterant, *quia animæ juſtorum in manu Dei ſunt*, id eſt, in Dei protectione & gubernatione: *& non tanget illos tormentum malitiæ*, id eſt, animas juſtorum non tanget tormentum malitiæ infernalis. Imò nec juſti, dum animam ſuam efflant ex corpore, tormentum aliquod ſeu dolorem ſentiunt, qualem habent injuſti: nam ut dicit S. Bernardus in morte malorum eſt dolor in exitu, horror in tranſitu, & pudor in Dei conſpectu; ſed certè iſta non erunt in morte juſtorum: imò verò pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

Viſi ſunt oculis inſipientium mori, id eſt, impii turpiter erraverunt putando, quod juſti dum moriuntur, ſimiliter cum corpore & anima pereant, in quo tamen decipiuntur; quia animæ juſtorum vivent in gloria in ſæculum ſæculi: & mors juſtorum non eſt niſi requies à labore, juxta illud Apocal. 19. Amodò jam dicit ſpiritus ut requieſcant à laboribus ſuis. *Æſtimata eſt afflictio exitus illorum*, id eſt, putarunt impii, quod mors temporalis, quam ſuſtinuerunt juſti in hac vita, ſit ipſis doloroſa; imò juſtorum totalis deſtructio, quod tamen falſum eſt; quia poſt mortem hanc temporalem ingreſſi ſunt vitam æternam, quam ut citius conſequantur juſti, exſpectabant mortem, non in dolore, ſed cum deſiderio, dicentes cum Apoſtolo ad Philip. 1. Cupimus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. *Et ab itinere juſto abierunt in exterminium*, id eſt, putabant impii, quod juſti poſt mortem abierint in annihilationem, & nullum alium juſtitiæ fructum recipiant. Ubi nota quod iſta verba, & *ab itinere juſto abierunt in exterminium* ſecundū mentem Rabani non ſint de textu; undè etiam præfata verba in *Epiſtola de Martyribus* tranſiliuntur. Nihilominùs antiqui, & moderni, illa verba allegata habent. *Et quod in nobis eſt iter exterminii*, id eſt, impii putabant, quod mors nihil ſit aliud, quàm iter nos exterminans, ſeu extra terminos humanæ vitæ ponens, ita ut ceſſante vitâ hominis nihil ampliùs remanet de homine; & ideò putabant, quod mors juſtorum tali modo ſe habeat, ut poſt mortem nihil maneat, quod poſſit præmium recipere. *Illi autem ſunt in pace.* Per quæ verba oſtendit Spiritus ſanctus iſtorum impiorum, & inſipientium deceptionem; nam ubi putabant juſtos exterminari, affligi, & annihilari, contrarium accidit, dum videlicet juſti de hoc ſæculo nequam eripiuntur, & ſunt in pace. Undè Iſai. 32. dicitur: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta. De hac fœlici morte juſtorum dicit quidam Sanctus: Mors nihil eſt aliud, quàm exitus animæ de carcere, finis exilii, laboris conſummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris graviſſimi depoſitio, de equo furioſo deſcenſio, de domo ruinoſa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evaſio, omnium malorum conſumptio, omnium vinculorum diruptio, debiti naturæ ſolutio, reditus in patriam, & ingreſſus in gloriam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum animæ defunctorum habeant diſtincta receptacula poſt hanc vitam ſibi divinitùs deputata?

DIco, quod ſic.

Probatur, & explicatur aſſertio. Nam ſicut levitas & gravitas in corporibus requirunt diverſa loca, ut patet in 4. *de Cælo*; ita meritum & demeritum diverſa loca requirunt pro animabus; quod enim eſt corpori levitas, hoc eſt animæ meritum, & hoc quod eſt corpori gravitas, hoc eſt animæ demeritū Et ſicut gravia quando generantur, ſtatim ad loca ſua moventur, niſi impediantur, ſicut patet ex 8. Phyſ. ita animæ, quando à corpore ſeparantur, ſtatim ad loca ſua moventur: malæ animæ ad infernum, bonæ autem ad cœlum, niſi inveniant aliquod impediens per culpam venialem, & reatum pœnæ non ſolutum: Ergo animæ poſt hanc vitam conformiter ad ſua merita, vel demerita habent diſtincta receptacula. Ubi tamen

Nota primò, quod de iſtis receptaculis animarum poſt hanc vitam poſſimus loqui dupliciter. *Primo modo* de lege communi, alio modo de diſpenſatione ſpeciali. Et quidem poſt paſſionem Chriſti de lege communi ſunt quatuor receptacula animarum, nempè infernus damnatorum, Limbus puerorum pro originali, Purgatorium pro veniali, & cœlum pro perfectè bonis, quintum autem receptaculum antè Chriſti Paſſionem fuit limbus Patrum, qui tunc dicebatur Sinus Abrahæ. De diſpenſatione autem ſpeciali habent animæ ſubindè alia receptacula, inter homines, in quibus purgantur, ad informationem vivorum, & ad iſtarum animarum celeriorem redemptionem, & ita diverſimodè ad varia loca deputantur, prout divina Sapientia ipſis expedire judicaverit.

Nota ſecundò, quod ſpatium infernale in 4. portiones diſtinguatur; in infima ſunt damnati pro peccato actuali mortali: in ſecunda ſunt damnati pro peccato originali: in tertia parte ſunt animæ, quæ purgantur de lege communi à peccato veniali: & in quarta parte fuerunt animæ Patrum antiquorum uſque ad Reſurrectionem Chriſti.

Dices 1. Si animæ poſt hanc vitam habeant diſtincta receptacula, tunc vel poſſunt recedere ab illis, vel non; quia ſi receptaculum ſit locus pœnæ, tunc ſequeretur, quod tales animæ poſſent effugere pœnas, ſi autem ſit locus gaudii, ſequeretur, quod anima beata poſſit gaudium ſuum minuere, quod dici non debet. Deindè nec poteſt dici, quod tales animæ non poſſint recedere à ſuis locis; nam *S. Auguſtinus in libro ſuo de cura pro mortuis habenda*, aſſerit; quod aliqui ex mortuis mittantur ad vivos. Undè Matth. 17. Moyſes, qui fuit mortuus, in transfiguratione Domini unà cum Elia apparuiſſe legitur. Item *S. Gregorius lib. 4. dialog.* narrat de multis mortuis, qui vivis apparuerunt. Dæmones quoque per orbem terrarum mirâ celeritate vagantur: Ergo idem facere poſſunt animæ damnatæ.

Reſp. quod animæ nunquam ſimpliciter recedant à ſuis habitaculis, ita ut nunquam ad illud redeant; ad tempus tamen ex ordine divinæ providentiæ ſic permittentis, non autem ex lege naturæ vel viribus ſuis naturalibus poſſunt à locis ſuis recedere. Et hoc eſt quod docet *S. Auguſtinus loco citato*, quod animæ defunctorum ſubindè redeant ad viventes. Porrò iſta eſt differentia inter animas beatorum, & animas damnatas, vel in purgatorio exiſtentes; quod hæ non poſſunt ſemper quandocunque volunt viventibus adeſſe. ſed ſolùm ex Dei permiſſione, & tunc quidem non ad omnia loca, ſed ſolùm ad aliquam certam ſphæram loci: ſicut cani alligato funi, permittitur quod poſſit ambulare ſolùm per tantum ſpatium, quouſq; ſeſe funis extendit, undè ſi funis eſt longus, poterit per magnum ſpatium ambulare cāis, ſi autē funis eſt parvus, etiā ad parvū locū ſe talis canis movere poteſt. Cæterū dæmones ex permiſſione Dei vagantur per orbē ad tentandos homines, qui tamē redeunt ad infernū.

At verò animæ Beatorum poſſunt adeſſe viventibus, quando volunt, nec gaudium ſuum eſſentiale perdunt: ſiquidem ſemper vident eſſentiam divinam, in quo gaudium ſuum eſſentiale habent.

Dices ſecundò, ſi animæ haberent poſt mortem aliquod receptaculum, tunc unum ex illis eſſet *ſinus Abrahæ*; ſed conſequens eſt falſum, nam *ſinus Abrahæ* fuit limbus Patrum, ubi modò nulla anima recipitur. Ergo; ſequela patet, quia Eccleſia orat ut ſinus Abrahæ animam ſuſcipiat.

Reſp. cum *S. Auguſtino 12. ſuper Gen.* quod ſinus Abrahæ dicatur requies Sanctorum, qui olim fuit limbus, nunc autem eſt cœlum; & hoc modo orat Eccleſia, quod animam defuncti in ſinu abrahæ, id eſt, in cœlum recipiat. Circà hæc verba, *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, ſit

ARTICVLVS SECVNDVS,

Quot modis differant juſtus & impius?

DIco, quod juſtus, & impius, ex Scriptura ſacra colligantur differre quadrupliciter: differunt enim *vivendo*, *moriendo*, *patiendo*, & *pœnitendo*.

Explicatur *Prima pars*, quod juſtus, & impius differant *vivendo*: Quia juſti vivunt in pace, & tranquillitate, impii autem in diſcordia & contrarietate. Undè in Pſalmo: de juſtis dicitur: Pax *multa* diligentibus legem tuam: De impiis verò dicit *Iſaias 68 in fine*. Non eſt pax impiis dicit Dominus. Undè Chriſtus per teſtamentum nobis pacem ſectandam reliquit Joannis 14. Pacem relinquo vobis. Et Eccleſ. 45. dicitur: ſtatuit illis teſtamentum pacis.

Explicatur *ſecunda pars*, quod differant juſtus, & impius *moriendo*. Quia mors juſti eſt ejus ſpes & conſolatio; mors autem injuſti eſt deſperatio. Undè Provarb. 54. dicitur: In malitia expellitur impius, ſperat autem juſtus in morte ſua. Et Proverb. 11. Mortuo impio homine, ultra nulla erit ſpes. Et licet omnes Sacerdotes in toto mundo celebrarent pro anima impii mortui ſine pœnitentia, fruſtrà fieret. Undè *S. Auguſtinus 12. de*

Civi-

Civitate Dei cap. 2. ait : Si de aliquibus conſtaret, quod ita eſſent damnati, ſicut nunc conſtat de dæmonibus, Ecleſia non plus oraret pro eis, quàm pro ipſo diabolo.

Explicatur *Tertia pars*, quod juſtus & impius differant *in patiendo.* Quia juſtus ſuſtinendo adverſa, ſe exhilarat, injuſtus autem murmurat. Undè de juſto tantum dicitur : Proverb. 12. Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit. Item *Proverb.* 10. Labia juſti conſiderant beneplacitum, & os impiorum perverſa.

Explicatur *Quarta Par*, quod juſtus & impius differant *in pœnitendo* Quia juſtus in benè vivendo ſemper ſe accuſat, impius autem malè vivendo ſemper ſe excuſat. Undè de juſto Proverb. 18. dicitur : Juſtus prior eſt ſui accuſator; *Et in eodem capite dicitur:* Peccator cùm in profundum venerit, contemnit. Occaſione illorum verborum, *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt*, ſit

ARTICVLVS TERTIVS.

Qualiter animæ juſtorum in præſenti vita ſint in manu Dei?

DIco, quod animæ juſtorum in præſenti vita ſint in manu Dei *confortantis* ; in manu Dei *caſtigantis* ; & in manu Dei *conſervantis.*

Explicatur prima pars, quod juſti ſint in manu Dei *ſupportantis.* Nutrix puerum incipientem ambulare, continet inter manus ſuas, ne cadat, & quandò credit eum ex una parte caſurum, ſupponit manum ſuam ne cadat. Chriſtus eſt Nutritius noſter, O ee 11. Ego ero Nutritius Ephraim, & brachiis meis portabo eos; Ephraim interpretatur *creſcens* , & ſignificat nos viatores, qui creſcere debemus de virtute in virtutem. Duæ manus Dei ſunt Juſtitia & Miſericordia; & ideò in Pſalmo dicitur : In manus tuas commendo ſpiritum meum. Juſtitia dirigit, ut benè incedamus : Miſericordia ſublevat, ne nimis lædamur. Undè in Pſalmo : Cùm ceciderit juſtus non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.

Explicatur *ſecunda Pars*, quod animæ juſtorum ſint in manu Dei *confortantis* : Manus enim Domini erat mecum confortans me, Ezech. 3. Falco nobilis paſcitur manu domini ſui , aliàs ſi cibum haberet aliundè , avolaret à domino ſuo. Taliter nos Deus paſcit ſuis beneficiis , ut ea teneat ſemper in ſua manu , quam manum ſi Deus nobis claudat, patimur egeſtatem : ſed quando aperit eam , habemus copiam largitatis. Undè in Pſalmo dicitur : Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno, & imples omne animal benedictione; Et iterum in Pſalmo: Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate : aliàs enim à Deo homo avolaret. Undè Oſeæ 9. Ephraim, quaſi avis evolavit. Sic qui nimis abundant terrenis, avolant à Deo, ſicut falco à domino ſuo, quandò nimis ſatiatur.

Explicatur *tertia Pars*, quod animæ juſtorum ſint in manu Dei *caſtigantis*: Quandò Medicus manu ſuâ propinat infirmo, & præguſtat medicinam, tunc licet medicina ſit acuta , infirmus tamen accipit illam. Chriſtus Medicus noſter eſt, & calicem Paſſionis prægustavit , quem nobis pro remedio peccati propinat in præſenti. Et ideò oportet , ut ſuas caſtigationes filiali benignitate ſuſcipiamus. Undè in Pſalmo : Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.

Explicatur *quarta pars*, quod animæ juſtorum ſint in manu Dei *conſervantis.* Id quod homo continuò in manu tenet , hoc benè obſervat. Chriſtus autem in manibus ſuis nos ſervat. Solet etiam homo dicere, quando nomen alterius habet ſcriptum in ſuo libro , habeo illum in libro meo: Chriſtus autem nos in manibus ſuis ſcripſit, ita ut non poſſit noſtrûm oblivisci. Iſaiæ. 49. Nunquid poteſt mulier obliviſci infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui ; ecce in manibus meis deſcripſi te.

Nota hic quod Deus in manu ſua aliter habeat animas juſtorum, & aliter animas peccatorum. Quandò aliquis eſt dominus alicujus monaſterii, & dimittit illud in aliena cuſtodia, ita ut alii ad certum tempus percipiant fructus illius monaſterii, tunc ſolemus dicere , quod licet illud monaſterium ſit talis domini , non tamen eſt in manu ſua, eò quod nihil indè percipiat : quandò verò dominus ille inhabitat tale monaſterium, & fructus indè percipit, illiusque uſum habet, tunc dicitur tale monaſterium eſſe in manu ſua. Sic etiam Deus , eſt quidem Dominus peccatorum, ſed non inhabitat eos per gratiam, nec recipit fructus ab eis : & ideò ſolùm animæ juſtorum, quos per gratiam inhabitat , & à quibus fructum laudis percipit, ſunt in manu Dei , non autem animæ peccatorum , niſi ſolùm ad hoc, ut Deus finaliter tales peccatores puniat.

LECTIO XXXII.

TEXTUS.

Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt ; In paucis vexati, in multis benè diſponentur: quoniam Deus tentavit illos, & invenit illos dignos ſe.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN præſenti oſtendit Spiritus ſanctus, quod ea quæ juſti in præſenti, ſeu temporali vita ſuſtinent, non ſint æqualia illis , quæ pro præmio accipient in ſæculo futuro; & ita Sancti in præſenti tribulantur, vexantur, & tentantur. Tribulantur in pœnis , vexantur in verbis , tentantur in divinis promiſſionibus : ſed contrà tribulationes pœnarum habent ſpem immortalitatis, contrà vexationem verbalem contumeliarum habent ſpem æternæ tranquillitatis , & contrà divinam tentationem habent ſpem præcipuæ dignitatis.

Dicit ergo : *Etſi coràm hominibus* (qui ſolùm exteriora videre poſſunt) *tormenta paſſi ſint* in ſuis corporibus, illa ſuſtinendo; *ſpes tamen illorum immortalitate plena eſt*, id eſt , ſperant à Deo pro his tormentis in vita altera immortali præ-

præmiati. Undè ſpes eorum non confundet eos. *ad Rom. 5.*

In paucis vexati, id eſt, in verbis cootumelioſis vexati: Quia licet in ſe multæ contumeliæ fuerint, aut ſint, quas patiuntur juſti; pauca tamen reputantur reſpectu illius beatitudinis, quàm pro iſtis verbis contumelioſis Sancti percipiunt. Eſt enim, teſte Boëtio, Beatitudo ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. & ideò ſubditur: *In multis benè diſponentur*, id eſt, Sancti accipient beatitudioem æternam, & cum illa omnia bona. *Quoniam Deus tentavit illos*: puta non ad illorum detrimentum, & dejectionem, ſed ad eorum emolumentum & promotiooem; Et ideò ſubdit, *Et invenit illos dignos ſe*: id eſt ſuâ ſocietate & charitate. Circà hæc poſteriora verba

Nota 1. quòd ſit difficilè, ſed virtuoſum, eſſe vel fieri dignum Deo; ad hoc enim requiritur perfectus mundi cootemptus; undè ait Chriſtus Matth. 10. Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non eſt me dignus; & qui amat filium vel filiam plus quàm me, non eſt me dignus; & qui oon abnegat ſemetipſum, & non accipit crucem, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui ergo vult eſſe dignos Chriſto, omnia, & ſeipſum debet relinquere pro Chriſto, ut eum lucrifaciat.

Nota 2. quòd *tentare* impropriè conveniat Deo, cujus oculis omnia patent, qoique ſcientiarum Dominus eſt; Tentare enim propriè eſt experiri aliquid, & habere experientiam alicujus, qood anteà oon ſcivit, ſicut homo tentat, ſeu guſtat vinum, an ſit forte vel debile: & hoc modo propriè tentare Deo, omnia ſcienti, non competit. *Tentare* autem *impropriè*, eſt experiri aliquem cum intentione manifeſtandi conditiooes ejus aliis; ſeu tentare impropriè, eſt homini præbere occaſionem ad aliquid faciendum, qood tamen jam certè prævidet talem hominem eſſe facturum, ut poſtquam homo illud fecit, ad quod faciendum ſic tentatus, vel provocatus eſt, hooor ejus creſcat apud alios; & hoc modo Deus tentavit Abraham Geneſ. 22. Tentare autem *callidè*, eſt accipere experientiam alicujus hominis cum intentione decipiendi eum; & ſic tentare propriè convenit diabolo, & nullo modo Domino Deo: Undè *Iacobi* 1. dicitur: Nemo cùm tentatur, dicat, quia à Domino teotatur, Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. Ubi Gloſſa addit: Deus tentat non ſeducendo ad malum, ſed exercendo ad meritum: vel Deus tentat illos, id eſt, tentari permiſit. Circà illa verba: *Quoniam Deus tentavit illos*, ſic

ARTICVLVS VNICVS.

Cur Deus Electos ſuos tentari permittat?

Dico, quòd Deus Electos ſuos tentare permittat ſpecialiter propter tria: nempè, *primò* ad exercendam naturæ noſtræ probitatem, in habentibus liberom arbitrium cum dono gratiæ. *Secundò* ad confitendam noſtræ naturæ imbecillitatem, oe ſuperbiamus. Et *tertiò* ad promerendam vitæ æternæ felicitatem.

Explicatur *prima Pars*, quòd Deus Electos tentari permittat, *ad exercendam natura noſtrà probitatem, in habentibus uſum liberi arbitrii cum dono gratia.* Si Rex aliquis daret arma & equum alicui militi, ut is ſtrenuè pugnet pro Rege ſuo, & iſte miles generosè pugnaret, ſine dubio præmiaretur à Rege illo. Chriſtus Rex noſter dedit oobis arma, liberi arbitrii gratia illuſtrati, cum equo corporis ooſtri. Et hæc ſunt arma ſimilia armis Dei, quia ad imaginem & ſimilitodinem ſuam fecit eum; & inſuper gratia fecit eum participem naturæ divinæ. Cooperemus proindè gratiæ Dei, & viriliter pognemus pro honore noſtri Regis Jesu Chriſti, reſiſtentes diabolo, qui tanquam leo circuit quærens quem devoret. Nec miremur tentationem immitti nobis; dicit enim Scriptura Job. 7. Tentatio eſt vita hominis ſuper terram, ſic Deus tentavit Abraham de immolatione filii ſui unigeniti, Geneſ. 22. Sic etiam omnes ſuos amicos tentari permittit; & ideò Tobiæ 12. dicitur: Qui acceptus fueras Deo, neceſſè fuit, ut Deus teotaret te. Et omnis Chriſto ſerviens certò tentabitur, propter quod ſignanter dicitur Eccleſ. 2. Fili accedens ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.

Explicatur *ſecunda pars*, quod Deus permittat Electos tentari, *ad confitendam noſtra natura imbecillitatem*; niſi enim tentaremur, facilè de oobis ipſis ſuperbiremus: & ideò permittit Deus clementer Sanctos ſuos tentari, ut patet in S. Paulo, de quo 2. *Cor.* 12. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis, angelus ſathanæ, qui me colaphizet. De hoc loquens S. *Gregorius 9. moral. cap. 36.* dicit: Superna diſpenſatio ideò nos tentari permittit, ne mens noſtra audeat præſumptione ſuæ ſecuritatis elevari. Et 9. Moral. cap. 3. inquit: Ad prima trahit caro, ne extollatur ſpiritus; & ad ſumma trahit ſpiritus, ne extollatur caro, ſpiritus levat, ne jaceamus in infimis, caro aggravat, ne extollamus ex ſummis. Et ideò ſignaoter Pſalmiſta dicit; Proba me Domine, & tenta me. ure renes meos & cor meum. Ad quæ verba Gloſſa dicit: id eſt, judica me eſſe probatum; non tibi, qui omnia noſti, ſed mihi & hominibus: niſi enim tentares, negligentes eſſemus, vel nimium de nobis præſumeremus. *Ibidem notat Gloſſa*, qood aliter teotet Deus, aliter homo, & aliter diabolus: Deus enim tentat ut erudiat, homo ut ſciat, diabolus verò ut ſeducat. Undè eſt illud adagium:

Dat tria tentare: ſeducere, ſcire, probare.

Explicatur *tertia Pars*, quod Deus oos tentari permittat *ad merendam vita æterna fælicitatem.* Undè Jacobi 1. dicitur: Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ; Licet autem diabolus omnes tentet, maximè tamen inſidetur contrà perfectos Prælatos & Religioſos. Et ideò *Petrus Ran. in quadam Epiſtola ait*: Mundus adverſus deſertores ſuos fortiùs pugnat. Nam & in exitu Iſraël de Ægypto Pharao vehementiùs excanduit, & ſathanas egrediens ab homine, quē ab infania tenuerat, ipſā gravius in egreſſu diſcerpſit.

Et ideò *Hugo lib. 1. de Clauſtro animæ*, Religioſos inſtruendo, quatuor adducit tentationum cauſas: quarum prima eſt *Loci amœnitas*, ut civitates & oppida, quæ oon tantum ex ſitu loci

amœ-

amœnitatem recipiunt, ſed etiam ex cohabitantium gratia.

Secunda cauſa eſt, locus divitiarum: ubi enim divitiæ, ibi periculum. Tertia cauſa eſt, pretioſus ornatus & equorum pinguium cura, & varietas veſtimentorum exquiſitorum. Quarta cauſa eſt, mulierum ſpecies, quarum vox blanditur auribus, & facies oculis.

Porrò iſtas occaſiones, Fratres chariſſimi, diligenter caveamus, quia tentatio non lædit, niſi obediamus; & hoc eſt, quod metricè dicitur:

Hoſtis non lædit, niſi cùm tentatus obedit.
Eſt Leo, ſi cedit: ſi ſtat, quaſi muſca recedit.

Et hoc eſt, quod promittit Apoſtolus 1. Cor. 10. dicens: Fidelis Deus eſt, qui non permittit tentari vos, ſuper id quod poteſtis, ſed facit cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere.

LECTIO XXXIII.

TEXTUS.

Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos; & in tempore erit reſpectus illorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

T*Anquam aurum in fornace probavit illos*, id eſt, ſicut aurum probatur in camino ignis, & quanto frequentiùs liquefit, ac tranſit per ignem, tantò fit purius; ita homo probatur à Deo per ignem tribulationis in hoc mundo, ita ut illi Sancti ſint Deo chariores, qui plus pro eodem paſſi ſunt. *Et quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos*, id eſt, ſicut holocauſtum præ omnibus ſacrificiis fuit Deo gratiſſimum, eo quod in holocauſto totum incendebatur, & Sacerdos ſibi nihil ſervavit, quàm ſolam pellem: ita Martyrium in actibus meritoriis eſt Deo gratiſſimum; & mundus, qui vos odit, Joannis 15. & occidit, nihil ſibi retinet niſi pellem, id eſt gloriam ſæcularem. Et *in tempore erit reſpectus illorum.* Quaſi diceret: *in puncto*, id eſt, in modico inſtanti paſſi ſunt Martyres, & in *tempore* prolixo & longo, id eſt in æternitate, erit *reſpectus eorum*, id eſt præmiatio. Unde dicitur Iſai. 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus maximis congregabo te; in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Circà illa verba, *Tanquam in fornace probavit illos.* ſit

ARTICULUS UNICUS.

Qualiter Electus à Deo probetur?

DIco, quod Electus à Christo probetur, Primò ſicut *Clericus ante promotionem*, Secundò ſicut *Novitius ante profeſſionem*. Tertiò ſicut *Baccalaureus ante Magiſterium*, & Quartò ſicut *Denarius antè ſolutionem.*

Explicatur *prima pars*, quod Electus à Chriſto probetur ſicut *Clericus antè promotionem*. Quia Clericus antè promotionem examinatur; & quantò ad altiorem Ordinem aſpirat, tantò acrius examen debet ſubire. Omnes nos promovendi ſumus ad Ordines; quia in futuro ſæculo omnes erimus Sacerdotes: Undè Apoc. 5. Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes.

Ordinando magnus favor fieret, ſi ei priùs diceretur, de qua re examinabitur, quia ſic poſſet ſe meliùs præparare ad reſpondendum. Iſte favor fit nobis. Nam Ordines fiunt in Reſurrectione generali in die judicii; quando juxta merita noſtra ad Ordines Angelorum promovebimur pro ſemper: & nunc dicitur unicuique noſtrûm illud Pſalmi: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech; Et nunc ſumus præmoniti, de qua re examinabimur. Nam examinabimur de operibus liberalitatis, ſeu miſericordiæ, & pietatis, ut patet ex illo Matth. 25. Eſurivi & dediſtis mihi manducare, &c. Et ideò qui neſciverint hanc donationem, & liberalitatem ſeu miſericordiam, rejicientur ab Ordinibus & reponentur ſicut laici, & ponentur ibi, ubi eſt nullus Ordo, Job. 10. Diciturque iſtis: Ite maledicti in ignem æternum. Boni autem & Electi, qui benè reſpondere poſſunt de ſua miſericordia, certi erunt de corona. Undè Tobiæ 3. dicitur: Hoc habet pro certo omnis, qui colit te, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur. Et Jacobi 1. Cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

Explicatur *ſecunda pars*, quod Electus probetur à Deo, ſicut *Novitius antè profeſſionem*, undè tempus Novitiatus eſt tempus probationis ſecundùm jura. Licèt autem Novitius gerat eundem habitū, quē portant Profeſſi, Novitio tamē eſt adhuc liberū habitū illū deponere, vel ſervare, & ideò non habet habitū inſeparabiliter. Habitus & ornatus animæ eſt gratia, vita autem præſens eſt tempus novitiatûs, & tempus probationis. Undè ad Rom. 12. dicitur. Renovamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & benèplacens, & perfecta. Licèt ergò nos geramus habitum Profeſſorum, hoc eſt Beatorum (qui habitus eſt gratia) non tamen ideò profeſſi ſumus, quia habitum gratiæ poſſumus peccando deponere, & amittere.

Porrò Novitii in ſacro noſtro Prædicatorum Ordine examinantur diligenter de moribus; & ſpecialiter interrogantur de quinque punctis. Nam *primò* quæritur talis Novitius, an ſit conditionis ſervilis. *Secundò*, an alterius ſit profeſſionis. *Tertiò*, an ſit mulieri conjugatus. *Quartò*, an ſit debitis obligatus. & *Quintò*, an habeat infirmitatem occultam. Si verò aliquem iſtorum defectuum habuerit, & hoc ſciatur, repellitur à profitendo. Certè hæc quinque Chriſtus etiam inquirit in ſuis novitiis. Nam *inprimis* inquirit, an ſit ſervilis conditionis, nempè, an ſit totus datus ſervitiis mundi, pro divitiis & honoribus conſequendis in hac vita? Et ſi ſic, non admittit eum; Undè Matth. 6. dicitur: Nemo poteſt duobus dominis ſervire.

Secundò, examinatur Electus à Domino, an ſit alterius profeſſionis; id eſt, an ſit radicatus in mala conſuetudine peccandi? Et talis licèt poſſit admitti à Chriſto ad profeſſionem, non tamen ſine difficultate, quam cauſat talis hominis conſuetudo peccandi.

Tertiò, examinatur Electus à Deo an nō ſit mulieri conjugatus; id eſt, an ſit deditus operibus carnis? Et talis non admittetur ad profeſſionem,

vel ſaltem non ſine difficultate: quia non accedit ad Chriſtum cum perfecta voluntate ipſi ſoli ſerviendi, & de tali dicitur illud Luc. 14. Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire.

Quartò, examinatur Electus à Deo, an non ſit ratiociniis obligatus? Certè homo v. g. uſurarius (& idem eſt de homine ſimoniacè promoto, vel de eo qui ſpoliavit alterum, nec vult reſtituere) qui de pecunia uſuraria fuit ditatus, tenetur ad reſtitutionem, ſi autem reſtituere non velit, non admittitur à Chriſto ad profeſſionem aut gloriam cæleſtem: Nec dimittitur ei peccatum, niſi reſtituat ablatum, ut docet S. Auguſtinus. Undè de iſtis nolentibus reſtituere rem ablatam, dicitur in Pſalm Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.

Quintò, quæret Deus ab Electo, an habeat aliquam occultam infirmitatem, id eſt, an habeat peccatum occultum, & grave, quod necdum expiavit per pœnitentiam? Si enim tale peccatum non confeſſum habeas, Chriſtus te non admittet ad profeſſionem. Et ideò quiſque noſtrûm ſtudeat ſe tali modo gerere, ut cùm à Deo ex iſtis quinque punctis fuerit examinatus, benè ſubſiſtat, ne à profeſſione, id eſt à gloria cœleſti cum confuſione repellatur. Et hoc eſt, quod monet Apoſtolus 2. ad Timotheum 2. Cura temetipſum probabilem exhibere operarium, inconfuſibilem, & qui ſic inventus fuerit, facit profeſſionem ſuam in finali judicio, dicens illud Deut. 26. Profiteor hodie coram Domino Deo, quod ingreſſus ſim terram, pro qua juravit Patribus noſtris.

Explicatur *tertia pars*, quod Electus à Deo examinetur ſicut *Baccalaureus antè Magiſterium*. Nam Baccalaureus antè Magiſterium probatur in tribus: nempè in *legendo*, *reſpondendo*, *& opponendo*. Debet enim legere talis magiſtrandus, ad minus unum volumen ſuæ facultatis. Nos quoque per confeſſionem legere debemus volumen conſcientiæ noſtræ. Stolidus Clericus eſt, qui neſcit legere Scripturam ſuam, & opus proprium, ad Galat. 6. Opus autem ſuum unuſquiſque probet, & ſic in ſemetipſo gloriam habebit.

Secundò, debemus *Opponere*, id eſt, arguere per juſtam correptionem proximorum, & hoc pertinet principaliter ad Prælatos & ſubindè etiam ad omnes. Undè Matth. 18. ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe illum inter te & ipſum ſolum. Undè Sap. 1. dicitur. Probata virtus corripit inſipientes, & Prælatis dicitur Jeremiæ 6. Probatorem in populis dedi te.

Tertiò, debemus reſpondere *pro gratiarum actione*. Undè 1. ad Teſſ. 5. dicitur: In omnibus gratias agite. Et qui hoc compleverit, dignus eſt gradu Magiſtrali, exemplo Tobiæ, qui in ſe hæc omnia formaliter & devotè complevit, peccata ſua confitendo, uxorem corripiendo, & Deo pro cæcitatis flagello gratias agendo: & ideò ei dictum fuit: Quia acceptus coràm Deo eras, ideò neceſſè fuit, ut tentatio probaret te.

Explicatur *quarta pars*, quod Electus probetur à Deo ſicut *Denarius antè ſolutionem*. Qui alteri mutuat denarium, diligenter conſiderat antè ſolutionem, quantitatem, pondus, & imaginem, ſonum, & materiam: quia ſi in aliquo iſtorum defecerit, non eſt legalis moneta, nec debet accipi. Quantitas eſt æquitas; pondus eſt charitas, imago eſt juſtitia, ſonus eſt veritas, ad omnes, & ad ſe ipſum. Unuſquiſque noſtrûm à Chriſto denarium recepit, id eſt, animam rationalem habentem imaginem Regis Regum; & in die mortis eſt tempus ſolutionis: & tunc oportet reddere denarium, & Chriſto offerre. Undè Marc. 12. Offerte mihi denarium: Et certè niſi denarius habeat quinque prædicta, puta quantitatem, pondus, imaginem, ſonum, & materiam, reprobabitur. Et ideò Jerem 6. dicitur: Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projicit illos. Si verò prædicta quinque habuerit, dicet nobis Chriſtus illud Geneſ. 43. Pecuniam, quam dediſti mihi, probatam habeo. Et de noſtro denario verificatur illud Pſalmi: Argentum igne examinatum probatum terræ, purgatum ſeptuplum, examinatum igne charitatis; probatum terræ, id eſt, à terra nihil habens terrenæ vanitatis: purgatum ſeptuplum, à ſeptem vitiis capitalibus, quæ ſunt radices univerſæ iniquitatis.

LECTIO XXXIV.

TEXTUS.

Fulgebunt Iuſti, & tanquam ſcintilla in arundineto diſcurrent.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus poſuit promiſſionem generalem, quod Sancti poſt hanc mortem præmiabuntur: nunc in particulari tangit excellentias futuras in remuneratione. Erunt enim Sancti non ſolum fœlices in anima, ſed in corpore. Itaque Spiritus ſanctus in præſenti deſcribit, quod ex redundantia animæ glorioſæ, in corpus, corpus ſit habiturum quatuor dotes, nempè *Claritatem*, *Impaſſibilitatem*, *Subtilitatem*, *& Agilitatem*. Et iſtæ quatuor dotes in præſenti textu annotantur. *Primò* enim notatur *Claritas* per ly *fulgebunt*. *Secundò Impaſſibilitas* per ly *Iuſti*; quia juſtitia perpetua eſt & immortalis, ut dicitur: *Sap. 10.* *Tertiò Subtilitas notatur* per ly *tanquam ſcintilla*. *Quartò* notatur *Agilitas* per ly *diſcurrent in arundineto*. Eſt autem arundinetum locus, ubi creſcunt arundines; undè ſicut ſcintillæ moventur ſine difficultate inter arundines; & ſine reſiſtentia; Ita Sancti ſine reſiſtentia corpora movebunt.

Ad has quatuor dotes corporis glorioſi ſignanter alluſit Apoſtolus 1. Cor. 15. dicens: Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione, id eſt *Incorruptibilitate*, *& Impaſſibilitate*: Seminatur in ignobilitate, id eſt in obſcuritate mortis, ſurget *in Gloria*, hoc eſt, in *Claritate*; Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute, hoc eſt: *Agilitate*; Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale, id eſt *Subtile*.

Ratio autem, quare corpus glorificatum ratione animæ glorificatæ habeat illas quatuor dotes, eſt iſta. Quia anima glorificata tunc habebit perfectum dominium ſui corporis, non ſolùm in quantum eſt forma corporis, ſed etiam in quantum eſt motrix corporis, & in quantum

eſt

eſt beata, & Deo conjuncta. Itàque *Primò* in quantum anima eſt beata, gloria animæ abundans in corpus, cauſabit in illo *Claritatem*. Undè Matth. 13. Fulgebunt juſti ſicut Sol.

Secundò, Perfectum animæ regimen cauſabit in corpore *Impaſſibilitatem*: Omne enim corpus, quod patitur paſſione propriè dictâ, perdit dominium ſupra ſuam naturam: imò talis paſſio propriè dicta eſt cauſa corruptionis formæ patientis, vel ſaltem eſt cauſa ſeparationis formæ à materia. Modò autem quia anima glorioſa incorruptibiliter, & perfectè ſuum corpus continebit, ideò anima nunquam ſuccumbet corpori, ſed virtuoſè reget illud. Neque hanc victoriam ſupra corpus unquam perdere poterit per aliquod peccatum, quia juſti ſeu animæ Beatorum ab intrinſeco ſunt impeccabiles; videndo tam ſpeculativè, quàm practicè, quod nullum ſit melius bonum, quàm Deus, ut Theologi in Tractatu *de ultimo fine hominis ejuſque beatitudine* oſtendere ſolent.

Tertiò, Cùm anima non ſolùm ſit forma corporis, ſed etiam motrix, ſeu motor corporis, ut patet *ex 3. de Anima*, ideò movebit corpus per voluntatem; & quia habet perfectum dominium ſuper illud, ideò etiam ſumma *agilitate* pro ſuo libitu illud movebit.

Quartò, Cùm anima poſſit rationaliter velle, quod corpus ſuum ſit in eodem loco, ubi eſt aliud corpus ſine amotione alterius corporis; & anima poterit regere ſuum corpus ſicut volet; ſequitur, quod anima poterit corpus ſuum ponere in loco, ubi eſt aliud corpus, & iſta virtus vocatur *Subtilitas*. Undè ſicut ſpiritus poteſt eſſe ſimul cum corpore, ſicut patet *de anima*, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: ita poterit corpus glorioſum per virtutem *Subtilitatis* eſſe ſimul cum corpore non glorioſo. Ita ſentit laudatiſſimus D. Magiſter *Holkot*. Verùm tamen in hoc S. Thomas eſt contrarius, qui *Diſt. 44. qu. 5. in fin. ad 1. & 2.* expreſſe docet, quod hoc non habeat corpus glorioſum ex dote *ſubtilitatis*, *ſed ex operatione virtutis divina.*

ARTICVLVS PRIMVS.

An Viri Eccleſiaſtici debeant fulgere claritate bonæ famæ, bonæ vitæ, & bonæ doctrinæ?

DIco, quod Viri Eccleſiaſtici fulgere debeant *Claritate bona fama erga extraneos*; *Claritate bona vita erga ſe ipſos*, *& Claritate doctrina erga ſubditos, & propinquos.*

Explicatur prima pars, quod viri Eccleſiaſtici debeant fulgere *claritate bona fama erga extraneos*. Quamdiu candela ardet & lucet, tamdiu delectabile & utile negotium eſt, ſed quando candela extinguitur, relinquit locum circumſtantem tenebroſum & fœtet: Et ſicut dicit *Ariſtoteles 7. de animalibus*, Ille fætor eſt valdè nocivus mulieri prægnanti, qui ſi ſit vehemens, facit eam abortire, & fætum occidit. Hoc modo vir Eccleſiaſticus, qui tanquam candela ardens in Eccleſia conſtituitur, ſi dando aliis bonum exemplum habeat bonam famam, delectabilis eſt & honorabilis: Si autem talis, tentatione victus, committat aliquod notorium peccatum, ſtatim fœtet per infamiam, & relinquit locum tenebroſum, id eſt, ſtatum Eccleſiaſticum deturpat, & exponit peſſimis detractionibus, illuſionibus, ac deriſionibus; Imò iſte fætor infamiæ fætum mentis, id eſt bonum propoſitum vivendi in aliis occidit, & abortire facit.

Explicatur *ſecunda Pars*, quòd debeamus fulgere *Claritate bona vita quo ad nos ipſos*, habendo ſemper bonam conſcientiam, ac timendo Deum. Debemus autem lucere more Solis, non more Lunæ; Sol enim ſic lucet, quòd habeat ſibi lucem incorporatam per totum, Luna autem non ſic. Undè ſemper apparet quædam macula in Luna, & eſt quaſi umbra hominis portãtis faſciculũ ſpinarum, ut fabulantur Poëtæ; Sic boni viri in Eccleſia fulgent more *Solis*, & de quovis poteſt dici illud. Eccleſ. 50. Quaſi Sol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei: Et Matth. 13. Fulgebunt juſti ſicut Sol, mali verò fulgebunt ſicut Luna. Licet enim aliqui ex ipſis magnæ famæ ſint, ſunt tamen umbroſi in conſcientia; ubi interior homo portat faſciculum ſpinarum, id eſt pungentium peccatorum: Unde Baruch. 3. Niſi aliquis exterſerit rubiginem, non fulgebit.

Explicatur *tertia pars*, quòd debeamus fulgere *Claritate doctrina*. Undè Dan. 12. dicitur: Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudierint multos, tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates. Occaſione textus allegati, ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum corpus glorioſum habiturum ſit quatuor dotes, nempè Claritatem, Impaſſibilitatem, Subtilitatem, & Agilitatem?

NOta antè reſolutionem, quòd iſta quatuor privilegia vocentur à Doctoribus. 4. dotes per quandam figurativam locutionem; Quia ſicut Dos datur in ſignum perpetuæ confœderationis, & amicitiæ inter virum & mulierem; Ita iſtæ dotes dabuntur hominibus glorificatis pro ſemper à Domino Deo, qui ſibi deſponſavit per charitatem juſtorum animas, quarum corpora compartes ſunt, & per quæ animæ ſanctæ benè in hac vita operatæ ſunt. Hoc præmiſſo.

Dico, quòd juſtorum glorioſa corpora habebunt illas quatuor dotes, nempè *Claritatem*, *Impaſſibilitatem*, *Subtilitatem*, *& Agilitatem*. Ita habetur expreſsè tum in textu lectioni præfixo, tùm etiam ex citata Authoritate S. *Apoſtoli Pauli 1. Cor. 15.*

Probatur Concluſio, & explicatur. Nam juſtum eſt, quòd illud, quod fuit inſtrumentum merendi, & benè vivendi, præmietur à Deo, tollendo omnes illius defectus; Sed corpus fuit juſtis inſtrumentum merendi, & benè vivendi: Ergo juſtum eſt, quòd hoc corpus præmietur, tollendo ejus defectus per gratias oppoſitas; Sed defectus corporis ſunt *Obſcuritas*, *Paſſibilitas*, *Gravitas*, *& Moroſitas*; Ergo hæc debent tolli per gratias

oppoſitas ſcilicet per *Claritatem*, *Impaſſibilitatem*, *Subtilitatem*, & *Agilitatem*.

Dices Primò. Corpus glorioſum erit mixtum ex quatuor elementis, quæ ſunt contraria, & inter ſe agunt & reagunt: Ergo corpus illud erit paſſibile.

Reſp. quod ſicut reſurrectio mortuorum eſt miraculoſa, fitque virtute divinâ; ita etiam virtute divinâ fiet, quod iſta contraria in corpore glorioſo ſint, & tamen non agant, quantumvis ſibi ſint approximata; ſicut virtute divinâ contigit Dan. 3. quod três pueri fuerint in fornace camini ardentis, & tamen ignis nec læſit eos: Idem legitur de pluribus Sanctis.

Dices ſecundo. Sentire eſt pati, (ut dicitur 2. de Anima.) ſed illa corpora ſentient videndo, audiendo, & tangendo; aliàs vita ipſorum eſſet potiùs ſomnus, quàm vita: Ergo etiam patientur.

Reſp. quod paſſio duplex, nempè Materialis, ſicut quandò ignis agit in aquam, & Intentionalis, ſicut quandò coloratum agit in oculum. Prima paſſio non erit in corporibus, ſed tantum ſecunda. Et ideò erunt omnes ſenſus in ſuis operationibus.

Dices tertiò, Si corpus haberet agilitatem, & poſſet moveri ad voluntatem animæ, tunc poſſet moveri in inſtanti; ſed conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens. Sequela patet. Quia anima poſſet velle in inſtanti, ut moveatur corpus.

Reſp. Negando ſequelam. Quia voluntas Beati non poteſt velle aliquid impoſſibile: Licèt autem voluntas in inſtanti poſſit elicere actum, & aliquid velle, corpus tamen quod vult in inſtanti moveri, eſt impoſſibile in inſtanti moveri: quia corpus eſt aliquod quantum & continuum, quod neceſsè habet moveri ſucceſſivè. Cum quo tamen ſtat, quod ultrà & ſuprà omnem aliam celeritatem ſeſe poſſit corpus glorificatum movere: & tamen cum hac magna velocitate, habebit velocitatem finitam, ſicut Chriſtus in ſua aſcenſione præfixit ſibi velocitatem, quam voluit, ſed tamen ſucceſſivè aſcendit.

LECTIO XXXV.

TEXTUS.

Judicabunt Sancti nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus declaravit glorificationem, quam habebunt corpora Sanctorum; nunc oſtendit aliam eorum excellentiam, quomodò nempè Aſſeſſores erunt Chriſti tanquàm judicis in finali judicio. Habebunt autem Sancti in judicio generali triplicem prærogativam; nempè *Poteſtatem judicandi*, *dominandi*, & *regnandi*. Et quidem in *judicando* erit rectitudo ſententiæ, quæ nunquam revocabitur: Quia judicabunt *Sancti* nationes; In *dominando*, magnitudo potentiæ nunquam coarctabitur: Quia dominabuntur populis. Et denique *in regnando*, erit certitudo permanentiæ, quæ nunquam terminabitur: Quia regnabit Dominus illorum in perpetuum. Dicit ergo: *Judicabunt Sancti nationes*, id eſt malos, qui ſine gratia in peccatis mortui ſunt. Undè de iſtis nationibus malis dicitur in fine hujus *Capituli ſecundi*: Nationes iniquæ diræ ſunt conſummationis.

Et dominabuntur populis, puta illis, quibus prius ſubjiciebantur. Undè in Pſal. dicitur: Subjecit populos nobis & gentes ſub pedibus noſtris.

Nec refert, quòd in judicio ceſſabit omnis prælatio, & Dominium creaturæ ſuper creaturam: ut patet ex 1. Cor. 15. Non inquam refert, quia dominium in tantum dicitur manere in Sanctis ſuper damnatos, in quantum Sancti habebunt damnatos in carcere communi coercendos, & puniendos; gaudebuntque de ipſorum juſta punitione: Potentia autem coercendi & caſtigandi rebelles, inter quos ſunt damnati, pertinet ad dominium.

Et regnabit Dominus illorum in perpetuum, hoc eſt, Dominus Deus, cui ſervierunt Sancti in hac vita, *regnabit in perpetuum*: Et ipſi qui ſervierunt ei, unà cum illo in perpetuum regnabunt. Undè Apoc. 5. dicitur: Redemiſti nos in Sanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum. Et Sap. 6. Diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis. Circà verba textus, *Judicabunt Sancti nationes*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An peccatores in ultimo judicio poſſint evadere impunè, ſicut aliquando criminoſi in judicio humano evadunt impunè?

DIco *primò*, quòd non.

Probatur, & explicatur. Nam peccatores, ſeu criminoſi, in iſta vita ex triplici cauſa poſſunt confidere ſe evaſuros impunè. Quia *primò* ſperant ſe poſſe declinare rigorem judicii per mediationem amicorum, ut ſine examine judiciali fiat emenda.

Secundò, ſperant rei, quod probabiliter evadant ſaltem cum exigua pœna, dum habent judices ſibi favorabiles.

Tertiò, ob translationem ſuarum perſonarum ad alia loca: Quia reus in uno loco, poteſt impunè conſervari in alio loco. Nullo autem iſtorum modorum poſſunt evadere peccatores in judicio generali: Et ita rei non declinabunt rigorem judicii; quia *Sancti* judicabunt. Ita ut iidem Sancti, qui in hac vita fuerunt alicujus peccatoris Patroni, in altero mundo ampliùs ejus Patroni non erunt, ſed judices. Nec ſe alienabunt à loco ſupplicii, quia Sancti non judicabunt unam gentem, ſed omnes gentes, & nationes ſimul congregatas in valle Joſaphat. Undè in Pſal. dicitur. Judicabunt in nationibus; id eſt, Sancti qui fuerunt imitatores Chriſti, erunt aſſeſſores ejus; & judicabunt omnes, id eſt, omnes peccatores.

Nec obſtat, quòd Chriſtus dicat: Vos qui ſecuti eſtis me (id eſt, vos duodecim Apoſtoli) ſedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſraël. Ex quibus videtur ſequi, quod tantum duodecim Apoſtoli judicabunt: & quidem non omnes homines, ſed ſolùm duodecim tribus Iſraël.

Non

Non inquam obſtat. Quia ut loquitur *Venerabilis Beda, Homilia in Natali S. Benedicti*: Nemo putet duodecim tantùm Apoſtolos (quia pro Juda prævaricante Matthias electus eſt) tunc eſſe judicaturos; Sicut nec duodecim ſolæ ſunt tribus Iſrael judicandæ, alioquin tribus Levi, quæ tertia decima eſt, injudicata recedet. Et Paulus, qui tertius decimus eſt Apoſtolus, judicandi ſorte privabitur; cùm ipſe dicat: Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis ſecularia? Sciendum namq; eſt; Omnes, qui ad exemplum Apoſtolorum ſua relinquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, Judices cum eo venturos, ſicut etiam omne mortalium genus eſſe judicandum. Quia enim duodenario ſæpè numero ſolet in Scripturis univerſitas deſignari; Per duodecim ſedes Apoſtolorum, omnium numeroſitas judicantium, & per duodecim Tribus Iſrael, univerſitas eorum, qui judicandi ſunt, oſtenditur. Hæc Venerabilis Beda: quæ deſumpſit ex S. Auguſtino 2. de Civit. Dei, cap. 6. Ubi dicit S. Antiſtes: per illum numerum duodenarium, non numerus talis ad litteram intelligitur: ſed per numerum myſticum deſignatur. Alias cùm S. Matthias loco Judæ fuerit electus, Paulus ſine throno relinqueretur, niſi duo ſederent ſimul. Et ideò per numerum duodenarium, qui eſt numerus perfectionis, univerſa perfectorum pauperum multitudo deſignatur, & ſimiliter univerſitas judicandorum, cùm dicitur duodecim tribus Iſrael. Hæc S. Auguſtinus.

Dico ſecundò, quòd reis judicandis in extremo die judicii erit valdè durum: Quia habebunt judicem extraneum: & quidem talem, qui à juris regulâ non recedet, & de cujus injuria reus accuſatur.

Explicatur *aſſertio*. Quia Sancti in judicio reddent ſe peccatoribus valdè extraneos: Siquidem etiam ipſe Chriſtus dicit illis: Amen dico vobis, neſcio vos. Matth. 25. Deindè etiam Sancti Aſſeſſores Chriſti, & judicantes cum illo, non recedent à regulis juris. Quia Sancti judicabunt, & ſanctitas eſt juſtitia maxima. Erunt enim induti novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis, ut dicitur ad Eph. 4. Et tertiò ipſi Sancti erunt hoſtes impiorum, qui Sanctos in hac vita conculcarunt. Undè Habacuc. 1. dicitur: Quare reſpicis, & taces ab impio conculcante juſtiorem ſe? *Et Malachiæ ultimo*: Convertimini & videbitis, quid ſit inter impium & juſtum, inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei: Et paulò poſt ſubduntur hæc verba: Egredimini & ſalietis, ſicut vitulus de armento, & calcabitis impios, cùm fuerit cinis ſub planta pedum veſtrorum.

Ergo de hoc judicio ſemper cogitare debemus. Undè S. *Greg. Homilia* 39. ita ait: Præſentis temporis talis ſit lætitia, ut nunquam amaritudo futuri judicii recedat à memoria.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum ſancti homines in judicio generali participabunt aliquo modo actum judicandi?

Nota ante reſolutionem, quòd actus judicandi in judicio generali in Scriptura ſacra diverſis attribuatur quinque modis: nempè *Ordinatâ Majeſtate, delegatâ poteſtate, aſſeſſoriâ dignitate, approbativâ conformitate, & comparativâ diverſitate*. In præſenti autem certum eſt, quòd *Ordinatâ Majeſtate*, ſolus Deus judicabit. Undè 1. *Regum*. 2. dicitur: Dominus judicabit fines terræ.

Certùm quoque eſt, quòd *delegatâ poteſtate*, judicabit Chriſtus, quâ homo. Undè Joan. 5. dicitur: Omne judicium dedit Filio. Adeòque nullus habet poteſtatem delegatam, niſi Chriſtus, qua homo. Et ita habetur reſolutio de 1. & 2. modo judicandi. Certùm quoque eſt, quòd quintus modus judicandi *Sanctis* non conveniat. Quia quintus modus judicandi eſt ex quadam *Comparativa diverſitate*. Et iſte modus judicandi non eſt laudabilis: Quia ſic minùs mali dicentur judicare magis malus ſecundùm illud, Luc. 11. Viri Ninivitæ ſurgent cum generatione hac, & condemnabunt eam. Undè ſolùm quæſtio eſt, an Sanctis conveniat, 3. & 4. modus judicandi. Hoc præmiſſo.

Dico primò, quòd voluntariè pauperes judicabunt nationes *Aſſeſſoria dignitate*.

Probatur *primò* ex illo Joan. 6. ubi dicitur: Judicium pauperibus tribuit.

Probatur *ſecundo*, duplici congruentiâ. Prima eſt, quia pauperes ad judicandum ſe magis diſpoſuerunt, adeòque erunt magis idonei ad judicandum. Nam paupertas voluntaria tantùm eſt in illis, qui ſpretis omnibus ſecularibus negotiis, ſoli Chriſto adhæſerunt: Et ideò in pauperibus nihil reperitur, quod poſſit judicium pervertere.

Secunda Congruentia eſt, quia pauperes magis meruerunt judicare. Quia humilitati correſpondet exaltatio per modum præmii, ſecundùm illud Matth. 13. Qui ſe humiliat exaltabitur. Modò autem inter omnia, quæ hominem deſpectum ac humilem reddunt, eſt paupertas. Undè illi qui magis apud homines ſunt pauperes, apparent magis deſpecti, ac humiles. Et ideò, qui paupertatem ſuam volunt oſtendere, excogitant quantum poſſunt vilitatem veſtimentorum, ut homines per hoc ad compaſſionem provocent: Ergo qui veri pauperes faciunt ſe contemptibiles propter Chriſtum, juſtè merentur exaltari, ad hoc ut habeant excellentiam *Aſſeſſoriæ dignitatis in judicando*.

Dico 2. Omnibus electis attribuitur actus judicandi in judicio *Approbativa conformitate*.

Probatur. Quia omnes tam Angeli, quàm homines approbabunt ſententiam judicis ſupremi, id eſt, Chriſti. Undè Apoc. 19. dicitur: Audivi vocem turbarum dicentium in cœlo, Alleluja, laus, & virtus, & gloria Deo noſtro, quia vera & juſta ſunt judicia ejus.

Dices primò, In nullo judicio poteſt eſſe idem Accuſator, & Judex: Sed ſancti viri ſunt accuſatores malorum. Juxta illud Sap. 5. Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt: Ergo non poſſunt eſſe judices malorum.

Reſp. quòd in judicio humano, ubi judex ſolùm debet procedere ex allegatis, & probatis, non debeat eſſe idem judex, & accuſator: Sed in judicio divino, ubi judex non indiget informatione, ſed omninò novit cauſam, ita ut procedat cum ſuis aſſeſſoribus abſque ulla paſſione in ferenda ſententia, reuſque culpam ſuam confitebitur nolens volens, ibi inquam poteſt eſſe idem accuſator & Judex.

Dices ſecundò, Virgines, & Martyres offerent Deo de ſuo corpore ſubſtantiam corporalem, quam Virgines per continentiam virginalem ſervabant incorruptam; Martyres autem Deo offerunt ſuam ſubſtantiam à tyrannis laceratam, pro Dei amore: Ergo iſtis magis convenit ſedere in judicio & judicare, quàm pauperibus, qui solùm offerunt juſtitiam ſæcularem, & derelictionem opulentiæ ſæcularis, quæ ſine dubio eſt minor, quàm ſubſtantia corporalis.

Confirmatur, Multi divites erunt in loco ſuperiori in cœlo, quàm pauperes aliqui voluntarii: Ergo ſaltem divites non judicabuntur à pauperibus. Conſequentia patet, quia inferior non debet judicare ſuperiorem.

Reſp. ad argumentum, quòd Martyrium, & Virginitas non ſint de corde, ubi reponuntur decreta divinæ juſtitiæ, benè tamen paupertas. Nam paupertas directè contrariatur ſollicitudini divitiarum, quæ ſuffocat verbum, Lucæ 8. Cum quo tamen ſtat, quod Martyres, qui ſimul erant pauperes voluntarii, & Virgines, quæ ſimul erant pauperes voluntariè ſedebunt, & judicabunt Nationes, propter duplicem rationem aſſertione prima adductam.

Reſp. ad confirmationem, negando conſequentiam. Nam perfecti pauperes judicabunt etiam ſe meliores; non quidem authoritate propria, ſed authoritate ſupremi Judicis Chriſti, cujus ſunt aſſeſſores. Et ita fit, quod ſubindè Judex delegatus in ſeipſo ſit multò inferior, quàm ille, quem ex delegatione ſibi facta judicat.

LECTIO XXXVI.

TEXTUS.

Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, & fideles in dilectione, acquieſcent illi, quoniam donum & pax eſt Electis DEI.

EXPLICATIO TEXTUS.

QVi *confidunt in illum*, id eſt, qui Fidem, Spem, & Charitatem habuerunt in illum: Quia tres iſti habitus in iſta vita cuivis homini pro fine ſupernaturali conſequendo ſunt neceſſarii. Ex quibus Fides & Spes non manebunt in patria; Charitas autem manebit in patria, ſed tantũ habebit ibi perfectiorẽ actum, quia ibi regulabitur per viſionem beatificam. Undè Charitas viæ non habet tam perfectum actum: Quia Charitas in hac via regulatur à Fide, quæ eſt obſcura.

Intelligent, id eſt, clarè videbunt. Undè 1. Joannis 3. Videbimus eum ſicuti eſt. *Veritatem*. Id eſt Deum, qui eſt prima, & ſumma Veritas, & ideò Joan. 14. dicitur: Ego ſum Via, Veritas, & Vita.

Et Fideles in dilectione; Id eſt fideliter & conſtanter diligentes.

Acquieſcent illi: Id eſt, in perpetuum adhærebunt illi: Quia in vita altera nullatenus ampliùs à Deo poterunt avelli. Et quia aliquis poſſet credere, quòd iſta remuneratio fiet Sanctis propter valorem ſuorum operum, quaſi opera noſtra, *ex ſua conditione* forent condigna tantâ remunerratione: Ideò hoc excludere volens Spiritus ſanctus, dicit: Quod illa præmiatio fiat Sanctis ex Dei liberali acceptatione: & ideò dicitur in textu: *Quoniam donum, & pax eſt Electis Dei.* Quaſi diceret: Pax æternæ beatitudinis, quam habebunt Electi, eſt donum Dei liberaliter præmiantis, & ſupra condignitatem paſſionum, ſeu meritorum noſtrorum præſentium. Et ideò rectè dicit Apoſtolus ad Rom. 8. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam. Ex quibus colliges, quod in animabus Electorum ſint tres animæ dotes, quas per nomina, quæ ſignificant *Operationes*, deſignemus: Et ita habitui *Fidei* ſuccedit in patria *Viſio beatifica*; Habitui *Spei* ſuccedit *Comprehenſio, ſeu tentio, & ſecuritas*, *Charitati* autem nihil ſuccedit, ſed ipſa ſola in patria manebit perfectior, quàm nunc eſt: & vocatur *dilectio ſeu fruitio*. Sunt ergo tres dotes animæ, nempè *Viſio, Tentio, ſeu Comprehenſio, & Dilectio.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum homo per gratiam Dei adjutus, poſſit mereri vitam æternam de condigno?

NOta, quòd titulus articuli dupliciter poſſit intelligi: *Primò* ita, quòd meritum hominis tantùm valeat naturaliter, id eſt, quod tanta ſit bonitas in natura, ſeu ſubſtantia actus meritorii, ut ei debeatur vita æterna. *Secundò*, poteſt intelligi titulus hoc modo: quod actus meritorius legaliter duntaxat, & ex inſtitutione legis à Deo factæ, tantùm valeat quantùm vita æterna: ſicut parva pecia cupri ex natura ſua ſeu naturali vigore, non valeat tantũ, quantum unus panis; ex inſtitutione tamen Principis tantum valet, quantum panis. Hoc præmiſſo.

Dico, Opera noſtra ex ſua natura, vel prævisâ ſubſtantiâ actus meritorii, non merentur vitam æternam *de condigno*, ſed tantum *de congruo*; Eadem tamen opera *de condigno* ſunt meritoria vitæ æternæ *legaliter*, ſeu ex gratia Dei & Principis noſtri Chriſti.

Probatur prima pars, Quia conſiderando præciſam ſubſtantiam actus meritorii, ille eſt ſolùm finitus & tranſitorius: Ergo de condigno non meretur vitam æternam infinitam, interminabilem, ſemper manentem. Huc facit illud Apoſtoli; Non ſunt condignæ paſſiones.

Probatur ſecunda pars, Quia congruum eſt, ut homini ſecundùm potentiam ſuam finitam operanti, Deus tribuat ſecundùm potentiam ſuam infinitam, maximè cùm is ſemper præmiare ſoleat ultrà condignum: Ergo meretur homo *de congruo* vitam æternam, conſiderando ſubſtantiam actus meritorii.

Probatur tertia pars. Quia ſtatuit Deus, quòd homo benè operans habeat vitam æternam, quamvis illa opera pluribus aliis titulis Deo fuiſſent debita: Ergo ex lege, & gratia Principis, meretur homo *de condigno* vitam æternam. Et ideò rectè dicitur Jerem. 31. Erit merces operi tuo. Et 2. ad Tim. 4. dicit Paulus: De reliquo

repo-

repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex; Sed quod redditur ſecundùm juſtum judicium eſt merces condigna: Ergo homo vitam æternam tanquàm ſuam mercedem poteſt mereri de condigno.

Dices primò ad Rom. 8. dicitur: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: Ergo nulla opera bona hominis ſunt meritoria *de condigno* vitæ æternæ.

Reſp. quòd non ſint condignæ paſſiones hujus temporis naturaliter, & ex præciſa ſubſtantia actus, benè tamen legaliter & ex gratia Dei ſtatuentis nobis conferre vitam æternam pro bonis operibus.

Dices ſecundò. Qui reddit alicui debitum, quod ipſi debet, nihil meretur apud ipſum, ſed quidquid poſſumus pro Deo facere, hoc debemus Deo multis titulis, & adhuc ampliùs aliquid deberemus, ſi plus facere poſſemus; Undè dicit Ariſtoteles 8. Eth. cap. 1. Impoſſibile eſt nobis retribuere dignos honores Diis, & parentibus, quis eorum beneficia ſemper excedunt. Et Luc. 17. dicitur: Cùm omnia bene feceritis, dicite: quia ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus: Ergo nihil poſſumus apud Deum mereri.

Reſp. quòd eo ipſo mereamur aliquid apud Deum, quia facimus id, quod facere Deo debemus, & hoc quod taliter operando rectè, aliquid mereamur apud Deum, non habemus abſolutè, & ex natura redditionis debitorum Deo noſtrorum bonorum operum; ſed habemus ex eo, quia Chriſtus ſic ordinavit, & ſtatuit, ut quicunque opera ſua bona aliis titulis Deo debita exercuerit, conſequatur vitam æternam: Et in hoc apparet ſumma bonitas Dei, & Chriſti Salvatoris noſtri.

Dices tertiò; Quicunque meretur aliquid ab aliquo, conſtituit illum debitorem ſuum; Sed Deus nulli eſt debitor, nec eſſe poteſt: Ergo etiam nihil poſſumus apud Deum mereri.

Reſp. quòd Deus conſtituatur debitor ex natura ſui promiſſi, non autem ex natura noſtri rommiſſi; ſicut dicit Magiſter ſententiarum *lib. 1. diſt. 43. cap. 4.* Circà illa verba in textu allegata, *Qui confidunt*, ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Spes, & confidentia hominibus hujus vitæ, quatenus ſunt dimicantes, navigantes & ægrotantes, ſit neceſſaria?

Dico, quòd ſic

Explicatur prima pars, quòd homo in quantum eſt *dimicans*, debeat habere *Spem*, & *Confidentiam*. Nam quod homo debeat pugnare continuè, ſeu dimicare contra hoſtes, patet ex Pſalmo: Multi bellantes adverſus me. Et 1. Machab. 4. dicitur: Non concupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt. Scutum autem noſtrum eſt Fides noſtra. Undè ad Eph. dicitur: In omnibus ſumentes ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.

In hiſtoria Britonum legitur de Archturo Rege, quod in interiori parte ſui Scuti habuerit depictam imaginem glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ, quam quotieſcunque aſpexit, ſemper vires & ſpem recuperavit. Iſto modo nos, ſi in bello hujus vitæ triumphare velimus, infrà ſcutum Fidei noſtræ imaginem Deiparæ Virginis cum Filio reportare debemus; Hanc reſpiciamus, & in ea confidamus; Quia ab ea vires & virtutes recipimus. Huc facit illud S. *Ambroſii de ſancta Virginitate* ita loquentis: Sit nobis tanquam in imagine depicta vita MARIÆ, ex qua velut ex ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis, &c.

Narrat Macrobius de *natura lapidum cap.* 15. Quòd ſit unus lapis, ſeu una gemma, quæ vocatur Ethites, habens in ſe naturaliter more prægnantis unam aliam gemmam. Iſtam gemmam naturâ ſuggerente Aquila cognoſcit, & eam collocat in ſuo nido, dum habet pullos; & quamdiu lapis ille in nido fuerit, pullis nihil infortunii accidere poteſt.

Gemma iſta beatiſſimam Virginem ſignificat, quæ cooperante Spiritu ſancto lapidem Angelorum Chriſtum in ſe concepit. Pater verò cœleſtis nos in nido Eccleſiæ ſuæ militantis fovet; & ne per noſtros hoſtes nobis aliquid mali inferatur, gemmam iſtam nempè MARIAM in medio noſtrum poſuit: Ita ut ſi eam devotè inſpexerimus, & dilexerimus, illa ab hoſtibus omnibus nos defendet. Et ideò non debemus confidere in armis noſtrarum virtutum, ſed in iſtius Virginis gratia, in qua eſt omnis ſpes vitæ & virtutis. Eccl. 24. De qua etiam exponi poteſt illud Eccl. 4. Eos, qui diligunt eam, diliget Deus, & qui audit illam, judicat gentes, & qui intuetur illam, permanebit confidens.

Explicatur *ſecunda pars*, Quòd indigeamus *Confidentiâ, ſpe & animoſitate*: Quia ſumus navigantes in periculoſo mari hujus mundi.

Nautæ, ſi nocte ſtellam maris viderint, ſciunt dirigere ſuum iter; ſed quando nec Lunam, nec ſtellas vident, deſperant de ſua ſalute: Undè Act. 27. dicitur: Neque Sole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, ablata erat ſpes ſalutis noſtræ.

Applicatio moralis. Si vitam noſtram dirigere velimus ad portum ſalutis æternæ, oportet, quòd ſtellam maris, id eſt MARIAM continuò oculis ſpei noſtræ intueamur. Undè pulchrè *S. Bernardus Homilia 2. ſuper miſſus eſt, propè finem* ait: MARIA eſt præclara, & eximia maris Stella, ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſariò ſublevata; micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis te intelligis in hujus ſæculi profluvio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgure hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgunt venti tentationum; ſi incurris ſcopulos tribulationum; reſpice Stellam, invoca MARIAM; Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi tribulationis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice Stellam, invoca MARIAM. Si iracundia aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ſtellam, reſpice MARIAM. Dicemus ergo et illud Iſaiæ 47. Audi hæc delicata, quæ habitas confidenter.

Porrò licèt beatiſſima Virgo pro nobis oret continuò, non tamen ſtatim maris hujus pericula, & labores evadimus, tandem tamen vincemus. Ad hunc modum Chriſtus non ſtatim ab initio,

ſed quartâ vigiliâ noctis diſcipulis laboraotibus apparens dixit: Marci 6. Coofidite, ego ſum, nolite timere. Quaſi dicat; Inſtantes eſtote orationi, & confideutiam in me habete, quia per meam aſſiſtentiam ultimatè omnia pericula evadetis.

Explicatur tertia pars, qoòd *Confidentia* oobis bona ſit, *quia ſumus ægrotantes*. Certè multum coofert infirmis, ſperare in ſuo Medico, diligere Medicum, & per hunc ſuam ſperare ſalutem. Undè *Seneca lib. 4. Declamationum cap. 5.* narrat: Quod quidam pater à filio ſuo medico ſit curatus, quia pater habuit tantùm confidentiam ad filium ſuum; Novercam autem ſuam infirmitate eâdem, qua pater ſuus laborabat, affectam, curare noluit, dicens: Spes patris de me, tanquam de ſuo filio, fuit magna cauſa curæ, & hanc magnam in me confidentiam de noverca mea præſumere non poſſum. Undè ſubdit Seneca, nihil magis prodeſt ægrotis, quàm ab iis curari, à quibus volunt. Applicatio. Quandò nos ſumus languidi peccato, ſumma nobis habenda eſt confidentia, tam de habeoda ſanitate, quàm de Medici Chriſti bonitate: nam licèt infirmitas ſit magna, facilè tameu propter hanc *magnam confidentiam* curabitur aliquis, ſi ſperet & confidat in Chriſtum. In cujus rei figuram Chriſtus *Matth. 9. dixit paralitico*: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Econtra autem ob defectum hujus confidentiæ, & ſpei, Judas Iſcariotes & Cain, incurabiles erant, peccantes deſperando peccatum in Spiritum ſanctum, quod non facilè remittitur, nec in hoc, oec in altero ſæculo. Matth. 12. Et licèt fortaſſe aliquis perterreatur à Filio Dei Chriſto Jesu, qoi Judex eſt, oportet tamen intueri Matrem quæ medicina eſt. Undè *Caſſiodorus in quadam Epiſtola*, ſic ait: Tu humani generis Patrona, tu afflictis reis Medicina ſingularis, quis tuo non egeat munere, cùm ſit peccare commune? Item S. *Bernardus Homilia 2. ſuper miſſus eſt, propè finem* ait: Sicut minum immanitate turbatus, conſcieotiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro iucipias abſorberi triſtitiæ deſperationis abyſſo, &c. Cogita Mariã. Si anguſtiis premeris in periculis, vel in rebus dubiis, cogita MARIAM, invoca MARIAM. MARIA nõ recedat ab ore, nõ recedat à corde. Et ut impetres ejus orationis ſuffragiũ, ne deſeras cõverſationis exemplũ; ipſã ſequẽs non devias; ipſam rogans non deſperas; ipſam cogitans non erras; ipſâ tenente non corruis; ipſâ protegente non metuis; ipſâ duce non fatigaris; ipſa propitia pervenis, quò humiliter tendis; & ſic iu te ipſo experiris, quod meritò dictum ſit: *Et nomen Virginis MARIÆ.*

Porrò de anima taliter confidentiali dicitur Dan. 13 Non eſt confuſio coofideotibus in te.

LECTIO XXXVII.

TEXTUS.

Impiis autem, ſecundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt juſtum, & à Domino receſſerunt; ſapientiam enim, & diſciplinam qui abjecit, infœlix eſt.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus monſtravit, quòd Juſti poſt hanc vitam habebunt mercedem; nunc divertendo ſe ad impios docet, quod ipſi non tranſibunt inpunè. Dicit ergo: *Impiis autem ſecundùm quæ cogitaverunt, correpcionem habebunt*: id eſt impii, qoi poſuerunt animæ mortalitatem, & quod poſt mortem non erit malis aliqua pœna, illi inquam, *correptionem*, id eſt pœnam habebunt correſpondentem ſuæ malitiæ. Dicitur autem *ſecundùm quæ cogitaverunt*, ut intelligas, quod ſi puniautur cogitationes, à quibus omne malum procedit: etiam locutiones, & operationes malæ punieodæ ſint.

Qui neglexerunt juſtum; Id eſt Deum, qui juſtiſſimus eſt, & juſtitiam ejus. Juſtum enim fuit, & eſt, ut omnis creatura rationalis, propter gratias à Deo acceptas, ſollicitè & diligenter Deum honoret, qui earundem gratiarum eſt largitor. Undè Michæ. 6. dicitur: O homo! quid ſit boonum? quid Dominus Deus tuus quærat à te indicabo tibi: utique facere judicium, & diligere juſtitiam, & ſolicitè ambulare coram Domino Deo tuo.

Et à Domino receſſerunt, id eſt, juxtà vias Domini, & præcepta Dei vitam ſuam non inſtituerunt. Cauſa autem cur impii à Deo receſſerunt, eſt ipſa negligentia utendi gratiis ſibi à Deo oblatis cooperando iiſdem. Et hæc negligentia tandem parit in homine peccatore cootemptum ſui, & vilipenſionem peccandi, propter quod dicitur: Proverb. 18. Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit. Ex hoc autem contemptu provenit, quòd peccator non ſolùm ooo curet ſcire illa, quæ Dei ſunt, ſed inſuper abjicit ſcientiam Dei.

Undè ſubditur in Textu: *Sapientiam & diſciplinam qui abjicit, infœlix eſt.* Qui abjecerit *Sapientiam*, id eſt fidem de ſupernaturalibus à Deo revelatis; quæ à nobis non ſunt comprehenſibilia, juxtà illud Rom. 11. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: talis inquam infœlix eſt.

Item qui abjecerit *Diſciplinam*, id eſt, admonitiones & correptiones, quas Deus per Prophetas ſuos, & Prædicatores mundo monſtravit, infœlix eſt. Undè Proverb. 15. dicitur. Qui abjicit diſciplinam deſpicit animam ſuam, & conſequenter animam ſuam deſpiciendo, iofœlix eſt: dum ſcientiam Dei non vult ſcire, nec addiſcere. Huc facit illud Metricum.

Tres infœlices in mundo dicimus eſſe:
Iuſœlix qoi pauca ſapit, ſpernitque doceri:
Infœlix qui multa ſapit, ſpernitqoe docere.

Et quia ad Clericum pertinet noo ſolùm multa ſapere, ſed etiam alios docere: Ideò ſi hoc juxta officium ſuũ non faciat, graviter peccat. Pro quo

Nota, quòd Clericus peccator ſit ſimilis *Argo*. *Argus* (ſicut refert *Ovidius 1. Metamorph. circà finem*) fuit quidam paſtor, habeos centum oculos, & tamen ſolùm habuit cuſtodiendam unicam vaccam, de virgine paulò antè transformatam. Porrò Mercurius, ut ſibi acquireret illam

illam vaccam, finxit ſe cuſtodem & paſtorem acceſſitque ad locum, ubi Argus vaccam hanc paſcebat. Incipit poſtea Mercurius ita ſuaviter fiſtulare, ut Argus eum rogaverit, quatenus ſibi placeat in paſcuis ibidem cum capris ſuis morari ſecum. Annuit Mercurius, ſimulque ſedens cum Argo cœpit denuò gratioſè fiſtulare, donec aliqui oculi dormitaverunt: continuando autem ſua cum fiſtulatione, omnes oculi Argi dormierunt. Dum autem Mercurius vidit, quòd omnes centum oculi Argi eſſent clauſi, & ſopore obruti, ſurrexit Mercurius, & caput cum oculis amputavit, & ſic vaccam illam ſic transformatam ex virgine ſecum duxit. Applicatio Moralis. Clericus litteratus eſt; quaſi Argus centum habens oculos, nempè conſiderationes multas, id eſt, cautelas: & tamen habet ſolùm unicam vaccam cuſtodiendam, id eſt unam conſcientiam, Quæ quidem fuit virgo quam diu retinuit innocentiæ puritatem, ſed tamen per peccatum transformata eſt in vaccam beſtialem, nempè concupiſcentiâ & voluptate. Undè Iſai. 7. Nutriet homo vaccam. Et Oſeæ. 4. Sicut vacca laſciviens declinavit Iſraël. Mercurius autem (id eſt, medium currens) eſt diabolus, qui circuit quærens quem devoret. 1. Pet. 5. Iſte diabolus fiſtulat ita dulciter per ſtrepitum laſciviæ mundanæ, item per adulationes amicorum; quòd Argus ille per negligentiam obdormiat uſque ad mortem. Et tunc homine per negligentiam dormiente venit diabolus, & aufert caput ab homine, id eſt, ſeparat ab eo Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ: & miſeram vaccam ducit in gehennam. Et ideò dicitur Jud. 18. Nolite negligere, nolite ceſſare à cuſtodia, & concuſſione conſcientiæ propriæ. Pro quo

Nota ſecundò, Quòd iſte ſit modus, & ordo cadendi, ſeu peccandi in homine, quantumvis fuerit in ſtatu perfecto, videlicet *Primò*, negligere modica, loqui otioſa, rarò confiteri, & aridè dicere officium divinum, &c. Quæ omnia videntur eſſe modica, & levia peccata, poſt iſta autem peccata levia inducit diabolus in peccata graviſſima. Circà dolium ſunt magni circuli, quibus aſſeres dolii colliguntur, & iſti magni circuli in ſuis extremitatibus conjunguntur, ſeu colligantur cum parvis viminibus; ſolutis autem his parvis ſolvuntur magni, & ſolutis magnis dolium totum decedit. Sic etiam fit in moralibus, nam qui ſpernit modica, paulatim decidet, *ut dicitur Eccl. 19.*

ARTICVLVS PRIMVS.

An homines mundo dediti ſint negligentes in addiſcendo morum ſanctitatem; in diſcutiendo propriam perverſitatem; in reverendo Dei Majeſtatem; & in ſufferendo proximi neceſſitatem?

DIco, quòd ſic.

Explicatur prima pars, Quòd homines mundo dediti *ſint negligentes in addiſcendo morum ſanctitatem.* Scitur, quòd homines mundani ſint diligentes ad diſcendas artes ſubtiles ex curioſitate; Item ad diſcenda jura civilia propter utilitatem, vel artem bellandi propter ſtrenuitatem, vel etiam artem negotiandi, propter acquirendas opes, & ſic de ſingulis, quæ ad vitæ præſentis promotionem pertinent. Sed ad diſcēdam artem benè vivendi, Deo ſerviendi, peccata vitandi, omnes quaſi ſunt negligentes. Undè mundus invitat ad errores, & ineptias, & plerique obediunt illi; Deus autem invitat ad honores & nuptias, & omnes propèmodum negligunt venire: Undè Matth. 22. dicitur: Illi neglexerunt, & abierunt, alius ad villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam. Et tamen hæc, ſumma Sapientia eſt ſcire benè vivere. Ad quem modum benè vivendi addiſcendum nullum tempus ſatis magnum eſt, etiamſi à pueritia uſque ad humani ævi terminos vita producatur teſte Senecâ Epiſt. 109. Porrò hic eſt una negligentia reperta in multis juvenibus, qui dum non poſſunt totam ſcientiam acquirere, reſpuunt partem ſcientiæ accipere; & negligantia talium juvenum eſt filia ſuperbiæ, quos benè deridet *Seneca lib. 1. Epiſtolarum epiſt. prima* dicens.

Non poteris oculo quantum contendere Lynces
Non tamen idcircò contemnas lippus inungi.

Vult dicere. Ponamus, quod ſis lippus, & non fidas tibi tantum acumen viſus acquirere, ſicut habent lynces, non tamen idcircò debes contemnere uti collirio, & aqua juvante ad acumen viſus: Fatuum enim eſt partem contemnere, quia totum non potes habere. Talibus aptis ad diſcendum dicitur 1. ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt.

Explicatur ſecunda pars, quòd homines ſint negligentes in diſcutiendo *propriam perverſitatem.* Fuit quidam Seneſcallus, qui novit optimè ordinare familiam alienam, de regimine autem domus ſuæ propriæ nihil ſcivit diſponere. Tales Seneſcalli ſunt multi, qui diligenter defectus aliorum emendant, & tamen negligunt proprios defectus corrigere: Undè etiam hujuſmodi accuratè ſunt ſolliciti ad diſcutiēdas alienas, cōſciētias ſed negligēniſſimi ad examinādas cōſcientias proprias; cū tamen nobis dicatur: ut inceſſanter conſcientias proprias diſcutiamus. Judicum 14. Nolite negligere, nolite ceſſare.

Explicatur tertia pars, Quod homines ſint negligentes in *reverendo Dei Majeſtatem.* Et ad hoc debent benè attendere Prælati, Clerici, & quicunque Religioſi: & tamen ſi rem benè perpendamus, hi ipſimet ſunt, qui hanc negligentiam ſæpè committunt: Undè *Paralip. 24. dicitur*: Levitæ egerunt negligentiùs quibus tamen præcipitur Deut. 8. Obſerva, & cave, nequando obliviſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus, atque judicia. Hanc autem negligentiam in iſtis Levitis, vel Clericis cauſat nimia frequentia aſſiſtendi Deo, quia nimia familiaritas parit contemptum, & tamen contrà tales dicitur: 2. *Paralip.* 29. Filii mei nolite negligere, vos elegit Deus, ut ſtetis coràm eo.

Explicatur quarta pars, quod homines ſint negligentes in *ſufferendo proximi neceſſitatem.* Et tamen unicuique noſtrum dicitur illud, Deut. 22. De omni re fratris tui, ſi perierit, & inveneris eam, non negligas quaſi alienam. Res fratris autem perit, ſi incidit in latrones, vel ſit depauperatus, vel indiget aliquo pro amore Chriſti. Tales proinde non debemus negligere, ſed eis continuo auxilium præſtare. Verùm tamen ho-

mines mundani ad hoc reſpondent: poſſem quidem talem juvare, ſed non ſine meo damno. Sed nunquid poterit Deus recompenſare damnum? Utiquè, quia juſtus eſt; Undè *Proverb.12. propè finem* dicitur: Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt: Ergo talem juſtum Deus, neceſſario remunerabitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum omnis negligentia ſit peccatum mortale?

Dico, quòd quandò negligentia eſt de actu, vel circumſtantia actus neceſſaria ad ſalutem, tunc talis negligentia eſt peccatum mortale: Secus autem, ſi nec actus, nec circumſtantia, ſint de neceſſitate ſalutis.

Explicatur prima pars. Nam ſi negligam dare proximo Eleëmoſinam tempore extremæ neceſſitatis, vel ſi negligam actum cadentem ſub præcepto v.g. auditionem Miſſæ, pecco mortaliter. Similiter ſi homini indigenti in extrema neceſſitate conſtituto dem eleëmoſinam præcisè ex reſpectu humano, & non ex charitate, pecco mortaliter; omittendo circumſtantiam, quæ debet eſſe in omni actu virtuoſo de neceſſitate ſalutis: Undè 1. ad Cor. 6. dicitur: Omnia opera veſtra in charitate fiant.

Explicatur ſecunda pars. Nam ſi negligam actum, vel circumſtantiam actus, non præcepti, vel non pertinentis ad neceſſitatem ſalutis, pecco ſimiliter, venialiter, ut ſi negligam ſalutationem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, dum eſt ejus aliqua feſtivitas, vel ſi ex remiſſione voluntatis cogitem de impertinentibus, dum audio lectionem.

Eſt autem *Negligentia nihil aliud, quàm quidam defectus debitæ ſolicitudinis circà actum virtuoſum faciendum, proveniens ex remiſſione ferveris in voluntate.*

Dices primò. Eccl.7. dicitur. Quicunque timet Deum nihil negligit: Ergo èontra qui in aliquo negligit, perdit timorem Dei; Sed qui perdit timorem Dei, peccat mortaliter: Ergo quicunque aliquid negligit, peccat mortaliter.

Reſpondeo. Quòd is, qui timet Deum nihil negligat de his, quæ ſunt præcepta tanquam neceſſaria ad ſalutem; & quia homo ſolùm negligentiam parvam committens, nihil negligit de his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; ideò timorem Dei non perdit ſimpliciter.

Dices ſecundò. Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter, ut dicitur Jeremiæ 48. Ergo cùm maledictio non feratur, niſi pro peccato mortali, ſignum eſt, quod quævis negligentia ſit peccatum mortale.

Reſpondeo, quòd ille ſit maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter, ordinando nimirum opus bonum, ac præceptum, non ad Deum tanquam ad ultimum finem, ſed ſolùm ad creaturam; vel ob vanam gloriam tanquam propter ultimum finem: & tales homo ſicut peccat mortaliter, ita etiam eſt maledictus.

Cæterum in authoritate allegata ex Jeremiæ cap. 48. Propheta ad litteram loquitur de Nabuchodonoſore, quem Deus fecit inſtrumentum ſuum ad flagellandum populum ſuum Iſraël; de quo Deus, ob peccata populi illius, liberè ac juſtiſſimè poterat ordinare, & diſponere, poſtea verò Nabuchodonoſor hanc, populi Iſraëlis afflictionem, quam Deus permiſit fieri à Nabuchodonoſore, adſcripſit Nabuchodonoſor potentiæ ſuæ propriæ, & ideò quod debuiſſet facere præcisè ex obediētia Deo præſtādā, hæc ipſa fecit ex odio perſonarū, ideò q; peccavit mortaliter. Undè dicitur in textu: Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulēter; Maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine, id eſt, qui parcit injuſtè pro ultione, quam Deus præcepit infligi.

LECTIO XXXVIII.

TEXTUS.

Et vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inhabitabilia opera eorum. Mulieres eorum inſenſatæ, & negligentiſſimi filii eorum; maledicta creatura eorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Spiritus ſanctus oſtendit, quomodo impii in altero mundo cruciabuntur, nunc oſtendit, quòd etiam in præſenti vita aliquas miſerias ſuſtinebunt.

Dicit ergo. *Et vacua eſt ſpes eorum*, id eſt, falsò putabant, & ſperabant ſe evaſuros omnem pœnam: Undè de iis verificatur illud Iſaiæ 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus, Ubi

Nota, quòd Spiritus ſanctus contrariè inducat, ſpem Juſtorum & ſpem impiorum; nam de juſtis dixit ſupra, ſpes juſtorum immortalitate plena eſt; de impiis autem dicit: *Vacua eſt ſpes eorum.* Undè Apoſtolus nos à via impiorum deterrere volens ait: 2.Cor.6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Et labores ſine fructu; Id eſt, quamvis juſti terra marique in bello, conſilio, & pace multum laboraverint pro habendis ſuis voluptatibus, iſti tamen omnes labores ſunt ſine fructu ultimato. Quòd ipſum injuſti recognoſcunt, ut dicitur infrà Sap. 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus viam difficilem.

Et inhabitabilia opera eorū, Id eſt. Deus, qui inhabitare dignatur animam piam, & animam non ponentem habitationi ſuæ obicem; ille inquam animam impii non inhabitat: Quia *opera mala impiorum ſunt inhabitabilia à Deo.*

Mulieres eorum inſenſatæ, Id eſt, fœminæ eorum luxuriæ ſummè deditæ ſunt, tanquam ſint ſtultæ ac inſenſatæ: faciuntque viros ſuos ſummè effœminatos, & obcæcatos.

Nequiſſimi filii eorum, Id eſt, omni genere flagitiorum ſunt imbuti filii iſtorum impiorum, dum non vident, niſi peſſima exempla à ſuis parentibus, & peſſimè ac citrà timorem Dei educantur ab illis. Quid mirum ergo, ſi talis filius evadat peſſimus, & tandem inſurgat contra parentes. De filio ſic malè educato dicitur 3. Reg. 16. Operatus eſt iniquitatem ſuper omnes, qui erant ante illum.

Maledicta creatura eorum. Quamvis homo creare nihil poſſit, nihilominus, quidquid homo malitiosè excogitat, ſive in materia luxuriæ, ſive

ſive in materia injuſtitiæ, &c. Hoc poteſt quodammodo dici creatura illius. Verumtamen iſta monſtruoſa figmenta peccatorum ſunt excommunicata à Deo, & maledicta. Undè Eccl. 37. dicitur: O conſumptio nequiſſima, undè creata es? Circà illa verba *Mulieres inſenſatæ.* ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum fœminæ ſint fugiendæ, quia ſunt libidinoſæ in alliciendo; malitioſæ in convivendo, litigioſæ in colloquendo; proditioſæ in conſulendo?

Dico, quòd mulieres ob quatuor præfatas cauſas ſint fugiendæ, maximè à viris religioſis, & Eccleſiaſticis.

Explicatur *prima pars*, Quòd fœminæ ſint deteſtandæ, quia ſunt *libidinoſæ in alliciendo.* Nam fœminæ in operatione libidinis plus delectantur, quàm viri; Undè Treſias dixit: fœminas habere decem uncias luxuriæ, viros autem tantùm habere quatuor uncias luxuriæ. Fuerat autem iſte Treſias ſucceſſivè utriuſque ſexus (ut fabulantur Poëtæ) & ideò Treſias conſtitutus fuit judex, an vir vel mulier plus habeat de luxuria, vel plus de delectatione luxuriæ. Itaque ad propoſitum deveniendo, ſicut fœminæ plus in libidine delectantur, quàm maſculi, ita in omni ſenſu magis alliciunt, puta per ſuam formam, faciem, geſtum & vocem. Et quamvis fœminæ ſint frigidioris complexionis, ſunt tamen ferventioris libidinis. Undè *Ovidius lib. 1. de arte amandi* ait:

> Parcior in nobis, nec tam furioſa libido:
> Legitimum finem, flamma virilis habet.

Vult dicere Ovidius, quòd libido mulieris ſit infinita; valdè enim nocivum eſt, quòd ſine nocumento videri non poteſt: & tamen nobis dicitur Eccl. 9. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne tibi concipias ſpeciem alienam. Multi propter ſpeciem mulieris perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcet.

Hunc ignem ſatis pertimuit ſanctus ille Monachus, qui matris ſuæ nudas tibias noluit tangere, cùm eam ultra aquam portare debuit; ut legitur in *Vitis Patrum.* Similiter iſtum ignem ſatis timuit Sacerdos ille, qui in hora mortis mulieri auſcultanti, an ſpiritum exhalaſſet, dixit: Igniculus vivit, paleam tolle. Ut refert *S. Greg. lib. 4. Dialogorum.* Iſtum ignem etiam ſatis advertit Poëta ille, qui dixit:

> Fœmina fax ſathanæ, fœtens roſa, dulce venenũ.
> Semper prona rei, quæ prohibetur ei.
> Urit enim vultu, viſu, riſu, cute, cultu;
> Hujus ab inſultu, quantũ potes eſto procul tu.

Iſtum quoque ignem ſatis conſideravit Angelicus noſter Doctor S. Thomas de Aquino; qui cùm in turri cuſtodiretur in carcere, & cùm ad eum ſeducendum inboneſta juven..ula ſola fuiſſet intromiſſa in cameram; ille ardente titione de camino erepto eam celerrimè fugavit: propè ſciens, quòd in conſpectu fœminæ ardeſcet ignis, & quòd de veſtimento procedat tinea, & à muliere iniquitas viri, ut dicitur Eccl. 42. Et ideò ſuper omnia oportet ſequi conſilium Apoſtoli 1. Cor. 7. Bonum eſt mulierem non tangere.

Nec te excuſes, quòd jam ſis ſenex, & fœmina quoque ſit vetula, vel quod mulier ſit ſancta aut religioſa: hæc inquam excuſatio in præſenti non admittitur. Nam quid eſt frigidius ſilice, & chalibe, & tamen ex mutuo horum contactu proſilit ignis? Similiter terra eſt bona, & pluvia eſt bona de cœlo deſcendens: & tamen utriuſque commixtio non eſt niſi lutum. Undè dicitur metricè:

> Res tam diverſæ, licèt utraque ſit bona per ſe,
> Si ſint perverſæ, junctæ perdunt pariter ſe.

Et ideò merito ſtrictiſſimè prohibetur. Clericorum, & mulierum cohabitatio *Extrà De cohabitatione Clericorum & mulierum* per totum. Et in *Canone 32. Omne hoſpitiolum.* Ubi allegantur verba S. Hyeronimi dicentis: Hoſpitiolum tuum aut raró aut nunquam mulierum pedes terant: Quia non poteſt toto corde habitare cum Deo, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Nam fœmina conſcientiam ſecum habitantis exurit. Et indè eſt, quòd Monachi & Monachæ non permittantur ſimul habitare in eodem Monaſterio: ſed potius præcipitur, ut Monaſteria puellarum longiùs à Monaſteriis Monachorum, vel propter inſidias Diaboli, vel propter oblocutiones hominum collocentur. Undè *S. Hieron. Epiſtola undecima* ſic unumquemque Clericum alloquitur: Quid tibi & fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? Fœminarum cum Clericis nulla ſit convictio, aut converſatio. Janua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nocivum genus eſt fœmina; cum proximat ad ſtipulam, accendit ignem, flammigero igne percutit fœmina conſcientiam pariter habitantis. Ego judico, ſi cum viris fœminæ habitent, non deeſſe viſcarium diaboli. Ex his ab initio aucupatum eſt peccatum, mentes ferreas domet libido. Hæc S. Hieronymus. Itaque in medio mulierum nolite commorari Eccl. 42.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd mulieres ſint fugiendæ, quia ſunt *Malitioſæ in convivendo.* Nam Eccl. 25. dicitur: Brevis eſt omnis malitia ſuper malitiam mulierum, ſors peccatorum cadat ſuper illam. De qua loquens S. *Chryſoſtomus in ſermone quodam*, quem fecit de muliere mala, dicit ſic: O malitioſum, & acutiſſimum telum diaboli mulier! Per mulierem diabolus ab initio Adamum in Paradiſo proſtravit, per mulierem mitiſſimum Davidẽ, in homicidium, & adulteriũ, deſtinavit; per mulierẽ, ſapientiſſimũ Salomonem in ſacrilegium præcipitavit; per mulierem, fortiſſimum Samſonem raſum cæcavit; & caſtiſſimum Joſephum vinculis & carceri mancipavit; per mulierem, mundi lucernam Joannem Baptiſtam capite truncavit. Hæc *S. Chryſoſtomus.*

Quanta autem ſit malitia mulierum, declarat idem *S. Chryſoſtomus in Uxore Iob, & in Dalila amica Samſonis.* De prima loquitur ſic: Hæc videns virum ſuum ulceribus ignitum, cadentem doloribus, involutum vermibus, in ſterquilinio reſidentem, & cineribus

mines mundani ad hoc reſpondent: poſſem quidem talem juvare, ſed non ſine meo damno. Sed nunquid poterit Deus recompenſare damnum? Utiquè, quia juſtus eſt; Undè *Proverb. 12. propè finem* dicitur: Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt: Ergo talem juſtum Deus, neceſſario remunerabitur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum omnis negligentia ſit peccatum mortale?

DIco, quòd quandò negligentia eſt de actu, vel circumſtantia actus neceſſaria ad ſalutem, tunc talis negligentia eſt peccatum mortale: Secus autem, ſi nec actus, nec circumſtantia, ſint de neceſſitate ſalutis.

Explicatur prima pars. Nam ſi negligam dare proximo Eleëmoſinam tempore extremæ neceſſitatis, vel ſi negligam actum cadentem ſub præcepto v.g. auditionem Miſſæ, pecco mortaliter. Similiter ſi homini indigenti in extrema neceſſitate conſtituto dem eleëmoſinam præcisè ex reſpectu humano, & non ex charitate, pecco mortaliter; omittendo circumſtantiam, quæ debet eſſe in omni actu virtuoſo de neceſſitate ſalutis: Undè 1. ad Cor. 6. dicitur: Omnia opera veſtra in charitate fiant.

Explicatur ſecunda pars. Nam ſi negligam actum, vel circumſtantiam actus, non præcepti, vel non pertinentis ad neceſſitatem ſalutis, pecco ſimiliter, venialiter, ut ſi negligam ſalutationem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, dum eſt ejus aliqua feſtivitas, vel ſi ex remiſſione voluntatis cogitem de impertinentibus, dum audio lectionem.

Eſt autem *Negligentia nihil aliud, quàm quidam defectus debitæ ſolicitudinis circà actum virtuoſum faciendum, proveniens ex remiſſione fervoris in voluntate.*

Dices primò. Eccl. 7. dicitur. Quicunque timet Deum nihil negligit: Ergo ècontra qui in aliquo negligit, perdit timorem Dei; Sed qui perdit timorem Dei, peccat mortaliter: Ergo quicunque aliquid negligit, peccat mortaliter.

Reſpondeo. Quòd is, qui timet Deum nihil negligat de his, quæ ſunt præcepta tanquam neceſſaria ad ſalutem; & quia homo ſolùm negligentiam parvam committens, nihil negligit de his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; ideò timorem Dei non perdit ſimpliciter.

Dices ſecundò. Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter, ut dicitur Jeremiæ 48. Ergo cùm maledictio non feratur, niſi pro peccato mortali, ſignum eſt, quod quævis negligentia ſit peccatum mortale.

Reſpondeo, quòd ille ſit maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter, ordinando nimirum opus bonum, ac præceptum, non ad Deum tanquam ad ultimum finem, ſed ſolùm ad creaturam; vel ob vanam gloriam tanquam propter ultimum finem: & tales homo ſicut peccat mortaliter, ita etiam eſt maledictus.

Cæterum in authoritate allegata ex Jeremiæ cap. 48. Propheta ad litteram loquitur de Nabuchodonoſore, quem Deus fecit inſtrumentum ſuum ad flagellandum populum ſuum Iſraël; de quo Deus, ob peccata populi illius, liberè ac juſtiſſimè poterat ordinare, & diſponere, poſtea verò Nabuchodonoſor hanc, populi Iſraëlis afflictionem, quam Deus permiſit fieri à Nabuchodonoſore, adſcripſit Nabuchodonoſor potentiæ ſuæ propriæ, & ideò quod debuiſſet facere præcisè ex obediētia Deo præſtāda, hæc ipſa fecit ex odio perſonarū, ideòq. peccavit mortaliter. Undè dicitur in textu: Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulēter; Maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine, id eſt, qui parcit injuſtè pro ultione, quam Deus præcepit infligi.

LECTIO XXXVIII.

TEXTUS.

Et vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inhabitabilia opera eorum. Mulieres eorum inſenſatæ, & negligentiſſimi filii eorum; maledicta creatura eorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus oſtendit, quomodo impii in altero mundo cruciabuntur; nunc oſtendit, quòd etiam in præſenti vita aliquas miſerias ſuſtinebunt.

Dicit ergo. *Et vacua eſt ſpes eorum*, id eſt, falsò putabant, & ſperabant ſe evaſuros omnem pœnam. Undè de iis verificatur illud Iſaiæ 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus, Ubi

Nota, quòd Spiritus ſanctus contrariè inducat, ſpem Juſtorum & ſpem impiorum; nam de juſtis dixit ſupra, ſpes juſtorum immortalitate plena eſt; de impiis autem dicit: *Vacua eſt ſpes eorum.* Undè Apoſtolus nos à via impiorum deterrere volens ait: 2. Cor. 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Et labores ſine fructu; Id eſt, quamvis juſti terra marique in bello, conſilio, & pace multum laboraverint pro habendis ſuis voluptatibus, iſti tamen omnes labores ſunt ſine fructu ultimato. Quòd ipſum injuſti recognoſcunt, ut dicitur infrà Sap. 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus viam difficilem.

Et inhabitabilia opera eorū, Id eſt, Deus, qui inhabitare dignatur animam piam, & animam non ponentem habitationi ſuæ obicem; ille inquam animam impii non inhabitat: Quia *opera mala impiorum ſunt inhabitabilia à Deo.*

Mulieres eorum inſenſatæ, Id eſt, fœminæ eorum luxuriæ ſummè deditæ ſunt, tanquam ſint ſtultæ ac inſenſatæ: faciuntque viros ſuos ſummè effœminatos, & obcæcatos.

Nequiſſimi filii eorum, Id eſt, omni genere flagitiorum ſunt imbuti filii iſtorum impiorum, dum non vident, niſi peſſima exempla à ſuis parentibus, & peſſimè ac citrà timorem Dei educantur ab illis. Quid mirum ergo, ſi talis filius evadat peſſimus, & tandem inſurgat contra parentes. De filio ſic malè educato dicitur 3. Reg. 16. Operatus eſt Iniquitatem ſuper omnea, qui erant ante illum.

Maledicta creatura eorum. Quamvis homo creare nihil poſſit, nihilominus, quidquid homo malitiosè excogitat, ſive in materia luxuriæ,

ſive

ſive in materia injuſtitiæ, &c. Hoc poteſt quodammodo dici creatura illius. Verumtamen iſta monſtruoſa figmenta peccatorum ſunt excommunicata à Deo, & maledicta. Undè Eccl. 37. dicitur: O conſumptio nequiſſima, undè creata es? Circà illa verba *Mulieres inſenſatæ.* ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum fœminæ ſint fugiendæ, quia ſunt libidinoſæ in alliciendo; malitioſæ in convivendo, litigioſæ in colloquendo; proditioſæ in conſulendo?

DIco, quòd mulieres ob quatuor præfatas cauſas ſint fugiendæ, maximè à viris religioſis, & Eccleſiaſticis.

Explicatur *prima pars*, Quòd fœminæ ſint deteſtandæ, quia ſunt *libidinoſæ in alliciendo.* Nam fœminæ in operatione libidinis plus delectantur, quàm viri; Undè Treſias dixit: fœminas habere decem uncias luxuriæ, viros autem tantùm habere quatuor uncias luxuriæ. Fuerat autem iſte Treſias ſucceſſivè utriuſque ſexus (ut fabulantur Poëtæ) & ideò Treſias conſtitutus fuit judex, an vir vel mulier plus habeat de luxuria, vel plus de delectatione luxuriæ. Itaque ad propoſitum deveniendo, ſicut fœminæ plus in libidine delectantur, quàm maſculi, ita in omni ſenſu magis alliciunt, puta per ſuam formam, faciem, geſtum & vocem. Et quamvis fœminæ ſint frigidioris complexionis, ſunt tamen ferventioris libidinis. Undè *Ovidius lib. 1. de arte amandi* ait:

Parcior in nobis, nec tam furioſa libido:
Legitimum finem, flamma virilis habet.

Vult dicere Ovidius, quòd libido mulieris ſit infinita; valdè enim nocivum eſt, quòd ſine nocumento videri non poteſt: & tamen nobis dicitur Eccl. 9. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne tibi concipias ſpeciem alienam. Multi propter ſpeciem mulieris perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcet.

Hunc ignem ſatis pertimuit ſanctus ille Monachus, qui matris ſuæ nudas tibias noluit tangere, cùm eam ultra aquam portare debuit; ut legitur in *Vitis Patrum.* Similiter iſtum ignem ſatis timuit Sacerdos ille, qui in hora mortis mulieri auſcultanti, an ſpiritum exhalaſſet, dixit: Igniculus vivit, paleam tolle. Ut refert S. *Greg. lib. 4. Dialogorum.* Iſtum ignem etiam ſatis advertit Poëta ille, qui dixit:

Fœmina fax ſathanæ, fœtens roſa, dulce venenũ.
Semper prona rei, quæ prohibetur ei.
Urit enim vultu, viſu, riſu, cute, cultu;
Hujus ab inſultu, quantũ potes eſto procul tu.

Iſtum quoque ignem ſatis conſideravit Angelicus noſter Doctor S. Thomas de Aquino; qui cùm in turri cuſtodiretur in carcere, & cùm ad eum ſeducendum inhoneſta juvencula ſola fuiſſet intromiſſa in cameram; ille ardente titione de camino erepto eam celerrimè fugavit: propè ſciens, quòd in conſpectu fœminæ ardeſcet ignis, & quòd de veſtimento procedat tinea, & à muliere iniquitas viri, ut dicitur Eccl. 42. Et ideò ſuper omnia oportet ſequi conſilium Apoſtoli 1. Cor. 7. Bonum eſt mulierem non tangere.

Nec te excuſes, quòd jam ſis ſenex, & fœmina quoque ſit vetula, vel quod mulier ſit ſancta aut religioſa: hæc inquam excuſatio in præſenti non admittitur. Nam quid eſt frigidius ſilice, & chalibe, & tamen ex mutuo horum contactu proſilit ignis? Similiter terra eſt bona, & pluvia eſt bona de cœlo deſcendens: & tamen utriuſque commixtio non eſt niſi lutum. Undè dicitur metricè:

Res tam diverſæ, licèt utraque ſit bona per ſe,
Si ſint perverſæ, junctæ perdunt pariter ſe.

Et ideò merito ſtrictiſſimè prohibetur. Clericorum, & mulierum cohabitatio. *Extrà De cohabitatione Clericorum & mulierum* per totum. Et in *Canone 32. Omne hoſpitiolum.* Ubi allegantur verba S. Hyeronimi dicentis: Hoſpitiolum tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant: Quia non poteſt toto corde habitare cum Deo, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Nam fœmina conſcientiam ſecum habitantis exurit. Et indè eſt, quòd Monachi & Monachæ non permittantur ſimul habitare in eodem Monaſterio: ſed potius præcipitur, ut Monaſteria puellarum longiùs à Monaſteriis Monachorum, vel propter inſidias Diaboli, vel propter oblocutiones hominum collocentur. Undè *S. Hieron. Epiſtola undecima* ſic unumquemque Clericum alloquitur: Quid tibi & fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? Fœminarum cum Clericis nulla ſit convictio, aut converſatio. Janua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nocivum genus eſt fœmina; cum proximat ad ſtipulam, accendit ignem, flammigero igne percutit fœmina conſcientiam pariter habitantis. Ego judico, ſi cum viris fœminæ habitent, non deeſſe viſcarium diaboli. Ex his ab initio aucupatum eſt peccatum, mentes ferreas domat libido. Hæc S. Hieronymus. Itaque in medio mulierum nolite commorari Eccl. 42.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd mulieres ſint fugiendæ, quia ſunt *Malitioſæ in convivendo.* Nam Eccl. 25. dicitur: Brevis eſt omnis malitia ſuper malitiam mulierum, ſors peccatorum cadat ſuper illam. De qua loquens *S. Chryſoſtomus in ſermone quodam*, quem fecit de muliere mala, dicit ſic: O malitioſum, & acutiſſimum telum diaboli mulier! Per mulierem diabolus ab initio Adamum in Paradiſo proſtravit, per mulierem mitiſſimum Davidẽ, in homicidium, & adulteriũ, deſtinavit; per mulierẽ, ſapientiſſimũ Salomonem in ſacrilegium præcipitavit; per mulierem, fortiſſimum Samſonem raſum cæcavit; & caſtiſſimum Joſephum vinculis & carceri mancipavit; per mulierem, mundi lucernam Joannem Baptiſtam capite truncavit. Hæc *S. Chryſoſtomus.*

Quanta autem ſit malitia mulierum, declarat idem *S. Chryſoſtomus in Uxore Iob, & in Dalila amica Samſonis.* De prima loquitur ſic: Hæc videns virum ſuum ulceribus ignitum, cadentem doloribus, involutum vermibus, in ſterquilinio reſidentem, & cineribus

coopertum; non eſt recordata nobilitatis Regis, non dilectionis priſtinæ, quam ad eam habuerat, non divitiarum, bonorum prolis, quam per eum ſuſceperat; nec miſericordiâ mota eſt: Sed contra virum juſtum dæmonis partem aſſumpſit, & ait: Benedic Deo: ubi ly *benedic* idem valet, ac maledic, ut exponunt Doctores, & morere. Ecce non ſufficiebat illi, quod Job ſuſtineret pœnas temporales, ſed ſuperaddere peccatum tentavit, & pœnas æternas infligere. De Dalila autem dicit S. Chryſoſtomus ſic: Da mihi iſtam Dalilam, & ejus malitiam contrà Samſonem penſemus. Hæc illum, quem pridie in cubiculis ſuis conjugem prælegit, cui blandimentis & luſibus, amplexibus & riſibus blandita fuerat; hodie deriſit, raſit, & abjecit, ac vinctum tradidit Philiſtæis. Videamus autem quid ei potuerit in viro ſuo ac marito diſplicere. Si fortitudo diligitur, robuſtiſſimus fuit, qui leonem quaſi hædum diſcerpcerat inermis: Si pulchritudo amatur, ſpecioſiſſimus extitit, quia Nazareus: Si ſanctitas & boni mores diligantur, talis fuit, quod ad preces Samſonis, dum ſitiret, de mortua mandibula Deus ipſi fontem eduxerit? Si ſtrenuitas amari conſideretur, hic in mandibula aſini mille Philiſtæos proſtravit. Si gratitudo amatur, in eo defectus non fuit, niſi quod jam nimis dilexerit. Cùm ergo nulla cauſa odii in Samſone potuerit inveniri, ſola malitia Dalilæ ſuffecit pro cauſa. *Hæc S. Chryſoſtomus.*

Rectè proinde Eccl. 25. dicitur: Omnis plaga triſtitia cordis eſt. & omnis malitia nequitia, mulieris. Et infrà. Non eſt caput nequius capite colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Quam authoritatem S. Chryſoſtomus fuſius pulchrè deducit, ac explicat loco citato.

Explicatur *tertia pars.* Quòd mulieres ſint fugiendæ, *quia ſunt litigioſa in colloquendo.* Et hæc eſt certè magna afflictio, ſi vir alligetur fœminæ rixoſæ, vel ècontra. Undè Proverb. 19. dicitur: Tecta jugiter perſtillantia litigioſa mulier. Si tectum domus jugiter ſtillaret aquam, homo utique in ea nullam haberet quietem, ſed neceſſariò eam dimitteret. Et ideò ſolet dici, quòd tria ſunt, quæ hominem pellunt ex domo, nimirū fumus, ſtillicidium, & uxor mala. *Innocentius de vilitate conditionis humanæ cap. 16.* ait: Mulier fuit de coſta curva formata; & ideò ſemper eſt contraria viro ſuo. Undè quidam vir uxorem ſuam ſubmerſam contrà curſum aquæ quærens, interrogatus fuit; cur ita quæreret fœminam ſuam contra curſum aquæ? reſpondit, quia ſemper mihi fuit contraria.

Aul. Gellius *lib. Noctium Atticarum* refert de Socrate, quod cùm Alcibiades ab eo quæſiviſſet; cur uxorem ſuam Xantippē mulierem plenam jurgiis, & litigiis, ſibique moleſtiſſimam, non profligaret ex domo? Reſpondit; quandò talem domi patior, aſſueſco, & exerceor, ut cæterarum qui foris ſunt, injurias, facilius feram.

De eodem Socrate narrat S. *Hieronymus contrà Jovianum*, quòd habuerit duas uxores, & hæ cùm aliquando litigarunt propter ipſum Socratem virum ſuum, qui tamen erat turpiſſimus, Socrates autem uxores ſuas contendentes irriſit: Poſt hoc fœminæ iſtæ concordatæ, ſimul in tantum cœperunt ei maledicere, ut coactus fuerit fugere ex domo. Poſteà verò Socrates poſt multa litigia, ab una iſtarum fœminarum ſtante in parte ſeu loco ſuperiori perfuſus fuit urina, & tamen Socrates reſpondit ſolùm: ſciebam inquit, poſt iſta tonitrua infallibiliter eſſe imbrem ſecuturum. Et ideò bonum conſilium datur Proverb. 21. Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo convivii. Valerius ad Rufinum inquit. Contumelia viri eſt uxor inobediens. Quia Eccli. 25. dicitur: Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo.

Explicatio *quartæ partis.* Quòd mulieres ſint fugiendæ, *quia ſunt proditoſa in conſiliis, ſeu conſulendo*, ut patet manifeſtè in Dalila: Undè illud metricum

Poma miricas, edere dicas, melle acutas
Cùm mulieres edere ſperas res tibi tutas.

His tribus ſicut vulgariter dicitur: non oportet adhibere fidem: denti canis, fidei mulieris, & pedi equi. Undè ſolemus dicere: In fide, dente, pede, mulieris, equi, caniſque ſiaus eſt, teſte Babione, qui in fine Comœdiæ ſuæ ſic dicit:

Babio teſtis adeſt, hæc ultima verba tenere:
Sunt incredibiles, Uxor Alumna, Cliens.

Concludam ergo finaliter cum Valerio, & dicam: Det nobis omnipotens Deus fœmineis deceptionibus non falli, & illuminet cor veſtrum, ne tendatis quò timeo.

LECTIO XXXIX.

TEXTUS.

Quoniam fœlix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto; habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus oſtendit, quòd multæ verecundiæ ſequantur damnoſam voluptatem impiorum, nunc per contrarium oſtendit, quòd multæ præeminentiæ, dignitates, & honeſtates, ſequantur caſtitatem.

Dicit ergo, *Fœlix eſt ſterilis, & incoinquinata*, id eſt, fœlix eſt illa, in qua eſt ſterilitas prolis cum munditia cordis: quia ſi eſſet cordis immunditia, nihil conferret virginalis corporis integritas. Vult ergo Spiritus ſanctus dicere: Fœlix eſt illa, quæ habet carnis, & mentis integritatem. Carnis integritatem vocat ſterilitatem, quia naturaliter omnis integra, ſterilis eſt, id eſt, ſine actuali fœtu; ſed cordis munditiam vocat incoinquinationem. De corde enim exeunt cogitationes, quæ coinquinant hominem. Matth. 15.

Quæ neſcivit thorum in delicto, Id eſt, quæ non fuit experta, nec mente approbavit concubitum illicitum, ſeu concubitum carnalis voluptatis. Et quarè eſt fœlix? *Quia habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum*; Id eſt, quia licèt pro nunc non habeat fructum ventris, *habebit*

bit tamen fructum in reſpectione animarum ſanctarum; id eſt, in tempore illo, quo Deus animas reſpiciet pro operibus virtuoſis, quæ in hac vita fecerunt. Undè ad *Rom. 6. in fine* dicitur: Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Et Canticorum. 4. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, ut comedat fructum pomorum ſuorum. Circà ly *Incoinquinata*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Virginitas ſit virtus moralis?

NOta hic, Quòd iſte terminus *Virginitas*, variè poſſit accipi. Nam *primò* accipitur prout idem eſt, ac integritas carnis: & ſic omnis fœmina naſcitur virgo, cùm ſuo clauſtro virginali. *Secundò*, accipitur *Virginitas* pro inexperientia cujuſvis venereæ delectationis, & ſic *Virginitas* eſt terminus privativus, negans talem experientiam in perſona nata illam experiri antequam hæc perſona habeat annos diſcretionis. *Tertio modo*, accipitur *Virginitas* pro habitu continendi ab omni venerea voluptate, cùm negatione voluntariæ experientiæ *de præterito*. *Quarto modo*, accipitur *Virginitas* pro habitu continendi ab omni venerea voluptate cum negatione voluntariæ experientiæ cujuſcunq; voluntariæ experiĕtiæ venereæ *de futuro* propter Deũ. Et ſic loquitur S. *Auguſt. de Virginitate* dicens: Quòd *Virginitas* ſit continentia quâ integritas carnis, ipſo Creatori carnis & animæ, vovetur, conſecratur, & conſervatur. Hoc præmiſſo.

Dico primò. Virginitas accepta pro ſola integritate carnis, ſeu clauſtri virginalis, non eſt virtus.

Probatur. Tum quia nulla virtus eſt ſubſtantivè in carne; ſed in anima: tum quia iſta *Virginitas* ineſt à natura: tum quia talis *Virginitas* ſolùm eſt in ſexu fœmineo; tum quia *Virginitas*, quæ eſt virtus, ſtat cùm carentia illius integritatis in carne, ut patet in virgine violenter oppreſſâ, & non conſentiente: tum quia integritas talis poteſt haberi in corpore ſine *Virginitate*, ut patet in puella retinente ſuum clauſtrum virginale, & admittente alias oblectationes venereas, vel cogitationes laſcivas cum delectatione: talis enim puella, licèt non ſit in corpore ſuo violata, non tamen habet virginitatem, ut virtus eſt.

Dico ſecundò. Virginitas accepta pro ſola inexperientia delectationis venereæ in ſubjecto quidem ſecundùm ſe capaci, ſed antè annos diſcretionis, non eſt virtus, patet: quia nulla moralis virtus eſt antè annos diſcretionis.

Dico tertiò. Virginitas tertio, & quarto modo accepta, videlicet pro habitu continentiæ, ab omni venerea voluptate, cum negatione omnis voluntariæ experientiæ delectationis venereæ, *de præterito*; vel etiam cum negatione omnis voluntariæ experientiæ, delectationis venereæ *de futuro* propter Deum, eſt virtus.

Probatur breviter. Quia omnis talis *Virginitas* eſt continentia; Omnis autem continentia eſt virtus (ut notum eſt) Ergo.

Nota hic, quòd ſicut ſe habet Magnificentia ad liberalitatem, ſic ſe habet *Virginitas* ad continentiam: nam liberalitas habet pro materia generaliter quoſcunque ſumptus, & uſum pecuniæ in dando, ſeu largiendo, ut patet ex 4. Ethicorum: At verò Magnificentia habet materiam ſpecialem in qua eſt major difficultas, puta magnos ſumptus: Sic etiam ad continentiam pertinet abſtinere ab omni experimento venereæ voluptatis illicitæ, quæ eſt contra leges Matrimonii: at verò ad virginitatem pertinet conſervare perſonam immunem ab omni experimento cujuſvis venereæ voluptatis, ſive illa ſit licita, ſive illicita.

Ex dictis *deducitur primò*, Quòd *Virginitas* carnis non ſit virtus, ſed ſola virginitas mentis.

Deducitur ſecundò. Quòd aliqua mulier poſſit ſimul eſſe mater, & virgo, loquendo de *Virginitate*, quæ eſt virtus: nam poteſt mulier non conſentiens opprimi violenter, & imprægnari, quæ imprægnatio virginitati illius nil noceret.

Deducitur tertiò, Quòd in utroque ſexu per ſimilem voluntariam experientiam voluptatis venereæ fiat perditio virginitatis, quæ eſt virtus. Dixi per delectationem voluntariam, ad excludendam experientiam per coactionem, vel quæ ſit in ſomno.

Deducitur quartò, Quòd Deus poſſit virginitatem ſumptam pro ſecunda integritate carnis, & ſic amiſſam reſtaurare; ſicut etiam Deus poteſt quamcumque aliam diſcontinuationem, vel vulnus corporis renovare: Virginitatem tamen amiſſam per experientiam voluntariæ delectationis venereæ, non poteſt Deus reparare: quia Deus non poteſt facere, quòd homo expertus delectationem carnalem, eam ſit inexpertus. Et hoc vult S. Hieronymus.

Dices primò, Omnis virtus generatur ex actibus, ſed virginitas non generatur ex actibus: Ergo non eſt virtus.

Confirmatur Nulla virtus aufertur involuntariè; ſed virginitas aufertur involuntariè, ut patet in oppreſſis. Ergo.

Reſpondeo ad *primum*, Quòd Virginitas, ut eſt virtus, poteſt ſatis benè generari ex actibus ſæpè repetitis, quibus reſpuuntur omnes delectationes venereæ. Neque verum eſt, quod omnis virtus generari debeat ex actibus externè exercitis; quia pauper poteſt habere liberalitatis, vel magnificentiæ habitum, ſi ſibi ſubeat materia. Item in Chriſto fuerunt iſtæ virtutes antè actus.

Reſpondeo ad *Confirmationem*. Quòd Virginitas quæ eſt virtus, nunquam auferatur involuntariè, ut dictum eſt.

Dices ſecundò, Nulla virtus perditur ſine peccato & meritoriè; ſed Virginitas perditur ſine peccato & meritoriè per Sacramentum Matrimonii: Undè 1. Cor 7. dicitur: Non peccat virgo, ſi nubat. Ergo.

Confirmatur. Omnis virtus amiſſa poteſt per pœnitentiam reſtitui, ſed Virginitas amiſſa nunquam poteſt reſtitui. Ergo.

Reſpondeo ad *Argumentum*, quòd Virginitas ſit talis virtus, ut ad illam omnimodè ſervandam nullus obligetur, niſi ſpontè voluerit; & ideò Virginitas ex parte poteſt amitti ſine peccato.

Dixi Virginitas ex *parte* poteſt amitti ſine peccato; ut intelligas, quod licèt Matrimonio juncti; inter ſe copula carnali uti, & delectationes

inter ſe venereas habere poſſint, debent tamen ſervare caſtitatem, & fidem conjugalem, non accedendo alium maritum, vel fœminam. Imò etiam inter ſe, nimium exceſſum, & petulantiam veneream exercere non debent. Si autem virginitas habet votum annexum, ſic patet de ſe, quod non poſſit amitti ſine peccato.

Reſpondeo *ad Confirmationem.* Quòd Virginitas quæ eſt virtus, poteſt recuperari per pœnitentiam quantum ad habitum mentis; & tunc dicitur quidem continentia: Sed non virginitas, propter connotantiam experientiæ carnalis quondam habitæ. An autem talis perſona adhuc ſit habitura aureolam, patebit ex lectione ſequenti.

Dices tertiò. Nulla vera virtus eſt in infidelibus, *ut docet S. Auguſtinus lib. 3. contra Iulianum*: Sed Virginitas fuit in infidelibus, ut patet de Virginibus Deæ Veſtæ ſacratis, quarum una in ſignum virginitatis aquam de Tiberi in cribro portavit, ut refert Valerius lib. 8. cap. 8. Ergo.

Confirmatur. Omne quod recedit à medio virtutis, eſt vitioſum; ſed virginitas recedit à medio virtutis: Ergo non eſt virtus. Probatur minor. Nam Ariſtoteles 2. Ethicorum ait: Quod qui omni voluptate potitur, eſt intemperatus, qui autem omnes fugit eſt agreſtis & inſenſibilis; ſed virginitas omnes voluptates fugit. Ergo.

Reſpondeo *ad primum. Quòd S. Auguſtinus,* benè dicat quod in infidelibus non ſit vera virtus, quia infideles non referunt illam ad debitum finem, qui in virtute maximè debet attendi. Quid ergo mirum, ſi infideles non habeant virginitatem prout eſt virtus? Nulla enim perſona infidelis vult abſtinere ab omni delectatione venerea propter ſolum Deum: quòd tamen ad virginitatem ut virtus eſt, requiritur, ut dictum fuit.

Reſpondeo *ad Confirmationem.* Quòd Virginitas non recedat à medio rectæ rationis, ſicut nec magnificentia. Similiter virgo non abſtinet ab omni delectatione, aliàs enim foret inſenſibilis: poteſt enim habere delectationem in guſtu, odoratu, viſu, auditu, aut etiam tactu honeſto. Imò etiam ſpeculatio veritatis habet in ſe mirabiles delectationes ſicut dicitur 10. Ethicorum:

Dices quartò. Virginitas eſt contrà præceptum divinum (Creſcite & multiplicamini Geneſ. 1.) Ergo non eſt virtus.

Confirmatur primò. Quia ſicut præceptum de conſervatione individui eſt de lege naturæ, ita etiam de conſervatione ſpeciei: Ergo ſicut homo peccaret nihil comedendo, per quod deſtruitur individuum, ita homo peccat ceſſando ab omni generatione pro conſervatione ſpeciei.

Confirmatur ſecundò. Qui habet unam virtutem habet omnes: ſed aliquando qui non habet virginitatem, habet alias virtutes: Ergo virginitas non eſt virtus.

Reſpondeo *ad primum.* Quòd multitudini datur præceptum diverſimodè; nam aliquando datur ſic, quòd quis de multitudine ad illud obligetur; aliquando datur ſic, quod ſufficiat, quòd aliquis, vel aliqui de multitudine hoc faciant: Sicut ſubindè alicui Conventui præcipitur, quòd una Miſſa dicatur pro Petro v.g. hodie defuncto, in quo caſu ſufficit, quòd unus ex Conventu Miſſam illam legat. Et quidem primo modo datur præceptum comedendi toti humanæ ſpeciei, quod pertinet ad conſervationem individui. Secundo autem modo datur præceptum generandi, & ſic præceptum generandi ſtat ad multitudinem hominum: & tamen cuivis illorum ſaltem ſoluto à matrimonio contravenire eſt licitum. Et per hoc etiam patet ad *primam Confirmationem.*

Reſpondeo *ad ſecundam Confirmationem.* Quòd qui habet unam virtutem, non habeat perfectè omnes virtutes: habet tamen aliquo modo omnes virtutes, in quantum habet rectam rationem, quæ conſtituit medium in omni virtute. Undè non quivis liberalis habet perfectè Magnificentiam; nec omnis continens habet perfectè ſtatum Virginitatis: Sed participat aliquo modo, quia promptè & faciliter deteſtatur delectationes illicitas.

LECTIO XXXX.

TEXTUS.

Et ſpado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima: dabitur enim illi Fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus commendavit caſtitatem in ſexu fœmineo, nunc eam commendat in ſexu virili: Ubi etiam Spiritus ſanctus primò excludit ea, quæ repugnant caſtitati, deindè verò aſſignat caſtitati ſuum præmium.

Dicit ergo: *Et ſpado*, Id eſt non ſolùm mulier (de qua paulò ante ſermo fuit) habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum, ſed etiam ſpado, id eſt Eunuchus, vel quivis caſtus virtuoſus. Vocatur autem caſtratus ſpado, quia cum ſpata ſubindè caſtratur. Item vocatur Eunuchus, quaſi benè vincens: ab *Eu*, quod eſt bonum, & *Nuchus*, quod eſt *victoria.*

Porrò talis ſpado, ſeu caſtus virtuoſus, erit fœlix in futuro propter ſuam virginitatem, quam cuſtodivit in præſenti vita. Ut verò ſervet perfectam caſtitatem requiritur, quod careat duobus vitiis; nempè contactu manuali, & libidinoſo, ad provocandam delectationem carnis, & cogitatu mentali voluptuoſo ad excitandam imaginationem carnis. Et ideò dicitur in Textu: *Qui non eſt operatus per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima. Et dabitur illi*, puta viro caſto, *fidei donum electum*, id eſt, vita æterna in contemplatione divinitatis, quæ Fidei ſuccedet & omnibus fidelibus promittitur. Undè Apoc. 2. dicitur: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Et dabitur ei ſors in templo Dei acceptiſſima, id eſt aureola, quæ eſt ſingularis prærogativa virginitatis. Quæ virginitas etiam eſt conditio nobiliſſima & acceptiſſima in cœlo: quia eſt conditio

ditio Chriſti, & Matris ſuæ, & omnium Angelorum. Eſt enim virginitas virtus Angelica *teſte S. Hieronymo*.

Nota primò. Quomodò Grammatici diſtinguant inter hos tres terminos, *Eunuchus*, *Spado*, *Caſtratus*. Nam *Caſtratus* dicitur, quaſi caſtus natus, ſicut ſunt ii, qui ſunt à natura frigidi, & impotentes ad generandum. *Spado* autem dicitur, qui invitus caſtratur. Et denique *Eunuchus* dicitur: qui voluntariè ſe caſtrari permittit. Undè ſunt iſti verſus

Caſtratum natura facit, violenta ſpadonem
Efficit improbitas, Eunuchum ſola voluntas.

Nota ſecundò. Quòd Gentiles antiqui caſtráverint pueros ſpecialiter propter tres rationes. *Primò*, ut diu in illis vox puerilis permaneret; *Secundò*, ut eſſent apti ad cuſtodiendas Dominas, quæ ab illis caſtratis proles non poterant concipere. *Tertiò*, ut iſtis pueris ſacrilegè, modo Sodomitico abuterentur diutiùs; quia caſtrati ſemper manent imberbes: Caſtrati enim ſaltem in juventute nunquam barbeſcunt.

Nota tertiò. Quòd ly *Spado*, in præſenti lectione accipiatur generaliter pro quocunque virtuoſo abſtinente ab actu venereo. Et iſto modo homo voluntariè, caſtè vivens ex amore Dei, poteſt vocari *Spado*, & tali debetur etiam ſua merces virginitatis, cujuſmodi ſunt viri Eccleſiaſtici, & Religioſi. De quibus loquitur Chriſtus Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui caſtraverunt ſeipſos propter regnum cœlorum. De iſtis quoque dicitur: Iſai. 56. Dicit Dominus Deus Eunuchis, qui cuſtodierunt Sabbata mea, & elegerunt, quæ ego volui; & tenuerunt fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.

Nota quartò. Quòd non ſolùm actus venereus, ſed etiam tactus venerei & impudici ſint peccatum mortale; imò etiam moroſæ cogitationes ad delectandum carnaliter ordinatæ, ſunt nequiſſimæ, puta in genere mali carnalis. Undè *Eccl. 17 in fine* dicitur: Quid nequiùs, quàm quòd excogitavit caro & ſanguis? Et quia in Textu ſermo fit de *Spadone*, ſeu *de Caſtratis*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum liceat alicui ſeipſum caſtrare propter continentiam ſervandam?

DIco, quòd non.

Probatur. Quia ſic decernitur in *Can. Diſt. 55. Si quis abſciderit.* Ubi ſic dicitur: Si quis amputaverit ſibi virilia, non fiat Clericus, quia ſui eſt homicida, & Dei Conditoris eſt inimicus. Item ſi quis Clericus abſcinderet ſeipſum omninò damnaretur; quia ſui homicida eſt; hoc eſt, facit aliquid tale, propter quod homicidium potuit fuiſſe ſecutum.

Dices primò, *Matth. 5. & 18.* dicitur: Si pes tuus, aut manus tua, aut oculus tuus ſcandalizat te, aſcinde eum. Scandalizare autem, eſt dare occaſionem ruinæ, quam oportet tollere: Ergo ne homo habeat occaſionem ruinæ, poterit ſeipſum caſtrare. *Reſpondeo*, quòd illa authoritas intelligitur de membrorum corporalium abſciſſione; undè nomine membrorum, ſeu partium corporis ibidem intelliguntur amici neceſſarii, ſeu conſanguinei: qui quantumvis nobis ſanguine, vel ſpeciali amicitiæ vinculo, juncti ſint. ſi tamen velint nos impedire à via Dei, & allicere ad peccandum, projiciendi ſunt, & fugiendi.

Reſpondeo ſecundò. Quòd locus ille intelligendus ſit non de abſciſſione Phyſica, ſed morali. Moraliter enim abſcindimus pedem, vel manum, aut oculos, paratum ad peccandum; ſi amoveamus objecta, & ſenſus noſtros frenemus. In tali enim caſu moraliter oculus eſt evulſus; quia ſicut oculus evulſus nihil videt curioſi: ita etiam oculus benè mortificatus nihil curioſi videt.

Dices ſecundò. Propter ſanitatem corporis conſequendam licitum eſt homini ſe mutilare: Ergò multò magis propter virtutes, & ſanitatem ſpiritualem, maximè quia Matth. 19. dicitur: Quod ſint Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.

Reſpondeo Negando conſequentiam, quia ſalutem mentis non poteſt talium membrorum abſciſſio præſtare; imò magis præſtant meritum, ſi per rationem paſſiones eorum virtuosè domentur.

Adde, quòd multi caſtrati fuerint ſummè luxurioſi, ut refert S. Auguſtinus: Adeòque caſtratio non præſtat ſanitatem mentis, nec etiam carnis; cùm fomes libidinis in omnibus hominibus, etiam in caſtratis, ſit in lumbis.

Dices tertiò. Origenes legitur, quòd ſeipſum caſtravit, non propter ſervandam continentiam, ſed propter vitandam infamiam, & malam ſuſpicionem, & ad hoc ut liberè & abſque ſcandalo prædicare poſſet, tam fœminis, quàm viris. Sicut legitur, *Lib. 6. Eccleſiaſtica hiſtoria*, tempore perſecutionis Eccleſiæ.

Reſpondeo, quòd ille actus in Origine fuerit mitæ devotionis, nec fuit per hoc impeditus, ne eſſet Sacerdos ordinatus, ſicut notat *Gloſſa diſt. 55.* Ideòque factum Originis non eſt trahendum in conſequentiam. Tales enim deciperentur in ſuo facto, & retorquent neceſſitatem peccandi in Deum ſuæ naturæ Conditorem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum Virginitati debeatur Aureola?

DIco, quòd ſic.

Probatur breviter. Quia juſtum eſt, quòd excellentiſſimæ victoriæ adverſus carnem debeatur aliquod præmium, ſeu gaudium accidentale propter hanc inſignem victoriam obtentam; & hoc præmium accidentale, vocatur *Aureola*, ſeu parva corona, ad differentiam aureæ ſeu coronæ cœleſtis, quam habebunt beati de Deo clare viſo, ac poſſeſſo. Pro cujus majori intelligentia.

Notandum *primò.* Quòd duplex præmium debeatur Beatis; videlicet eſſentiale, & accidentale. Præmium *Eſſentiale* conſiſtit in fruitione eſſentiæ divinæ clarè viſæ. Præmium autem *Accidentale*, vocatur quodcunque gaudium, quod non eſt de Deo clarè viſo, ſed de creatura.

Notandum *ſecundò.* Quòd Præmium *Accidentale* dicatur dupliciter; *Primò* dicitur gaudium

dium

dium *Specialiter* de aliquo actu animæ importante excellentem victoriam habitam meritoriè in vita præſenti: alio modo dicitur *Communiter* gaudium de quacunque re creata.

Notandum *tertiò*. Quòd actus excellentis victoriæ in præſenti ſit in triplici materia, ſecundum quod triplicem pugnam habemus: nimirum contrà carnem, contrà mundum, & contrà diabolum. Et quidem contrà carnem excellentiſſima victoria eſt Virginitas, quæ eſt virtus: Nam Virginitas virtuoſè reſpuit omnes delectationes carnales, tam licitas, quàm illicitas. At verò contrà mundum, id eſt contrà malos homines mundanos, qui bonos perſequuntur, & contemnunt, perfectiſſima victoria eſt Martyrium propter Chriſtum. Denique contrà Diabolum, qui falſa nos ſuggeſtione conatur seducere, perfectiſſima victoria eſt prædicatio, ſeu doctrina, quâ homo non ſolùm ſeipſum benè regit, ſed etiam alios corrigit, & inſtruit. Et iſtis tribus generibus hominum, puta Virginibus, Martyribus, & Doctoribus, tres aureolæ deputantur, propter tres actus excellentes, & privilegia victoriæ.

Notandum *quartò*. Quòd Beatitudo *Eſſentialis* vocetur metaphoricè *Corona*, vel *Aurea*. Beatitudo autem, vel gaudium *Accidentale* debitum operi excellentis victoriæ, vocatur *Aureola*: & hoc ideò; quia omne gaudium *Eſſentiale* eſt de Deo: gaudium verò *Accidentale* in beatis eſt de creatura, & minus quàm *Eſſentiale* gaudium: & ideò *Aureola* per terminum diminutivum ſignificatur.

Notandum *quintò*. Quòd cùm omne gaudium ſit actus animæ, ideò, ſicut *Aurea* eſt in anima, ita etiam *Aureola* eſt in anima; hæc tamen *Aureola* redundabit in corpus per aliquod ſignum evidens ipſi correſpondens; quod quale erit, nobis non eſt notum.

Dices primò. Perfecta Virginitas fuit in Chriſto, & beatiſſimâ Virgine, & tamen ipſis non debetur *Aureola*, quia nullam pugnam ſuſtinuerunt in continendo, adeòque nec fuit victoria ſpiritus ſuper carnem: Ergo nec aliis virginibus debetur *Aureola*.

Reſpondeo, quòd de Virgine glorioſiſſima MARIA teneat S. Thomas, quod omninò habuerit *Aureolam*, & tamen nullam pugnam à carne habuit, quamvis habuerit tentationes de carne ab hoſte humani generis. Nec mirum tibi videatur admittere, quod diabolus tentaverit Beatiſſimam Dei Matrem, cùm etiam diabolus ipſum Chriſtum Dominum tentaverit in deſerto. Sed pro ſua confuſione duntaxat, & èccontra pro gloria tam Chriſti Domini, quàm Beatiſſimæ Virginis. Sicut autem Chriſtus non continuò fuit tentatus à diabolo, ita nec beatiſſima Virgo; quamvis unam alteramque tentationem ſibi à dæmone immiſſam, fuerit Deiparæ Virgini glorioſum repellere, ab aliis autem continuis tentationibus Mater ſanctiſſima ob ſuam Maternitatem fuerat à protegente Deo, & cohibente diabolum, libera ac immunis.

De Chriſto verò dicit S. Thomas, quòd non habuerit *Aureolam* ſub nomine *Aureola*; quia iſte terminus *Aureola* importat victoriam participatam ab aliquo, quod Chriſto non convenit, in quo eſt plenitudo victoriæ. Et ſimiliter *Aureola* importat, quod à Principe conferatur.

Reſpondeo tamen *ſecundò* ad argumentum. Quòd iſte terminus *Victoria* dicat dominium rationis ſupra carnem, & connotat reſiſtentiam, quæ non fuit in Chriſto, nec in beatiſſima Virgine. Quia tamen fuit plenum dominium rationis, tam in Chriſto, quàm in ſua caſtiſſima Matre, ideò habent *Aureolam* ex alia cauſa ſibi debitam, quam nobis, dum parati fuiſſent fortiter omnes tentationes libidinoſas repellere, ſi quæ immiſſæ fuiſſent. Vide reſponſionem ad quartum argumentum.

Dices ſecundò. Si *Aureola* debeatur propter victoriam ſuprà carnem, ſequeretur, quod *Aureola* potiùs debeatur viduis quàm virginibus; ſed conſequens non eſt concedendum: Ergo nec antecedens. Sequela probatur. Quia viduæ habent majores tentationes, quàm virgines; Undè *Ariſtoteles lib. de Animalibus* dicit: quòd juvenes corrupti magis appetant coitum propter rememorationem delectationis quondam habitæ: Ergo viduæ abſtinendo à carnalibus habebunt majorem victoriam, & conſequenter majorem *Aureolam*: vel ſi viduæ *Aureolam* non habeant, nec illam habebunt virgines.

Reſpondeo, Quòd ſi attendimus iſtam unicam actionem tentationis carnis, quæ eſt recordatio ex parte voluptatis, conſtat quod hæc ſit in viduis & non in virginibus. Nihilominùs eſt in virginibus quædam major imaginatio ex parte laſciviæ, cum tribus circumſtantiis, ex quibus deindè conſurgit major tentatio. Nam *primò* virginibus proponitur deſiderium experiendi ex curioſitate delectationem carnalem, quàm nunquam ſenſerunt: ſicut homo magis deſiderat videre modicum oppidum, quod nunquam vidit, quàm unum magnum monaſterium, quod ſæpe vidit. *Secundò* eſt æſtimatio majoris delectationis, quàm ſit in rei veritate. *Tertiò*. Ignorantia incommodorum, & turpitudinis concomitantis: & ideò ſimpliciter loquendo pugna virginum eſt difficilior, quàm viduarum.

Dices tertiò Tanti meriti eſt caſtitas conjugalis, ſicut virginitas; ſed caſtitati conjugali non non datur *Aureola*: Ergo nec virginitati. Major eſt S. *Auguſtini lib. de bono conjugali cap. 40.*

Reſpondeo. Quòd non ideò detur virginitati *Aureola* quia eſt majoris meriti, ſed quia eſt diſtinctiva ſingularis victoriæ, vel dominii ſupra carnem. Undè *Beata Catharina* habet *Aureolam*, & tamen *S. Maria Magdalena* eſt majoris meriti. Undè non ſequitur iſta ſancta conjugata eſt majoris meriti, vel iſtæ duæ perſonæ, quarum una eſt ligata, & altera virgo, habent æqualia merita: Ergo ſi virgo habeat *Aureolam* virginitatis, etiam illam habebit ligata.

Dices quartò. Naturali neceſſitati non correſpondet præmium; ſed quidam ſunt naturaliter impotentes ad generandum, ſicut ſunt frigidi & caſtrati in juventute: Ergo in illis virginitas non meretur *Aureolam*.

Reſpondeo, quòd tales naturaliter caſti, ſi conforment ſuum propoſitum caſtè vivendi, ſuæ neceſſitati, habebunt *Aureolam*. Si autem non conforment ſuum propoſitum caſtè vivendi, ſuæ neceſſitati, ſed ſint mente corrupti, habuerintque deſideria res venereas exercendi ſi poſſent, tunc inquam non habebunt *Aureolam*.

Dices quintò. Ponamus, quòd aliqua virgo nubat, & ante commixtionem moriatur: tunc

ſcilicèt

ſcilicet iſta virgo retinet integritatem carnis; & tamen non habet *Aureolam* virginitatis, quia fuit mente corrupta, in quantum conſenſit admittere delectationem veneream licitam in actu conjugali: Ergo non omnis virgo habet *Aureolam*. Ante reſponſionem

Nota, quòd *Aureola* virginitatis competat cuivis habenti propoſitum abſtinendi à venerea voluptate; ſi illud propoſitum nunquam fuit *effectualiter* interruptum per experientiam oppoſitam uſque ad mortem: Si verò fuerit interruptum *effectualiter*, tunc non habebit *Aureolam*. Item ſi illud bonum propoſitum caſtè vivendi ſemel fuit interruptum, per propoſitum contrarium, ſine tamen *effectu*, ut quando v. g. perſona talis conſentit in actum venereum illicitum, ſi autem poſtea pœniteat de iſto conſenſu, quem nullum opus ſequebatur, tunc talis adhuc habebit *Aureolam*: Quia virginitas, quæ eſt virtus, per pœnitentiam reſtituitur. Item ſi quis propoſitum ſuum ſe continendi interrupit per propoſitum admittendi actum venereum in conjugio licitum, ita tamen ut *effectualiter* nunquam talem actum venereum conjugalem, & ſecundum ſe licitum exercuerit; & poſteà doleat, quòd non continuaverit propoſitum ſe continendi ab omni actu venereo, etiam licito in conjugio, talis inquam adhuc retinebit *Aureolam* virginitatis.

Ex hoc patet Reſponſio ad argumentum. Nam ſi talis virgo, quæ nupſit, & ante commixtionem ægrotans, dolenſque quod non continuaverit propoſitum abſtinendi ab omni actu venereo, moriatur, habebit adhuc *Aureolam* virginitatis; aliàs non. Et hoc modo S. Joannes Evangeliſta mente tenus deperditam per hoc, quod voluerit admittere actum conjugalem, recuperavit: quando Chriſtus eum de nuptiis, volentem nubere revocavit, *ſecundùm S. Hieronymum*.

Portò ſi quis talem virginem, quæ nupſit, & ante commixtionem virum morte ſubitanea præventum ducat in uxorem, non eſt *Bigamus*. Quia corruptio inducens *Bigamiam* eſt ſolutio integritatis carnis, non corruptio mentis: quæ corruptio mentis fit per hoc ſolum, quod voluerit admittere actum venereum, quantumvis licitum in matrimonio

Ex dictis colligitur. Quòd multæ virgines carebunt in cœlo *Aureolâ* virginitatis, ſicut qui moriuntur cum propoſito nubendi. Econtra autem multæ involuntariè corruptæ ſecundùm carnem, cum propoſito ſe continendi, habebunt *Aureolam* virginitatis: ut patet in puellis per vim à barbaris oppreſſis.

De pueris autem, vel puellis infrà ætatem, ac uſum rationis, non video cauſam quare *Aureolam* habere debeant; utpote in quibus nec fuit virginitas, quæ eſt virtus, nec victoria aliqua ſuprà carnem.

LECTIO XXXXI.

TEXTUS.

Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ.

EXPLICATIO TEXTUS.

Hic aſſignat Spiritus ſanctus duas rationes, cur virginitas ſpirituale præmium habebit in altera vita. *Prima* ratio deſumitur ab exemplo in operabilibus. *Secunda* in naturabilibus. Itaque ſic formatur *prima ratio*. Nam in operabilibus quantò labor eſt gravior, tantò merces eſt major, ut patet in agricultura, militia, ædificio, & omni arte; ſed militia contra carnem eſt optimus labor, & optima agricultura eſt colere terram carnis, & laborioſum ædificium eſt ſtatuere in carne ſua templum Chriſti. Ergo tali militiæ, agriculturæ vel ædificio merces optima correſpondet; & hæc omnia facit virginitas. Et hoc innuit Spiritus ſanctus quando dicit: *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus*. Quaſi diceret, ſicut minoris laboris eſt conjugium, quàm viduitas, & viduitas quàm virginitas; ita fructus glorioſior virginitati quàm viduitati, & viduitati quàm conjugio deputatur. Et hoc eſt, quod innuitur *Luc. 8. ubi dicitur*; Semen cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Et Matth. 13. Dederunt fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum. Et certè rectè virginitati deputatur fructus centeſimus propter glorioſiorem victoriam de carne. Conſtat quod habeamus quinque ſenſus externos, & quinque potentias interiores, ut patet, *ex ſecundo de anima*. In iſtis autem ſenſibus viget pronitas concupiſcentiæ & fomitis carnis, juxta illud Geneſ. 8. Senſus enim & cogitationes humani cordis proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua. Quia ergo virgines iſtas decem potentias cognoſcitivas & ſenſitivas ducunt in decem mandata decalogi, perfectè eas juxta illa regulando, meritò eis fructus centeſimus correſpondet; & ideò rectè *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus*.

Secunda Ratio deſumitur ab exemplo in naturalibus. Nam in omni arbore, plantâ, ac herbâ, bonitas fructus ſurgit ex bonitate radicis; ita ut quantò radix eſt melior, tantò etiam fructus eſt præſtantior; in moralibus autem radix eſt charitas, juxta illud ad Eph. 3. In charitate radicati ac fundati; Quantò autem major eſt charitas, tantò magis meritum eſt acceptum coram Deo. Ergo cùm virginitas procedat ex majori charitate, etiam correſpondere ſibi debet melior fructus. Et hoc ſonant verba poſita in Textu, *Et quæ non concidat radix ſapientiæ*. Hoc eſt boni labores, qui ſunt in victoria paſſionum carnalium, ideò habent bonos & glorioſos fructus, quia procedunt à radice ſapientiæ, quæ eſt charitas, ſive timor filialis, juxtà illud Eccl. 1. Radix ſapientiæ eſt timere Deum. Et iſta radix nunquam *concidet*, quia ſequitur ibidem: *Anni ipſius longævi, & ideò glorioſus eſt fructus*.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum pro bonis convenienter dicatur, & diſtinguatur quadruplex fructus; nimirum fructus virginalis fœcunditatis, fructus moralis ſanctitatis, fructus doctrinalis fertilitatis, & fructus æternalis fœlicitatis?

Dico, quòd ſic,

Explicatur *prima pars*, de fructu *virginalis*

ſed quartâ vigiliâ noctis diſcipulis laborantibus apparens dixit: Marci 6. Confidite, ego ſum, nolite timere. Quaſi dicat; Inſtantes eſtote orationi, & confidentiam in me habete, quia per meam aſſiſtentiam ultimatè omnia pericula evadetis.

Explicatur tertia pars, quòd *Confidentia* nobis bona ſit, *quia ſumus ægrotantes.* Certè multum confert infirmis, ſperare in ſuo Medico, diligere Medicum, & per hunc ſuam ſperare ſalutem. Undè *Seneca lib. 4. Declamationum cap. 5.* narrat: Quod quidam pater à filio ſuo medico ſit curatus, quia pater habuit tantùm confidentiam ad filium ſuum; Novercam autem ſuam infirmitate eâdem, qua pater ſuus laborabat, affectam, curare noluit, dicens: Spes patris de me, tanquam de ſuo filio, fuit magna cauſa curæ, & hanc magnam in me confidentiam de noverca mea præſumere non poſſum. Undè ſubdit Seneca, nihil magis prodeſt ægrotis, quàm ab iis curari, à quibus volunt. Applicatio. Quandò nos ſumus languidi peccato, ſumma nobis habenda eſt confidentia, tam de habenda ſanitate, quàm de Medici Chriſti bonitate: nam licèt infirmitas ſit magna, facilè tamen propter hanc *magnam confidentiam* curabitur aliquis, ſi ſperet & confidat in Chriſtum. In cujus rei figuram Chriſtus *Matth. 9. dixit paralitico*: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Econtra autem ob defectum hujus confidentiæ, & ſpei, Judas Iſcariotes & Cain, incurabiles erant, peccantes deſperando peccatum in Spiritum ſanctum, quod non facilè remittitur, nec in hoc, nec in altero ſæculo. Matth. 12. Et licèt fortaſſe aliquis perterreatur à Filio Dei Chriſto Jesu, qui Judex eſt, oportet tamen intueri Matrem quæ medicina eſt. Undè *Caſſiodorus in quadam Epiſtola*, ſic ait: Tu humani generis Patrona, tu afflictis reis Medicina ſingularis, quis tuo non egeat munere, cùm ſit peccare commune? Item S. *Bernardus Homilia 2. ſuper miſſus eſt, propè finem* ait: Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fæditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ deſperationis abyſſo, &c. Cogita Mariã. Si anguſtiis premeris in periculis, vel in rebus dubiis, cogita MARIAM, invoca MARIAM. MARIA nõ recedat ab ore, nõ recedat à corde. Et ut impetres ejus orationis ſuffragiũ, ne deſeras cõverſationis exemplũ; ipsã ſequẽs non devias; ipſam rogans non deſperas; ipſam cogitans non erras; ipsâ tenente non corruis; ipsâ protegente non metuis; ipsâ duce non fatigaris; ipſa propitia pervenis, quò humiliter tendis; & ſic in te ipſo experitis, quod meritò dictum ſit: *Et nomen Virginis MARIÆ.*

Porrò de anima taliter confidentiali dicitur Dan. 13. Non eſt confuſio confidentibus in te.

LECTIO XXXVII.

TEXTUS.

Impiis autem, ſecundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt juſtum, & à Domino receſſerunt; ſapientiam enim, & diſciplinam qui abjecit, infælix eſt.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus monſtravit, quòd Juſti poſt hanc vitam habebunt mercedem; nunc divertendo ſe ad impios docet, quod ipſi non tranſibunt impunè. Dicit ergo: *Impii autem ſecundùm quæ cogitaverunt, correptionem habebunt*: id eſt impii, qui poſuerunt animæ mortalitatem, & quod poſt mortem non erit malis aliqua pœna, illi inquam, *correptionem*, id eſt pœnam habebunt correſpondentem ſuæ malitiæ. Dicitur autem *ſecundùm quæ cogitaverunt*, ut intelligas, quod ſi puniantur cogitationes, à quibus omne malum procedit: etiam locutiones, & operationes malæ puniendæ ſint.

Qui neglexerunt juſtum; Id eſt Deum, qui juſtiſſimus eſt, & juſtitiam ejus. Juſtum enim fuit, & eſt, ut omnis creatura rationalis, propter gratias à Deo receptas, ſollicitè & diligenter Deum honoret, qui earundem gratiarum eſt largitor. Undè Michæ. 6. dicitur: O homo! quid ſit bonum? quid Dominus Deus tuus quærat à te indicabo tibi: utique facere judicium, & diligere juſtitiam, & ſolicitè ambulare coram Domino Deo tuo.

Et à Domino receſſerunt, id eſt, juxtà vias Domini, & præcepta Dei vitam ſuam non inſtituerunt. Cauſa autem cur impii à Deo receſſerunt, eſt ipſa negligentia utendi gratiis ſibi à Deo oblatis cooperando iiſdem. Et hæc negligentia tandem parit in homine peccatore contemptum ſui, & vilipenſionem peccandi, propter quod dicitur: Proverb. 18. Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit. Ex hoc autem contemptu provenit, quòd peccator non ſolùm non curet ſcire illa, quæ Dei ſunt, ſed inſuper abjicit ſcientiam Dei.

Undè ſubditur in Textu: *Sapientiam & diſciplinam qui abjicit, infœlix eſt.* Qui abjecerit *Sapientiam*, id eſt fidem de ſupernaturalibus à Deo revelatis; quæ à nobis non ſunt comprehenſibilia, juxtà illud Rom. 11. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: talis inquam infœlix eſt.

Item qui abjecerit *Diſciplinam*, id eſt, admonitiones & correptiones, quas Deus per Prophetas ſuos, & Prædicatores mundo monſtravit, infœlix eſt. Undè Proverb. 15. dicitur. Qui abjicit diſciplinam deſpicit animam ſuam, & conſequenter animam ſuam deſpiciendo, infœlix eſt: dum ſcientiam Dei non vult ſcire, nec addiſcere. Huc facit illud Metricum.

Tres infœlices in mundo dicimus eſſe:
Infœlix qui pauca ſapit, ſpernitque doceri:
Infœlix qui multa ſapit, ſpernitque docere.

Et quia ad Clericum pertinet non ſolùm multa ſapere, ſed etiam alios docere: Ideò ſi hoc juxta officium ſuũ non faciat, graviter peccat. Pro quo

Nota, quòd Clericus peccator ſit ſimilis *Argo. Argus* (ſicut refert *Ovidius 1. Metamorph. circà finem*) fuit quidam paſtor, habens centum oculos, & tamen ſolùm habuit cuſtodiendam unicam vaccam, de virgine paulò antè transformatam. Porrò Mercurius, ut ſibi acquireret illam

illam vaccam, finxit ſe cuſtodem & paſtorem acceſſitque ad locum, ubi Argus vaccam hanc paſcebat. Incipit poſtea Mercurius ita ſuaviter fiſtulare, ut Argus eum rogaverit, quatenus ſibi placeat in paſcuis ibidem cum capris ſuis morari ſecum. Annuit Mercurius, ſimulque ſedens cum Argo cœpit denuò gratioſè fiſtulare, donec aliqui oculi dormitaverunt: continuando autem ſua cum fiſtulatione, omnes oculi Argi dormierunt. Dum autem Mercurius vidit, quòd omnes centum oculi Argi eſſent clauſi, & ſopore obruti, ſurrexit Mercurius, & caput cum oculis amputavit, & ſic vaccam illam ſic transformatam ex virgine ſecum duxit. Applicatio Moralis. Clericus litteratus eſt; quaſi Argus centum habens oculos, nempè conſiderationes multas, id eſt, cautelas: & tamen habet ſolùm unicam vaccam cuſtodiendam, id eſt unam conſcientiam. Quæ quidem fuit virgo quam diu retinuit innocentiæ puritatem, ſed tamen per peccatum transformata eſt in vaccam beſtialem, nempè concupiſcentiâ & voluptate. Undè Iſai. 7. Nutriet homo vaccam. Et Oſeæ. 4. Sicut vacca laſciviens declinavit Iſraël. Mercurius autem (id eſt, medium currens) eſt diabolus, qui circuit quærens quem devoret. 1. Pet. 5. Iſte diabolus fiſtulat ita dulciter per ſtrepitum laſciviæ mundanæ, item per adulationes amicorum; quòd Argus ille per negligentiam obdormiat uſque ad mortem. Et tunc homine per negligentiam dormiente venit diabolus, & aufert caput ab homine, id eſt, ſeparat ab eo Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ: & miſeram vaccam ducit in gehennam. Et ideò dicitur Jud. 18. Nolite negligere, nolite ceſſare à cuſtodia, & concuſſione conſcientiæ propriæ. Pro quo

Nota ſecundò, Quòd iſte ſit modus, & ordo cadendi, ſeu peccandi in homine, quantumvis fuerit in ſtatu perfecto, videlicet *Primò*. negligere modica, loqui otioſa. rarò confiteri, & aridè dicere officium divinum, &c. Quæ omnia videntur eſſe modica, & levia peccata, poſt iſta autem peccata levia inducit diabolus in peccata graviſſima. Circà dolium ſunt magni circuli, quibus aſſeres dolii colliguntur, & iſti magni circuli in ſuis extremitatibus conjunguntur, ſeu colligantur cum parvis viminibus; ſolutis autem his parvis ſolvuntur magni, & ſolutis magnis dolium totum decidit. Sic etiam fit in moralibus, nam qui ſpernit modica, paulatim decidet, *ut dicitur Eccl. 19.*

ARTICVLVS PRIMVS.

An homines mundo deditи ſint negligentes in addiſcendo morum ſanctitatem; in diſcutiendo propriam perverſitatem; in reverendo Dei Majeſtatem; & in ſufferendo proximi neceſſitatem?

DIco, quòd ſic.

Explicatur prima pars, Quòd homines mundo dediti *ſint negligentes in addiſcendo morum ſanctitatem.* Scitur, quòd homines mundani ſint diligentes ad diſcendas artes ſubtiles ex curioſitate; Item ad diſcenda jura civilia propter utilitatem. vel artem bellandi propter ſtrenuitatem, vel etiam artem negotiandi, propter acquirendas opes, & ſic de ſingulis, quæ ad vitæ præſentis promotionem pertinent. Sed ad diſcēdam artem benè vivendi, Deo ſerviendi, peccata vitandi, omnes quaſi ſunt negligentes. Undè mundus invitat ad errores, & ineptias, & plerique obediunt illi; Deus autem invitat ad honores & nuptias, & omnes propèmodum negligunt venire: Undè Matth. 22. dicitur: Illi neglexerunt, & abierunt, alius ad villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam. Et tamen hæc, ſumma Sapientia eſt ſcire benè vivere. Ad quem modum benè vivendi addiſcendum nullum tempus ſatis magnum eſt, etiamſi à pueritia uſque ad humani ævi terminos vita producatur teſte Senecâ Epiſt. 109. Porrò hic eſt una negligentia reperta in multis juvenibus, qui dum non poſſunt totam ſcientiam acquirere, reſpuunt partem ſcientiæ accipere; & negligantia talium juvenum eſt filia ſuperbiæ, quos benè deridet *Seneca lib. 1. Epiſtolarum epiſt. prima* dicens,

Non poteris oculo quantum contendere Lynces
Non tamen idcircò contemnas lippus inungi.

Vult dicere. Ponamus, quod ſis lippus, & non fidas tibi tantum acumen viſus acquirere, ſicut habent linces, non tamen idcircò debes contemnere uti collirio, & aqua juvante ad acumen viſus: Fatuum enim eſt partem contemnere, quia totum non potes habere. Talibus aptis ad diſcendum dicitur 1. ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt.

Explicatur ſecunda pars, quòd homines ſint negligentes in diſcutiendo *propriam perverſitatem*. Fuit quidam Seneſcallus, qui novit optimè ordinare familiam alienam, de regimine autem domus ſuæ propriæ nihil ſcivit diſponere. Tales Seneſcalli ſunt multi, qui diligenter defectus aliorum emendant, & tamen negligunt proprios defectus corrigere: Undè etiam hujuſmodi accuratè ſunt ſolliciti ad diſcutiēdas alienas cōſciētias ſed negligētiſſimi ad examinādas cōſcientias proprias; cū tamen nobis dicatur: ut inceſſanter conſcientias proprias diſcutiamus. Judicum 14. Nolite negligere, nolite ceſſare.

Explicatur tertia pars, Quod homines ſint negligentes in *reverendo Dei Majeſtatem*. Et ad hoc debent benè attendere Prælati, Clerici, & quicunque Religioſi: & tamen ſi rem benè perpendamus, hi ipſimet ſunt, qui hanc negligentiam ſæpè committunt: Undè *Paralip. 24. dicitur*: Levitæ egerunt negligentiùs quibus tamen præcipitur Deut. 8. Obſerva, & cave, nequando obliviſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus, atque judicia. Hanc autem negligentiam in iſtis Levitis, vel Clericis cauſat nimia frequentia aſſiſtendi Deo, quia nimia familiaritas parit contemptum, & tamen contrà tales dicitur: 2. *Paralip.* 29. Filii mei nolite negligere, vos elegit Deus, ut ſtetis coràm eo.

Explicatur quarta pars, quod homines ſint negligentes in *ſufferendo proximi neceſſitatem*. Et tamen unicuique noſtrum dicitur illud, Deut. 22. De omni re fratris tui, ſi perierit, & inveneris eam, non negligas quaſi alienam. Res fratris autem perit, ſi incidit in latrones, vel ſit depauperatus, vel indiget aliquo pro amore Chriſti. Tales proinde non debemus negligere, ſed eis continuo auxilium præſtare. Verùm tamen homines

mines mundani ad hoc reſpondent: poſſem quidem talem juvare, ſed non ſine meo damno. Sed nunquid poterit Deus recompenſare damnum? Utiquè, quia juſtus eſt; Undè *Proverb. 12. propè finem* dicitur: Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt: Ergo talem juſtum Deus, neceſſario remunerabitur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum omnis negligentia ſit peccatum mortale?

DIco, quòd quandò negligentia eſt de actu, vel circumſtantia actus neceſſaria ad ſalutem, tunc talis negligentia eſt peccatum mortale: Secus autem, ſi nec actus, nec circumſtantia, ſint de neceſſitate ſalutis.

Explicatur prima pars. Nam ſi negligam dare proximo Eleëmoſinam tempore extremæ neceſſitatis, vel ſi negligam actum cadentem ſub præcepto v.g. auditionem Miſſæ, pecco mortaliter. Similiter ſi homini indigenti in extrema neceſſitate conſtituto dem eleëmoſinam præcisè ex reſpectu humano, & non ex charitate, pecco mortaliter; omittendo circumſtantiam, quæ debet eſſe in omni actu virtuoſo de neceſſitate ſalutis: Undè 1. ad Cor. 6. dicitur: Omnia opera veſtra in charitate fiant.

Explicatur ſecunda pars. Nam ſi negligam actum, vel circumſtantiam actus, non præcepti, vel non pertinentis ad neceſſitatem ſalutis, pecco ſimiliter, venialiter, ut ſi negligam ſalutationem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, dum eſt ejus aliqua feſtivitas, vel ſi ex remiſſione voluntatis cogitem de impertinentibus, dum audio lectionem.

Eſt autem *Negligentia nihil aliud, quàm quidam defectus debitæ ſolicitudinis circà actum virtuoſum faciendum, proveniens ex remiſſione ferveris in voluntate.*

Dices primò. Eccl. 7. dicitur. Quicunque timet Deum nihil negligit: Ergo èontra qui in aliquo negligit, perdit timorem Dei; Sed qui perdit timorem Dei, peccat mortaliter: Ergo quicunque aliquid negligit, peccat mortaliter.

Reſpondeo. Quòd is, qui timet Deum nihil negligat de his, quæ ſunt præcepta tanquam neceſſaria ad ſalutem; & quia homo ſolùm negligentiam parvam committens, nihil negligit de his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; ideò timorem Dei non perdit ſimpliciter.

Dices ſecundò. Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter, ut dicitur Jeremiæ 48. Ergo cùm maledictio non feratur, niſi pro peccato mortali, ſignum eſt, quod quævia negligentia ſit peccatum mortale.

Reſpondeo, quòd ille ſit maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter, ordinando nimirum opus bonum, ac præceptum, non ad Deum tanquam ad ultimum finem, ſed ſolùm ad creaturam; vel ob vanam gloriam tanquam propter ultimum finem: & tales homo ſicut peccat mortaliter, ita etiam eſt maledictus.

Cæterum in authoritate allegata ex Jeremiæ cap. 48. Propheta ad litteram loquitur de Nabuchodonoſore, quem Deus fecit inſtrumentum ſuum ad flagellandum populum ſuum Iſraël; de quo Deus, ob peccata populi illius, liberè ac juſtiſſimè poterat ordinare, & diſponere, poſtea verò Nabuchodonoſor hanc, populi Iſraëlis afflictionem, quam Deus permiſit fieri à Nabuchodonoſore, adſcripſit Nabuchodonoſor potentiæ ſuæ propriæ, & ideò quod debuiſſet facere præcisè ex obediētia Deo præſtāda, hæc ipſa fecit ex odio perſonarū, ideò q. peccavit mortaliter. Undè dicitur in textu: Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulēter; Maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine, id eſt, qui parcit injuſtè pro ultione, quam Deus præcepit infligi.

LECTIO XXXVIII.

TEXTUS.

Et vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inhabitabilia opera eorum. Mulieres *eorum inſenſatæ, & negligentiſſimi filii eorum; maledicta creatura eorum.*

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Spiritus ſanctus oſtendit, quomodo impii in altero mundo cruciabuntur; nunc oſtendit, quòd etiam in præſenti vita aliquas miſerias ſuſtinebunt.

Dicit ergo. *Et vacua eſt ſpes eorum*, id eſt, falsò putabant, & ſperabant ſe evaſuros omnem pœnam: Undè de iis verificatur illud Iſaiæ 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Ubi

Nota, quòd Spiritus ſanctus contrariè inducat, ſpem Juſtorum & ſpem impiorum; nam de juſtis dixit ſupra, ſpes juſtorum immortalitate plena eſt; de impiis autem dicit: *Vacua eſt ſpes eorum.* Undè Apoſtolus nos à via impiorum deterrere volens ait: 2. Cor. 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Et labores ſine fructu; Id eſt, quamvis juſti terra marique in bello, conſilio, & pace multum laboraverint pro habendis ſuis voluptatibus, iſti tamen omnes labores ſunt ſine fructu ultimato. Quòd ipſum injuſti recognoſcunt, ut dicitur infrà Sap. 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus viam difficilem.

Et inhabitabilia opera eorū, Id eſt, Deus, qui inhabitare dignatur animam piam, & animam non ponentem habitationi ſuæ obicem; ille inquam animam impii non inhabitat: Quia *opera mala impiorum ſunt inhabitabilia à Deo.*

Mulieres eorum inſenſatæ, Id eſt, fœminæ eorum luxuriæ ſummè deditæ ſunt, tanquam ſine ſtultæ ac inſenſatæ: faciuntque viros ſuos ſummè effœminatos, & obcæcatos.

Nequiſſimi filii eorum, Id eſt, omni genere flagitiorum ſunt imbuti filii iſtorum impiorum, dum non vident, niſi peſſima exempla à ſuis parentibus, & peſſimè ac citrà timorem Dei educantur ab illis. Quid mirum ergo, ſi talis filius evadat peſſimus, & tandem inſurgat contra parentes. De filio ſic malè educato dicitur 3. Reg. 16. Operatus eſt Iniquitatem ſuper omnes, qui erant ante illum.

Maledicta creatura eorum. Quamvis homo creare nihil poſſit, nihilominus, quidquid homo malinosè excogitat, ſive in materia luxuriæ, ſive

ſive in materia injuſtitiæ, &c. Hoc poteſt quodammodo dici creatura illius. Verumtamen iſta monſtruoſa figmenta peccatorum ſunt excommunicata à Deo, & maledicta. Undè Eccl. 37. dicitur: O conſumptio nequiſſima, undè creata es? Circà illa verba *Mulieres inſenſatæ.* ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum fœminæ ſint fugiendæ, quia ſunt libidinoſæ in alliciendo; malitioſæ in convivendo, litigioſæ in colloquendo; proditioſæ in conſulendo?

DIco, quòd mulieres ob quatuor præfatas cauſas ſint fugiendæ, maximè à viris religioſis, & Eccleſiaſticis.

Explicatur *prima pars*, Quòd fœminæ ſint deteſtandæ, quia ſunt *libidinoſæ in alliciendo.* Nam fœminæ in operatione libidinis plus delectantur, quàm viri; Undè Treſias dixit: fœminas habere decem uncias luxuriæ, viros autem tantùm habere quatuor uncias luxuriæ. Fuerat autem iſte Treſias ſucceſſivè utriuſque ſexus (ut fabulantur Poëtæ) & ideò Treſias conſtitutus fuit judex, an vir vel mulier plus habeat de luxuria, vel plus de delectatione luxuriæ. Itaque ad propoſitum deveniendo, ſicut fœminæ plus in libidine delectantur, quàm maſculi, ita in omni ſenſu magis alliciunt, puta per ſuam formam, faciem, geſtum & vocem. Et quamvis fœminæ ſint frigidioris complexionis, ſunt tamen ferventioris libidinis. Undè *Ovidius lib. 1. de arte amandi* ait:

Parcior in nobis, nec tam furioſa libido:
Legitimum finem, flamma virilis habet.

Vult dicere Ovidius, quòd libido mulieris ſit infinita; valdè enim nocivum eſt, quòd ſine nocumento videri non poteſt: & tamen nobis dicitur Eccl. 9. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne tibi concipias ſpeciem alienam, Multi propter ſpeciem mulieris perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcet.

Hunc ignem ſatis pertimuit ſanctus ille Monachus, qui matris ſuæ nudas tibias noluit tangere, cùm eam ultra aquam portare debuit; ut legitur in *Vitis Patrum.* Similiter iſtum ignem ſatis timuit Sacerdos ille, qui in hora mortis mulieri auſcultanti, an ſpiritum exhalaſſet, dixit: Igniculus vivit, paleam tolle. Ut refert S. *Greg. lib. 4. Dialogorum.* Iſtum ignem etiam ſatis advertit Poëta ille, qui dixit:

Fœmina fax ſathanæ, fœtens roſa, dulce venenũ,
Semper prona rei, quæ prohibetur ei.
Urit enim vultu, viſu, riſu, cute, cultu;
Hujus ab inſultu, quantũ potes eſto procul tu.

Iſtum quoque ignem ſatis conſideravit Angelicus noſter Doctor S. Thomas de Aquino; qui cùm in turri cuſtodiretur in carcere. & cùm ad eum ſeducendum inhoneſta juvencula ſola fuiſſet intromiſſa in cameram; ille ardente titione de camino erepto eam celerrimè fugavit: propè ſciens, quòd in conſpectu fœminæ ardeſcet ignis, & quòd de veſtimento procedat tinea, & à muliere iniquitas viri, ut dicitur Eccl. 42. Et ideò ſuper omnia oportet ſequi conſilium Apoſtoli 1. Cor. 7. Bonum eſt mulierem non tangere.

Nec te excuſes, quòd jam ſis ſenex, & fœmina quoque ſit vetula, vel quod mulier ſit ſancta aut religioſa: hæc inquam excuſatio in præſenti non admittitur. Nam quid eſt frigidus ſilice, & chalibe, & tamen ex mutuo horum contactu proſilit ignis? Similiter terra eſt bona, & pluvia eſt bona de cœlo deſcendens: & tamen utriuſque commixtio non eſt niſi lutum. Undè dicitur metricè:

Res tam diverſæ, licèt utraque ſit bona per ſe,
Si ſint perverſæ, junctæ perdunt pariter ſe.

Et ideò merito ſtrictiſſimè prohibetur. Clericorum, & mulierum cohabitatio *Extrà De cohabitatione Clericorum & mulierum* per totum. Et in *Canone 31. Omne hoſpitiolum.* Ubi allegantur verba S. Hyeronimi dicentis: Hoſpitiolum tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant: Quia non poteſt toto corde habitare cum Deo, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Nam fœmina conſcientiam ſecum habitantis exurit. Et indè eſt, quòd Monachi & Monachæ non permittantur ſimul habitare in eodem Monaſterio: ſed potius præcipitur, ut Monaſteria puellarum longiùs à Monaſteriis Monachorum, vel propter inſidias Diaboli, vel propter oblocutiones hominum collocentur. Undè *S. Hieron. Epiſtola undecima* ſic unumquemque Clericum alloquitur: Quid tibi & fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? Fœminarum cum Clericis nulla ſit convictio, aut converſatio. Janua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nocivum genus eſt fœmina; cum proximat ad ſtipulam, accendit ignem, flammigero igne percurit fœmina conſcientiam pariter habitantis. Ego judico, ſi cum viris fœminæ habitent, non deeſſe viſcarium diaboli. Ex his ab initio aucupatum eſt peccatum, mentes ferreas domat libido. Hæc S. Hieronymus. Itaque in medio mulierum nolite commorari Eccl. 42.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd mulieres ſint fugiendæ, quia ſunt *Malitioſæ in convivendo.* Nam Eccl. 25. dicitur: Brevis eſt omnis malitia ſuper malitiam mulierum, ſors peccatorum cadat ſuper illam. De qua loquens S. *Chryſoſtomus in ſermone quodam*, quem fecit de muliere mala, dicit ſic: O malitioſum, & acutiſſimum telum diaboli mulier! Per mulierem diabolus ab initio Adamum in Paradiſo proſtravit, per mulierem mitiſſimum Davidē, in homicidium, & adulteriũ, deſtinavit; per mulierē, ſapientiſſimũ Salomonem in ſacrilegium præcipitavit; per mulierem, fortiſſimum Samſonem raſum cæcavit; & caſtiſſimum Joſephum vinculis & carceri mancipavit; per mulierem, mundi lucernam Joannem Baptiſtam capite truncavit. Hæc *S. Chryſoſtomus.*

Quanta autem ſit malitia mulierum, declarat idem *S. Chryſoſtomus in Uxore Iob, & in Dalila amica Samſonis.* De prima loquitur ſic: Hæc videns virum ſuum ulceribus ignitum, cadentem doloribus, involutum vermibus, in ſterquilinio reſidentem, & cineribus

vel ſaltem non ſine difficultate: quia non accedit ad Chriſtum cum perfecta voluntate ipſi ſoli ſerviendi, & de tali dicitur illud Luc. 14. Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire.

Quartò, examinatur Electus à Deo ; an non ſit ratiociniis obligatus? Certè homo v. g. uſurarius (& idem eſt de homine ſimoniacè promoto, vel de eo qui ſpoliavit alterum , nec vult reſtituere) qui de pecunia uſuraria fuit ditatus, tenetur ad reſtitutionem, ſi autem reſtituere non velit, non admittitur à Chriſto ad profeſſionem aut gloriam cæleſtem : Nec dimittitur ei peccatum, niſi reſtituat ablatum, ut docet S. Auguſtinus. Undè de iſtis nolentibus reſtituere rem ablatam, dicitur in Pſalm Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.

Quintò, quærit Deus ab Electo, an habeat aliquam occultam infirmitatem, id eſt, an habeat peccatum occultum, & grave , quod necdum expiavit per pœnitentiam? Si enim tale peccatum non confeſſum habeas, Chriſtus te non admittet ad profeſſionem. Et ideò quiſque noſtrûm ſtudeat ſe tali modo gerere , ut cùm à Deo ex iſtis quinque punctis fuerit examinatus , benè ſubſiſtat, ne à profeſſione , id eſt à gloria cœleſti cum confuſione repellatur. Et hoc eſt, quod monet Apoſtolus 2. ad Timotheum 2. Cura temetipſum probabilem exhibere operarium, inconfuſibilem, & qui ſic inventus fuerit , facit profeſſionem ſuam in finali judicio, dicens illud Deut. 26. Profiteor hodie coram Domino Deo, quod ingreſſus ſim terram , pro qua juravit Patribus noſtris.

Explicatur *tertia pars*, quod Electus à Deo examinetur ſicut *Baccalaureus antè Magiſterium.* Nam Baccalaureus antè Magiſterium probatur in tribus: nempè in *legendo*, *reſpondendo*, & *opponendo*. Debet enim legere talis magiſtrandus , ad minus unum volumen ſuæ facultatis. Nos quoque per confeſſionem legere debemus volumen conſcientiæ noſtræ. Stolidus Clericus eſt, qui neſcit legere Scripturam ſuam, & opus proprium, ad Galat. 6. Opus autem ſuum unuſquiſque probet, & ſic in ſemetipſo gloriam habebit.

Secundò, debemus *Opponere*, id eſt, arguere per juſtam correptionem proximorum, & hoc pertinet principaliter ad Prælatos & ſubindè etiam ad omnes. Undè Matth. 18. ſi peccaverit in te frater tuus , vade & corripe illum inter te & ipſum ſolum. Undè Sap. 1. dicitur. Probata virtus corripit inſipientes, & Prælatia dicitur Jeremiæ 6. Probatorem in populis dedi te.

Tertiò, debemus reſpondere *pro gratiarum actione*. Undè 1. ad Teſſ. 5. dicitur: In omnibus gratias agite. Et qui hoc compleverit, dignus eſt gradu Magiſtrali, exemplo Tobiæ, qui in ſe hæc omnia formaliter & devotè complevit , peccata ſua confitendo , uxorem corripiendo, & Deo pro cæcitatis flagello gratias agendo : & ideò ei dictum fuit: Quia acceptus coràm Deo eras, ideò neceſsè fuit, ut tentatio probaret te.

Explicatur *quarta pars*, quod Electus probetur à Deo ſicut *Denarius antè ſolutionem.* Qui alteri mutuat denarium , diligenter conſiderat antè ſolutionem, quantitatem, pondus , & imaginem, ſonum, & materiam : quia ſi in aliquo iſtorum defecerit, non eſt legalis moneta , nec debet accipi. Quantitas eſt æquitas ; pondus eſt charitas , imago eſt juſtitia , ſonus eſt veritas, ad omnes, & ad ſe ipſum. Unuſquiſque noſtrûm à Chriſto denarium recepit , id eſt , animam rationalem habentem imaginem Regis Regum; & in die mortis eſt tempus ſolutionis : & tunc oportet reddere denarium , & Chriſto offerre. Undè Marc. 12. Offerte mihi denarium: Et certè niſi denarius habeat quinque prædicta, puta quantitatem, pondus, imaginem, ſonum, & materiam, reprobabitur: Et ideò Jerem 6. dicitur: Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projicit illos. Si verò prædicta quinque habuerit, dicet nobis Chriſtus illud Geneſ. 43. Pecuniam , quam dediſti mihi, probatam habeo. Et de noſtro denario verificatur illud Pſalmi : Argentum igne examinatum probatum terræ, purgatum ſeptuplum , examinatum igne charitatis; probatum terræ, id eſt, à terra nihil habens terrenæ vanitatis : purgatum ſeptuplum , à ſeptem vitiis capitalibus , quæ ſunt radices univerſæ iniquitatis.

LECTIO XXXIV.

TEXTUS.

Fulgebunt Iuſti , & tanquam ſcintilla in arundineto diſcurrent.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus poſuit promiſſionem generalem, quod Sancti poſt hanc mortem præmiabuntur : nunc in particulari tangit excellentias futuras in remuneratione. Erunt enim Sancti non ſolum fœlices in anima , ſed in corpore. Itaque Spiritus ſanctus in præſenti deſcribit, quod ex redundantia animæ glorioſæ , in corpus , corpus ſit habiturum quatuor dotes, nempè *Claritatem, Impaſſibilitatem, Subtilitatem, & Agilitatem.* Et iſtæ quatuor dotes in præſenti textu annotantur. *Primò* enim notatur *Claritas* per ly *fulgebunt. Secundò Impaſſibilitas* per ly *Iuſti*; quia juſtitia perpetua eſt & immortalis, ut dicitur: *Sap. 10. Tertiò Subtilitas notatur* per ly *tanquam ſcintilla. Quartò* notatur *Agilitas* per ly *diſcurrent in arundineto.* Eſt autem arundinetum locus, ubi creſcunt arundines ; undè ſicut ſcintillæ moventur ſine difficultate inter arundines; & ſine reſiſtentia; ita Sancti ſine reſiſtentia corpora movebunt.

Ad has quatuor dotes corporis glorioſi ſignanter alluſit Apoſtolus 1. Cor. 15. dicens : Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione, id eſt *Incorruptibilitate*, & *Impaſſibilitate* : Seminatur in ignobilitate , id eſt in obſcuritate mortis, ſurget *in Gloria*, hoc eſt, in *Claritate*; Seminatur in infirmitate , ſurget in virtute , hoc eſt: *Agilitate*; Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale, id eſt *Subtile.*

Ratio autem, quare corpus glorificatum ratione animæ glorificatæ habeat illas quatuor dotes, eſt iſta. Quia anima glorificata tunc habebit perfectum dominium ſui corporis , non ſolùm in quantum eſt forma corporis , ſed etiam in quantum eſt motrix corporis, & in quantum

eſt

eſt beata, & Deo conjuncta. Itàque *Primò* in quantum anima eſt beata, gloria animæ abundans in corpus, cauſabit in illo *Claritatem*. Undè Matth. 13. Fulgebunt juſti ſicut Sol.

Secundò, Perfectum animæ regimen cauſabit in corpore *Impaſſibilitatem*: Omne enim corpus, quod patitur paſſione propriè dictâ, perdit dominium ſupra ſuam naturam: imò talis paſſio propriè dicta eſt cauſa corruptionis formæ patientis, vel ſaltem eſt cauſa ſeparationis formæ à materia. Modò autem quia anima glorioſa incorruptibiliter, & perfectè ſuum corpus continebit, ideò anima nunquam ſuccumbet corpori, ſed virtuosè reget illud. Neque hanc victoriam ſupra corpus unquam perdere poterit per aliquod peccatum, quia juſti ſeu animæ Beatorum ab intrinſeco ſunt impeccabiles; videndo tam ſpeculativè, quàm practicè, quod nullum ſit melius bonum, quàm Deus, ut Theologi in Tractatu *de ultimo fine hominis ejuſque beatitudine* oſtendere ſolent.

Tertiò, Cùm anima non ſolùm ſit forma corporis, ſed etiam motrix, ſeu motor corporis, ut patet *ex 3. de Anima*, ideò movebit corpus per voluntatem; & quia habet perfectum dominium ſuper illud, ideò etiam ſumma *agilitate* pro ſuo libitu illud movebit.

Quartò, Cùm anima poſſit rationaliter velle, quòd corpus ſuum ſit in eodem loco, ubi eſt aliud corpus ſine amotione alterius corporis; & anima poterit regere ſuum corpus ſicut volet; ſequitur, quod anima poterit corpus ſuum ponere in loco, ubi eſt aliud corpus, & iſta virtus vocatur *Subtilitas*. Undè ſicut ſpiritus poteſt eſſe ſimul cum corpore, ſicut patet *de anima*, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: ita poterit corpus glorioſum per virtutem *Subtilitatis* eſſe ſimul cum corpore non glorioſo. Ita ſentit laudatiſſimus D. Magiſter *Holkot*. Verùm tamen in hoc S. Thomas eſt contrarius, qui *Diſt. 44. qu. 5. in fin. ad 1. & 2.* expreſſe docet, quod hoc non habeat corpus glorioſum ex dote *ſubtilitatis*, *ſed ex operatione virtutis divinæ*.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Viri Eccleſiaſtici debeant fulgere claritate bonæ famæ, bonæ vitæ, & bonæ doctrinæ?

Dico, quod Viri Eccleſiaſtici fulgere debeant *Claritate bonæ famæ erga extraneos*; *Claritate bonæ vitæ erga ſe ipſos*, & *Claritate doctrinæ erga ſubditos*, & *propinquos*.

Explicatur prima pars, quod viri Eccleſiaſtici debeant fulgere *claritate bonæ famæ erga extraneos*. Quamdiu candela ardet & lucet, tamdiu delectabile & utile negotium eſt, ſed quando candela extinguitur, relinquit locum circumſtantem tenebroſum & fœtet: Et ſicut dicit *Ariſtoteles 7. de animalibus*, Ille fœtor eſt valdè nocivus mulieri prægnanti, qui ſi ſit vehemens, facit eam abortire, & fœtum occidit. Hoc modo vir Eccleſiaſticus, qui tanquam candela ardens in Eccleſia conſtituitur, ſi dando aliis bonum exemplum babeat bonam famam, delectabilis eſt & honorabilis: Si autem talis, tentatione victus, committat aliquod notorium peccatum, ſtatim fœtet per infamiam, & relinquit locum tenebroſum, id eſt, ſtatum Eccleſiaſticum deturpat, & exponit peſſimis detractionibus, illuſionibus, ac deriſionibus; Imò iſte fœtor infamiæ fœtum mentis, id eſt bonum propoſitum vivendi in aliis occidit, & abortire facit.

Explicatur *ſecunda Pars*, quòd debeamus fulgere *Claritate bonæ vitæ quo ad nos ipſos*, habendo ſemper bonam conſcientiam, ac timendo Deum. Debemus autem lucere more Solis, non more Lunæ; Sol enim ſic lucet, quòd habeat ſibi lucem incorporatam per totum, Luna autem non ſic. Undè ſemper apparet quædam macula in Luna, & eſt quaſi umbra hominis portātis faſciculū ſpinarum, ut fabulantur Poëtæ; Sic boni viri in Eccleſia fulgent more *Solis*, & de quovis poteſt dici illud, Eccleſ. 50. Quaſi Sol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei: Et Matth. 13. Fulgebunt juſti ſicut Sol, mali verò fulgebunt ſicut Luna. Licet enim aliqui ex ipſis magnæ famæ ſint, ſunt tamen umbroſi in conſcientia; ubi interior homo portat faſciculum ſpinarum, id eſt pungentium peccatorum: Unde Baruch. 3. Niſi aliquis exterſerit rubiginem, non fulgebit.

Explicatur *tertia pars*, quòd debeamus fulgere *Claritate doctrinæ*. Undè Dan. 12. dicitur: Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudierint multos, tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates. Occaſione textus allegati, ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum corpus glorioſum habiturum ſit quatuor dotes, nempè Claritatem, Impaſſibilitatem, Subtilitatem, & Agilitatem?

Nota antè reſolutionem, quòd iſta quatuor privilegia vocentur à Doctoribus 4. dotes per quandam figurativam locutionem; Quia ſicut Dos datur in ſignum perpetuæ confœderationis, & amicitiæ inter virum & mulierem; Ita iſtæ dotes dabuntur hominibus glorificatis pro ſemper à Domino Deo, qui ſibi deſponſavit per charitatem juſtorum animas, quarum corpora compartes ſunt, & per quæ animæ ſanctæ benè in hac vita operatæ ſunt. Hoc præmiſſo.

Dico, quòd juſtorum glorioſa corpora habebunt illas quatuor dotes, nempè *Claritatem*, *Impaſſibilitatem*, *Subtilitatem*, & *Agilitatem*. Ita habetur expreſsè tum in textu lectioni præfixo, tùm etiam ex citata Authoritate S. *Apoſtoli Pauli 1. Cor. 15*.

Probatur Concluſio, & explicatur. Nam juſtum eſt, quòd illud, quod fuit inſtrumentum merendi, & benè vivendi, præmietur à Deo, tollendo omnes illius defectus; Sed corpus fuit juſtis inſtrumentum merendi, & benè vivendi: Ergo juſtum eſt, quòd hoc corpus præmietur, tollendo ejus defectus per gratias oppoſitas; Sed defectus corporis ſunt *Obſcuritas*, *Paſſibilitas*, *Gravitas*, & *Moroſitas*; Ergo hæc debent tolli per gratias

oppoſitas ſcilicet per *Claritatem*, *Impaſſibilitatem*, *Subtilitatem*, *& Agilitatem.*

Dices Primò. Corpus glorioſum erit mixtum ex quatuor elementis, quæ ſunt contraria, & inter ſe agunt & reagunt: Ergo corpus illud erit paſſibile.

Reſp. quod ſicut reſurrectio mortuorum eſt miraculoſa, fitque virtute divinâ; ita etiam virtute divinâ fiet, quod iſta contraria in corpore glorioſo ſint, & tamen non agant, quantumvis ſibi ſint approximata; ſicut virtute divinâ contigit Dan. 3. quod tres pueri fuerint in fornace camini ardentis, & tamen ignis nec læſit eos: Idem legitur de pluribus Sanctis.

Dices ſecundò. Sentire eſt pati, (ut dicitur 2. de Anima.) ſed illa corpora ſentient videndo, audiendo, & tangendo; aliàs vita ipſorum eſſet potiùs ſomnus, quàm vita: Ergo etiam patientur.

Reſp. quod paſſio duplex, nempè Materialis, ſicut quandò ignis agit in aquam, & Intentionalis, ſicut quandò coloratum agit in oculum. Prima paſſio non erit in corporibus, ſed tantum ſecunda. Et ideò erunt omnes ſenſus in ſuis operationibus.

Dices tertiò, Si corpus haberet agilitatem, & poſſet moveri ad voluntatem animæ, tunc poſſet moveri in inſtanti; ſed conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens. Sequela patet. Quia anima poſſet velle in inſtanti, ut moveatur corpus.

Reſp. Negando ſequelam. Quia voluntas Beati non poteſt velle aliquid impoſſibile: Licèt autem voluntas in inſtanti poſſit elicere actum, & aliquid velle, corpus tamen quod vult in inſtanti moveri, eſt impoſſibile in inſtanti moveri: quia corpus eſt aliquod quantum & continuum, quod neceſsè habet moveri ſucceſſivè. Cum quo tamen ſtat, quod ultrà & ſuprà omnem aliam celeritatem ſeſe poſſit corpus glorificatum movere: & tamen cum hac magna velocitate, habebit velocitatem finitam, ſicut Chriſtus in ſua aſcenſione præfixit ſibi velocitatem, quam voluit: ſed tamen ſucceſſivè aſcendit.

LECTIO XXXV.

TEXTUS.

Judicabunt Sancti nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus declaravit glorificationem, quam habebunt corpora Sanctorum; nunc oſtendit aliam eorum excellentiam, quomodò nempè Aſſeſſores erunt Chriſti tanquàm judicis in finali judicio. Habebunt autem Sancti in judicio generali triplicem prærogativam; nempè *Poteſtatem judicandi, dominandi, & regnandi.* Et quidem in *judicando* erit rectitudo ſententiæ, quæ nunquam revocabitur: Quia judicabunt *Sancti* nationes; In *dominando*, magnitudo potentiæ nunquam coarctabitur: Quia dominabuntur populis. Et denique *in regnando*, erit certitudo permanentiæ, quæ nunquam terminabitur: Quia regnabit Dominus illorum in perpetuum. Dicit ergo: *Judicabunt Sancti nationes*, id eſt malos, qui ſine gratia in peccatis mortui ſunt. Undè de iſtis nationibus malis dicitur in fine hujus *Capituli ſecundo*: Nationes iniquæ diræ ſunt conſummationis.

Et dominabuntur populis, puta illis, quibus prius ſubjiciebantur. Undè in Pſal. dicitur: Subjecit populos nobis & gentes ſub pedibus noſtris.

Nec refert, quòd in judicio ceſſabit omnis prælatio, & Dominium creaturæ ſuper creaturam: ut patet ex 1. Cor. 15. Non inquam refert, quia dominium in tantum dicitur manere in Sanctis ſuper damnatos, in quantum Sancti habebunt damnatos in carcere communi coercendos, & puniendos; gaudebuntque de ipſorum juſta punitione: Potentia autem coercendi & caſtigandi rebelles, inter quos ſunt damnati, pertinet ad dominium.

Et regnabit Dominus illorum in perpetuum, hoc eſt, Dominus Deus, cui ſervierunt Sancti in hac vita, *regnabit in perpetuum*: Et ipſi qui ſervierunt ei, unà cum illo in perpetuum regnabunt. Undè Apoc. 5. dicitur: Redemiſti nos in Sanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum: Et Sap. 6. Diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis. Circà verba textus, *Judicabunt Sancti nationes*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An peccatores in ultimo judicio poſſint evadere impunè, ſicut aliquando criminoſi in judicio humano evadunt impunè?

D*Ico primò*, quòd non.

Probatur, & explicatur. Nam peccatores, ſeu criminoſi, in iſta vita ex triplici cauſa poſſunt confidere ſe evaſuros impunè. Quia *primò* ſperant ſe poſſe declinare rigorem judicii per mediationem amicorum, ut ſine examine judiciali fiat emenda.

Secundò, ſperant rei, quod probabiliter evadant ſaltem cum exigua pœna, dum habent judices ſibi favorabiles.

Tertiò, ob translationem ſuarum perſonarum ad alia loca: Quia reus in uno loco, poteſt impunè conſervari in alio loco. Nullo autem iſtorum modorum poſſunt evadere peccatores in judicio generali: Et ita rei non declinabunt rigorem judicii; quia *Sancti* judicabunt. Ita ut iidem Sancti, qui in hac vita fuerunt alicujus peccatoris Patroni, in altero mundo ampliùs ejus Patroni non erunt, ſed judices. Nec ſe alienabunt à loco ſupplicii, quia Sancti non judicabunt unam gentem, ſed omnes gentes, & nationes ſimul congregatas in valle Joſaphat. Undè in Pſal. dicitur. Judicabunt in nationibus; id eſt, Sancti qui fuerunt imitatores Chriſti, erunt aſſeſſores ejus; & judicabunt omnes, id eſt, omnes peccatores.

Nec obſtat, quòd Chriſtus dicat: Vos qui ſecuti eſtis me (id eſt, vos duodecim Apoſtoli) ſedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſraël. Ex quibus videtur ſequi, quod tantum duodecim Apoſtoli judicabunt: & quidem non omnes homines, ſed ſolùm duodecim tribus Iſraël.

Non

Non inquam obſtat. Quia ut loquitur *Venerabilis Beda, Homilia in Natali S. Benedicti*: Nemo putet duodecim tantùm Apoſtolos (quia pro Juda prævaricante Matthias electus eſt) tunc eſſe judicaturos; Sicut nec duodecim ſolæ ſunt tribus Iſrael judicandæ, alioquin tribus Levi, quæ tertia decima eſt, injudicata recedet. Et Paulus, qui tertius decimus eſt Apoſtolus, judicandi ſorte privabitur; cùm ipſe dicat: Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis ſecularia? Sciendum namq; eſt; Omnes, qui ad exemplum Apoſtolorum ſua reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, Judices cum eo venturos, ſicut etiam omne mortalium genus eſſe judicandum. Quia enim duodenario ſæpè numero ſolet in Scripturis univerſitas deſignari; Per duodecim ſedes Apoſtolorum, omnium numeroſitas judicantium, & per duodecim Tribus Iſrael, univerſitas eorum, qui judicandi ſunt, oſtenditur. Hæc Venerabilis Beda: quæ deſumpſit ex S. Auguſtino 2. de Civit. Dei, cap. 6. Ubi dicit S. Antiſtes: per illum numerum duodenarium, non numerus talis ad litteram intelligitur: ſed per numerum myſticum deſignatur. Alias cùm S. Matthias loco Judæ fuerit electus, Paulus ſine throno relinqueretur, niſi duo ſederent ſimul. Et ideò per numerum duodenarium, qui eſt numerus perfectionis, univerſa perfectorum pauperum multitudo deſignatur, & ſimiliter univerſitas judicandorum, cùm dicitur duodecim tribus Iſrael. Hæc S. Auguſtinus.

Dico ſecundò, quòd reis judicandis in extremo die judicii erit valdè durum: Quia habebunt judicem extraneum: & quidem talem, qui à juris regulâ non recedet, & de cujus injuria reus accuſatur.

Explicatur *aſſertio*. Quia Sancti in judicio reddent ſe peccatoribus valdè extraneos: Siquidem etiam ipſe Chriſtus dicit illis: Amen dico vobis, neſcio vos. Matth. 25. Deindè etiam Sancti Aſſeſſores Chriſti, & judicantes cum illo, non recedent à regulis juris. Quia Sancti judicabunt, & ſanctitas eſt juſtitia maxima. Erunt enim induti novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis, ut dicitur ad Eph. 4. Et tertiò ipſi Sancti erunt hoſtes impiorum, qui Sanctos in hac vita conculcarunt. Undè Habacuc. 1. dicitur: Quare reſpicis, & taces ab impio conculcante juſtiorem ſe? Et *Malachia ultimo*: Convertimini & videbitis, quid ſit inter impium & juſtum, inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei: Et paulò poſt ſubduntur hæc verba: Egredimini & ſalietis, ſicut vitulus de armento, & calcabitis impios, cùm fuerit cinis ſub planta pedum veſtrorum.

Ende hoc judicio ſemper cogitare debemus. Undè S. *Greg. Homilia* 39. ita ait: Præſentis temporis talis ſit lætitia, ut nunquam amaritudo futuri judicii recedat à memoria.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum ſancti homines in judicio generali participabunt aliquo modo actum judicandi?

NOta ante reſolutionem, quòd actus judicandi in judicio generali in Scriptura ſacra diverſis attribuatur quinque modis: nempè *Ordinatâ Majeſtate, delegatâ poteſtate, aſſeſſoriâ dignitate, approbativâ conformitate, & comparativâ diverſitate*. In præſenti autem certum eſt, quòd *Ordinatâ Majeſtate*, ſolus Deus judicabit. Undè 1. *Regum*. 2. dicitur: Dominus judicabit fines terræ.

Certum quoque eſt, quòd *delegatâ poteſtate*, judicabit Chriſtus, quâ homo. Undè Joan. 5. dicitur: Omne judicium dedit Filio. Adeòque nullus habet poteſtatem delegatam, niſi Chriſtus, qua homo. Et ita habetur reſolutio de 1. & 2. modo judicandi. Certùm quoque eſt, quòd quintus modus judicandi Sanctis non convenit. Quia quintus modus judicandi eſt ex quadam *Comparativa diverſitate*. Et iſte modus judicandi non eſt laudabilis: Quia ſic minùs mali dicentur judicare magis malos ſecundùm illud, Luc. 11. Viri Ninivitæ ſurgent cum generatione hac, & condemnabunt eam. Undè ſolùm quæſtio eſt, an Sanctis conveniat, 3. & 4. modus judicandi. Hoc præmiſſo.

Dico primò, quòd voluntariè pauperes judicabunt nationes *Aſſeſſoria dignitate*.

Probatur *primò* ex illo Joan. 6. ubi dicitur: Judicium pauperibus tribuit.

Probatur *ſecundo*, duplici congruentiâ. Prima eſt, quia pauperes ad judicandum ſe magis diſpoſuerunt, adeòque erunt magis idonei ad judicandum. Nam paupertas voluntaria tantùm eſt in illis, qui ſpretis omnibus ſecularibus negotiis, ſoli Chriſto adhæſerunt: Et ideò in pauperibus nihil reperitur, quod poſſit judicium pervertere.

Secunda Congruentia eſt, quia pauperes magis metuerunt judicare. Quia humilitati correſpondet exaltatio per modum præmii, ſecundùm illud Matth. 13. Qui ſe humiliat exaltabitur. Modò autem inter omnia, quæ hominem deſpectum ac humilem reddunt, eſt paupertas. Undè illi qui magis apud homines ſunt pauperes, apparent magis deſpecti, ac humiles. Et ideò, qui paupertatem ſuam volunt oſtendere, excogitant quantum poſſunt vilitatem veſtimentorum, ut homines per hoc ad compaſſionem provocent: Ergo qui veri pauperes faciunt ſe contemptibiles propter Chriſtum, juſtè merentur exaltari, ad hoc ut habeant excellentiam *Aſſeſſoria dignitatis in judicando*.

Dico 2. Omnibus electis attribuitur actus judicandi in judicio *Approbativa conformitate*.

Probatur. Quia omnes tam Angeli, quàm homines approbabunt ſententiam judicis ſupremi, id eſt, Chriſti. Undè Apoc. 19. dicitur: Audivi vocem turbarum dicentium in cœlo, Alleluja, laus, & virtus, & gloria Deo noſtro, quia vera & juſta ſunt judicia ejus.

Dices primò, In nullo judicio poteſt eſſe idem Accuſator, & Judex: Sed ſancti viri ſunt accuſatores malorum, Juxta illud Sap. 5. Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt: Ergo non poſſunt eſſe judices malorum.

Reſp. quòd in judicio humano, ubi judex ſolùm debet procedere ex allegatis, & probatis, non debeat eſſe idem judex, & accuſator: Sed in judicio divino, ubi judex non indiget informatione, ſed omninò novit cauſam, ita ut procedat cum ſuis aſſeſſoribus abſque ulla paſſione in ferenda ſententia, reuſque culpam ſuam conficebitur nolens volens, ibi inquam poteſt eſſe idem accuſator & Judex.

Dices ſecundò, Virgines, & Martyres offerent Deo de ſuo corpore ſubſtantiam corporalem, quam Virgines per continentiam virginalem ſervabant incorruptam; Martyres autem Deo offerunt ſuam ſubſtantiam à tyrannis laceratam, pro Dei amore: Ergo iſtis magis convenit ſedere in judicio & judicare, quàm pauperibus, qui ſolùm offerunt juſtitiam ſæcularem, & derelictionem opulentiæ ſæcularis, quæ ſine dubio eſt minor, quàm ſubſtantia corporalis.

Confirmatur, Multi divites erunt in loco ſuperiori in cœlo, quàm pauperes aliqui voluntarii: Ergo ſaltem divites non judicabuntur à pauperibus. Conſequentia patet, quia inferior non debet judicare ſuperiorem.

Reſp. ad argumentum, quòd Martyrium, & Virginitas non ſint decorde, ubi reponuntur decreta divinæ juſtitiæ, benè tamen paupertas. Nam paupertas directè contrariatur ſollicitudini divitiarum, quæ ſuffocat verbum, Lucæ 8. Cum quo tamen ſtat, quod Martyres, qui ſimul erant pauperes voluntarii, & Virginea, quæ ſimul erant pauperes voluntariè ſedebunt, & judicabunt Nationes, propter duplicem rationem aſſertione prima adductam.

Reſp. ad confirmationem, negando conſequentiam. Nam perfecti pauperes judicabunt etiam ſe meliores; non quidem authoritate propria, ſed authoritate ſupremi Judicis Chriſti, cujus ſunt aſſeſſores. Et ita fit, quod ſubindè Judex delegatus in ſeipſo ſit multò inferior, quàm ille, quem ex delegatione ſibi facta judicat.

LECTIO XXXVI.

TEXTUS.

Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, & fideles in dilectione, acquieſcent illi, quoniam donum & pax eſt Electis DEI.

EXPLICATIO TEXTUS.

QUi *confidunt in illum*. id eſt, qui Fidem, Spem, & Charitatem habuerunt in illum: Quia tres iſti habitus in iſta vita cujuſs hominis pro fine ſupernaturali conſequendo ſunt neceſſarii. Ex quibus Fides & Spes non manebunt in patria; Charitas autem manebit in patria, ſed tantū habebit ibi perfectiorē actum, quia ibi regulabitur per viſionem beatificam. Undè Charitas viæ non habet tam perfectum actum; Quia Charitas in hac via regulatur à Fide, quæ eſt obſcura.

Intelligent, id eſt, clarè videbunt. Undè 1. Joannis 3. Videbimus eum ſicuti eſt. *Veritatem.* Id eſt Deum, qui eſt prima, & ſumma Veritas, & ideò Joan. 14. dicitur: Ego ſum Via, Veritas, & Vita.

Et Fideles in dilectione; Id eſt fideliter & conſtanter diligentes.

Acquieſcent illi: Id eſt, in perpetuum adhærebunt illi: Quia in vita altera nullatenus ampliùs à Deo poterunt avelli. Et quia aliquis poſſet credere, quòd iſta remuneratio fiet Sanctis propter valorem ſuorum operum, quaſi opera noſtra, *ex ſui conditione* fuerent condigna tantâ remuneratione: Ideò hoc excludere volens Spiritus ſanctus, dicit: Quod illa præmiatio fiat Sanctis ex Dei liberali acceptatione: & ideò dicitur in textu: *Quoniam donum, & pax eſt Electis Dei.* Quaſi diceret: Pax æternæ beatitudinis, quam habebunt Electi, eſt donum Dei liberaliter præmiantis, & ſupra condignitatem paſſionum, ſeu meritorum noſtrorum præſentium. Et ideò rectè dicit Apoſtolus ad Rom. 8. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam. Ex quibus colliges, quod in animabus Electorum ſint tres animæ dotes, quas per nomina, quæ ſignificant *Operationes*, deſignemus: Et ita habitui *Fidei* ſuccedit in patria *Viſio beatifica*; Habitui *Spei* ſuccedit *Comprehenſio, ſeu tentio, & ſecuritas*. *Charitati* autem nihil ſuccedit, ſed ipſa ſola in patria manebit perfectior, quàm nunc eſt: & vocatur *dilectio ſeu fruitio.* Sunt ergo tres dotes animæ, nempè *Viſio, Tentio, ſeu Comprehenſio, & Dilectio.*

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homo per gratiam Dei adjutus, poſſit mereri vitam æternam de condigno?

NOta, quòd titulus articuli dupliciter poſſit intelligi: *Primò* ita, quòd meritum hominis tantùm valeat naturaliter, id eſt, quod tanta ſit bonitas in natura, ſeu ſubſtantia actus meritorii, ut ei debeatur vita æterna. *Secundò*, poteſt intelligi titulus hoc modo: quod actus meritorius legaliter duntaxat, & ex inſtitutione legis à Deo factæ, tantùm valeat quantùm vita æterna: ſicut parva pecia cupri ex natura ſua ſeu naturali vigore, non valeat tantū, quantum unus panis; ex inſtitutione tamen Principis tantum valet, quantum panis. Hoc præmiſſo.

Dico, Opera noſtra ex ſua natura, vel prævisâ ſubſtantiâ actus meritorii, non merentur vitam æternam *de condigno*, ſed tantum *de congruo*; Eadem tamen opera *de condigno* ſunt meritoria vitæ æternæ *legaliter*, ſeu ex gratia Dei & Principis noſtri Chriſti.

Probatur prima pars, Quia conſiderando præciſam ſubſtantiam actus meritorii, ille eſt ſolùm finitus & tranſitorius: Ergo de condigno non meretur vitam æternam infinitam, interminabilem, ſemper manentem. Huc facit illud Apoſtoli; Non ſunt condignæ paſſiones.

Probatur ſecunda pars, Quia congruum eſt, ut homini ſecundùm potentiam ſuam finitam operanti, Deus tribuat ſecundùm potentiam ſuam infinitam, maximè cùm is ſemper præmiare ſoleat ultrà condignum: Ergo meretur homo *de congruo* vitam æternam, conſiderando ſubſtantiam actus meritorii.

Probatur tertia pars. Quia ſtatuit Deus, quòd homo benè operans habeat vitam æternam, quamvis illa opera pluribus aliis titulis Deo fuiſſent debita: Ergo ex lege, & gratia Principis, meretur homo *de condigno* vitam æternam. Et ideò rectè dicitur Jerem. 31. Erit merces operi tuo. Et 2. ad Tim. 4. dicit Paulus: De reliquo

repo-

repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex; Sed quod redditur ſecundùm juſtum judicium eſt merces condigna: Ergo homo vitam æternam tanquàm ſuam mercedem poteſt mereri de condigno.

Dices primò ad Rom. 8. dicitur: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: Ergo nulla opera bona hominis ſunt meritoria *de condigno* vitæ æternæ.

Reſp. quòd non ſint condignæ paſſiones hujus temporis naturaliter, & ex præciſa ſubſtantia actus, benè tamen legaliter & ex gratia Dei ſtatuentis nobis conferre vitam æternam pro bonis operibus.

Dices ſecundò, Qui reddit alicui debitum, quod ipſi debet, nihil meretur apud ipſum, ſed quidquid poſſumus pro Deo facere, hoc debemus Deo multis titulis, & adhuc ampliùs aliquid deberemus, ſi plus facere poſſemus; Undè dicit Ariſtoteles 8. Eth. cap. 1. Impoſſibile eſt nobis retribuere dignos honores Diis, & parentibus, quia eorum beneficia ſemper excedunt. Et Luc. 17. dicitur: Cùm omnia bene feceritis, dicite: quia ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus: Ergo nihil poſſumus apud Deum mereri.

Reſp. quòd eo ipſo mereamur aliquid apud Deum, quia facimus id, quod facere Deo debemus, & hoc quod taliter operando rectè, aliquid mereamur apud Deum, non habemus abſolutè, & ex natura redditionis debitorum Deo noſtrorum bonorum operum; ſed habemus ex eo, quia Chriſtus ſic ordinavit, & ſtatuit, ut quicunque opera ſua bona aliis titulis Deo debita exercuerit, conſequatur vitam æternam: Et in hoc apparet ſumma bonitas Dei, & Chriſti Salvatoris noſtri.

Dices tertiò; Quicunque meretur aliquid ab aliquo, conſtituit illum debitorem ſuum; Sed Deus nulli eſt debitor, nec eſſe poteſt: Ergo etiam nihil poſſumus apud Deum mereri.

Reſp. quòd Deus conſtituitur debitor ex natura ſui promiſſi, non autem ex natura noſtri commiſſi; ſicut dicit Magiſter ſententiarum *lib.* 1. *diſt.* 43. *cap.* 4. Circà illa verba in textu allegata, *Qui confidunt*, ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Spes, & confidentia hominibus hujus vitæ, quatenus ſunt dimicantes, navigantes & ægrotantes, ſit neceſſaria?

DIco, quòd ſic

Explicatur prima pars, quòd homo in quantum eſt *dimicans*, debeat habere *Spem*, & *Confidentiam*. Nam quod homo debeat pugnare continuè, ſeu dimicare contra hoſtes, patet ex Pſalmo: Multi bellantes adverſus me. Et 1. Machab. 4. dicitur: Non concupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt. Scutum autem noſtrum eſt Fides noſtra. Undè ad Eph. dicitur: In omnibus ſumentes ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.

In hiſtoria Britonum legitur de Archturo Rege, quod in interiori parte ſui Scuti habuerit depictam imaginem glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ, quam quotieſcunque aſpexit, ſemper vires & ſpem recuperavit. Iſto modo nos, ſi in bello hujus vitæ triumphare velimus, infrà ſcutum Fidei noſtræ imaginem Deiparæ Virginis cum Filio reportare debemus; Hanc reſpiciamus, & in ea confidamus; Quia ab ea vires & virtutes recipimus. Huc facit illud S. *Ambroſii de ſancta Virginitate* ita loquentis: Sit nobis tanquam in imagine depicta vita MARIÆ, ex qua velut ex ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis, &c.

Narrat Macrobius de *natura lapidum cap.* 25. Quòd ſit unus lapis, ſeu una gemma, quæ vocatur Ethites, habens in ſe naturaliter more prægnantis unam aliam gemmam. Iſtam gemmam naturâ ſuggerente Aquila cognoſcit, & eam collocat in ſuo nido, dum habet pullos; & quàmdiu lapis ille in nido fuerit, pullis nihil infortunii accidere poteſt.

Gemma iſta beatiſſimam Virginem ſignificat, quæ cooperante Spiritu ſancto lapidem Angelorum Chriſtum in ſe concepit. Pater verò cœleſtis nos in nido Eccleſiæ ſuæ militantis fovet; & ne per noſtros hoſtes nobis aliquid mali inferatur, gemmam iſtam nempè MARIAM in medio noſtrum poſuit: Ita ut ſi eam devotè inſpexerimus, & dilexerimus, illa ab hoſtibus omnibus nos defendet. Et ideò non debemus confidere in armis noſtrarum virtutum, ſed in iſtius Virginis gratia, in qua eſt omnis ſpes vitæ & virtutis. Eccl. 24. De qua etiam exponi poteſt illud Eccl. 4. Eos, qui diligunt eam, diliget Deus, & qui audit illam, judicat gentes, & qui intuetur illam, permanebit confidens.

Explicatur *ſecunda pars*, Quòd indigeamus *Confidentiâ, ſpe & animoſitate*: Quia ſumus navigantes in periculoſo mari hujus mundi.

Nautæ, ſi nocte ſtellam maris viderint, ſciunt dirigere ſuum iter; ſed quando nec Lunam, nec ſtellas vident, deſperant de ſua ſalute: Undè Act. 27. dicitur: Neque Sole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, ablata erat ſpes ſalutis noſtræ.

Applicatio moralis. Si vitam noſtram dirigere velimus ad portum ſalutis æternæ, oportet, quòd ſtellam maris, id eſt MARIAM continuò oculis ſpei noſtræ intueamur. Undè pulchrè *S. Bernardus Homilia* 2. *ſuper miſſus eſt*, *propè finem* ait: MARIA eſt præclara, & eximia maris Stella, ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſariò ſublevata; micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis te intelligis in hujus ſæculi profluvio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgunt venti tentationum; ſi incurris ſcopulos tribulationum; reſpice Stellam, invoca MARIAM; Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi tribulationis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice Stellam, invoca MARIAM. Si iracundia aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ſtellam, reſpice MARIAM. Dicemus ergo et illud Iſaiæ 47. Audi hæc delicata, quæ habitas confidenter.

Porrò licèt beatiſſima Virgo pro nobis oret continuò, non tamen ſtatim maris hujus pericula, & labores evadimus, tandem tamen vincemus. Ad hunc modum Chriſtus non ſtatim ab initio,

illam vaccam, finxit ſe cuſtodem & paſtorem acceſſitque ad locum, ubi Argus vaccam hanc paſcebat. Incipit poſtea Mercurius ita ſuaviter fiſtulare, ut Argus eum rogaverit, quatenus ſibi placeat in paſcuis ibidem cum capris ſuis morari ſecum. Annuit Mercurius, ſimulque ſedens cum Argo cæpit denuò gratioſè fiſtulare, donec aliqui oculi dormitaverunt: continuando autem ſua cum fiſtulatione, omnes oculi Argi dormiesunt. Dum autem Mercurius vidit, quòd omnea centum oculi Argi eſſent clauſi, & ſopore obruti, ſurrexit Mercurius, & caput cum oculis amputavit, & ſic vaccam illam ſic transformatam ex virgine ſecum duxit. Applicatio Moralis. Clericus litteratus eſt; quaſi Argus centum habens oculos, nempè conſiderationes multas, id eſt, camelis: & tamen habet ſolùm unicam vaccam cuſtodiendam, id eſt unam conſcientiam. Quæ quidem fuit virgo quam diu retinuit innocentiæ puritatem, ſed tamen per peccatum transformata eſt in vaccam beſtialem, nempè concupiſcentiâ & voluptate. Undè Iſai. 7. Nutriet homo vaccam. Et Oſeæ. 4. Sicut vacca laſciviens declinavit Iſraël. Mercurius autem (id eſt, medium currens) eſt diabolus, qui circuit quærens quem devoret. 1. Pet. 5. Iſte diabolus fiſtulat ita dulciter per ſtrepitum laſciviæ mundanæ, item per adulationes amicorum; quòd Argus ille per negligentiam obdormiat uſque ad mortem. Et tunc homine per negligentiam dormiente venit diabolus, & auſert caput ab homine, id eſt, ſeparat ab eo Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ: & miſeram vaccam ducit in gehennam. Et ideò dicitur Jud. 18. Nolite negligere, nolite ceſſare à cuſtodia, & concuſſione conſcientiæ propriæ. Pro quo

Nota ſecundò, Quòd iſte ſit modus, & ordo cadendi, ſeu pecandi in homine, quantumvis fuerit in ſtatu perfecto, videlicet *Primò*, negligere modica, loqui otioſa, raròconfiteri, & aridè dicere officium divinum, &c. Quæ omnia videntur eſſe modica, & levia peccata, poſt iſta autem peccata levia inducit diabolus in peccata graviſſima. Circà dolium ſunt magni circuli, quibus aſſeres dolii colliguntur, & iſti magni circuli in ſuis extremitatibus conjunguntur, ſeu colligantur cum parvis viminibus; ſolutis autem his parvis ſolvuntur magni, & ſolutis magnis dolium totum decedit. Sic etiam fit in moralibus, nam qui ſpernit modica, paulatim decidet, *ut dicitur Eccl.* 19.

ARTICVLVS PRIMVS.

An homines mundo dediti ſint negligentes in addiſcendo morum ſanctitatem; in diſcutiendo propriam perverſitatem; in reverendo Dei Majeſtatem; & in ſufferendo proximi neceſſitatem?

Dico, quòd ſic.

Explicatur prima pars, Quòd homines mundo dediti *ſint negligentes in addiſcendo morum ſanctitatem.* Scitur, quòd homines mundani ſint diligentes ad diſcendas artes ſubtiles ex curioſitate; Item ad diſcenda jura civilia propter utilitatem, vel artem bellandi propter ſtrenuitatem, vel etiam artem negotiandi, propter acquirendas opes, & ſic de ſingulis, quæ ad vitæ præſentis promotionem pertinent. Sed ad diſcēdam artem benè vivendi, Deo ſerviendi, peccata vitandi, omnes quaſi ſunt negligentes. Undè mundus invitat ad errores, & ineptias, & plerique obediunt illi; Deus autem invitat ad honores & nuptias, & omnes propèmodum negligunt venire: Undè Matth. 22. dicitur; Illi neglexerunt, & abierunt, alius ad villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam. Et tamen hæc, ſumma Sapientia eſt ſcire benè vivere. Ad quem modum benè vivendi addiſcendum nullum tempus ſatis magnum eſt, etiamſi à pueritia uſque ad humani ævi terminos vita producatur teſte Senecâ Epiſt. 109. Porrò hic eſt una negligentia reperta in multis juvenibus, qui dum non poſſunt totam ſcientiam acquirere, reſpuunt partem ſcientiæ accipere; & negligentia talium juvenum eſt filia ſuperbiæ, quos benè deridet *Seneca lib. 1. Epiſtolarum epiſt. prima* dicens.

Non poteris oculo quantum contendere lynces
Non tamen idcircò contemnas lippus inungi.

Vult dicere. Ponamus, quod ſis lippus, & non fidas tibi tantum acumen viſus acquirere, ſicut habent linces, non tamen idcircò debes contemnere uti collirio, & aqua juvante ad acumen viſus: Fatuum enim eſt partem contemnere, quia totum non potes habere. Talibus aptis ad diſcendum dicitur 1. ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt.

Explicatur ſecunda pars, quòd homines ſint negligentes in diſcutiendo *propriam perverſitatem.* Fuit quidam Seneſcallus, qui novit optimè ordinare familiam alienam, de regimine autem domus ſuæ propriæ nihil ſcivit diſponere. Tales Seneſcalli ſunt multi, qui diligenter defectus aliorum emendant, & tamen negligunt proprios defectus corrigere: Undè etiam hujuſmodi accuratè ſunt ſolliciti addiſcutiēdas alienas, cōſciētias ſed negligētiſſimi ad examinādas cōſcientias proprias; cū tamen nobis dicatur: ut inceſſanter conſcientias proprias diſcutiamus. Judicum 14. Nolite negligere, nolite ceſſare.

Explicatur tertia pars, Quod homines ſint negligentes in *reverendo Dei Majeſtatem.* Et ad hoc debent benè attendere Prælati, Clerici, & quicunque Religioſi: & tamen ſi rem benè perpendamus, hi ipſimet ſunt, qui hanc negligentiam ſæpè committunt: Undè *Paralip. 24. dicitur*: Levitæ egerunt negligentiùs quibus tamen præcipitur Deut. 8. Obſerva, & cave, nequando obliviſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejùs, atque judicia. Hanc autem negligentiam in iſtis Levitis, vel Clericis cauſat nimia frequentia aſſiſtendi Deo, quia nimia familiaritas parit contemptum, & tamen contrà tales dicitur: 2. *Paralip.* 29. Filii mei nolite negligere, vos elegit Deus, ut ſtetis coràm eo.

Explicatur quarta pars, quod homines ſint negligentes in *ſufferendo proximi neceſſitatem.* Et tamen unicuique noſtrum dicitur illud, Deut. 22. De omni re fratris tui, ſi perierit, & inveneris eam, non negligas quaſi alienam. Res fratris autem perit, ſi incidit in latrones, vel ſit depauperatus, vel indiget aliquo pro amore Chriſti. Tales proinde non debemus negligere, ſed eis continuo auxilium præſtare. Verùm tamen homines

I

ſive in materia injuſtitiæ, &c. Hoc poteſt quodammodo dici creatura illius. Verumtamen iſta monſtruoſa figmenta peccatorum ſunt excommunicata à Deo, & maledicta. Undè Eccl. 37. dicitur: O conſumptio nequiſſima, undè creata es? Circà illa verba *Mulieres inſenſatæ.* ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum fœminæ ſint fugiendæ, quia ſunt libidinoſæ in alliciendo; malitioſæ in convivendo, litigioſæ in colloquendo; proditioſæ in conſulendo?

Dico, quòd mulieres ob quatuor præfatas causas ſint fugiendæ, maximè à viris religioſis, & Eccleſiaſticis.

Explicatur *prima pars*, Quòd fœminæ ſint deteſtandæ, quia ſunt *libidinoſæ in alliciendo.* Nam fœminæ in operatione libidinis plus delectantur, quàm viri; Undè Treſias dixit: fœminas habere decem uncias luxuriæ, viros autem tantùm habere quatuor uncias luxuriæ. Fuerat autem iſte Treſias ſucceſſivè utriuſque ſexus (ut fabulantur Poëtæ) & ideò Treſias conſtitutus fuit judex, an vir vel mulier plus habeat de luxuria, vel plus de delectatione luxuriæ. Itaque ad propoſitum deveniendo, ſicut fœminæ plus in libidine delectantur, quàm maſculi, ita in omni ſenſu magis alliciunt, puta per ſuam formam, faciem, geſtum & vocem. Et quamvis fœminæ ſint frigidioris complexionis, ſunt tamen ferventioris libidinis. Undè *Ovidius lib. 1. de arte amandi* ait:

Parcior in nobis, nec tam furioſa libido:
Legitimum finem, flamma virilis habet.

Vult dicere Ovidius, quòd libido mulieris ſit infinita; valdè enim nocivum eſt, quòd ſine nocumento videri non poteſt: & tamen nobis dicitur Eccl. 9. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne tibi concipias ſpeciem alienam. Multi propter ſpeciem mulieris perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcet.

Hunc ignem ſatis pertimuit ſanctus ille Monachus, qui matris ſuæ nudas tibias noluit tangere, cùm eam ultra aquam portare debuit; ut legitur in *Vitis Patrum.* Similiter iſtum ignem ſatis timuit Sacerdos ille, qui in hora mortis mulieri auſcultanti, an ſpiritum exhalaſſet, dixit: Igniculus vivit, paleam tolle. Ut refert S. *Greg. lib. 4. Dialogorum.* Iſtum ignem etiam ſatis advertit Poëta ille, qui dixit:

Fœmina fax ſathanæ, fœtens roſa, dulce venenū,
Semper prona rei, quæ prohibetur ei.
Urit enim vultu, viſu, riſu, cute, cultu;
Hujus ab inſultu, quantū potes eſto procul tu.

Iſtum quoque ignem ſatis conſideravit Angelicus noſter Doctor S. Thomas de Aquino; qui cùm in turri cuſtodiretur in carcere. & cùm ad eum ſeducendum inhoneſta juvencula ſola fuiſſet intromiſſa in cameram; ille ardente titionē de camino erepto eam celerrimè fugavit: propè ſciens, quòd in conſpectu fœminæ ardeſcet ignis, & quòd de veſtimento procedat tinea, & à muliere iniquitas viri, ut dicitur Eccl. 42. Et ideò ſuper omnia oportet ſequi conſilium Apoſtoli 1. Cor. 7. Bonum eſt mulierem non tangere.

Nec te excuſes, quòd jam ſis ſenex, & fœmina quoque ſit vetula, vel quod mulier ſit ſancta aut religioſa: hæc inquam excuſatio in præſenti non admittitur. Nam quid eſt frigidius ſilice, & chalibe, & tamen ex mutuo horum contactu proſilit ignis? Similiter terra eſt bona, & pluvia eſt bona de cœlo deſcendens: & tamen utriuſque commixtio non eſt niſi lutum. Undè dicitur metricè:

Res tam diverſæ, licèt utraque ſit bona per ſe,
Si ſint perverſæ, junctæ perdunt pariter ſe.

Et ideò merito ſtrictiſſimè prohibetur Clericorum, & mulierum cohabitatio *Extrà De cohabitatione Clericorum & mulierum* per totum. Et in *Canone 32. Omne hoſpitiolum.* Ubi allegantur verba S. Hyeronimi dicentis: Hoſpitiolum tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant: Quia non poteſt toto corde habitare cum Deo, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Nam fœmina conſcientiam ſecum habitantis exurit. Et indè eſt, quòd Monachi & Monachæ non permittantur ſimul habitare in eodem Monaſterio: ſed potius præcipitur, ut Monaſteria puellarum longiùs à Monaſteriis Monachorum, vel propter inſidias Diaboli, vel propter oblocutiones hominum collocentur. Undè *S. Hieron. Epiſtola undecima* ſic unumquemque Clericum alloquitur: Quid tibi & fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? Fœminarum cum Clericis nulla ſit convictio, aut converſatio. Janua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nocivum genus eſt fœmina; cum proximat ad ſtipulam, accendit ignem, flammigero igne percutit fœmina conſcientiam pariter habitantis. Ego judico, ſi cum viris fœminæ habitent, non deeſſe viſcarium diaboli. Ex his ab initio aucupatum eſt peccatum, mentes ferreas domat libido. Hæc S. Hieronymus. Itaque in medio mulierum nolite commorari Eccl. 42.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd mulieres ſint fugiendæ, quia ſunt *Malitioſæ in convivendo.* Nam Eccl. 25. dicitur: Brevis eſt omnis malitia ſuper malitiam mulierum, ſors peccatorum cadat ſuper illam. De qua loquens *S. Chryſoſtomus in ſermone quodam,* quem fecit de muliere mala, dicit ſic: O malitioſum, & acutiſſimum telum diaboli mulier! Per mulierem diabolus ab initio Adamum in Paradiſo proſtravit, per mulierem mitiſſimum Davidē, in homicidium, & adulteriū, deſtinavit; per mulierē, ſapientiſſimū Salomonem in ſacrilegium præcipitavit; per mulierem, fortiſſimum Samſonem raſum cæcavit; & caſtiſſimum Joſephum vinculis & carceri mancipavit; per mulierem, mundi lucernam Joannem Baptiſtam capite truncavit. Hæc *S. Chryſoſtomus.*

Quanta autem ſit malitia mulierum, declarat idem *S. Chryſoſtomus in Uxore Iob, & in Dalila amica Samſonis.* De prima loquitur ſic: Hæc videns virum ſuum ulceribus ignitum, cadentem doloribus, involutum vermibus, in ſterquilinio reſidentem, & cineribus coo-

coopertum; non eſt recordata nobilitatis Regis, non dilectionis priſtinæ, quam ad eam habuerat, non divitiarum, bonorum prolis, quam per eum ſuſceperat; nec miſericordiâ mota eſt: Sed contra virum juſtum dæmonis partem aſſumpſit, & ait: Benedic Deo: ubi ly *benedic* idem valet, ac maledic, ut exponunt Doctores, & morere. Ecce non ſufficiebat illi, quod Job ſuſtineret pœnas temporales, ſed ſuperaddere peccatum tentavit, & pœnas æternas infligere. De Dalila autem dicit S. Chryſoſtomus ſic: Da mihi iſtam Dalilam, & ejus malitiam contrà Samſonem penſemus. Hæc illum, quem pridie in cubiculis ſuis conjugem prælegit, cui blandimentis & luſibus, amplexibus & riſibus blandita fuerat, hodie deriſit, raſit, & abjecit, ac vinctum tradidit Philiſtæis. Videamus autem quid ei potuerit in viro ſuo ac marito diſplicere. Si fortitudo diligitur, robuſtiſſimus fuit, qui leonem quaſi hædum diſcerpcerat inermis: Si pulchritudo amatur, ſpecioſiſſimus extitit, quia Nazareus: Si ſanctitas & boni mores diligantur, talis fuit, quod ad preces Samſonis, dum ſitiret, de mortua mandibula Deus ipſi fontem eduxerit: Si ſtrenuitas amati conſideretur, hic in mandibula aſini mille Philiſtæos proſtravit. Si gratitudo amatur, in eo defectus non fuit, niſi quod jam nimis dilexerit. Cùm ergo nulla cauſa odii in Samſone potuerit inveniri, ſola malitia Dalilæ ſuffecit pro cauſa. *Hæc S. Chryſoſtomus.*

Rectè proinde Eccl. 25. dicitur: Omnis plaga triſtitia cordis eſt. & omnis malitia nequitia, mulieris. Et infrà. Non eſt caput nequius capite colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Quam authoritatem S. Chryſoſtomus fuſius pulchrè deducit, ac explicat loco citato.

Explicatur *tertia pars.* Quòd mulieres ſint fugiendæ, *quia ſunt litigioſæ in colloquendo.* Et hæc eſt certè magna afflictio, ſi vir alligetur fœminæ rixoſæ, vel è contra. Undè Proverb. 19. dicitur: Tecta jugiter perſtillantia litigioſa mulier. Si tectum domus jugiter ſtillaret aquam, homo utique in ea nullam haberet quietem, ſed neceſſariò eam dimitteret. Et ideò ſolet dici, quòd tria ſunt, quæ hominem pellunt ex domo, nimirũ fumus, ſtillicidium, & uxor mala. *Innocentius de vilitate conditionis humanæ cap. 16.* ait: Mulier fuit de coſta curva formata; & ideò ſemper eſt contraria viro ſuo. Undè quidam vir uxorem ſuam ſubmerſam contrà curſum aquæ quærens, interrogatus fuit; cur ita quæreret fœminam ſuam contra curſum aquæ? reſpondit, quia ſemper mihi fuit contraria.

Aul. Gellius *lib. Noctium Atticarum* refert de Socrate, quod cùm Alcibiades ab eo quæſiviſſet; cur uxorem ſuam Xantippē mulierem plenam jurgiis, & litigiis, ſibique moleſtiſſimam, non profligaret ex domo? Reſpondit; quandò talem domi patior, aſſueſco, & exerceor, ut cæterarum qui foris ſunt, injurias, facilius feram.

De eodem Socrate narrat S. *Hieronymus contrà Iovianum*, quòd habuerit duas uxores, & hæ cùm aliquando litigarunt propter ipſum Socratem virum ſuum, qui tamen erat turpiſſimus, Socrates autem uxores ſuas contendentes irriſit: Poſt hoc fœminæ iſtæ concordatæ, ſimul in tantum cœperunt ei maledicere, ut coactus fuerit fugere ex domo. Poſteà verò Socrates poſt multa jurgia, ab una iſtarum fœminarum ſtante in parte ſeu loco ſuperiori perfuſus fuit urina, & tamen Socrates reſpondit ſolùm: ſciebam inquit, poſt iſta tonitrua infallibiliter aſſe imbrem ſecuturum. Et ideò bonum conſilium datur Proverb. 21. Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo convivii. Valerius ad Rufinum inquit. Contumelia viri eſt uxor inobediens. Quia Eccl. 25. dicitur: Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo.

Explicatio *quartæ partis.* Quòd mulieres ſint fugiendæ, *quia ſunt proditioſæ in conſiliis, ſeu conſulendo*, ut patet manifeſtè in Dalila: Undè illud metricum

Poma miticas, edere dicas, melle acutas
Cùm mulieres edere ſperas res tibi tutas.

His tribus ſicut vulgariter dicitur: non oportet adhibere fidem: denti canis, fidei mulieris, & pedi equi. Undè ſolemus dicere: In fide, dente, pede, mulieris, equi, caniſque fraus eſt, teſte Babione, qui in fine Comœdiæ ſuæ ſic dicit:

Babio reſtis adeſt, hæc ultima verba tenete:
Sunt incredibiles, Uxor Alumna, Cliens.

Concludam ergo finaliter cum Valerio, & dicam: Det nobis omnipotens Deus fœmineis deceptionibus non falli, & illuminet cor veſtrum, ne tendatis quò timeo.

LECTIO XXXIX.

TEXTUS.

Quoniam fœlix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto; habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus oſtendit, quod multæ verecundiæ ſequantur damnoſam voluptatem impiorum. nunc per contrarium oſtendit, quòd multæ præeminentiæ, dignitates, & honeſtates, ſequantur caſtitatem.

Dicit ergo, *Fœlix eſt ſterilis, & incoinquinata*, id eſt, fœlix eſt illa, in qua eſt ſterilitas prolis cum munditia cordis: quia ſi eſſet cordis immunditia, nihil conferret virginalis corporis integritas. Vult ergo Spiritus ſanctus dicere: Fœlix eſt illa, quæ habet carnis, & mentis integritatem. Carnis integritatem vocat ſterilitatem, quia naturaliter omnis integra, ſterilis eſt, id eſt, ſine actuali fœtu; ſed cordis munditiam vocat incoinquinationem. De corde enim exeunt cogitationes, quæ coinquinant hominem. Matth. 15.

Quæ neſcivit thorum in delicto, Id eſt, quæ non fuit experta, nec mente approbavit concubitum illicitum, ſeu concubitum carnalis voluptatis. Et quarè eſt fœlix? *Quia habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum*; Id eſt, quia licèt pro nunc non habeat fructum ventris, *habebit*

bit tamen fructum in reſpectione animarum ſanctarum; id eſt, in tempore illo, quo Deus animas reſpiciet pro operibus virtuoſis, quæ in hac vita fecerunt. Undè ad *Rom. 6. in fine* dicitur: Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Et Canticorum. 4. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, ut comedat fructum pomorum ſuorum. Circà ly *Incoinquinata*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Virginitas ſit virtus moralis?

Nota hic, Quòd iſte terminus *Virginitas*, variè poſſit accipi. Nam *primò* accipitur pro ut idem eſt, ac integritas carnis : & ſic omnis fœmina naſcitur virgo, cùm ſuo clauſtro virginali. *Secundò*, accipitur *Virginitas* pro inexperientia cujuſvis venereæ delectationis, & ſic *Virginitas* eſt terminus privativus, negans talem experientiam in perſona nata illam experiri antequam hæc perſona habeat annos diſcretionis. *Tertio modo*, accipitur *Virginitas* pro habitu continendi ab omni venerea voluptate, cum negatione voluntariæ experientiæ *de præterito*. *Quarto modo*, accipitur *Virginitas* pro habitu continendi ab omni venerea voluptate cum negatione voluntariæ experientiæ cujuſcunq; voluntariæ experientiæ venereæ *de futuro* propter Deũ. Et ſic loquitur S. *Auguſt. de Virginitate* dicens: Quòd *Virginitas* ſit continentia quâ integritas carnis, ipſo Creatori carnis & animæ, vovetur, conſecratur, & conſervatur. Hoc præmiſſo.

Dico primò. Virginitas accepta pro ſola integritate carnis, ſeu clauſtri virginalis, non eſt virtus.

Probatur. Tum quia nulla virtus eſt ſubſtantivè in carne, ſed in anima; tum quia iſta *Virginitas* ineſt à natura: tum quia talis *Virginitas* ſolùm eſt in ſexu fœmineo; tum quia *Virginitas*, quæ eſt virtus, ſtat cum carentia illius integritatis in carne, ut patet in virgine violenter oppreſſâ, & non conſentiente: tum quia integritas talis poteſt haberi in corpore ſine *Virginitate*, ut patet in puella retinente ſuum clauſtrum virginale, & admittente alias oblectationes venereas, vel cogitationes laſcivas cum delectatione: talis enim puella, licèt non ſit in corpore ſuo violata, non tamen habet virginitatem, ut virtus eſt.

Dico ſecundò. *Virginitas* accepta pro ſola inexperientia delectationis venereæ in ſubjecto quidem ſecundùm ſe capaci, ſed antè annos diſcretionis, non eſt virtus, patet: quia nulla moralis virtus eſt antè annos diſcretionis.

Dico tertiò. *Virginitas* tertio, & quarto modo accepta, videlicet pro habitu continentiæ, ab omni venerea voluptate, cum negatione omnis voluntariæ experientiæ delectationis venereæ, *de præterito*, vel etiam cum negatione omnis voluntariæ experientiæ, delectationis venereæ *de futuro* propter Deum, eſt virtus.

Probatur breviter. Quia omnis talis *Virginitas* eſt continentia; Omnis autem continentia eſt virtus (ut notum eſt) Ergo.

Nota hic, quòd ſicut ſe habet Magnificentia ad liberalitatem, ſic ſe habet *Virginitas* ad continentiam: nam liberalitas habet pro materia generaliter quoſcunque ſumptus, & uſum pecuniæ in dando, ſeu largiendo, ut patet ex 4. Ethicorum: At verò Magnificentia habet materiam ſpecialem in qua eſt major difficultas, puta magnos ſumptus: Sic etiam ad continentiam pertinet abſtinere ab omni experimento venereæ voluptatis illicitæ, quæ eſt contra leges Matrimonii: at verò ad virginitatem pertinet conſervare perſonam immunem ab omni experimento cujuſvis venereæ voluptatis, ſive illa ſit licita, ſive illicita.

Ex dictis *deducitur primò*, Quòd *Virginitas* carnis non ſit virtus, ſed ſola virginitas mentis.

Deducitur ſecundò. Quòd aliqua mulier poſſit ſimul eſſe mater, & virgo, loquendo de *Virginitate*, quæ eſt virtus: nam poteſt mulier non conſentiens opprimi violenter, & imprægnari, quæ imprægnatio virginitati illius nil noceret.

Deducitur tertiò, Quòd in utroque ſexu per ſimilem voluntariam experientiam voluptatis venereæ fiat perditio virginitatis, quæ eſt virtus. Dixi per delectationem voluntariam, ad excludendam experientiam per coactionem, vel quæ ſit in ſomno.

Deducitur quartò, Quòd Deus poſſit virginitatem ſumptam pro ſecunda integritate carnis, & ſic amiſſam reſtaurare; ſicut etiam Deus poteſt quamcumque aliam diſcontinuationem, vel vulnus corporis renovare: Virginitatem tamen amiſſam per experientiam voluntariæ delectationis venereæ, non poteſt Deus reparare: quia Deus non poteſt facere, quòd homo expertus delectationem carnalem, eam ſit inexpertus. Et hoc vult S. Hieronymus.

Dices primò, Omnis virtus generatur ex actibus, ſed virginitas non generatur ex actibus: Ergo non eſt virtus.

Confirmatur. Nulla virtus aufertur involuntariè; ſed virginitas aufertur involuntariè, ut patet in oppreſſis. Ergo.

Reſpondeo ad *primum*, Quòd Virginitas, ut eſt virtus, poteſt ſatis benè generari ex actibus ſæpè repetitis, quibus reſpuuntur omnes delectationes venereæ. Neque verum eſt, quod omnis virtus generari debeat ex actibus externè exercitis; quia pauper poteſt habere liberalitatis, vel magnificentiæ habitum, ſi ſibi ſubeat materia. Item in Chriſto fuerunt iſtæ virtutes antè actus.

Reſpondeo ad *Confirmationem*. Quòd Virginitas quæ eſt virtus, nunquam auferatur involuntariè, ut dictum eſt.

Dices ſecundò. Nulla virtus perditur ſine peccato & meritoriè; ſed Virginitas perditur ſine peccato & meritoriè per Sacramentum Matrimonii: Undè 1. Cor 7. dicitur: Non peccat virgo, ſi nubat. Ergo.

Confirmatur. Omnis virtus amiſſa poteſt per pœnitentiam reſtitui, ſed Virginitas amiſſa nunquam poteſt reſtitui. Ergo.

Reſpondeo ad *Argumentum*, quòd Virginitas ſit talis virtus, ut ad illam omnimodè ſervandam nullus obligetur, niſi ſponte voluerit; & ideò Virginitas ex parte poteſt amitti ſine peccato.

Dixi Virginitas ex *parte* poteſt amitti ſine peccato; ut intelligas, quod licèt Matrimonio juncti, inter ſe copula carnali uti, & delectationes

inter ſe venereas habere poſſint, debent tamen ſervare caſtitatem, & fidem conjugalem, non accedendo alium maritum, vel fœminam. Imò etiam inter ſe, nimium exceſſum, & petulantiam veneream exercere non debent. *Si* autem virginitas habet votum annexum, ſic patet de ſe, quod non poſſit amitti ſine peccato.

Reſpondeo ***ad Confirmationem.*** Quòd Virginitas quæ eſt virtus, poteſt recuperari per pœnitentiam quantum ad habitum mentis; & tunc dicitur quidem continentia: Sed non virginitas, propter connotantiam experientiæ carnalis quondam habitæ. An autem talis perſona adhuc ſit habitura aureolam, patebit ex lectione ſequenti.

Dices tertiò. Nulla vera virtus eſt in infidelibus, *ut docet S. Auguſtinus lib. 3. contra Iulianum*: Sed Virginitas fuit in infidelibus, ut patet de Virginibus Deæ Veſtæ ſacratis, quarum una in ſignum virginitatis aquam de Tiberi in cribro portavit, ut refert Valerius lib. 8. cap. 8. Ergo.

Confirmatur. Omne quod recedit à medio virtutis, eſt vitioſum; ſed virginitas recedit à medio virtutis: Ergo non eſt virtus. Probatur minor. Nam Ariſtoteles 2. Ethicorum ait: Quod qui omni voluptate potitur, eſt intemperatus, qui autem omnes fugit eſt agreſtis & inſenſibilis; ſed virginitas omnes voluptates fugit. Ergo.

Reſpondeo ***ad primum. Quòd S. Auguſtinus***, benè dicat quod in infidelibus non ſit vera virtus, quia infideles non referunt illam ad debitum finem, qui in virtute maximè debet attendi. Quid ergo mirum, ſi infideles non habeant virginitatem prout eſt virtus? Nulla enim perſona infidelis vult abſtinere ab omni delectatione venerea propter ſolum Deum: quòd tamen ad virginitatem ut virtus eſt, requiritur, ut dictum fuit.

Reſpondeo ***ad Confirmationem.*** Quòd Virginitas non recedat à medio rectæ rationis, ſicut nec magnificentia. Similiter virgo non abſtinet ab omni delectatione, aliàs enim foret inſenſibilis: poteſt enim habere delectationem in guſtu, odoratu, viſu, auditu, aut etiam tactu honeſto. Imò etiam ſpeculatio veritatis habet in ſe mirabiles delectationes ſicut dicitur 10. Ethicorum:

Dices quartò. Virginitas eſt contrà præceptum divinum (Creſcite & multiplicamini Geneſ. 1.) Ergo non eſt virtus.

Confirmatur primò. Quia ſicut præceptum de conſervatione individui eſt de lege naturæ, ita etiam de conſervatione ſpeciei: Ergo ſicut homo peccaret nihil comedendo, per quod deſtruitur individuum, ita homo peccat ceſſando ab omni generatione pro conſervatione ſpeciei.

Confirmatur ſecundò. Qui habet unam virtutem habet omnes: ſed aliquando qui non habet virginitatem, habet alias virtutes: Ergo virginitas non eſt virtus.

Reſpondeo ***ad primum.*** Quòd multitudini datur præceptum diverſimodè; nam aliquando datur ſic, quòd quis de multitudine ad illud obligetur; aliquando datur ſic, quod ſufficiat, quòd aliquis, vel aliqui de multitudine hoc faciant: Sicut ſubindè alicui Conventui præcipitur, quòd una Miſſa dicatur pro Petro v.g. hodie defuncto, in quo caſu ſufficit, quòd unus ex Conventu Miſſam illam legat. Et quidem primo modo datur præceptum comedendi toti humanæ ſpeciei, quod pertinet ad conſervationem individui. Secundo autem modo datur præceptum generandi, & ſic præceptum generandi ſtat ad multitudinem hominum: & tamen cuivis illorum ſaltem ſoluto à matrimonio contravenire eſt licitum. Et per hoc etiam patet ad ***primam Confirmationem.***

Reſpondeo ***ad ſecundam Confirmationem.*** Quòd qui habat unam virtutem, non habeat perfectè omnes virtutes: habet tamen aliquo modo omnes virtutes, in quantum habet rectam rationem, quæ conſtituit medium in omni virtute. Undè non quivis liberalis habet perfectè Magnificentiam; nec omnis continens habet perfectè ſtatum Virginitatis: Sed participat aliquo modo, quia promptè & faciliter deteſtatur delectationes illicitas.

LECTIO XXXX.

TEXTUS.

Et ſpado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima: dabitur enim illi Fidei donum electum, & ſors in templo Dei *acceptiſſima.*

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus commendavit caſtitatem in ſexu fœmineo, nunc eam commendat in ſexu virili: Ubi etiam Spiritus ſanctus primò excludit ea, quæ repugnant caſtitati, deindè verò aſſignat caſtitati ſuum præmium.

Dicit ergo: ***Et ſpado***, Id eſt non ſolùm mulier (de qua paulò ante ſermo fuit) habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum, ſed etiam ſpado, id eſt Eunuchus, vel quivis caſtus virtuoſus. Vocatur autem caſtratus ſpado, quia cum ſpata ſubindè caſtratur. Item vocatur Eunuchus, quaſi benè vincens: ab *Eu*, quod eſt bonum, & *Nuchus*, quod eſt *victoria*.

Porrò talis ſpado, ſeu caſtus virtuoſus, erit fœlix in futuro propter ſuam virginitatem, quam cuſtodivit in præſenti vita. Ut verò ſervet perfectam caſtitatem requiritur, quod careat duobus vitiis; nempè contactu manuali, & libidinoſo, ad provocandam delectationem carnis, & cogitatu mentali voluptuoſo ad excitandam imaginationem carnis. Et ideò dicitur in Textu: ***Qui non eſt operatus per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima. Et dabitur illi***, puta viro caſto, ***fidei donum electum***, id eſt, vita æterna in contemplatione divinitatis, quæ Fidei ſuccedet & omnibus fidelibus promittitur. Undè Apoc. 2. dicitur: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Et dabitur ei ſors in templo Dei acceptiſſima, id eſt aureola, quæ eſt ſingularis prærogativa virginitatis. Quæ virginitas etiam eſt conditio nobiliſſima & acceptiſſima in cœlo: quia eſt conditio

ditio Chriſti, & Matris ſuæ, & omnium Angelorum. Eſt enim virginitas virtus Angelica *teſte S. Hieronymo.*

Nota primò. Quomodò Grammatici diſtinguant inter hos tres terminos, *Eunuchus, Spado, Caſtratus.* Nam *Caſtratus* dicitur, quaſi caſtus natus, ſicut ſunt ii, qui ſunt à natura frigidi, & impotentes ad generandum. *Spado* autem dicitur, qui invitus caſtratur. Et denique *Eunuchus* dicitur: qui voluntariè ſe caſtrari permittit. Undè ſunt iſti verſus

Caſtratum natura facit, violenta ſpadonem
Efficit improbitas, Eunuchum ſola voluntas.

Nota ſecundò. Quòd Gentiles antiqui caſtraverint pueros ſpecialiter propter tres rationes. *Primò*, ut diu in illis vox puerilis permaneret; *Secundò*, ut eſſent apti ad cuſtodiendas Dominas, quæ ab illis caſtratis proles non poterant concipere. *Tertiò*, ut iſtis pueris ſacrilegè, modo Sodomitico abuterentur diutiùs; quia caſtrati ſemper manent imberbes: Caſtrari enim ſaltem in juventute nunquam barbeſcunt.

Nota tertiò. Quòd ly *Spado*, in præſenti lectione accipiatur generaliter pro quocunque virtuoſo abſtinente ab actu venereo. Et iſto modo homo voluntariè, caſtè vivens ex amore Dei, poteſt vocari *Spado*, & tali debetur etiam ſua merces virginitatis, cujuſmodi ſunt viri Eccleſiaſtici, & Religioſi. De quibus loquitur Chriſtus Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui caſtraverunt ſeipſos propter regnum cœlorum. De iſtis quoque dicitur: *Iſai. 56.* Dicit Dominus Deus Eunuchis, qui cuſtodierunt Sabbata mea; & elegerunt, quæ ego volui; & tenuerunt fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.

Nota quartò. Quòd non ſolùm actus venereus, ſed etiam tactus venerei & impudici ſint peccatum mortale; imò etiam moroſæ cogitationes ad delectandum carnaliter ordinatæ, ſint nequiſſimæ, puta in genere mali carnalis. Undè *Eccl. 17 in fine* dicitur: Quid nequiùs, quàm quòd excogitavit caro & ſanguis? Et quia in Textu ſermo fit de *Spadone*, ſeu *de Caſtratis*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum liceat alicui ſeipſum caſtrare propter continentiam ſervandam?

Dico, quòd non.

Probatur. Quia ſic decernitur in *Can. Diſt. 55. Si quis abſciderit.* Ubi ſic dicitur: Si quis amputaverit ſibi virilia, non fiat Clericus, quia ſui eſt homicida, & Dei Conditoris eſt inimicus. Item ſi quis Clericus abſcinderet ſeipſum omninò damnaretur; quia ſui homicida eſt; hoc eſt, facit aliquid tale, propter quod homicidium potuit fuiſſe ſecutum.

Dices primò, Matth. 5. & 18. dicitur: Si pes tuus, aut manus tua, aut oculus tuus ſcandalizat te, abſcinde eum. Scandalizare autem, eſt dare occaſionem ruinæ, quam oportet tollere: Ergo ne homo habeat occaſionem ruinæ, poterit ſeipſum caſtrare. *Reſpondeo*, quòd illa autoritas intelligitur de membrorum corporalium abſciſſione; undè nomine membrorum, ſeu partium corporis ibidem intelliguntur amici neceſſarii, ſeu conſanguinei: qui quantumvis nobis ſanguine, vel ſpeciali amicitiæ vinculo, juncti ſint, ſi tamen velint nos impedire à via Dei, & allicere ad peccandum, projiciendi ſunt, & fugiendi.

Reſpondeo ſecundò. Quòd locus ille intelligendus ſit non de abſciſſione Phyſica, ſed morali. Moraliter enim abſcindimus pedem, vel manum, aut oculos, paratum ad peccandum, ſi amoveamus objecta, & ſenſus noſtros frenemus. In tali enim caſu moraliter oculus eſt evulſus; quia ſicut oculus evulſus nihil videt curioſi: ita etiam oculus benè mortificatus nihil curioſi videt.

Dices ſecundò. Propter ſanitatem corporis conſequendam licitum eſt homini ſe mutilare: Ergo multò magis propter virtutes, & ſanitatem ſpiritualem, maximè quia Matth. 19. dicitur: Quod ſint Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.

Reſpondeo Negando conſequentiam, quia ſalutem mentis non poteſt talium membrorum abſciſſio præſtare; imò magis præſtant meritum, ſi per rationem paſſiones eorum virtuosè domentur.

Adde, quòd multi caſtrati fuerint ſummè luxurioſi, ut refert S. Auguſtinus. Adeòque caſtratio non præſtat ſanitatem mentis, nec etiam carnis: cùm fomes libidinis in omnibus hominibus, etiam in caſtratis, ſit in lumbis.

Dices tertiò. Origenes legitur, quòd ſeipſum caſtravit, non propter ſervandam continentiam, ſed propter vitandam infamiam, & malam ſuſpicionem, & ad hoc ut liberè & abſque ſcandalo prædicare poſſet, tam fœminis, quàm viris. Sicut legitur, *Lib. 6. Eccleſiaſtica hiſtoria*, tempore perſecutionis Eccleſiæ.

Reſpondeo, quòd ille actus in Origine fuerit miræ devotionis, nec fuit per hoc impeditus, ne eſſet Sacerdos ordinatus, ſicut notat *Gloſſa diſt. 55.* Ideòque factum Originis non eſt trahendum in conſequentiam. Tales enim deciperentur in ſuo facto, & retorquent neceſſitatem peccandi in Deum ſuæ naturæ Conditorem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Virginitati debeatur Aureola?

Dico, quòd ſic.

Probatur breviter. Quia juſtum eſt, quòd excellentiſſimæ victoriæ adverſus carnem debeatur aliquod præmium, ſeu gaudium accidentale propter hanc inſignem victoriam obtentam; & hoc præmium accidentale, vocatur *Aureola*, ſeu parva corona, ad differentiam aureæ ſeu coronæ cœleſtis, quam habebunt beati de Deo clarè viſo, ac poſſeſſo. Pro cujus majori intelligentia.

Notandum *primò.* Quòd duplex præmium debeatur Beatis; videlicet eſſentiale, & accidentale. Præmium *Eſſentiale* conſiſtit in fruitione eſſentiæ divinæ clarè viſæ. Præmium autem *Accidentale*, vocatur quodcunque gaudium, quod non eſt de Deo clarè viſo, ſed de creatura.

Notandum *ſecundò.* Quòd Præmium *Accidentale* dicatur dupliciter; *Primò* dicitur gaudium

dium *Specialiter* de aliquo actu animæ importante excellentem victoriam habitam meritoriè in vita præſenti: alio modo dicitur *Communiter* gaudium de quacunque re creata.

Notandum *tertiò*. Quòd actus excellentis victoriæ in præſenti, ſit in triplici materia, ſecundum quod triplicem pugnam habemus: nimirum contrà carnem, contrà mundum, & contrà diabolum. Et quidem contrà carnem excellentiſſima victoria eſt Virginitas, quæ eſt virtus: Nam Virginitas virtuoſè reſpuit omnes delectationes carnales, tam licitas, quàm illicitas. At verò contrà mundum, id eſt contrà malos homines mundanos, qui bonos perſequuntur, & contemnunt, perfectiſſima victoria eſt Martyrium propter Chriſtum. Denique contrà Diabolum, qui falſa nos ſuggeſtione conatur ſeducere, perfectiſſima victoria eſt prædicatio, ſeu doctrina, quâ homo non ſolùm ſeipſum benè regit, ſed etiam alios corrigit, & inſtruit. Et iſtis tribus generibus hominum, puta Virginibus, Martyribus, & Doctoribus, tres aureolæ deputantur, propter tres actus excellentes, & privilegia victoriæ.

Notandum *quartò*. Quòd Beatitudo *Eſſentialis* vocetur metaphoricè *Corona*, vel *Aurea*. Beatitudo autem, vel gaudium *Accidentale* debitum operi excellentis victoriæ, vocatur *Aureola*: & hoc ideò; quia omne gaudium *Eſſentiale* eſt de Deo: gaudium verò *Accidentale* in beatis eſt de creatura, & minus quàm *Eſſentiale* gaudium: & ideò *Aureola* per terminum diminutivum ſignificatur.

Notandum *quintò*. Quòd cùm omne gaudium ſit actus animæ, ideò, ſicut *Aurea* eſt in anima, ita etiam *Aureola* eſt in anima; hæc tamen *Aureola* redundabit in corpus per aliquod ſignum evidens ipſi correſpondens; quod quale erit, nobis non eſt notum.

Dices primò. Perfecta Virginitas fuit in Chriſto, & beatiſſimâ Virgine, & tamen ipſis non debetur *Aureola*, quia nullam pugnam ſuſtinuerunt in continendo, adeòque nec fuit victoria ſpiritus ſuper carnem: Ergo nec aliis virginibus debetur *Aureola*.

Reſpondeo, quòd de Virgine glorioſiſſima MARIA teneat S. Thomas, quod omninò habuerit *Aureolam*, & tamen nullam pugnam à carne habuit, quamvis habuerit tentationes de carne ab hoſte humani generis. Nec mirum tibi videatur admittere, quod diabolus tentaverit Beatiſſimam Dei Matrem, cùm etiam diabolus ipſum Chriſtum Dominum tentaverit in deſerto: Sed pro ſua confuſione duntaxat, &ècontra pro gloria tam Chriſti Domini, quàm Beatiſſimæ Virginis. Sicut autem Chriſtus non continuò fuit tentatus à diabolo, ita nec beatiſſima Virgo; quamvis unam alteramque tentationem ſibi à dæmone immiſſam, fuerit Deiparæ Virgini glorioſum repellere, ab aliis autem continuis tentationibus Mater ſanctiſſima ob ſuam Maternitatem fuerat à protegente Deo, & cohibente diabolum, libera ac immunis.

De Chriſto verò dicit S. Thomas, quòd non habuerit *Aureolam* ſub nomine *Aureolæ*; quia iſte terminus *Aureola* importat victoriam participatam ab aliquo, quod Chriſto non convenit, in quo eſt plenitudo victoriæ. Et ſimiliter *Aureola* importat, quod à Principe conferatur.

Reſpondeo tamen *ſecundò* ad argumentum. Quòd iſte terminus *Victoria* dicat dominium rationis ſupra carnem, & connotat reſiſtentiam, quæ non fuit in Chriſto, nec in beatiſſima Virgine. Quia tamen fuit plenum dominium rationis, tam in Chriſto, quàm in ſua caſtiſſima Matre, ideò habent *Aureolam* ex alia cauſa ſibi debitam, quam nobis, dum parati fuiſſent fortiter omnes tentationes libidinoſas repellere, ſi quæ immiſſæ fuiſſent. Vide reſponſionem ad quartum argumentum.

Dices ſecundò. Si *Aureola* debeatur propter victoriam ſuprà carnem, ſequeretur, quod *Aureola* potiùs debeatur viduis quàm virginibus; ſed conſequens non eſt concedendum: Ergo nec antecedens. Sequela probatur. Quia viduæ habent majores tentationes, quàm virgines; Undè *Ariſtoteles lib. de Animalibus* dicit: quòd juvenes corrupti magis appetant coitum propter rememorationem delectationis quondam habitæ: Ergo viduæ abſtinendo à carnalibus habebunt majorem victoriam, & conſequenter majorem *Aureolam*: vel ſi viduæ *Aureolam* non habeant, nec illam habebunt virgines.

Reſpondeo, Quòd ſi attendamus iſtam unicam actionem tentationis carnis, quæ eſt recordatio ex parte voluptatis, conſtat quod hæc ſit in viduis & non in virginibus. Nihilominùs eſt in virginibus quædam major imaginatio ex parte laſciviæ, cum tribus circumſtantiis, ex quibus deindè conſurgit major tentatio. Nam *primò* virginibus proponitur deſiderium experiendi ex curioſitate delectationem carnalem, quàm nunquam ſenſerunt: ſicut homo magis deſiderat videre modicum oppidum, quod nunquam vidit, quàm unum magnum monaſterium, quod ſæpe vidit. *Secundò* eſt æſtimatio majoris delectationis, quàm ſit in rei veritate. *Tertiò*. Ignorantia incommodorum, & turpitudinis concomitantis: & ideò ſimpliciter loquendo pugna virginum eſt difficilior, quàm viduarum.

Dices tertiò Tanti meriti eſt caſtitas conjugalis, ſicut virginitas; ſed caſtitati conjugali non non datur *Aureola*: Ergo nec virginitati. Major eſt S. *Auguſtini lib. de bono conjugali cap. 40.*

Reſpondeo. Quòd non ideò detur virginitati *Aureola* quia eſt majoris meriti, ſed quia eſt diſtinctiva ſingularis victoriæ, vel dominii ſupra carnem. Undè *Beata Catharina* habet *Aureolam*, & tamen *S. Maria Magdalena* eſt majoris meriti. Undè non ſequitur iſta ſancta conjugata eſt majoris meriti, vel iſtæ duæ perſonæ, quarum una eſt ligata, & altera virgo, habent æqualia merita: Ergo ſi virgo habeat *Aureolam* virginitatis, etiam illam habebit ligata.

Dices quartò. Naturali neceſſitati non correſpondet præmium; ſed quidam ſunt naturaliter impotentes ad generandum, ſicut ſunt frigidi & caſtrati in juventute: Ergo in illis virginitas non meretur *Aureolam*.

Reſpondeo, quòd tales naturaliter caſti, ſi conforment ſuum propoſitum caſtè vivendi, ſuæ neceſſitati, habebunt *Aureolam*: Si autem non conforment ſuum propoſitum caſtè vivendi, ſuæ neceſſitati, ſed ſint mente corrupti, habuerintque deſideria res venereas exercendi ſi poſſent, tunc inquam non habebunt *Aureolam*.

Dices quintò. Ponamus, quòd aliqua virgo nubat, & ante commixtionem moriatur: tunc

ſcilicèt

ſcilicet iſta virgo retinet integritatem carnis; & tamen non habet *Aureolam* virginitatis, quia fuit mente corrupta, in quantum conſenſit admittere delectationem veneream licitam in actu conjugali: Ergo non omnis virgo habet *Aureolam*. Ante reſponſionem

Nota, quòd *Aureola* virginitatis competat cuivis habenti propoſitum abſtinendi à venerea voluptate; ſi illud propoſitum nunquam fuit *effectualiter* interruptum per experientiam oppoſitam uſque ad mortem: Si verò fuerit interruptum *effectualiter*, tunc non habebit *Aureolam*. Item ſi illud bonum propoſitum caſtè vivendi ſemel fuit interruptum, per propoſitum contrarium, ſine tamen *effectu*, ut quando v. g. perſona talis conſentit in actum venereum illicitum, ſi autem poſtea pœniteat de iſto conſenſu, quem nullum opus ſequebatur, tunc talis adhuc habebit *Aureolam*: Quia virginitas, quæ eſt virtus, per pœnitentiam reſtituitur. Item ſi quis propoſitum ſuum ſe continendi interrupit per propoſitum admittendi actum venereum in conjugio licitum, ita tamen ut *effectualiter* nunquam talem actum venereum conjugalem, & ſecundum ſe licitum exercuerit; & poſteà doleat, quòd non continuaverit propoſitum ſe continendi ab omni actu venereo, etiam licito in conjugio, talis inquam adhuc retinebit *Aureolam* virginitatis.

Ex hoc patet Reſponſio ad argumentum. Nam ſi talis virgo, quæ nupſit, & ante commixtionem ægrotans, dolenſque quod non continuaverit propoſitum abſtinendi ab omni actu venereo, moriatur, habebit adhuc *Aureolam* virginitatis; aliàs non. Et hoc modo S. Joannes Evangeliſta mente tenus deperditam per hoc, quod voluerit admittere actum conjugalem, recuperavit: quando Chriſtus eum de nuptiis, volentem nubere revocavit, *ſecundùm S. Hieronymum*.

Porrò ſi quis talem virginem, quæ nupſit, & ante commixtionem virum morte ſubitanea præventum ducat in uxorem, non eſt *Bigamus*. Quia corruptio inducens *Bigamiam* eſt ſolutio integritatis carnis, non corruptio mentis: quæ corruptio mentis fit per hoc ſolum, quod voluerit admittere actum venereum, quantumvis licitum in matrimonio

Ex dictis colligitur. Quòd multæ virgines carebunt in cœlo *Aureolâ* virginitatis, ſicut qui moriuntur cum propoſito nubendi. Econtra autem multæ involuntariè corruptæ ſecundùm carnem, cum propoſito ſe continendi, habebunt *Aureolam* virginitatis: ut patet in puellis per vim à barbaris oppreſſis.

De pueris autem, vel puellis infrà ætatem, ac uſum rationis, non video cauſam quare *Aureolam* habere debeant; utpote in quibus nec fuit virginitas, quæ eſt virtus, nec victoria aliqua ſuprà carnem.

LECTIO XXXXI.

TEXTUS.

Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ.

EXPLICATIO TEXTUS.

Hic aſſignat Spiritus ſanctus duas rationes, cur virginitas ſpirituale præmium habebit in altera vita. *Prima* ratio deſumitur ab exemplo in operabilibus. *Secunda* in naturabilibus. Itaque ſic formatur *prima ratio*. Nam in operabilibus quantò labor eſt gravior, tantò merces eſt major, ut patet in agricultura, militia, ædificio, & omni arte; ſed militia contra carnem eſt optimus labor, & optima agricultura eſt colere terram carnis, & laborioſum ædificium eſt ſtatuere in carne ſua templum Chriſti. Ergo tali militiæ, agriculturæ vel ædificio merces optima correſpondet; & hæc omnia facit virginitas. Et hoc innuit Spiritus ſanctus quando dicit: *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus*. Quaſi diceret, ſicut minoris laboris eſt conjugium, quàm viduitas, & viduitas quàm virginitas; ita fructus glorioſior virginitati quàm viduitati, & viduitati quàm conjugio deputatur. Et hoc eſt, quod innuitur *Luc. 8. ubi dicitur*; Semen cecidit in terram bonam, & ortum facit fructum centuplum. Et Matth. 13. Dederunt fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum. Et certè rectè virginitati deputatur fructus centeſimus propter glorioſiorem victoriam de carne. Conſtat quod habeamus quinque ſenſus externos, & quinque potentias interiores, ut patet, *ex ſecundo de anima*. In iſtis autem ſenſibus viget pronitas concupiſcentiæ & fomitis carnis, juxta illud Geneſ. 8. Senſus enim & cogitationes humani cordis proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua. Quia ergo virgines iſtas decem potentias cognoſcitivas & ſenſitivas ducunt in decem mandata decalogi, perfectè eas juxta illa regulando, meritò eis fructus centeſimus correſpondet; & ideò rectè *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus*.

Secunda Ratio deſumitur ab exemplo in naturalibus. Nam in omni arbore, plantâ, ac herbâ, bonitas fructus ſurgit ex bonitate radicis; ita ut quantò radix eſt melior, tantò etiam fructus eſt præſtantior; in moralibus autem radix eſt charitas, juxta illud ad Eph. 3. In charitate radicati ac fundati; Quantò autem major eſt charitas, tantò magis meritum eſt acceptum coram Deo. Ergo cùm virginitas procedat ex majori charitate, etiam correſpondere ſibi debet melior fructus. Et hoc ſonant verba poſita in Textu, *Et quæ non concidat radix ſapientiæ*. Hoc eſt boni labores, qui ſunt in victoria paſſionum carnalium, ideò habent bonos & glorioſos fructus, quia procedunt à radice ſapientiæ, quæ eſt charitas, ſive timor filialis, juxtà illud Eccl. 1. Radix ſapientiæ eſt timere Deum. Et iſta radix nunquam *concidet*, quia ſequitur ibidem: *Anni ipſius longævi, & ideò glorioſus eſt fructus*.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum pro bonis convenienter dicatur, & diſtinguatur quadruplex fructus; nimirum fructus virginalis fœcunditatis, fructus moralis ſanctitatis, fructus doctrinalis fertilitatis, & fructus æternalis fœlicitatis?

Dico, quòd ſic,

Explicatur *prima pars*, de fructu *virginalis*

nalis fœcunditatis, qui eſt fructus virginis glorioſiſſimæ. de qua, & de quo dicitur Luc. 1. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Benedicta tu, inquit, inter mulieres; quare hoc? Quia tu es apis mellificans, vitis lætificans, tellus ſanctificans, & ficus fortificans. Tu es inquam apis dulcoris, vitis odoris, tellus bonoris, & ficus vigoris. Et quidem tu es apis dulcoris mellificans Eccl. 11. Brevis in volatibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Apis brevis eſt *Maria humilis*. Tu es vitis odoris fructificans, in cujus perſona dicitur. Eccl. 24. Ego quaſi vitis fructificavi, ſuavitatem odoris. Tu es terra ſanctificans, de qua vates Regius in Pſalm. dicit: Dabit Dominus benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Tu es ficus vigoris fortificans; Joelis 2. Lignum attulit fructum, vinea & ficus dederunt virtutem ſuam.

Narrat Plinius lib. 12. cap. 6. Quòd in India creſcat ficus mirabili modo fructificans, & in fructibus ita onuſta, ut præ pondere rami deprimantur ad terram, & rurſus de terra recreſcant. Item prædicta arbor ſolia habet adeò lata, ut extendantur in modum peltæ: undè ſub his ſoliis latitant homines, & jumenta tanquam ſub jucundiſſima umbra. Deindè etiam præfata arbor habet poma ita dulcia, ut præ dulcedine pro miraculis à comedentibus reputentur, vel etiam aliò tanquam fructus extraordinarii deportentur.

Applicatio moralis. Iſta ficus eſt parabola Virginis benedicta. Matth. 24. Ab arbore fici diſcite parabolam. Hæc enim Virgo ſacratiſſima, habet ramorum longitudinem, ſoliorum amplitudinem, & pomorum dulcedinem. Rami in homine ſunt potentiæ animæ, nimirum memoria, intelligentia & voluntas, cum potentiis ſenſitivis. Iſti rami autem erant pleni fructibus in MARIA. Memoria devotione, intelligentia contemplatione, voluntas dilectione, & ſenſus compaſſione. Fuerunt autem in tantum rami iſti onuſti fructibus, id eſt virtutibus, gratiis, & meritis, ut uſque ad terram ſeſe inclinaverint per humilitatem, quando dixit: Ecce ancilla Domini Luc. 1.

Secundo. Iſta ficus habet ſoliorum amplitudinem, in tantum, ut etiam unicum ſolium poſſit ad inſtar peltæ protegere hominem. Certè *moraliter* loquendo Virgo iſta tantam habet verborum potentiam, & gratiam in curia ſummi Regis, ut tam hominem viventem rationabiliter, quàm jumentum, id eſt, hominem viventem beſtialiter protegat ac defendat, ſi ad ejus patrocinium velit habere refugium. Michæ. 4. Sedebit vir ſubtus ficum ſuam.

Tertio. Habet ficus illa, in pomo ſuo tantam dulcedinem, ut ejus ſuavitas à comedentibus pro miraculo habeatur. Nam Filio ſuo in æterna, ac cœleſti cæna, fruentibus ineffabilem confert dulcedinem; ita ut dicat quævis perſona illud Cant. 2. Sub umbra illius, quem deſideraveram ſedi, fructus ejus dulcis gutturi meo. Rectè proindè dictum eſt beatiſſimæ Virgini. Benedicta tu in mulieribus.

Additur autem, in ſalutatione Angelica. *Et benedictus fructus ventris tui*. Et rectè hæc verba adduntur in tua ſalutatione. O MARIA! Nam fructus tuus eſt *fructus lucis*, fructus *Crucis*, fructus *Ducis*, & fructus *nucis*. Fructus *lucis* eſt per puritatem; juxta illud Prov. 3. Primi, & puriſſimi fructus ejus. Et ad Epheſ. 5. Fructus lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia & veritate. Fructus *Crucis* eſt per paſſibilitatem. Proverb. 11. Fructus juſti lignum vitæ. Fructus *Ducis* eſt propter nobilitatem, ſicut dicimus, quod aliquis fructus eſt regalis. Eccleſ. 24. Fructus mei fructus honoris & honeſtatis. Fructus *Nucis* propter communitatem. Eſt enim maximum forum pro parvis nucibus, quæ ſunt parvi pretii, & à parvis pueris valdè diliguntur, & ſunt eis pretioſæ. Et certè iſto modo Chriſtus eſt facillimi pretii, & apud humiles valdè pretioſus. Cant. 6. Deſcendit in hortum nucum, ſecundùm unam litteram. Et Cant. 8. Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

Itaque Chariſſimi, ſi velitis guſtare iſtum fructum, diſcatis amare MARIAM, quæ ſignificatur per iſtam ficum. Undè Proverb. 27. dicitur: Qui ſervat ficum, commedet fructus ejus. Iſte eſt ergo primus fructus, de quo in *ſacra Scriptura* legimus.

Explicatur ſecundus fructus, de quo legimus in *Scriptura ſacra, nimirum fructus moralis ſanctitatis*: qui conſiſtit in operibus Juſtitiæ, pœnitentiæ, & cultus Dei. Undè Matth. 7. dicitur. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et Luc. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ.

Eſt autem de merito hominis & de operibus pœnitentiæ, ac eleëmoſynæ ſicut de fructu palmæ dicitur. Dicitur enim de palma, quod ejus fructus non ſit utilis, donec fuerit centenarius. Undè dicitur, quod milites *Alexandri Magni* comedentes dactilos palmarum juvenum, ſunt inventi mortui. *Moraliter* loquendo, juſtus comparatur palmæ 10 Pſal. Juſtus ut palma florebit. Opera ergo juſti non apparent dulcia, uſque poſt centum annos, id eſt, poſt finem vitæ præſentis. Eccl. 18. Numerus dierum hominis, ut multum, centum anni. Et ideò oportet interim patienter exſpectare, *Iuxta illud Jacobi 5.* Patientes eſtote fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce agricola exſpectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum.

Sed dolendum eſt de multis, ſicut de illa ficulnea, de qua narratur Matth. 21. Quod Chriſtus revertens in Jeruſalem eſuriit, & videns ficum juxta viam divertit ad eam, ſed poſtquam non invenit niſi folia in ea, maledixit ficui & ait. Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum, & ſtatim aruit. Itaque ficus deſignat divites avaros quos Deus ditavit, ut fructificarent per eleëmoſynas; Chriſtus eſurit, Matth. 25. Eſurivi & non dediſtis. Et quodcunque uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Venit quoque Chriſtus ad ficulneam, quandò pauper venit ad divitem avarum, ſed nihil ibi invenit niſi folia, quia nihil ibi pauper recipit niſi amara verba. Tali autem diviti amaro ſeu ficulneæ infrugiferæ Chriſtus in die judicii maledicet, quando ei cum aliis dicet: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo. Et ideò ſignanter dicitur Eccl. 5. Qui amat divitias, non recipiet fructum ex eis. Non dicit, qui habet, vel qui diſpenſat, ſed qui amat ad ſervandum. Nam de tali amatore divitiarum cum neglectu animæ ſuæ,

ſuæ, dicit diabolus ; adveniente morte illud Dan. 4. Succidite arborem vos contrarii humores, & diſpergite fructus ejus vos executores. Nam humores repugnantes in corpore, faciunt carnis corruptionem: & executores ordinantes de funere, faciunt opum diſperſionem & ſegregationem Et tunc primò experientur, quod qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. *Ariſtoteles a de vegetabilibus* refert, quòd arbores quædam plantatæ in diſtemperatis locis, faciant primo fructus acidos, deindè dulces, & tandem amaros, & fructus talis piramidatur in utraque extremitate, & in medio habet figuram latam. Moraliter, homo pauper qui omnimodè deditus eſt mundo, & totam ſuam intentionem extendens ad hoc, ut temporaliter fiat dives, facit in principio fructum valdè acidum & acutum; nam jejunat, vigilat, parcè vivit, laborat & ſervit, nihilque dulcedinis tunc eſt in ſuis operibus. Poſtquam autem eſt dives factus, ad tempus ludit, expendit, jucundatur ſolemniter, laute vivit, & tunc eſt fructus ſuus dulcis. Verumtamen hæc dulcedo non durat, quin paulò poſt tendit ad mortem ; & tunc oportet diſponere de teſtamento, & relinquere alienis divitias ſuas Et iſte fructus eſt ipſi amariſſimus, quando debet dimittere terram, quam coluit; proles, quas genuit, uxorem quam dilexit, ædificia quæ conſtruxit. Et de talibus verificatur illud Sap. 3. Vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu.

Explicatur *tertius fructus doctrinalis fertilitatis*, quem fructum Dominus exigit à Doctoribus, Prædicatoribus, & Prælatis, quibus dicitur Joannis 15. Poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Et Sap. 16. Non nativitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hoc, qui in te crediderunt, conſervat.

Porrò de iſtis arboribus dolendum eſt, quod quidam areſcant propter nimiam ſiccitatem, quia non habent humorem devotionis, nec zelum animarum. De quibus dicitur Oſeæ 9. Radix eorum exſiccata eſt, nequaquam facient fructum. Sed certè non ſic fuit de primis Prædicatoribus plantatis in Eccleſia, quia ipſi fuerunt irrigati per gratiam divinam, & contemplationem, *juxta illud Eccl.* 24. Dixi rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructus.

Secundò. Etiam alii fruteſcunt per *Curioſitatem*. Scitur quod quando parvi frutices creſcunt, circumquaque circà arborem, tunc rapiunt ab ea humorem. Ita ſimiliter, quandò in ſtudio circumponuntur menti hominis curioſa & ſubtilia, ſubtrahunt ab eo devotionem prædicandi Verbum Dei. At verò per oppoſitum de devotis Concionatoribus dicitur: Oſeæ 10. Vitis frondoſa Iſraël, fructus adæquatus eſt ei.

Tertiò. Aliqui marceſcunt per *Venti urentis malignitatem*. Et ſunt tales, qui dimittunt prædicare propter oblocutiones, detractiones, & & odia ; & tales vocantur arbores autumnales, infructuoſæ.

Explicatur *quartus fructus*. Nimirum *æternæ felicitatis*, qui percipietur, quando animæ de corpore recedenti Chriſtus dicit illud Proverb. 31. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eàm in portis opera ejus.

Itaque ſi hos fructus percipere velimus, oportet, quòd illos priùs contemplando guſtemus, & quod pro ipſis habendis pugnemus. In cujus figuram, Malogranata, ficus & uvæ filiis Iſraël oſtenſæ fuerunt, & allati fructus de terra promiſſionis antequam intrarent eam Num. 13. Quia alias terram tantæ difficultatis ut adeatur parum deſideraſſent. Iſto modo, quo S. Andreas fructuum cœleſtium dulcedinem prius guſtaverat, ideò in tantum illos anhelabat, ut arborem Crucis quaſi per ſcalam ad eos accipiendos aſcenderit, dicens illud Cant. 7. Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus : propè ſciens, quàm glorioſus ſit fructus bonorum.

LECTIO XXXXII.

TEXTUS.

Filii autem adulterorum in conſummatione erunt & ab iniquo thoro ſemper exterminabitur: & ſi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit noviſſima ſenectus eorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN præſenti Textu Spiritus ſanctus redarguit eos, qui violant caſtitatem conjugalem. Dicit ergo: *Filii autem adulterorum*, id eſt filii geniti ex adulterio commiſſo, ſive ex parte viri, ſive ex parte fœminæ: *In conſummatione erunt*, id eſt, in ſuo fine, hoc eſt non diu durabunt: ſicut nec illud diu durat, quod eſt in ſuo fine.

Et ab iniquo thoro ſemen exterminabitur. Iniquus thorus eſt lectus illiciti concubitus. Et quia contingit aliquando, quod aliqui, & valdè pauci homines, ex illicito concubitu geniti, ſint diuturnæ vitæ ; ideò oſtendit Spiritus ſanctus, quod ſaltem talis generatio non ſit finaliter honorabilis : puta quando plures ex illicito concubitu geniti ſunt ſimul imitatores ſcelerum ſuorum parentum, quod plerumque fieri ſolet. Cum quo tamen ſtat non eſſe impoſſibile, quod tales qui patiuntur defectum natalium, ſubindè fiant morigerati, & boni, ut docet S. *Auguſtinus de bono conjugali cap.* 4. Undecunque enim naſcantur homines, ſi parentum vitia non ſectentur, & Deum rectè colant, honeſti & ſalvierunt. Semen enim ex qualicunque homine, Dei creatura eſt, & eo malè erit. Filius enim non portabit iniquitatem patris Ezech 18.

Et ſi quidem longa vitæ erunt, in nihilum computabuntur. Id eſt dato, quòd Deus talibus filiis ex illicito concubitu genitis, & imitantibus vitia ſuorũ parentũ, det longã vitã in præſenti; *in nihilũ*, id eſt inter peccatores cõputabuntur : quia peccatũ nihil eſt, & homines fiunt nihil, dum peccant. Teſte S. *Auguſtino.*

Et ſine honore erit noviſſima ſenectus eorum. Et hoc juſtè, quia honor eſt præmium virtutis, & attribuitur tantum bonis : ut dici-

rur 4. Eth. cap. 4. Cùm ergò tales non fuerint virtuoſi in principio ætatis ſuæ, nec in medio, irrationabile foret, quod in ſenectute bonorem conſequerentur.

Et iſtud ultimum eſt contra quoſdam qui ſibi vendicant honorem ex ſolo lapſu temporis, quia ſenes ſunt; & tamen in virtute nihil valuerunt, nec unquam aliquid virtuoſi egerunt: ſed propter ſolam ſenectutem vendicant ſibi bonorem. Audiant tamen tales illud Sap. 5. Ætas ſenectutis vita immaculata. Id eſt, ſi ſenex velit honorari, debet habere vitam immaculatam. Ex quo fit, quod juvenis benè vivens debeat habere honorem ſenectutis, & ſenex malè vivens verecundias ſine honore. Et iſta eſt tertia ſpecies eorum, quæ odit Deus, nimirum ſenem fatuum, & inſenſatum Eccl. 24. Circà ly *Filii adulterorum*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum filii debeant aliquod damnum reportare propter defectum natalium?

NOta hic, Quòd aliquis dicatur damnum incurrere dupliciter. Primo modo *propriè* per hoc, quod ſubtrahatur ei aliquid, quod ſuum eſt, vel quod ſibi debitum eſt. Alio modo *impropriè* per hoc, quod aliquid ſibi non eſt debitum, ſuppoſitâ ſuâ illegitimâ nativitate, quod tamen ipſi fuiſſet debitum, ſi talis illegitima nativitas non fuiſſet. *Primum* damnum vocari poteſt damnum *poſitivum*. *Secundum* autem damnum poteſt dici *negativum*, vel *privativum*. Hoc prænotato.

Dico, quòd filio illegitimo non irrogetur damnum *propriè* dictum & *poſitivum*, quaſi ſubtraheretur ei aliquid, quod ſuum eſt, vel ſibi debitum eſt: irrogatur tamen ei damnum duplex *impropriè* dictum *negativè* vel *privativè* tale.

Prima pars patet. Quia ſi filio illegitimo irrogaretur damnum *propriè* dictum in his, quæ ſua ſunt vel ſibi debita ſunt, irrogaretur ei gravis injuria, quia læderetur jus ipſius, quod habet ad aliquam rem; ſed jura nulli irrogant injuriam, quia jura in omnibus æquitatem ſtatuunt: Ergo nec irrogant damnum *propriè* dictum filiis illegitimis.

Secunda pars explicatur. Nam illegitimi patiuntur damnum *primò* per hoc, quod non admittantur ad actus legitimos, ſicut ad officia & dignitates, quæ hunc ſtatum requirunt in his, qui ea exercent. *Secundùm* damnum eſt, quòd non ſuccedant in bæreditate paterna. Et has pœnas jura ſeu leges juſti ſtatuunt, ut homines deterreant ab adulterio, vel fornicatione. Nihilominùs pertinet ad ſollicitudinem Epiſcopi, quod compellant parentes ad ſuſtentationem talium illegitimè natorum: quia pater de lege naturæ tenetur filio in educatione, ut dicitur 8. *Ethicorum*.

Dices primò Ezech. 18. dicitur. Filius non portabit iniquitatem patris: Ergo nec filius ullam pœnam, ob culpam patris illicitè coeuntis, ſuſtinere debet.

Reſp. Quòd incurrere illa damna *negativa*, non ſit *propriè* pœna; undè ſicut non dicimus, quòd ſit pœna alicui, quòd non ſuccedat in regno ex eo quòd non ſit filius Regis: ſic etiam non eſt pœna alicui per hoc, quod non ſit legitimus, nec debeantur ei illa, quæ debentur legitimis.

Dices ſecundò. Deus tam benè filiis illegitimis, quàm legitimis largitur dona naturalia, ut quod ſint ingenioſi, fortes: Ergo etiam jus humanum nil debet eis tollere, & conſequenter nec pœnam *negativam*, vel *privativam* eis inferre.

Reſp. Negando conſeq. Nam jure humano oportuit eſſe tales leges caventes, ad hoc ut ſervetur meliùs bonum Matrimoniale. Undè quia homo naturaliter diligit prolem; ideò per hoc quod lex prohibeat, ne illegitimi conſequantur dignitates, quas conſequuntur filii legitimi; ideò inquàm homo per pœnam talem *quantum eſt ex parte legis*, retrahitur ab adulterio, & fornicatione.

Porrò ſi duæ perſonæ quibus ſolis conſtat de impedimento dirimente, contrahunt matrimonium in facie Eccleſiæ, ita ut communiter à populo puretur tales non babere ullum impedimentum matrimonii, filii inquam ex tali matrimonio progeniti cenſentur eſſe legitimi, donec palàm conſtet de oppoſito.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An liceat viro ſuam uxorem actualiter in adulterio deprehenſam occidere?

DIco, quòd non liceat uxorem occidere, ſive in actu adulterii, ſive poſt actum deprehenſam.

Probatur. Quia nullus poteſt eſſe judex in propria cauſa ad occidendum alium, ſed hoc fieret, ſi vir occideret uxorem in adulterio deprehenſã: Ergo non licèt eã occidere. Nec Eccleſia approbat legẽ, ſi quæ ſit, de uxore occidenda. Cũ quo tamẽ ſtat, quòd vir poſſit agere civiliter corã judice contrà uxorẽ ſuã ad eam puniendam.

Dices. Jura civilia tale homicidium non puniunt, ſed permittunt, ut dicitur in *Codice*.

Reſp. Quòd Eccleſia tales leges non approbet in foro poli. Leges autem humanæ in foro fori permittunt, & non puniunt talem occiſionem uxoris in adulterio deprehenſæ, ob cauſam, & maximum dolorem, & incitamentum, quod vir habet, quando deprehendit mulierem in adulterio.

Nota hic. Quòd uxoricidium non ſit gravius ſecundùm leges Eccleſiæ *ad cohibendam pravitatem hominum*, ne occidant uxores ad quod ſunt valdè proni.

ARTICVLVS TERTIVS.

Utrum adulterii gravitas, & magnitudo rectè cognoſcatur ex gravi punitione, perverſæ prolis procreatione, & datæ fidei violatione?

DIco, quòd ſic

Explicatio primæ partis. Quòd adulterii

terii gravitas deſumatur *ex gravi punitione.* Nam *Levitici* 20. dicitur. Si mœchatus fuerit aliquis cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum uxore proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera. Ubi ut patet, gravis pœna eſt, quod utraque perſona morte moriatur. Eadem pœnâ punitur hoc peccatum in multis locis ſecundùm leges humanas. Item Joannis 8. dicitur, Scribæ, & Phariſæi adduxerunt ad Chriſtum mulierem in adulterio deprehenſam dicentes: in lege mandavit nobis Moyſes hujuſmodi lapidare. Patet præterea quàm graviter Dominus Deus hoc peccatum puniverit 2. *Reg.* 12: in Davide, qui adulteratus eſt cum uxore Uriæ. Non recedet inquit gladius de domo tua uſque in ſempiternum, eo quod deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Ethei. Adde, quod ad hujus peccati gravitatem aſſignandam, prohibitio adulterii in Decalogo ponatur immediatè poſt prohibitionem homicidii, & antè prohibitionem furti. Undè Clemens Papa ait. Quid in omnibus peccatis adulterio gravius? Secundùm enim in pœnis tenet locum, & in prohibitione quodammodò homicidio aſſimilatur adulteriũ, cũ enim vir, & mulier, ſint una caro: ideò is, qui aufert uxorem alicui, idè eſt ac ſi ſeipsũ ſibi auferret, ſicut fit in morte. Undè graviùs videtur eſſe, quã ſi hominẽ mutilaret. Exuperat quoq; adulterium, omne furtũ, quia quod aufertur, cùm ſit creatura rationalis, melius eſt, quàm terrena ſubſtantia. Undè *Proverb.* 6. Non gravis culpa eſt, cùm quis furatus fuerit, furatur enim ut eſurientem repleat animam: qui autem adulteratur propter cordis inopiam, perdet animam ſuam.

Explicatur ſecunda pars. Quòd gravitas adulterii rectè deſumatur ex prolis perverſæ procreatione, imò etiam educatione, quæ ſolet frequenter eſſe mala & inhoneſta: tum propter parentũ imitationem, tùm propter defectum caſtigationis: quia tales filii illegitimi, vel dimittuntur una cum matre, quæ non caſtigat filium, vel tales filii dimittuntur cum extraneis perſonis, qui de moribus pueri nihil curant, undè fiunt inſolentes, ingrati, degeneres, & vitioſi. Et hoc eſt, quod minatus fuit Anglis *S. Bonifatius Martyr*, ſcribens Regi Anglorum; & ponitur *in Canone Diſt* 56. *Si gens*, inquit (Sicut per iſtam Provinciam devulgatum eſt, & nobis in Francia & in Italia improperatur, & ab ipſis paganis in improperium nobis objicitur) ſpretis legalibus nuptiis adulterando, & luxuriando ad modum Sodomiticæ gentis, fœdam vitam duxerit: de tali commixtione meretricum exiſtimandum eſt eſſe degeneres populos, & furentes libidine, ignobiles fore procreandos; & ad extremum univerſam plebem ad deteriora, & ignobiliora vergentem: & noviſſimè nec in bello fortem, nec in fide ſtabilem, nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem eſſe venturam, ſicut aliis gentibus Hiſpaniæ Provinciæ, & Burgundis contigit, qui ſic a Domino recedentes fornicati ſont. Iſtud vitium deteſtantur aves, quæ ſuos compares non dimittunt.

Explicatur tertia pars. Quòd gravitas adulterii deſumenda ſit, ex datæ fidei violatione. Violatur enim fides data conjugi in Sacramento conjugii. Undè mulier adultera peccat in Deum violando Sacramentom. Deindè etiam peccat in virum frangendo ſibi fidem, & falſos hæredes ſubſtituendo.

Tertiò. Peccat in prolem, quam damnificat, reddens eam ignobilem, & incapacem ad Eccleſiaſticas dignitates.

Quartò. Peccat in proximum, quem admittit, nam ſæpè de adulterio naſcitur homicidium, & membrorum mutilatio. Hoc modo David cùm in adulterium incidiſſet, præcepit occidi fideliſſimum militem ſuum. 2. *Regum* 11. Huc quoque ſpectat illud *Eccl.* 23. Omnis mulier relinquens virum ſuum peccabit, & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio. *Primò* enim in lege altiſſimi incredibilis fuit. *Secundò* Virum ſuum dereliquit. *Tertiò* in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro ſtatuit ſibi filios.

LECTIO XXXXIII.

TEXTUS.

Etſi celerius defuncti fuerint, non habebunt ſpem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationes enim iniquæ diræ ſunt conſummationis.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Spiritus ſanctus explicuit, quod adulterinæ generationes veſtigia parentum ſuorum malorum ſequentes, puniantur temporaliter per brevitatem vitæ, & dishonorem: nunc oſtendit, quòd etiam puniantur in altera vita æternaliter, quamvis ipſis fortè concederetur in præſenti diuturnitas vitæ.

Dicit ergo. *Etſi celerius defuncti fuerint*, id eſt, ſi in juventute mortui fuerint: *Non habebunt ſpem*, id eſt, tales injuſti cùm in præſenti vita non habuerint ulla merita, non habebunt ſpem, id eſt deſperabunt de ſua ſalute: id eſt, ex parte rei erit deſperatio, & ex parte judicis reprobatio, ſeu ſententia, contrà quam nulla erit appellatio, vel ſpes retrahendæ ſententiæ.

Nec in die agnitionis, id eſt, extremi Judicii, ubi omnia ſecreta cordium, & delicta hominum erunt manifeſta: *allocutionem habebunt*, hoc eſt, excuſationem, vel defenſionem in peccatis ſuis impii non habebunt, nec liberationem de pœnis ſibi injunctis.

Nationes enim iniquæ, diræ ſunt conſummationis. Id eſt, iniquitas erit cauſa, quod tales impii habebunt *diram* id eſt, crudelem conſummationem, ſeu finem. Non quia fuerunt de iniquo thoro generati, ſed quia fuerunt nequiter converſati, malè ſequendo perverſa opera ſuorum parentum: ideò inquam erunt diræ conſummationis. Itaque fratres mei chariſſimi, diligenter audite, & obſervate illud Eccl 2. ubi dicitur. Reſpicite filii nationes hominum, quia nullus ſperavit in eo, & confuſus eſt, permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt. Sequamur ergo, & obſervemus mandata Dei. Circa illa verba, *diræ conſumationis*.

Nota primò. Quòd in ſacra Scriptura legamus multos habuiſſe diram conſummationem, ſeu finem. Nam de dira conſummatione totius mun-

di pro peccatis generis humani, exceptis octo animabus, patet Gen. 7. Ubi Deus per diluvium univerſale omnes homines ſuſtulit, exceptis octo animabus, id eſt, excepto Noemo & quibuſdam aliis. Item de dira conſummatione quinque civitatum propter peccatum contra naturam, patet Geneſ. 19. Præterea de dira conſummatione ſeptem gentium, coram filiis Iſraël patet Joſue 5. Ac tandem de dira conſummatione nationis Judæorum, patet tempore *Titi, & Veſpaſiani* Imperatorum. Ex quibus proindè luculenter patet, quòd *Nationes iniquæ ſunt diræ conſummationis.*

Nota ſecundò. Quòd hanc *diram conſummationem* ipſimet peccatores, dum à peccato ceſſare nollent, accelerant: Deumque quaſi cogunt, ut maturiùs eoſdam per diram conſummationem deſtruat. Quod ſic oſtenditur. Conſtat quòd motus carnalis ſemper ſit velocior & intenſior in fine, quàm fuerit in principio, vel in medio: Sic etiam mala conſuetudo (*quæ eſt altera natura*) deducta per parentes in filios, quantò eſt diuturnior, tantò eſt *intenſior*, ac in tantum iram Dei contrà ſe provocat, ut eos ampliùs tolerare non poſſit. Et ideò Tobias ſenior, poſtquam prædixit filio ſuo de interitu Ninivæ, eumque adjuravit, quòd poſt mortem ſuam, & uxoris ſuæ, nullatenùs in Ninive ſubſiſteret, ſubjunxit cauſam hujus ſui mandati. Quia, inquit, video, quòd iniquitas citius finem dabit ei. Tobiæ 14. Iniquitas enim gentis abbreviat frequenter ejus durationem. Undè notat *Magiſter ſententiarum in Eccl. hiſtoria ſuper illud Gen.* 6. Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro & ſanguis eſt, eruntque dies illorum centum viginti annorum (notat inquam circa hæc verb *Magiſter ſententiarum*: Quòd iſte numerus non ſit menſura vitæ hominis: quia etiam poſt diluvium multi homines vixerunt ultra centum & viginti annos: ſed ſolùm ſenſus eſt, quòd iſte numerus centum & viginti annorum fuerit illud tempus, quod Deus dedit hominibus tunc peccatoribus ad pœnitentiam agendam, antequam eos deleat per diluvium. Hocque ſpatium agendæ pœnitentiæ, intra centum & viginti annos, fuit hominibus à Deo dictum ab initio, dum incepit Arca ædificari. Porrò Arca fuit in ædificatione ſolùm centum annis ſecundùm ſtatum, non autem centum & viginti annis. Quia cum genus humanum illo tempore ſibi à Deo conceſſo pro pœnitentia agenda, ſolùm abuti voluerit ad peccandum; ideò abbreviati ſunt *viginti anni* ex permiſſione divina, & anno centeſimo univerſi homines, paucis exceptis, per diluvium deleti ſunt, & juſtè. Undè Job 24. dicitur: Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur illo in ſuperbia. Et 1. Petri 4. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium conſummandum, qui ambulant in luxuriis.

Cæterùm quia tota iſta & præcedens Lectio eſt de malis filiis, qui malos parentes in ſuis ſceleribus imitantur (dicitur enim in *Textu, Et ſi celeriter defuncti fuerint, non habebunt ſpem*) ideò de defunctis diſcurrendi occaſionem accipimus. Sit ergo

ARTICULUS PRIMUS.

Quotuplex, & qualis ſit differentia inter defunctos?

Dico, quòd ſit triplex inter defunctos differentia, nam aliqui rem pro ſpe lucrantur, aliqui ſpe & re privantur, aliqui denique ſub ſpe rem præſtolantur.

Explicatur *prima pars.* Nam defuncti qui rem pro ſpe lucrantur ſunt illi, qui ab omni peccato immunes, & ad nullam pœnam temporalem obnoxii moriuntur. De quibus dicitur Proverb. 14. Juſtus ſperat etiam morte ſuâ. Et illud Eccl. 1. Timenti Deum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.

Explicatur ſecunda pars. De illis defunctis, *qui ſpe & re privantur,* ſuntque illi, qui in peccato mortali decedunt. De quibus Prov. 11. dicitur. Mortuo homine impio nulla erit ultra ſpes. Et Sap. 13. Infœlices ſunt, & inter mortuos ſpes illorum. Et ſic defunctus poſſet dicere illud 2. Mach. 6. Manum omnipotentis Dei neque vivens neque defunctus effugiam, puta manum Dei punientis.

Explicatio tertiæ partis. De iis, *qui rem ſub ſpe præſtolantur;* ſuntque illi qui cum peccato veniali, vel cum pœnitentia incompleta decedunt, & ideò ad locum purgationis mittuntur. De quorum ſpe poteſt exponi illud Proverb. 13. Spes, quæ differtur, affligit animam. De talibus etiam defunctis dicitur illud 2. Machab. 12. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur. Et has animas defunctas in gratia Dei decedentes, in purgatorio adhuc detentas, precibus juvare, pium valdè eſt atque laudabile.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quot cauſæ nos movere debeant ad ferenda ſuffragia, animabus in purgatorio detentis?

Dico, quòd quatuor cauſæ nos movere debeant ad ferenda ſuffragia animabus in purgatorio detentis. *Prima*, eſt, pœna atrociſſima quam patiuntur. *Secunda eſt*, Benevolentia, quia digni ſunt. *Tertia eſt* Indigentia, quia opprimuntur. Et *quarta eſt* confidentia, quâ recompenſaturi creduntur mortui auxilium ſibi à nobis præſtitum.

Explicatio primæ partis. Quòd ad juvandas animas in purgatorio, nos debeat movere eorum *pœna*, quæ eſt valdè magna; excedit enim omnem pœnam ſenſibilem hujus vitæ. *Teſte S. Auguſtino.* Iſti quæſtionarii, qui portant indulgentias, & pro domibus hoſpitalium mendicant per mundum eleëmoſynam, exponunt hominibus divitibus, quã inſanabiles, & quot doloribus ac diverſiſſimis infirmitatibus oppreſſos alere debeat domus hoſpitalis, pro qua mendicant, & quo plures & grandiores defectus, ſeu morbos hominum à ſe ſuſtentandorum nominant, eò pinguiores accipiunt eleëmoſynas, provocantq;

audito-

auditores ad ſubveniendum. Eſt enim valdè rationabile quod plus indigenti (cæteris paribus) citius occurratur. Modo autem certum eſt, quod nulli viventes tantum indigeant, quantum pauperes defuncti & in purgatorio detenti, qui ſeſe nullatenus juvare poſſunt, adeòque dum ſuccurritur viventi, hoc non eſt tam meritorium, quàm ſi ſuccurratur defunctis, hi enim ſe juvare non poſſunt: vivens autem peccator per gratiam Dei, quæ ſemper ei eſt parata, poteſt ſe juvare (ſi velit) agendo pœnitentiam.

Explicatur ſecunda pars. Quòd ad ſuccurrendum defunctis nos movere debeat *Benevolentia*, quia digni eſſe ſciuntur. Nam de his certum eſt, quòd à Deo diligantur finaliter ad vitam æternam, de hominibus autem peccatoribus in hoc mundo viventibus adhuc dubium eſt, an odio vel amore Dei digni ſint.

Explicatur tertia pars. Quòd ad ſuccurrendum defunctis nos movere debeat *indigentia*, quâ opprimuntur. Quia ut dictum eſt, ipſi in nullo ſeſe poſſunt juvare, quia nec poſſunt laborare, nec poſſunt ab aliis mutuare, nec poſſunt à nobis mendicare manifeſtando nobis ſuum ſtatum, niſi Deus hoc permittat. Itaque tales defuncti ad inſtar hominis ſunt, non habentis manus, vel pedes, qui ſine dubio præ aliis juvari debet. Atverò, omnis vivens, quantumvis ſit peccator, poteſt adhuc juvare ſe multis viis, cooperando gratiæ Dei & deſiſtendo à peccato.

Explicatur quarta pars. Quòd ad ſuccurrendum defunctis nos debeat movere *Confidentia*, quod ſibi auxilium præſtantibus, gratiam præſtitam recompenſaturi eſſe credantur.

Hæredes nobilium, qui ſunt infrà ætatem, & ſunt in cuſtodiis tutorum ſuorum, non habent ſemper neceſſaria, ſicut libenter vellent, quamdiu ſunt minorennes, ondè tunc temporis: ſi quis eos juvet dando vel mutuando eis pecuniam, ſummè eos devincit, eorum que captat benevolentiam, ita ut tales dum facti ſunt majorennes, deindè talibus Dominis gratias ſibi exhibitas regratiando plurimum recompenſant. Sic etiam in propoſito, iſti ſpiritus contribulati in purgatorio, ſunt hæredes Dei, & cohæredes Chriſti *ad Titum* 3. Juſtificati gratia ipſius, hæredes ſumus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Et ideò ſi defunctos modò juverimus, non eſt dubium, quin efficaciter recompenſabunt, poſtquam hæreditate ſuâ cœleſti gaviſi fuerint. Et ideò rectè dicit authoritas allegata, quod non ſolùm ſancta, ſed etiam ſalubris ſit cogitatio pro defunctis exorare.

ARTICULUS TERTIUS.

An fideles defuncti in purgatorio detenti, juſtè conquerantur contrà falſos executores teſtamenti, perverſos Eccleſiaſticos, & ingratos hæredes?

Dico, quòd ſic.

Explicatur prima pars. Quòd juſtè conquerantur contrà *falſos teſtamenti executores.* Nam malorum executorum quidam differunt, & prolongant legata, quidam minuunt, & defalcant, quidam autem totaliter auferunt, & ſibus propriis accommodant, permittuntq; miſeros & incarceratos ſpiritus ejulare in purgatorio, dum ipſi tripudiant, & cantant in convivio. Undè planctus defunctorum poteſt fieri juxtà illud Iſaiæ 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram. Et illud Thren. 3. Periit ſpes mea, & finis meus.

Explicatur ſecunda pars. Quòd defuncti juſtè ſæpè conquerantur *de perverſis Eccleſiaſticis*, utpote qui iſtis defunctis nocent tripliciter. *Primò* enim eos defraudant debitis orationibus. *Secundò* abutuntur eorum legatis & oblationibus. *Tertiò* malè vivendo faciunt ſe indignos divinis, & Sanctorum exauditionibus. Juxtà illud Joan. 9. Scimus, quoniam Deus peccatores non exaudit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem Dei facit, hunc exaudit: Undè defuncti contrà tales poſſunt dicere illud Iſaiæ 20. Hæccine erat ſpes noſtra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos?

Explicatur tertia pars. Quòd defuncti juſtè conquerantur *de hæredibus ingratis*, qui eorum bona per labores, & tædia conquiſita, jam occupant in jucunditate Côqueruntur inquam defuncti ſæpè de filiis, fratribus, uxoribus, filiabus, & conſanguineis vel extraneis quibus bona ſua legarunt, cùm tamen iſti nec ſemel memores ſint defuncti, undè bona illa promanaruot.

Itaque ex hæredibus ingratis alii ſunt, qui bona ſibi legata dilapidant per luxuriam, aliqui autem heredes defunctos ſuos benefactores juvant quidem, ſed de viliotibus, ut v. g. ſemel in ſeptimana dent unum fruſtum nigri panis.

Aliqui autem hæredes ſunt peſſimi, qui ſuos benefactores na quidem habent in memoria: undè de iſtis defunctis, ſcilicèt dolentibus, & deceptis, exponi poteſt illud Zach. 9. Dolebit nimis Acharon, quoniam confuſa eſt ſpes ejus. *Acharon* interpretatur tribulatio, & deſignat animas in purgatorio exiſtentes *Spes earum*, quam habebant de amicis carnalibus, *confuſa eſt*. Et ideò beatus homo, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, nec ſperavit in pecuniæ theſauris, quos in manibus amicorum relinquerent, diſpergendos poſt mortem. Portò quia in præſenti *Textu*, ac Lectione agitur de filiis, reſolvendum eſt qualiter filii ſe debeant accommodare parenti. Sit ergo

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum filius teneatur per omnia parentibus obedire?

Nota antè reſolutionem, quòd authoritas Patris in filios dupliciter menſuratur. *Uno modo* ſecundùm juriſdictionem, quam pater habet: *ſecundo modo* ex materia ſuæ juriſdictionis. Hoc præmiſſo.

Dico primò. Attendendo materiam juriſdictionis, pater poteſt præcipere filio ea quæ pertinent ad domeſticam converſationem, & adminiſtrationem domûs, ſeu familiæ: item quantum ad illa, quæ pertinent ad bonos mores ſequendos, & filius in his tenetur obedire Patri.

Proba-

Probatur aſſertio ex S. *Thoma, Quodlibeto ſecundo quæſt. 9.* ubi ait. Quod tantum ad illa ſe axtendit debitum obedientiæ, ad quæ ſe extendit jus prælationis, quia obedientia non niſi alicui *Prælato* debetur, largè loquendo de Prælato. Pater autem habet jus ſuper filios in duobus. *Primò* quantum ad domeſticam converſationem, quia paterfamilias eſt in ſua domo ſicut Rex in ſuo ragno; & ideò ſicut ſubditi Regis tenentur obedire Regi in his, quæ ſunt ad gubernationem regni, ita filii, & alii domeſtici tenentur patrifamilias obedire in his quæ pertinent ad diſpenſationem domûs. *Secundò*, Habet pater jus prælationis ſuper filium in his, quæ pertinent ad morum diſciplinam, debet enim Pater filio diſciplinam, ſicut dicit *Ariſtoteles 8, Eth.* Et ideò in iſtis duobus tenetur filius Patri obedire.

Dico ſecundò. Quantum ad manſuram juris, ſeu juriſdictionis Patris, Pater poteſt præcipere filio ea, quæ ſunt de præcepto divino, non autem ea, quæ ſolùm ſunt actus conſilii.

Probatur. Quia Patar non poteſt præcipere filio, quòd ingrediatur religionem, ut ſe atrociter flagellet, vel ut jejunet ſtrenuè, quia omnia iſta ſolùm ſunt actus conſilii.

Dico tertiò. Si Pater præcipiat filio rem aliquam indifferentem, filius ſic inobediens, non videtur graviter peccare, ſecluſo contemptu, ſcandalo gravi, vel aliâ gravi circumſtantiâ.

Probatur. Quia in his non videtur graviter lædi reverentia ergà Patrem. Ergo

Dices primò. contrà *ſecundam & tertiam* concluſionem ſimul. *Deut. 21.* dicitur: Si quis genuerit filium contumacem & protervum, qui non audiat Patris aut Matris imperium, lapidibus eum obruet omnis populus civitatis. Ergo cum pœna mortis non infligatur niſi pro peccato mortali, ſignum eſt quod filius mortaliter peccet, ſi patri non obediat in omnibus.

Confirmatur. Ad *Coloſſenſes tertiò* dicitur; Filii obedite parentibus per omnia, ergo

Reſpondeo ad primum. Quòd authoritas illa ſolvat ſeipſam; nam ſtatim ſubjungitur: *Quoniam filius ille commeſſationibus vacat, luxuria, & convitiis.* Itaque filius tenetur obedire patri volenti ipſum retrahere à nimiis commeſſationibus, & luxuria.

Ad confirmationem ſimiliter reſpondeo, Quòd *Textus* ſolvat ſeipſum, dicit namque in ſequentibus: *Hoc enim placitum eſt in Domino*, id aſt, ſecundùm præcepta divina.

Dices ſecundò. Inobediens ſuo ſuperiori, facit ipſi irreverentiam, quàm irreverentiam non aſt licitum facere filio ſuis parentibus, quia habet præceptum de oppoſito. Honora Patrem tuum, & matrem tuam: Ergo ne filius in ullo irreverentiam Patri exhibeat, debet ei in omnibus obedire.

Reſpondeo ex dictis. Quòd nulla gravis irreverentia fiat Patri, ſi in illis indifferentibus filius Patri non obediat, credo tamen, quòd filius venialiter de facili poſſit peccare non obediendo Patri, etiam in indifferentibus ex genere ſuo. Sed venialibus peccatis menſuram præfigere in hac materia, eſt mihi impoſſibile.

CAPITULUM QUARTUM.

LECTIO XXXXIIII.

TEXTUS.

O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate; immortalis eſt enim memoria illius: quia apud Deum nota eſt, & apud homines.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus adulterinæ generationis fœditatem deſcripſit, nunc autem à contrario commendat caſtæ generationis claritatem. Dicit ergo: *O quàm pulchra eſt caſta generatio*, ubi ly *O* ponitur pro ſigno admirationis, & ly *generatio* non tam ponitur pro actu generandi, quàm pro prole genita. Ut autem hæc ſit pulchra caſtitas conjugalis tria requiruntur. *Primò* Sacramentalis Sanctificatio, quæ conferat ſpecioſitatem. *Secundò* corporalis cohabitatio, quæ ſervat caſtitatem, id eſt, alteri quàm conjugi corpus ſuum non communicet, & quantum ad hoc dicitur: *caſta generatio*. Et *tertiò* requiritur prolis bona educatio ſaltem intentionalis; & quantum ad hoc dicitur *Cum claritate*. Dixi ſaltem *intentionalis bona educatio prolis*: ut inter conjuges ſteriles, qui prolem habere non poſſunt, ſit cohabitatio conjugalis cum claritate. Porro illis tribus correſpondent tria bona, quæ ſunt in matrimonio, nimirum Fides, Proles, & Sacramentum. Et quidem fides in præſenti nihil aſt aliud quàm fidelitas quædam mutua, ſolùm in communicatione corporum. Prolis verò bona educatio eſt ad cultum Dei, ac tandem Sacramentum, eſt repræſentatio inſeparabilis conjunctionis, Eccleſiæ & Chriſti.

Sequitur, *Immortalis eſt enim memoria illius, quia apud Deum nota eſt, & apud homines.* id eſt approbata. Nam Deus matrimonium etiam inſtituit in paradiſo ante peccatum in officium tantum; poſt peccatum verò, matrimonium eſt non ſolùm in officium naturæ ad propagandam ſpeciem humanam: ſed etiam in remedium concupiſcentiæ. Et ideò ſtatus conjugalis apud Deum eſt approbatus, & ſanctus.

Eſt etiam ſtatus conjugalis *immortalis* apud homines pro tanto, quia de bonis parentibus educantur boni filii, & per illos filii filiorum, & ſic deinceps: juxtà illud Eccl. 30. Mortuus eſt pater illius, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit poſt ſe. Itaque apud homines eſt caſta generatio immortalis, quia uſque ad finem mundi nunquam deficient boni in Eccleſia Dei; juxta illud Lucæ 22. Simon, ecce ſathan expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

AR-

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum actus matrimonialis poſſit fieri virtuosè?

D*ico primò.* Actus matrimonialis poteſt fieri ſine peccato.

Probatur. Quia ſtatus matrimonialis eſt firmatus per Sacramentum Eccleſiæ. Ergo poteſt fieri licitè. Quòd patet, quia ſacta dantur ad actum aliquem licitè eliciendum.

Confirmatur. Inclinatio naturalis, & recta ratio dictat, quòd facienda ſit humani generis propagatio, donec Deus reveler oppoſitum: undè etiam defacto adhuc durat illud præceptum, Creſcite, & multiplicamini; ita ut illud præceptum non conſtringat unamquamque perſonam in particulari, ſed ſemper aliquas perſonas hominum vagè acceptas. Ergo oportet dicere, quòd aliquæ perſonæ poſſint actum matrimonialem ſine peccato exercere.

Dico ſecundò. Actus matrimonialis poteſt fieri meritoriè.

Probatur. Quidquid poteſt fieri virtuosè, poteſt fieri meritoriè ab homine exiſtente in gratia, & adhibendo debitum finem, ac omnes debitas circumſtantias; ſed actus matrimonii poteſt fieri ab homine exiſtente in gratia, & cum omnibus debitis circumſtantiis: Ergo.

Dico tertiò Tantùm duobus modis poteſt fieri actus carnalis meritoriè, videlicèt, quando cauſa movens ad actum eſt religio, quâ præcisè intenditur generatio prolis educandæ ad cultum Dei. Vel quando actus movens ad actum conjugalem eſt juſtitia, puta quando ſit cauſa rēddendi debitum, & ſervandi fidem promiſſam in contractu matrimoniali.

Probatur. Quia actus talis non poteſt eſſe meritorius, niſi bona matrimonii illum actum honeſtent. quæ ſunt fides, proles & intentio fidei ſervandæ vel prolis procreandæ Ergo

Dico quartò. Quandocunque tantùm pura libido eſt cauſa movens ad talem actum, actus ille eſt peccatum aliquale.

Probatur. Nullum bonum de bonis matrimonii movet ad talem actum ut ſupprimatur, ſed tantùm libido movet: Ergo actus non excuſatur ab aliquali peccato: quia, ut inſinuatum eſt, actus iſte non excuſatur à peccato, niſi cauſa movens ſit aliquod ex bonis matrimonii.

Dico quintò. Libido excedens, quâ vir v.g. vellet accedere uxorem, etiamſi ſua uxor non eſſet, talis inquam libido excedens, ſi ſit cauſa movens ad actum carnis inter conjuges, eſt peccatum mortale.

Probatur. Quia non movet pro tunc bonum prolis, nec bonum juſtitiæ fidei, ſed tantùm libido, & hoc ultra leges matrimonii: undè talis vir imaginaretur ſibi ſe eſſe ſolutum, ſeque velle peccare cum aliqua perſona ſoluta per fornicationem.

Dico ſextò. Superflua libido in oſculis, tactibus, & abuſibus, in modo delectandi, poſſunt fieri facilè peccata mortalia, circumſtantias tamen oportet relinquere diſcretioni boni viri.

Probatur. Quia bona matrimonii talem nimiam libidinem non excuſant: ut ſi conjux propter nimiam libidinem ſemper cogitaret de rebus carnalibus, & nunquam de Deo. Vel ſi quis oſculando, & coëundo cum uxore, arbitretur ſe coire cum uxore alterius. Licet autem iſta videantur vilia, & à ſancta contemplatione valdè diſtantia, non tamen debent eſſe incognita Prædicatoribus, vel Paſtoribus, quorum ſemper intereſt, eſſe generales medicos animarum.

Dices primò. Exodi 19. præcipitur populo, ut per triduum non appropinquent ad uxores ſuas, quando erant legem accepturi: Ergo ſignum eſt, quod actus matrimonialis non ſit virtuoſus. Probatur conſeq. quia actus virtuoſus à Deo non ſolet prohiberi.

Confirmatur. Concupiſcentia carnalis, ſive carnis inobedientia, ſemper eſt turpis: Ergo non poteſt fieri ſine peccato, ſed actus matrimonialis ſine tali concupiſcentia fieri non poteſt: Ergo nec ſine peccato.

Reſpondeo ad primum. Quòd à minoribus bonis propter majora bona adhibenda, ſemper eſt abſtinendum pro tempore. Adde quod licèt actus matrimonii poſſit virtuosè fieri ut dictum eſt, facilè tamen admiſcetur aliqualis libido exceſſiva in actu conjugali, & ideò pro meliori ſecuritate præcepit Deus Judæis, ut ante legem acceptam per triduum non accedant uxores ſuas.

Reſpondeo ad confirmationem. Quòd illa concupiſcentia in membris pœna peccati eſt. Undè ratio benè poteſt uti libero arbitrio frænando paſſiones, ſi homo ſit extra ſtatum matrimonii; in matrimonio autem homo exiſtens poteſt uti ad ſedandum concupiſcentiam actu conjugali; quia ut dictum eſt, matrimonium poſt lapſum, datum eſt non ſolùm in officium naturæ pro ſpecie humana propaganda, ſed etiam in remedium concupiſcentiæ.

Dices ſecundò. Illud, quod corrumpit in homine actum matrimonii, nullo modo fit virtuosè, quia omnis actus virtutis derivatur à recta ratione ſapientis, ut dicitur 3. Ethicorum: Sed delectatio actus carnalis corrumpit actum rationis, quia impoſſibile eſt in illa delectatione aliquid intelligere, ſicut dicitur 6. Ethicorum. Ergo impoſſibile eſt quod ille actus fiat virtuosè.

Confirmatur. Dimittere illud, quod eſt meritorium, non eſt laudabile; ſed dimittere actum carnalis copulæ eſt meritorium: Ergo exercere talem actum non eſt laudabile, & conſequenter nec virtuoſum.

Reſpondeo. Ad argumentum de interruptione actus rationis, qui fit tempore concubitus, dicendum inquam, quòd actum rationis impedire pro tempore propter majus bonum v.g. propter conſervationem ſpeciei humanæ, non ſit peccatum ſed virtuoſum; undè ſicut relinquit actum ſpeculationis, dum ſe diſponit ad dormiendum: ita propter bonum matrimonii licitè interrumpitur actus vel ſpeculatio rationis.

Reſpond. Ad confirmationem, quòd cum hoc, quod quis dimittat opus bonum majus, poſſit operari aliquod bonum minus; ſicut licèt oratio ſit melior quàm ſtudium, quando ad neutrum obligor, ſi tamen relicta oratione ſtudeam, non pecco, ſed operor aliquod bonum, quod bonum tamen eſt aliquod minus in genere boni quàm ſit oratio. Sic etiam omiſſio actus venerei, ſeu cœlibatus, eſt majus bonum. Cum quo tamen ſtat, quòd actus conjugalis debito ex mo-

tivo factus, ſit etiam aliquod bonum, quamvis minus. Licitum autem mihi eſt relicto *majori bono*, facere opus aliquod bonum minoris bonitatis. Et licèt præciſè committendo majus bonum nihil merear, mereor tam exercendo aliquid, quod habet aliquam bonitatem quamvis minorem.

Dices tertiò. Nullus actus eſt meritorius, niſi per præſentiam Spiritus ſancti; ſed Spiritus ſanctus non videtur eſſe præſens in actu venereo conjugali: Ergo actus iſte conjugalis non poteſt eſſe virtuoſus, vel meritorius. Minor probatur. Nam Canone 32. dicitur: Quòd legitima connubia carent peccato, pro illo tamen tempore, quo actus conjugales geruntur, non dabitur præſentia Spiritus ſancti. Ergo. *Reſpondeo.* Quòd gratia Spiritus ſancti non dabitur exercentibus actum conjugalem, ex præciſo motivo inordinato libidinis; alias benè.

LECTIO XXXXV.

TEXTUS.

Dum præſens eſt, imitantur illam, & deſiderant eã, ſe cũ eduxerit; & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum præmia certaminum vincens.

EXPLICATIO TEXTUS.

Hic Spiritus ſanctus commendat caſtitatem, ex præmii quantitate, & virtuoſâ victoriâ: Et dicit de ea tria. *Primò*, quòd deſideretur propter vitæ neceſſitatem. *Secundò*, quòd præmietur propter ſui utilitatem. Et *Tertiò*, quòd aſſimiletur virginitati, ait enim *Incoinquinatorum*, id eſt, *Virginum præmia certaminum vincens.*

Dicit ergo: *Cùm præſens eſt, illam imitantur*: Supple gentes, nationes & populi, qui honeſtatem conjugii per experientiam didicerunt, *imitantur illam*, id eſt, ſtatuerunt honeſtatem conjugii eſſe imitandam, per leges & conſuetudines.

Et deſiderant eam, cùm ſe eduxerit, id eſt, Quando caſtitas, & honeſtas conjugii diu per conſuetudinem fuit continuata, *deſiderant* etiam illam honeſtatem conjugii ſine coactione legis. *Et in perpetuum coronata triumphat.* Id eſt, fideles conjuges honeſtatem conjugii ſervantes uſque ad mortem, coronabuntur, Juxta illud Apocalypſios 2. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Porrò. Licèt Virginitas (cæteris paribus) præcellat honeſtatem conjugii, quia tamen ſæpè virginitas eſt fatua & ſuperba (juxta illud Matth. 25. Quinque autem ex eis erant fatuæ) ideò inquam poſſibile eſt bonam conjugem in obediendo viro, benè educando prolem, & rectè diſponendo familiam, poſſe tantum mereri, ut attingat, vel etiam ſuperet meritum virginis: ſicut poſſibile eſt, quòd dives per opera vitæ activæ excedat pauperem voluntarium. *Nec obſtat*, quòd *ſtatus* paupertatis ſit altior. Non inquam obſtat, quia ſtatus altior non facit perſonam alti meriti; nec perſona alti meriti, facit ſtatum alti meriti; poteſt enim Chriſtianus qui eſt in altiori ſtatu, pejor eſſe Judæo, & Sacerdos vel Monachus pejor eſſe ſæculari. Et ideò dicitur in *Textu* allegato, quod in aliquo caſu caſtitas & honeſtas conjugalis tantum triumphet, ut *vincat præmium certaminum incoinquinatorum*, id eſt, virginum. Cum quo tamen ſtat (ut dictum eſt) quòd cæteris paribus virginitas ſit altioris meriti. Occaſione hujus, & præcedentis Lectionis, ubi agitur de fidelitate conjugum inter ſe, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum conjugatus reſuſcitatus à morte teneatur iteratò uxori ſuperſtiti conjungi?

Dico, quòd non teneatur conjungi, uxori ſuæ relictæ.

Probatur ex Apoſtolo 1. Corinth. 7. ubi ait: Mulier alligata eſt viro quanto tempore vir ejus vivit, cùm autem dormierit, liberata eſt, & cui vult, nubat in Domino.

Probatur ſecundò. Obligatio voluntaria non ligat ultrà intentionem obligantis; intentio autem conjugis ſolùm fuerat ſe obligare ad fidelitatem alteri conjugi ſervandam uſque ad mortem: Ergo cùm hic terminus vitæ effluxerit morte ſecutâ, ceſſat illa obligatio, ita ut maritus reſuſcitatus à mortuis poſſit nubere cui velit.

Dices. Religioſus reſuſcitatus à mortuis, tenetur ad ſervanda ſua vota: Ergo etiam conjux cujus maritus reſuſcitatus à mortuis tenetur ad fidem ſervandam ſuæ uxori.

Ad hoc argumentum reſpondet *Henricus de Gandavo, Quodlibeta 1. qu. 37.* Negando conſeq. & dando diſparitatem. Quia per religionem homo conformatur Chriſto ad omnes vires animæ, conformatur inquam Chriſto quantum ad concupiſcibilem, per caſtitatem; quantum ad iraſcibilem, per paupertatem, & quantum ad rationalem, per obedientiam, & quia *obligatio* Religioſi ſit principaliter in parte rationali: ideò obedientia eſt *principalior portio* in voto religionis. Ex quo ſit, quòd quia virtus rationalis manet in anima ſeparata, non autem virtus concupiſcibilis & iraſcibilis: ideò obligatio ad obedientiam ſemper manet in anima etiam ſeparata, non autem virtus concupiſcibilis & iraſcibilis; & ideò obligatio ad obedientiam ſemper manet in anima etiam ſeparata. At verò obligatio matrimonii eſt ad ea, quæ corporia ſunt, & ideò anima ſeparata ad talia non obligatur.

Hanc tamen Henrici reſponſionem non amplectitur ſapientiſſimus Magiſter *Holkot*: undè dicitur: Quòd licèt illa Henrici reſponſio ſit etiam multorum aliorum Doctorum, ſibi tamen videatur irrationabilis pro tanto: quia pactio voluntaria limitata ad certum terminum, non obligat ultrà iſtum terminum; quia ſpontanea obligatio non ligat ultrà intentionem ipſius obligantis: Ergo cùm terminus ſit mors, ideò morte tranſacta, obligatio eſt ſoluta. Nec materia, ſuper quam tranſit obligatio, facit aliquid ad materiam obligationis; & ideò religioſus reſuſcitatus poteſt liberè quamcunque religionem intrare, vel manere ſæcularis ſi voluerit.

Nec

Nec obſtat illud, quod adducit Henricus de Gandavo; videlicèt, quòd obligatio ad obedientiam pertineat ad virtutem rationalem, & illa maneat in anima ſeparata. Non inquam obſtat, quia ex hoc vidatur ſaqui, quòd obedientia etiam maneat in anima ſeparata in patria, quod tamen eſt falſum. Et ideò videtur mihi dicendum, quod ſicut conjugatus reſuſcitatus poteſt contrahere, vel cum uxore ſua relicta, vel cum quacunque alia, ſicut ſibi placet; ita etiam religioſus reſuſcitatus à mortuis liber factus ſit, & poſſit ingredi religionem quamcunque voluerit, vel manere ſæcularis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An uxor ſit eligenda per diſcretam deliberationem; dirigenda per manſuetam gubernationem; corrigenda per diſcretam informationem; & diligenda per completam communicationem?

Dico, quòd ſic.

Explicatur prima pars. Quòd uxor ſit eligenda non præcipitantet, ſad *per diſcretam deliberationem.* Quia ſi uxor præcipitanter aligatur, tunc talis fervor ponit pœnam in futuro Et exemplum hujus habemus *Gen. 14 de Sichem filio Emor*, qui ad primũ aſpectũ Dynæ filiæ Jacob eam rapuit, & mori voluit, n ſi eam ducere poſſet, & hoc fecit in tanto amoris æſtu, ut propter illius amorem, ſe, & omnem populum ſuum fecerit circumcidi. Itaqua in uxore non oportet tantù u attendere formam, & pulchritudinem mulieris (quia propter ſpeciem mulieris multi perierunt. Eccl 9.) Nec oportet in uxore eligenda attendere ad divitias vel parentes, ſed præcipuè ad bonos mores. Et hoc modo accipere mulierem bonam donum Dei eſt, undè Proverb. 19. dicitur: Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem uxor prudens. Diſtinguitantem *Ariſt. 8. Ethic. cap. 3.* Tres ſpecies amicitiæ. Videlicet propter *utile*, propter *delectabile*, & propter *honeſtum*: id eſt, propter bonos mores, & iſta ſola eſt perfecta amicitia, quæ durabit; non autem duæ primæ: nam amicitia propter *utile* tranſit beneficio utilitatis ceſſante. Amicitia antem propter *delectabile* in juvenibus citò tranſit delectatione tranſeunte. Imò ſecundùm variationem ætatis, variatur eorum delectatio; non enim eadem delectatio placet adoleſcenti, quæ placuit puero, nec venienti ad provectiorem ætatem placent ea, quæ placuerunt ei ut juveni.

At verò amicitia, quæ eſt propter bonum *honeſtum* ſemper manet; quia fundatur ſuper bonos mores, qui in virtuoſis ſemper manent. Cùm ergo viri ad uxorem debeat eſſe maxima amicitia; ideò non poterit fundari ſuper pulchritudinem corporalem, quia illa tranſibit. Prov. 31. Fallax gratia & vana eſt pulchritudo, mulier timens Deum ipſa laudabitur. Nec poterit illa amicitia fundari ſuper divitias, quia illa amicitia eſt propter *utile*, & eſt amicitia per accidens, quia bona diliguntur, & non perſona. Undè *Hieronymus contrà Jovinianum lib. 1.* narrat; quòd Marcia Catonis minor filia interrogata, cur poſt primum Maritum non ampliùs nubat, reſponderit, quòd non inveniat virum, qui ſe magis, quàm ſuas divitias diligerat. Quo reſponſo ſanctus & purpuratus Doctor eleganter oſtendit moderno tempore divitias magis eligi ſolere, quàm amicitiam ex bonis moribus ortam, & ideò nec talis amicitia perſeverat, & ſæpè proles contumax naſcitur à talibus parentibus. Hinc S. Chryſoſtomus in imperfecto opere ſuper *Matth. Homilia 1.* exponens illud Matth. 1. Salomon genuit Booz de Raab, inquit: Quia ſecundùm imperium Dei accepit uxorem à Deo promiſſam, in virtute generavit filios, & in ſeipſis virtutem habentes. Qui autem accipiunt uxores ex promiſſione diaboli, generant filios nihil valentes, nec fortes niſi in malo. *Et infrà*, Booz ex Ruth genuit Obad, qui interpretatur ſubditus. Nunc autem qui divitias elegerunt, & non mores, pulchritudinem & non fidem, & quòd in meretricibus ſolet quæri, hoc in conjugibus optant: propterea non generant filios ſibi ſubditos, nec Deo, ſed contumaces tam contrà ſe, quàm contrà Deum, ita ut filii eorum, non ſint fructus juſtæ commixtionis eorum. *Hæc S. Chryſoſt.* Hujus exemplum habemus manifeſtum Tobiæ 6. ubi legimus: Quòd Sara filia Raguelis ſeptem viris tradita erat, quos ſingulos primâ nocte dæmonium quoddam nomine Aſmodæus ſuffocavit, virgine intactâ permanente. Et ideò cùm Raphaal ſuggereret juniori Tobiæ, ut eam duceret; timuit Tobias, Angelus autem dixit ei: Audi me & oſtendam tibi, qui ſint, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque qui ita ineunt matrimonium, ut Deum à ſe, & à ſuis mentibus excludant, ut ſuæ libidini vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, ſuper tales habet dæmonium poteſtatem. Tu autem cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum per tres dias continens eſto ab ea, & nihil aliud facies, niſi orationi vacabis cum ea. Tranſactâ verò tertia nocte, accipies virginem cum timore Dei, & magis filiorum amore, quàm libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.

Sic ergò volenti nubere, uxor eſt aligenda cum diſcreta deliberatione, & ideò rectè Abraham conjuravit Eleazarum ut non accipiat uxorem filio ſuo Iſaac de filiabus Chanaan Gen. 24. Similiter Jacob cum matura deliberatione ſibi de uxoribus providit, ſerviensque pro eis quatuordecim annis. Gen. 29.

Explicatur ſecunda pars. Quòd uxor ſit *dirigenda per manſuetam gubernationem*, non autem cum tyrannica auſteritate; item verbis, non verberibus; amore, non timore; dulcedine, non amaritudine. Undè ad Coloſſ. 3. dicitur. Viri diligite uxores veſtras, & nolite eſſe amari ad illas. Et ideò rectè mulier formata fuit non de capite, nec de pede, ſed de coſta deſumpta de latere, in ſignum, quod nec debeat eſſe Domina, nec ancilla, ſed ſocia viro ſuo: ut notat *Magiſter ſententiarum in ſecundum diſt. 18.* Porrò hujuſmodi viri cum muliere pacificum regimen eſt tertium negotium, in quo Spiritus ſanctus ſibi complacet, juxta illud Eccl. 35. In talibus beneplacitum eſt Spiritui meo, quæ ſunt probata coràm Deo, & hominibus: Concordia fratrum, amor proximorum, & vir ac mulier ſibi conſentientes.

Explicatur tertia pars. Quòd mulier ſit cor-

ſigenda per *diſcretam informationem*, *& ſecretam*, non autem cum confuſione & verecundia, nec publicè & contemptibiliter eſt arguenda. Undè meritò arguenda fuit ſevera auſteritas trium virorum, de quibus narrat *Valerius lib. 6. cap. 3.* Quorum primus vocabatur *Gallus Sulpitius*, publicè uxorem repudiavit, ex eo præcisè, quòd ipſa diſcooperto capite prodierit in publicum. Secundus vocabatur *Sextus Sophus*, qui ſimiliter uxorem ſuam repudiavit ob hoc ſolùm, quòd ludos ſpectaverit ipſo ignorante. Tertius vocabatur *Metellus*, qui uxorem fuſte percuſſam interemit, ob id, quòd vinum bibiſſet. Certè non ſic ſanctus Job uxorem ſuam licèt peſſimam corripit, ſed ſecretè & modeſtè: Quaſi, inquit, una de ſtultis ſuis locuta es: Job 2. Nec dixit, quòd fuerit ſtulta, ſed quod quaſi una de ſtultis ſuis locuta ſit.

Explicatur quarta pars: Quòd uxor ſit diligenda *per completam communicationem.* Et iſtam inter virum & uxorem completionem charitatis & amicitiæ, menſurat Apoſtolus tripliciter. *Primò* per dilectionem Dei ad Eccleſiam, quæ fuit maxima. *Secundò* per dilectionem viri ad corpus proprium. *Et tertiò* per dilectionem viri ad ſeipſum. Et quidem pro *primo* dicit *Apoſtolus ad Eph. 5.* Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea. *Pro ſecundo* dicit ibidem: Viri debent diligere uxores ſuas ſicut & corpora ſua. *Et pro tertio* ibidem ſubdit: Unuſquiſque diligat uxorem ſuam ſicut ſemetipſum.

Nec mirum, ſunt namque uxores gratæ in convivendo, condolendo, & commoriendo. Undè narrat *Valerius* de Regina uxore Mitridatis *lib. 4. cap. 5.* Quòd in tantum amarit Regem conjugem ſuum, ut tonſis capillis, habituque virili aſſumpto, equis & armis ſeſe aſſuefecerit, ad hoc, ut virum fugientem continuò per terras extraneas ſequeretur. Sunt etiam uxores gratæ in piè condolendo; pro cujus probatione deſervit illud, quod narrat *Valerius loco citato de Lacedæmoniis*, Qui cùm à Spartanis eſſent capti & ad decolandum in carcere reſervati, illuſtres conjuges cum cuſtodum licentia, tanquam valedicturæ maritis ſuis occidendis, ingreſſæ ſunt carcerem, in quo veſtes ſuas fœmineas dederunt maritis ſuis, qui iiſdem induti & veluti præ dolore velatis capitibus egreſſi, carcerem ſecuri evaſerunt; fœminæ verò in carcere veſtibus virilibus indutæ remanſerunt, & ſic tam ipſi, quàm iſtæ ultimò liberati ſunt.

Denique etiam uxores ſunt gratæ *in commoriendo.* Narrat S. *Hieronymus lib. 1. contrà Iovianum*: Quòd Indi multas uxores habeant, eſt autem apud eos lex, ut uxor chariſſima marito defuncto, cum eodem cremetur. Contendunt autem uxores de amore viri, & quævis vult ex ambitione eſſe illa, quæ maritum ſummè dilexit. Illa tandem quæ inter uxores eſt victrix, in habitu & ornatu priſtino juxta cadaver mariti accubat, illud amplectens & deoſculans, quantumvis unà cum marito comburi debeat.

Nihilominùs quamvis uxores ſubindè ſint gratæ *in convivendo, condolendo, & commoriendo*; ſæpiſſimè tamen contrarium fit, quòd in omni genere ſint ingratiſſimæ, & peſſimæ, cauſantes viro inexplicabiles moleſtias. Narrat S. *Hieronymus lib. 1. contrà Iovinianum*, de quodam Romano, qui interrogatus cur uxorem ſuam pulcherrimam, & ditiſſimam repudiaverit? protendendo ſuum pedem dixit eis: Hic ſoccus quem videris, videtur vobis novus, pulcher, & elegans, ſed nemo præter me ſcit ubi me premat. Adde quòd incomprehenſibilis ſæpè ſit viro malitia uxoris; imò ejuſdem impudicitiam vulgò notam, maritus deluſus & ignorans, quæ domi ſuæ fiunt, cum juramento negare debet & excuſare. Hoc modo (*ut refert Hieronymus loco citato*) Metella uxor Sillæ, erat palàm impudica, & tamen hoc ignorabat Silla; & ſolùm longo tempore poſt, Athenis ex hoſtium convicio didicit uxoris ſuæ impudicitiam. Undè Metricè dicimus:

Conjugis, & nati vitium vix noſſe valemus;
Quodq; domi gerit, poſtremi ſorte ſciemus.
Cùm conjunx, natus, ſervus peccat, vel alūnus
Cantica vulgus habet: nos tamen iſta latent.

LECTIO XXXXVI.

TEXTUS.

Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & adulterinæ plantationes vel ſpuria vitulamina non dabunt radices altas; nec ſtabile firmamentum collocabunt: & ſi in ramis in tempore germinaverunt, infirmiter poſita à vento commovebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus commendavit caſtitatem conjugii, hic redit ad damnandam fœditatem adulterii. Et ait: *Multigena autem impiorum multitudo non eſt utilis.* id eſt, gens, quæ ex una parte eſt impia, ex alia autem parte eſt ex diſtinctis, & diverſis generibus, & ſeminibus diverſorum adulterorum conflata, ſeu gens commixta ex diverſo adulterino ſanguine, *non eſt utilis* (Puta ad legem communem pro Republica ferendam) quia tales homines pervenientes ex diverſo adulterino ſanguine, nunquam aut rarò erunt concordes in lege ferenda pro bono communi: ſed quisquis bonum ſuum particulare attendet. *Et adulterinæ plantationes vel ſpuria vitulamina non dabunt radices altas.* Id eſt, adulterinæ progenies non dabunt radices altas, ſeu genealogias antiquas. Nam ſi daretur in humano genere indifferenter concubitus fornicarius, & adulterinus, ita ut indifferēter fœmina cū quocūq; viro comiſceatur, tunc ſine dubio nō poſſet filius ſpurius natus aſſignare genealogiam ſuam antiquam, producendo & commonſtrando ſuum avum, abavum, atavum, & alios ſuos progenitores, hanc vel illam legem per conſuetudinem approbatam obſervaſſe. *Nec ſtabile firmamentum collocabunt.* Id eſt, nec tales filii ut potè lubrici, & carnales, bonas leges in bona natione fundatas, dare poterunt.

Et ſi in ramis in tempore germinaverunt, infirmiter poſita à ventis eradicabuntur. Id eſt, ſicut rami debile nutrimentum recipientes à radicibus,

cibus, germinare vel florere poſſunt, non tamè fructificare ita nec tales filii adulterini. Licèt enim poſſint incipere virtuosè vivere, non tamen continuant hanc bonam vitam, ſaltem regulariter loquendo: quia ſequuntur veſtigia, & mores malos ſuorum parentum. Et ideò à qualibet mutatione mundi, ipſi etiam mutabuntur. Ita ut licèt in juventute bonas aliquas educationes ad tempus recipiant: *Tamen infirmiter poſiti*, id eſt non fundati & ſolidati in virtute; *à vento*, id eſt à contradictione, *commovebuntur*, id eſt, ad diſſenſum benè vivendi rapientur. *Et à nimietate ventorum*, id eſt, ab exceſſu contradictionis & tribulationis, *eradicabuntur*, id eſt, ſuam paternam vel aliam quamcunque bonam legem dimittent. Circà illa verba, *Adulterinæ plantationes*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum in actu adulterii graviùs peccet vir, quàm uxor?

DIco, quòd cæteris paribus plùs peccet uxor: ſed quantum ad bonum fidei, qua uterque conjux alteri obligatur, tam vir, quàm uxor peccent æqualiter.

Probatur prima pars. Quia uxor non ſolùm peccat contrà bonum fidei, ſeu fidelitatis, qua eſt obligata viro; ſed etiam contrà bonum prolis. Ergo.

Probatur ſecunda pars. Quia quantum ad fidem ſervandam, vir & mulier ſunt æqualiter obligati: Ergo quantum ad hoc æqualiter peccant.

Dices. Tam vir quàm mulier, ob adulterium puniuntur æquali pœna divortii. Ergo cum pœna debeat adæquari peccato, ſignum eſt, quod adulterando æqualiter peccent. Antecedens docetur à *Magiſtro ſententiarum lib. 4. diſt. 35. cap. 1.* Ubi ait: Chriſtiana Religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Ergo

Reſpondeo. Concedendo, quòd tam vir adulterans, quã fœmina adulterans ad paria judicentur in cauſa divortii, quia illud propter quod fiſcédum eſt divortiũ, eſt fractio fidei: & quantum ad hanc fractionem fidei, æqualiter peccant in actu adulterii (ut dictum eſt) non tamen æqualiter ſimpliciter, & omnibus modis. Nam mulier peccat contrà bonum fidei; & contra bonum prolis; & ideò cauſa divortii in muliere eſt major, licèt adulterium in viro ſit cauſa ſufficiens ad divortium. Neque ex æqualitate pœnæ colligi debet æqualitas peccati, ſicut patet in duobus furibus, quorum unus centum florenos, & alter mille aureos eſt furatus, & tamen uterque condemnatur ad furcam, cùm tamen conſtet, quòd is, qui furatus eſt mille aureos, graviùs peccaverit, quàm alter: ita ex hoc, quòd tam vir, quàm mulier adulterantes puniantur æquali pœnâ divortii, non ſequitur, quòd æqualiter adulterando peccaverint.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum fornicando, cæteris paribus, magis peccet vir, quàm mulier?

DIco, quòd licet vir quantum ad unam circumſtantiam graviùs peccet, puta quantum ad hoc, quod magis teneatur vigere virtute & ratione; penſando tamen omnes circumſtantias, mulier graviùs peccat, quia plùs facit contrà bonum matrimonii.

Nec his obſtat S. Auguſt. De adulterio conjugatorum ut refertur in *Canone 32.* qu. 5. Indignantur, ait enim S. Præſul, indignantur ſi audiant, adulteros viros rependere, ſeu habere ſimiles adulteris fœminis pœnas; tamen tantò graviùs eos punire oportuit, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Non inquam obſtat S. Auguſt. quia non loquitur in dicta authoritate, niſi de ſola circumſtantia virtutis & rationis, quæ in viro debet præeminere, quòd libenter concedimus.

Non deſunt tamen authores, qui dicunt virum fornicantem graviùs peccare, quàm fœminam, inter quos eſt author ſummæ Confeſſariorum *lib. 4. cap. 22. qu. 9* Ubi tamen malè pro ſe citat Petrum de Tarentaſia, & S. Thomam in quarto: Nam Petrus ſolùm dicit: quòd vir plus peccet, propter redundantiã rationis, S. Thomas verò docet, quòd mulier plùs peccet, quia facit plùs contrà bonum matrimonii.

ARTICVLVS TERTIVS.

Utrum plus peccet cæteris paribus vir adulterando, quàm Sacerdos fornicando?

DIco, pro nunc, quòd cæteris paribus Sacerdos plùs peccet fornicando, quàm vir adulterando.

Probatur. Quia Sacerdos vovit ſolemniter continentiam ab omni muliere & totaliter ſe Deo dedicavit; vir autem ſolùm juravit mulieri fidelitatem, & ad oppoſitũ continentiæ ſe obligavit ſi velit uxor, hoc eſt ad oppoſitum actum: Ergo Sacerdos ſe magis elongavit ab actu carnis; quia vovit, quod nunquam cum aliqua velit commiſceri, & conſequenter graviùs peccat.

Confirmatur. Sacerdos magis ſolemniter vovit caſtitatem, quàm vir juraverit fidelitatem uxori. Ergo Sacerdos fornicando plùs peccat, quàm vir adulterando. Antecedens probatur & declaratur. Quia votum Sacerdotis de ſervanda caſtitate eſt ſolemnizatum per ſuſceptionem ſacri Ordinis, quòd Sacramentum eſt majoris reverentiæ, quàm ſit matrimonium; ut paſſim omnes fatentur; Quia Sacramentum Ordinis ſacerdotalis directè, & immediatè, applicat hominem ad conficiendum Corpus Chriſti verum in ſacramento altaris, quod eſt maximũ, quòd poteſt homini communicari in hac vita. Ergo.

Ex dictis colligitur, quòd etiam Subdiaconus, cæteris paribus, graviùs peccet fornicando, quàm vir adulterando. Et ratio eſt. Quia votum ſuum eſt ſolemnius, propter Sacramentum Ordinis, quod ſuſcipit: & propter finem conficiendi Corpus Chriſti verum, ad quem ex tunc applicatur.

Porrò, quia Sacerdos caſtitatem à ſe in ſuſceptione Subdiaconatus promiſſam, denuò approbavit per ſuſceptionem Diaconatus & Præſbyteratus, & quia Sacerdos immediatè conficit Corpus Chriſti, ideò Sacerdos fornicando graviùs peccat, quàm Subdiaconus vel Diaconus fornicando. Addit deindè ſapientiſſimus Magi-

ſter Holkot duo. Primum eſt, quod gravius peccet Monialis fornicando, quàm uxor adulterando: ſicut dixit S. Auguſt. de Virginitate longè antè medium.

Secundo dicit, quòd gravius peccet Sacerdos fornicando, quàm Monialis vel Religioſus quicunque, in quantum tales; undè putat Magiſter Holkot (multi tamen alii diſſentiunt) quòd Sacerdos ſit magis ſolemniter obligatus ad caſtitatem, quàm Monachus in quantum talis, & præſcindendo ab hoc, quod Monachus etiam ſit Sacerdos, & pari ratione Sacerdos fornicando magis peccat, quàm Monialis vel quæcunque Religioſa in quantum Religioſa.

LECTIO XLVII.

TEXTUS.

Confringentur enim rami inconſummati, & fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filii, qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes in interrogatione ſua.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquàm Spiritus ſanctus reprobavit generationem vagam, & illegitimam per hoc, quod repugnet Reipublicæ: nunc reprobat eam per hoc, quod repugnat tam naturæ, quàm Dei legibus, dum tales proles ſunt ingratæ parentibus nec eis exhibent reverentiam, prout jure naturæ tenentur, ſed potiùs parentibus confuſionem exhibent. Deſcribit autem Spiritus ſanctus, parentes ſub figura radicis, & filios ſub figura ramorum. Dicit ergo: *Confringentur enim rami inconſummati.* Ubi ſciendum eſt, quod conſummatio, & completio hominis, nihil ſit aliud, quàm uniri Deo per cognitionem & amorem. Econtra autem omnis homo à Deo diviſus, eſt imperfectus & conſummatus, & quia mali & indiſciplinati filii ſunt à Deo diviſi: ideò meritò vocantur à Spiritu ſancto rami indiſciplinati, qui confringentur ſolùm & deſtruentur ad comburendum, ſicut ramus aridus.

Et fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Id eſt, quia tales filii indiſciplinati nullum faciunt virtutis, vel bonorum operum fructum utilem; & quia fructus iſtorum peccatorum non ſolùm ſunt inutiles, *ſed etiã acerbi ad manducandum: Et ad nihilum apti,* id eſt, quia mala opera eorum tanquam fructus maligni, non ſunt apta ad poſcendam animam ſpiritualiter ambulantem in Dei via (opera enim bona Sanctorum ſunt alimenta noſtra quibus ſpiritualiter debemus proficere & nutriri, ſicut homo creſcit per hoc quod manducat corporaliter) ideò merito tales filii indiſciplinati, & homines mali confringentur, excidentur, & in ignem mittentur: Juxta illud Matth. 7. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Porrò quia ſervus inutilis Domino, & diſcipulus ignorans optimo Magiſtro, & filius indiſciplinatus parenti ſuo parit confuſionem; ideò dicitur in verbis ſequentibus: *Ex iniquis enim omnes filii, teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes in interrogatione ſua.* Vel ſi verba hæc magis velimus legere ad litteram, de filiis illegitimè genitis, tunc ſenſus eſt; quod quando de ſuis parentibus interrogantur, ſiunt teſtes nequitiæ parentum, id eſt adulterii, vel fornicationis commiſſæ à ſuis parentibus. Circà illa verba, *rami inconſummati, & fructus inutiles,* ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homines rectè aſſimilentur arboribus vivendo, creſcendo, fructum afferendo, & finialiter decidendo?

DIco, quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd homines rectè comparentur arboribus *Vivendo*: quia arbor non vivit niſi per calorem cœleſtem, & humorem terreſtrem: ſic etiam *moraliter* loquendo, homo non vivit vitâ gratiæ, niſi per humilitatem & charitatem. Humilitas oritur de terra, id eſt, ex intenſa conſideratione, quod ſimus homines terreni, & rurſus in terram reverſuri ſimus. Undè ſicut arbores, quò firmius radices ſuas figunt in terra, eò diutius vivunt: ita homines, quò magis ſibi vileſcunt, cogitando quod terreni ſint, ſecurius in conſcientia ſua vivunt. Maxime, ſi reſpuant dignitates, & ſint contenti, quòd ſint uniti Chriſto, qui fuit humillimus; ex tali enim humili & ſimul amoroſa conjunctione cum Chriſto, homines fructum multum afferunt. Juxta illud Joannis 15. Ego ſum vitis & vos palmites, & ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic nec vos, *niſi in me manſeritis.* De hac ſimilitudine hominis ad arborem loquitur Innocentius in libro de vilitate conditionis humanæ. Homo inquit eſt arbor inverſa, cujus radices ſunt crines, truncus caput cum collo, ſtipes pectus cum alvo, rami ulnæ cum tibiis, frondes digiti cum articulis.

Explicatur *ſecunda pars.* Quod homo rectè aſſimiletur arbori in *creſcendo.* Quia quamvis inferior arboris pars terræ adhæreat, potior tamen pars arboris terrâ ſupereminet verſus cœlum. Sic etiam *moraliter* loquendo, licèt nos oporteat aliquam ſolicitudinem habere circà terrena; potior tamen pars voluntatis noſtræ tendere debet ad cœlum, juxta illud Iſaiæ 37. Quod ſalvatum fuerit de domo Juda, & quod derelictum eſt, mittet radices deorſum, & faciet fructum ſurſum.

Explicatur *tertia pars.* Quod homo aſſimiletur arbori in *ferendo fructum.* Sicut enim arbores: *primò* germinant: *ſecundò* florent: *tertiò* portant fructus: ita etiam ſecundùm S. Chryſoſtomum Homil. 32. Germen ſunt bonæ cogitationes, flores bonæ voluntates, & fructus bonæ operationes. Undè Matth. 7. dicitur. Arbor bona bonos fructus facit.

Explicatur *quarta pars.* Quod homo aſſimiletur arbori in cadendo. Arbor enim quamdiu crevit, & tandem præ ſenio deficit, ad illam partem cadit, verſus quam ramos plurimos vivendo exten-

tendit: ſic homo moriens ad illam partem cadit, quam plures cogitationes, & affectiones vivendo tranſmiſit, ſive in cœlum, ſive in terram, vel in infernum. Undè Eccl. 11. dicitur. Si ceciderit lignum ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem, ubi ceciderit, ibi erit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An mali homines faciant fructus inutiles, plenos vermibus corroſivis, laſciviæ & carnalis delectationis; ſaporibus amaricativis avaritiæ & mundialis poſſeſſionis; & refertos humoribus inflativis per ſuperbiam & temporalem ambitionem?

Dico, quòd ſic.

Explicatur ***prima pars***: Quòd quidam mali homines faciant ***fructus inutiles plenos vermibus corroſivi***, laſciviæ & carnalis delectationis.

Videmus ſubindè pomum pulcherrimum extrinſecus, & apparet valdè bonum, & tamen intrinſecus latet vermis, & invenitur totum corroſum interius. Hoc modo ſuggeſtio voluptatis apparet exterius ſuavis, & delectabilis tempore tentationis, & tamen poſtquàm ſcelus eſt perpetratum, invenitur vermis, qui corrodit conſcientiam, qui vermis niſi occidatur in hac vita, vivet in æternum: juxta illud Iſaiæ 40. Vermis eorum non moritur in æternum. Hic eſt ille vermis mordens hederam ſub cujus umbra Jonas delectabatur: Lætatus eſt enim Jonas lætitiâ magnâ, & ſtatim poſt morſum vermis aruit. Jonæ 4. Hedera illa eſt pax conſcientiæ, ſub qua Jonas (qui interpretatur ſimplex, & innocens columba) delectatur. Porrò dum vermis per delectationem ſubintrat, ſtatim hedera, ſeu pax conſcientiæ areſcit. In cujus ariditatis à conſcientia tollendæ remedium aptiſſimum eſt, vermem iſtum interficere quantocius per veram contritionem, & pœnitentiam. Quod niſi feceritis, dicetur vobis illud Apoſtoli ad Rom. 6. Quem ergo fructum tunc habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt.

Explicatur ***ſecunda pars***: Quòd multi peccatores faciant fructus inutiles ***avaritiæ, & mundialis poſſeſſionis***. Et iſti ſunt pleni ſaporibus amaricativis; quicunque enim rebus mundi incumbit acquirendis, poſſidendis vel expendendis, frequenter turbatur & amaricatur in corde ſuo, quantumvis videatur vivere in pace. Undè Iſaiæ 38. dicitur: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.

Illi qui comedunt poma cruda & fructus immaturos, poſtea non habent guſtũ ad cibos bonos, & ſanos. Sic homo nimis bonis temporalibus inhians, non delectatur ampliùs divinis, vel Dei, & divinorum contemplatione. In cujus rei figuram legimus Joſuæ 5. Quòd quam citò filii Iſraël inceperunt veſci fructibus terræ promiſſionis, tam ſubitò defecit eis manna divinæ diſpenſationis, nec ampliùs pluit eis manna ad manducandum. Ita etiam fit divitibus in hoc mundo habentibus conſolationem ſuam hic in bonis tantum terrenis: deficit enim ipſis conſolatio, quam habent Sancti in rebus divinis.

Explicatur ***tertia pars***: Quòd aliqui peccatores faciant fructus inutiles ***ſuperbiæ, & temporalis ambitionis***. Et iſti ſunt pleni humoribus inflativis: Undè Iſaiæ 10. dicitur: Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis. Licèt enim honores & reverentiæ ſuaviter ſapiant, periculosè tamen inflant. Narratur de militibus Alexandri Magni quod in India invenerint fructus adeò dulces, ut non potuerint eorum eſu ſatiari, ex quo tamen orta eſt ſtrages magna, & peſtis inter milites. Sic etiam ***moraliter*** loquendo, fructus honorum ſunt ita dulces, ut homo vix ſatiari illis poſſit, & facilè peſtem conſcientiæ invehere tales honores poſſint, niſi quis honores cum ſale diſcretionis & modeſtiæ, ſapientiæ ac humilitatis accipiat, & tunc uti poterit fructibus honoris laudabiliter. Undè Eccl. 37. dicitur: Et ſapiens animæ ſuæ ſapiens, & fructus illius laudabiles. Hæc ſapientia eſt humilitas, & Proverb. 11. dicitur: Ubi eſt humilitas, ibi eſt ſapientia. Et Eccl. 11. Sapientia humiliati exaltabit caput ſuum. Et hoc eſt, quod de juſto dicitur: Iſaiæ 37. Mittet radices deorſum, & faciet fructum ſurſum.

LECTIO XLVIII.

TEXTUS.

Iuſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

EXPLICATIO TEXTVS.

Oſtenſum eſt ſupra, quod injuſti, ſi diu vivant, habebunt ſenium ſine honore, vel ſi in juventute moriantur mors illorũ erit in æterno dolore. Nunc Spiritus ſanctus contrarium oſtendit de morte juſtorum. Dicit ergo: ***Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*** Id eſt, ſi contingat juſtum (qui ob ſuas virtutes mereretur diu vivere) citò mori, ***in refrigerio erit.*** Id eſt ſtatim poſt mortem præmium laborum ſuorum, & æternam gloriam accipiet. Juſtum eſt enim, ut ſicut peccatores, qui habent refrigerium in præſenti vita, poſtea ardorem ſentiant in altera vita: ita è contra juſti, qui in iſto ſæculo fuerunt in camino tribulationis, poſtea ſint in refrigerio. Undè poteſt de juſtis dici illud Pſalmi: Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. E contra autem injuſti & reprobi, qui modo ſunt in deliciis, poſtea ponantur in ſtagno ignis & ſulphuris. Huc facit illud exemplum de divite Epulone, & Lazaro. Lucæ 16. Horum primus in inferno, alter autem in refrigerio, & ſinu Abrahæ poſitus erat. ***Iuſtus itaque, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*** Legitur de quodam viro litterato, quod inventus fuerit mortuus inter medios libros ante ſe, & indicem manus dexteræ poſitum habuit ad hunc Textum: ***Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*** Quòd amici iſtius viri litterati pro bono ſigno habebant, quod ille ſit ſalvatus, undè dicitur Rhitmicè:

Mori

Digitized by Google

Mors Juſti ſubita, quam præceſſit bona vita,
Non minuit merita, ſi moriatur ita.

Itaque licèt mors malorum ſit mala, mors tamen Juſtorum pretioſa eſt in conſpectu Domini. Undè S. Bernardus in quadam epiſtola ait: Mors juſti eſt bona propter requiem, melior propter novitatem, & optima propter ſecuritatem. Econtra mors peccatorum mala in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, & peſſima in vermis, ignisque duplici contritione. Circa iſta verba, *Juſtus autem, ſi præoccupatus fuerit in morte,*

Nota, quòd iſta præoccupatio dupliciter poſſit intelligi. Uno modo ita, ut mors veniat ex improviſo, homini minimè parato ad moriendum, & hoc modo juſtus non præoccupatur morte, cum habeat conſcientiam bonam nec ullam timeat mortem. De talibus Juſtis loquens Seneca de naturalibus quæſtionibus lib. 3. ait: Efficiunt mortem ſibi cogitatione familiarem, ita ut ſi ſors tulerit, poſſint & ei obviare.

Secundo modo Juſtus poteſt præoccupari morte, ita ut iſta præoccopatio ſit ſolùm abbreviatio temporis conſueti ad mortem, quod fit, dum Juſtus moritur in juventute, vel media ætate, vel quando non putavit. Et hoc modo Deus ſæpè Juſtos aliquos in florentiſſima ætate vocat ad regnum cœleſte: & abbreviat hanc vitam, ut liberentur à pluribus animæ periculis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum mors ſit pœna inflicta pro peccato primi Parentis?

Dico breviter, quòd ſic. Ita enim expreſsè docet S. Auguſtinus lib. 3. de civit. Dei cap. 15. ubi dicit: Conſtat inter Catholicam fidem tenentes, quòd ipſa nobis corporis mors non lege naturæ (quia nullam mortem Deus homini fecit) ſed propter peccatum inflicta ſit; dum Deus peccatum vindicare volens, dixit primo homini, in quo tunc omnes eramus per voluntatem: Terra es & in terram ibis. Hæc S. Auguſt. In præſenti recolligenda ſunt ea, quæ dicta ſunt ſupra Lect. 12. & ſimiliter Lectione 30.

Probatur deindè & explicatur concluſio. Quia natura humana creata fuit cum dono juſtitiæ originalis, per quam anima habuit perfectum dominium ſupra corpus, propter quod potuit etiam corpus vivificare, & regere ſine læſione vel quacunque infirmitate, & ideò Adam habuit in ſtatu juſtitiæ originalis potentiam non moriendi. Iſtud autem dominium fuiſſet traductum in poſteros Adami, Adamo non peccante; undè illud privilegium fuit datum Adamo pro ſe & ſuis poſteris, quamdiu Adam non peccaſſet, Deóque rectè ſubjectus fuiſſet eidem in omnibus obediendo. Porrò, quando Adam peccavit, perdidit meritò illud dominium, & ideò poſtquam Adam voluntariè deſeruit Deum Creatorem ſuum, anima incurrit debitum deſerendi corpus ſuum per mortem: ut declarat S. Auguſt. lib. 13. de Civit. Dei. Per multa capitula. Ubi etiam oſtendit, quòd Adam de facultate non moriendi, inciderit liberè pro ſe, & ſuis poſteris in debitum vel neceſſitatem moriendi.

Itaque poſt peccatum primi parentis mors dicitur homini naturalis, in quantum conſideratur ut compoſitus ex qualitatibus contrariis, & etiam eſt ei pœnalis ratione peccati commiſſi: ſicut ſi Dominus aliquis donaret ſervo, ſeu mancipio ſuo libertatam, & poſtea ob culpam privaret eum libertate; tunc inquam ſervitus illa tali homini ſolùm eſſet naturalis, naturaliter enim mancipia ſunt ſervi, & etiam eſſet ei pœnalis, ob culpam commiſſam.

Dices. Omne quod compoſitum eſt ex qualitatibus contrariis, eſt corruptibile, vel mortale: ſed homo etiam in ſtatu innocentiæ erat compoſitus ex qualitatibus contrariis: Ergo erat mortalis.

Confirmatur. Beſtiæ moriuntur, quæ nunquam peccaverunt: Ergo etiam homines. Conſeq. probatur. Quia tam homo quàm beſtia, in compoſitione ex qualitatibus contrariis æquiparantur.

Reſpondeo ad primum. Quòd licèt homo in ſtatu juſtitiæ originalis fuiſſet compoſitus ex qualitatibus contrariis, fuiſſet tamen per donum ſuperadditum naturæ, ac per juſtitiam originalem conſervatus à morte: undè verum eſt, quod omne compoſitum ex contrariis corrumpitur; ſecus tamen fit, ſi per donum ſuperadditum præſervetur.

Reſpondeo ad confirmationem. Quòd beſtiæ nunquam illud donum ſuperadditum habuerint, ſicut etiam earum animæ nunquam Deo obedire potuerunt, & ideò in beſtia mors non eſt pœna, ſed naturalis. In homine autem licèt natura in ſe præcisè conſiderata ſit mortalis, habuit tamen donum, ratione cujus morte carere potuiſſet, & ideò mors in homine eſt pœna, quod eſt in beſtiis, eſt natura.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum mors à nobis ſit meditanda, inevitanda, & non formidanda?

Dico, quòd mors à nobis ſit continuò meditanda, nullatenus à nobis *evitanda, &* ratione bonæ conſcientiæ non *formidanda.*

Explicatur *prima pars.* Quòd mors à nobis ſit continuò meditanda. Quia fatuum eſſet dimittere providentiam illius, quod ſcitur certò eſſe futurum, Undè rectè dixit Salvator: Vigilate, & orate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Seneca quoque rectè in quadam epiſtola dicit: Nullius rei meditatio tam certa eſt, quàm mortis, & ideò nihil ſtultius eſt, quàm faſtidioſè ſine mortis præmeditatione mori. Et ſubdit Seneca: Quid eſt quod nos pigros & inertes facit? Et reſpondet: Quia nemo noſtrum cogitat, quando ſibi ex hoc domicilio migrandum ſit. Huc facit illud Eccl. 4. Memor eſto, quoniam mors non tardabit.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd nullo modo poſſimus evitare mortem. Statutum enim eſt omnibus hominibus ſemel mori. Hoc benè perpendens quidam antiquus Doctor concedit, quòd univerſi dicuntur mortui. Quia ſicut ille dicitur fatuus, cui ineſt fatuitas, & ille arduus, cui ineſt arduitas; & ille albus, cui ineſt albedo; ita verè ille dicitur mortuus, cui ineſt mors: ſed nobis ineſt mors, quaſi à principio vitæ uſque ad finem: Ergo poſſumus dici verè mortui. Undè dicitur rectè *Sap. 5.*

Nos

Nos nati continuò deſioimus eſſe. Et 2. Reg. 14. dicitur: Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram.

Dices, Contraria non poſſunt ineſſe eidem. Reſpondeo, quòd vivum & mortnum non ſint contraria, ſed privativè opponuntur; & mors accipitur dupliciter: nam *primò*, eſt privatio vitæ totalis, alio modo eſt privatio vitæ partialis. Primo modo eſt terminus, finis vitæ: Secundo modo ſtat cum vita.

Explicatur *tertia pars*. Quòd mors non ſit timidè formidaoda à bonis, quia dicit Seneca: Sapiens ſeentius moritur, quàm naſcitur. Et ideò S. Chryſoſtomus Hom. 10. ſuper Matthæi. Mors nimium neceſſaria eſt naturæ jam corruptæ, quæ non eſt fugienda, ſed potiùs amplectenda: offeramus ergo Deo pro munere, quod ex debito debemus reddere. Item Caſſiodorus ſuper Pſalm. Beati immaculati, ait: Quis temporalem mortem metuat, cùm æterna vita promittitur? Quis labores carnis timeat, cùm in perpetua requie ſe novit eſſe eollocandum? Item Eccl. 41. dicitur: Noli metuere judicium mortis. Et Proverb. 14. dicitur: Sperat juſtus in morte ſua; nec mirum: *Quoniam Iuſtus, ſi in morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

LECTIO XLVIIII.

TEXTUS.

Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata; cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus Lectione præcedenti oſtendit, quòd homo virtuoſus in juventute ſua florida moriens, ſit *Deo* poſt hanc mortalem vitam acceptabilis (*Iuſtus enim, ſi in morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit*) Hic oſtendit, quòd homo virtuoſus in juventute moriens, imò etiam in hac vita degens, ſit hominibus venerabilis, non obſtaote paucitate annorum ſnorum, vel vitæ brevitate.

Dicit ergo: *Senectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque numero annorum computata.* Id eſt, ſenectus morum etiam in homine juvene eſt venerabilis: non autem illa ſenectus, quæ ſolùm numerat multitudinem annorum, nihil verò habet de Sapientia, & virtute. Undè meritò Seneca lib. 5. Epiſt. 114. Irridet Neſtorem, qui monumento ſuo inſcribi voloit, quod vixerit annis 99. Irridet inquam illum, quia annos illos tranſegit ſine virtute.

Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Per quæ verba Spiritus ſanctus oſtendit, quòd ad hoc ut aliquis ſit verè venerabilis, duo requirantur. Primò ſapientia mentis, & munditia carnis. Et quidem ſapientia mentis tangitur cùm dicitur: *Cani autem ſunt ſenſus hominis:* id eſt ſenſus benè diſciplinati & cuſtoditi, *ſunt cani*, id eſt, vendicant ſibi honorem canitiei debitum; *ſuntque cani*, quia ſignum ſunt ſapientiæ in tali homine. Undè rectè Gloſſa dicit: Ille benè canus eſt, qui eſt benè ſenſatus ac diſciplinatus; & quia benè ſenſatus, etiam eſt benè ſapiens. Rectè autem per canos ſeoſus ſapientia deſignatur; ſicut enim deficiente naturali calore corporis creſcunt cani capitis; ita deficiente incentivo vitiorum, vel ſaltem frigeſcente, caneſcunt ſenſus mentis. Unde Eccl. 25. dicitur: Quam ſpecioſum canitiei judicium, & Presbyteris eogooſcere conſilium; quàm ſpecioſa veteranis ſapientia, ei glorioſus intellectus & eooſilium.

Secundò ut aliquis ſit verè honorabilis & venerabilis ſenex, requiritur *munditia carnis*; & ideo dicitur in textu, *Ætas ſenectutis vita immaculata.* Quaſi diceret; Ille bene ſenex eſt, qui eſt ſine macula peccati, maximè carnalis. Propter iſta duo, nimirum propter mentis ſapientiam, & carnis munditiem, dictum eſt Danieli à toto populo Iſrael, Dan. 13. Veni ſede in medio noſtrûm, & judica nobis, quia Deus dedit tibi honorem ſeoectotis. Narrat quoque ibidem ſacer Textus, quomodo ibi duos ſenes Judices de falſa condemnatione Suſannæ ipſe Daniel, licet eſſet juvenis, & quaſi puer ætate, confuderit; unde ibidem præmittitur; Suſcitavit Deus ſpiritum pueri junioris. Circa illa verba, *Senectus enim venerabilis*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum malus ſenex poſſit in articulo mortis utiliter pœnitere?

DIco quod malus ſenex poſſit in morte utiliter pœnitere, licet hoc raro accidat. & valde periculoſum ſit pœnitentiam differre uſque ad mortem. Probatur. Quia ad utilem Pœnitentiam duo requiruntur, & ſufficiunt. Primò dolor verus de præteritis peccatis, & propoſitum cavendi de futuris; ſed malus ſenex in morte poteſt habere verum dolorem de præteritis & verum propoſitum cavendi de futuris: Ergo poteſt utiliter in morte ſua pœnitere.

Probatur ſecundò. Quamdiu manet in homine poteſtas peccandi, manet etiam poteſtas pœnitendi; ſed poteſtas peccandi manet in homine uſque ad mortem, & quamdiu homo habet uſum liberi arbitrii, ergo etiam malus ſenex in morte habet poteſtatem ad verè pœnitendum.

Confirmatur. Latro in cruce in fine pœnitens invenit miſericordiam Lucæ 23. Ergo etiam ſenex in fine pœnitendo poteſt invenire miſericordiam.

Dices primò. Verus pœnitens debet dimittere peccata, non autem à peccatis dimitti; ſed malus ſenex non dimittit peccata, ſed potius peccata dimittunt illom; Ergo malus ſenex non verè pœnitet. Probatur minor ex S. Auguſtioo in ſermone qoodam de Pœnitentia & allegatur in 4 Serm. diſt. 20 cap. 1. ubi ait S. Antiſtes: Si vis pœnitentiam agere, quando peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa.

Confirmatur primò. De homine utiliter pœnitente, non eſt dubium, qoin ſalvabitur; ſed de ſene pœnitente in extremis, dubitat S. Auguſtious loco citato, ait enim (ſi ſecutus hinc exierit, ego neſcio; pœnitentiam dare poſſumus

non ſecuritetem; nunquid dico condemnabitur? ſed nec dico, ſalvabitur) Ergo.

Confirmatur ſecundò. Nullus pœnitens ex timore & neceſſitate, pœnitet utiliter; ſed ſenex malus tali modo pœnitet; unde S. Auguſtinus ait: Nullus expectet neceſſitatem, quando jam peccare non poteſt, arbitrii enim libertatem quærit Deus, non neceſſitatem. Ergo talis ſenex non pœnitet utiliter.

Reſpondeo ad argumentum, diſtinguo minorem: Sed malus ſenex non dimittit peccata *quantum ad affectum* Neg. Min. quantum ad *effectum* præcisè ratione ſuæ impœnitentiæ & indiſpoſitionis corporalis, Conced. Minor. & nego conſeq. Dicimus ergo, quòd peccata dimittent hominem ſenem & decrepitum, quantum ad effectum, ita ut homo propter ſuam indiſpoſitionem corporalem peccata v. gr. carnis amplius exercere non poſſit; cum quo tamen ſtat; quòd homo ſenex verè pœnitens dimittat peccata quoad affectum; dum nimirum animo ita affectus eſt, quòd nullum peccatum velit committere, etiamſi vires haberet ad id faciendum; & ideo dimittendo talem effectum peccandi, homo ſenex verè pœnitet.

Reſpondeo ad primem confirmationem. Quòd S. Auguſtinus non dubitet, quin ſera pœnitentia ſit utilis, ſed dubitat an ſera pœnitentia ſit vera. Dum autem ſera pœnitentia vera eſt, tunc talis pœnitentia vocatur in Pſalm. Sacrificium veſpertinum, eſtque utilis ad ſalutem.

Reſpondeo ad ſecundam confirmationem. Quòd pœnitentia à tali fiat liberè, quantum ed effectum dimittendi omnie peccata.

Dices ſecundò. Nullus verè pœnitet, niſi cum propoſito ſatisſaciendi; ſed ſenex, qui ſcit ſe eſſe moriturum, ſcit quòd non poſſit ſatisfacere; Ergo etiam proponit non ſatisfacere; ſed qui proponit non ſatisſacere, non pœnitet utiliter; Ergo etiam talis ſenex non pœnitet utiliter.

Reſpondeo. Quòd talis ſenex, qui ſcit ſe eſſe moriturum, habeat propoſitum ſatisfaciendi ſub conditione, ſi poſſit; & hoc ſufficit divinæ miſericordiæ; quia ſi homo vellet facere, quod in ſe eſt ad pœnitentiam, Deus etiam faciet, quod in ſe eſt ad largiendam miſericordiam. Et ideo licèt pœnitentia non ſit imponenda abſolutè talibus ſenibus in extremo pœnitentibus, ſed ſolùm innoteſcenda ſecundùm Canones, ut docetur in quartum ſentent. diſt. 20. cap. 3. Exiſtimo tamen, quòd valde utile ſit eis pœnam leviſſimam imponere, quam ſtatim peragere poſſint, v. gr. ut percutiant pectus dicendo Jeſus Maria; vel, Deus propitius eſto mihi peccetori; vel etiam ut imponatur eis alia certa pœna ſub conditione, ſi convaleſcant; contingit enim ſæpe, quòd homines de maximis periculis mortis liberati, ſanitati reſtituantur priſtinæ.

Dices tertiò. Eccl. 17. dicitur, Vivus & ſanus confiteberis Domino; Ergo ſicut pœnitentia non velet niſi fiat in vita, ita non valebit, niſi fiat ab homine in ſenitate conſtituto.

Reſpondeo. Quòd confiteri in vita ſit neceſſitatis, unde ibidem in textu dicitur: Ante mortem confitere Domino, à mortuo enim quaſi nihil perit confeſſio. At verò confiteri in ſanitate, ſeu quando homo eſt ſanus & robuſtus, eſt actus ſecuritatis (unde primum cadit ſub præcepto, & ſecundum ſub conſilio) Et ideo non eſt ſimile de vita & ſanitate. Circa hoc quod dictum eſt, quòd ſenectus ſit venerabilis, ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum Senectus bona veneranda ſit, quia eſt medicamen incontinentiæ, moderamen inſolentiæ, examen experientiæ, & libamen pœnitentiæ?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd bona ſenectus in ſanctis ſenibus ſit veneranda, *quia eſt medicamen incontinentiæ.* Unde ait Seneca in quadam Epiſtola: Gratias ago ſenectuti, ceſſare enim debet in ſenectute, quidquid voluptatis, quidquid laſciviæ, quidquid illecebræ placuit in juventute. Et Tullius de Senectute ait; O præclarum munus ſenectutis, ſiquidem eufert nobis, quod in adoleſcentia vitioſiſſimum, puta libidinem corporis. Præterea in laudem ſenectutis pulchrè dicit S. Ambroſius Lib. 1. in Hexameron; Senectus, inquit, eſt in bonis moribus dulcior, in conſiliis utilior, in conſtantia ſubeundi mortem paratior, ad reprimendas libidines fortior, ipſa quoque infirmitas corporis, ſobrietas eſt mentis: ſed caveant ſibi ſenes tempore & juvenes virtute. Unde dicit S. Ambroſius ed Valentinum; Erubeſcat ſenectus, quæ ſe emendare non poteſt, non enim canitiee commendata eſt annorum, ſed morum. Sunt enim quidam ſenes ita mali habituati in voluptatibus, quòd doleant, ut videtur, quòd non ſint amplius, ut ſolebant, ad voluptatem potentes; delectantur audire etiem & confabulari de turpibus, delectantur imaginari de vilibus, & ſicut non veſcentes carnibus delectantur in brodio; ſic illi cùm privantur operatione, fruuntur imaginatione. Hæc S. Ambroſius.

Ex his rectè colligitur, quòd ſi quis bene velit vivere in ſenectute, debeat habitum bene vivendi ſibi acquirere in juventute; aliàs ſi in juventute laſcivè vixit, quomodo in ſenectute bene vivet? Et ideo Eccl. 25. dicitur; Quæ in juventute tua non aggregaſti, quomodo in ſenectute invenies? Certè ſenes in malo habituati quaſi obdurantur in malo, & excœcantur.

Sed neque ille qui in juventute bene vixit, nimis certò debet confidere & præſumere, quòd in ſenectute bene vivet; ſæpe enim fit, quòd quis in juventute bene vixit, & tamen in ſenectute ceciderit. Sicut dicitur 3 Reg. 11. de Salomone, quòd cùm ſenex eſſet, depravatum eſt cor illius per mulieres; & tamen certum eſt, quòd Salomon ab initio bene vixerit. Huc etiam facit illud exemplum, quod legitur in vitis Patrum de quodam ſene Eremite, qui ſexaginta annis caſtè vixit, & tamen ultimo anno corruptus, & virginitate ſuâ privatus occubuit. Unde rectè Pſalmiſta Deum rogat dicens; Ne projicias me in tempore ſenectutis.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd ſenectus ſit veneranda, *quia ipſa eſt modtramen inſolentiæ.* Omnes enim boni ſenes debent arguere inſolentes, & informare ſine timore. Unde narrat Valerius Lib. 6. cap. 2. de quodam ſene, quòd de his, quæ ſuo tempore apud Romanum populum

ege-

agebantur, liberrimè locutus ſit, increpans arguendo, & diſſentiendo ſactis malorum: hic dùm moneretur à ſuis, ne ita audacter loqueretur, reſpondit: duæ res mihi authoritatem præbent dicendi veritatem, nimirum orbitas & ſenectus. Sed certè moderno tempore quidam juvenes opponunt ſe ſenioribus, nec eos volunt audire; & verificatur interdum illud Iſaiæ 3. Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. Contrarium autem factum eſt antiquitus apud Romanos ſicut narrat Valerius Lib. II. cap. 1. ubi generaliter dicit, quòd juvenes reſpexerint omnes ſenes tanquam ſuos parentes. Et ideo inter duodecim abuſiones, duæ ſunt, ſenex ſine religione, & adoleſcens ſine obedientia. Unde dicit Tullius de ſenectute, Senex in hoc melioris eſt conditionis, quia quod ſperat adoleſcens, ipſe jam conſecutus eſt, ille vult diu vivere, iſte jam diu vixit. Videat tamen quis adoleſcens, quod moribus ſit ſenex; & ſenex cum bonis moribus, jucunditatem bonæ conſcientiæ retineat. Unde Metricè dicitur:

Res eſt grata, ſenem juveniliter eſſe jucundum:
gratius eſt, juvenem moribus eſſe ſenem.

Unde in juvenibus debet eſſe aliquid ſenectutis quoad mores; & in ſene virtuoſo aliquid gratæ juventutis, per hoc quòd ſit maturus ſine gravitate, & agilis ſine levitate, ſicque fiet, quòd ſenes cum junioribus laudent nomen Domini.

Explicatur *tertia pars.* Quòd ſenectus ſit veneranda, *quia eſt examen experientiæ.* Eſt enim ſenectus quaſi theſaurus ſapientiæ examinatæ & præexpertæ; & ideo ubi deſunt ſenes vel experti, nunquam dabuntur ſana conſilia; propter quod dicitur 3 Topicorum: Nemo juvenes eligat in duces, eò quòd non conſtet eos eſſe prudentes. Unde etiam in exercitu Alexandri, nemo niſi ſexagenarius exercitum duxit. Hinc eſt quòd non propter ſenectutem annorum vel propter decrepitam ætatem, *Presbyteri* dicantur; ſed propter ſapientiam: unde *Presbyter* Græcè, Latinè autem *ſenex* dicitur, non propter ætatem, ſed propter ſapientiam, quæ debet eſſe in Presbyteris.

Porro contra *Presbyteros malos*, hoc eſt, contra malos Seniores, ad literam egregiè invehitur Petrus in aurora; & loquitur contra canos ſenes, qui prætendunt maturitatem in crinibus, & ſervant levitatem in moribus; bonos autem & morigeratos Presbyteros non tangit. Dicit autem præfatus Petrus in aurora ſua, ſic:

Canities etiam mentiri novit, & albam
Non ſemper retinet magna ſenecta fidem.
Albi temporibus fervorem moribus æquant
Tempora cana nivem, corda doloſa picem.
Rectè poteſt ipſis iraſci moribus ætas:
Quæ ſtupet in ſenio non ſenuiſſe ſenem.

Quia autem multi ſenes ſumus, vel ſaltem ſenes eſſe cupimus, ſi Deus permiſerit; ideo placuit hic ponere aliquas conditiones ſenectutis ex Ariſtotele 2 Rhetor. ubi ait: Senes moribus, ſunt diſſimiles juvenibus in paſſionibus. Nam quia diu vixerunt, & in multis decepti ſunt, & experti in pluribus negotia eſſe prava, ideo nihil facilè aſſertivè dicunt, ſed in pleriſque apponunt fortè; & omnia agunt remiſſius quàm oporteat, omnia exactius conſiderant, neque facilè aliquid mali ſuſpicantur propter incredulitatem. Increduli autem ſunt, quia multa mala experti ſunt; & propter hoc etiam non amant valdè, neque odiunt, quoniam ſic experti ſunt; nec magnanimi ſunt, quia in ſua vita in multis abjecti fuerunt & humiliati. Et liberales non ſunt, quia experti ſunt, quòd facilè ſit abjicere neceſſaria, & difficile acquirere. Hæc Ariſtoteles. Innocentius etiam de vilitate naturæ humanæ ſic ait: Theſaurum in ſepulchro ponit, qui ſanem hæredem facit; ſenex facilè producitur, difficilè revocatur; certò credit, & tardè diſcredit; tenax & cupidus, triſtis & querulus, velox ad loquendum, tardus ad audiendum, laudat antiquos, ſpernit modernos, vituperat præſentia, condemnat præterita, ſuſpirat & anxiatur, torpet & infirmatur. Unde Poeta,

Multa ſenem circumveniunt incommoda rerum.

Hæc Innocentius.

Propter hos tamen defectus, non ſunt ſenes contemnendi, ſed ſupportandi, nam iſti defectus ſunt omnibus communes: unde Eccl. 8. dicitur: Ne ſpernas hominem in ſenectute ſua, etenim ex nobis ſeneſcunt. Et Levitici 19 Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis.

Explicatur *quarta pars.* Quòd ſenectus ſit veneranda, *quia eſt libamen pœnitentiæ.* Eſt enim libamen ſacrificium, & libare idem eſt, quod ſacrificare; Omnis autem ſenex tenetur ſeipſum in pœnitentia ſacrificare Deo, vel ſaltem per contritionem, & diſciplinam veteris vitæ: quia ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et hoc eſt ſacrificium veſpertinum de quo locutus eſt Apoſtolus 2 ad Tim. 4. Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.

Seneca in quadam Epiſtola imaginatur ſibi & dicit, quòd vita noſtra ſit quaſi navigium in mari, & quòd quamdiu vivimus navigamus, & tandem in ſenectute applicamus ad portum, & tunc ſicut nautæ recolligunt inſtrumenta & vaſa navis quibus utebantur ad movendam navem, ita debemus nos ſenſus noſtros, intentionem, & conſiderationem, ac ſolicitudines ſæculares recolligere totaliter ad noſmetipſos ad virtuosè vivendum. Unde dicit ſic: Incipiamus vaſa in ſenectute recolligere: in freto, hoc eſt, in mari viximus, moriamur in portu.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm ſenes ſenectutem ſuam accuſantes nec ſuſtinere valentes, item ſenectutem ſuam moribus puerorum dehoneſtantes, ſint redarguendi?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd ſenes *ſenectutem ſuam accuſantes, nec valentes eam ſuſtinere, redarguendi ſint.* Nam contra eos rectè invehitur Tullius Libro ſuo de ſenectute, ubi ſic dicit: Tanta in hominibus ſtultitiæ & inconſtantiæ perverſitas eſt, quòd omnes ætatem ut adipiſcantur exoptant, eandem autem omnes

 adepti

adepti accuſant. Item Seneca in Epiſtola 8. ſenem de tua ſenectute conquerentem, ſic deridet dicens: Væ ſi te dolor ſenii inquietat, epulæ erunt parùm dulces, detrimenta continua. Sed dicis, volebam diu vivere, & carere incommodis omnibus: ſed tam effœminata vox virum dedecet, ait Seneca.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd ſenes *moribus puerorum ſenectutem ſuam dehoneſtantes, ſi tredarguendi.* Nam contra hos inſurgit Seneca in quadam Epiſtola, ubi ait: Authoritatem habent ſenum, & vitia puerorum. Idem in alia Epiſtola ait: Deſine velle, quod voluiſti ut puer, ſitque cogitatio tua imponere veteribus malis finem. Huc facit illud Iſaiæ 65. Puer centum annorum morietur.

Non ſic nos, fratres chariſſimi, ſed ſupportantes ſenectutem corporis, in quo vitia & miniſteria vitiorum deſiernut, vigorem animi, & florem virtutum retinemus. Hoc modo 2 Machab. 6. legitur de Eleazaro qui cœpit cogitare ætatis atque ſenectutis eminentiam; dignam & ingenuam, nobilitatis canitiem: & mori potiùs elegit, quàm impudicè vivere.

LECTIO L.

TEXTUS.

Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt; & raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animam ejus.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione Spiritus ſanctus aſſignat rationes, propter quas Deus Juſtos citiùs ex iſta vita mortali eripit, nec permittit eos ſeneſcere. Quarum prima eſt, divina Amicitia ſuſcipiens ad præmia. Secunda eſt, proximi malitia alliciens ad crimina, atque inducens habitum vitiosè operandi, vel ſaltem inducens ad deordinationem alicujus actus.

Dicit ergo. *Placens Deo factus eſt dilectus.* Quaſi diceret, Una ratio, quare Juſtus maturè ex hac vita tollatur, eſt, quia Juſtus placet Deo per bonam vitam: ſicque per gratiam Deo eſt dilectus; & ideo dignus eſt vocari ad coronam.

Et vivens inter peccatores, hoc eſt, quia Juſtus exiſtens inter medios peccatores, Juſtitiam ſuam cuſtodivit; quod eſt valdè laudabile, juxta illud ad Philipp. 2. Simplices filii Dei ſine reprehenſione in medio nationis pravæ & perverſæ: ideo inquam *translatus eſt*, puta ad cœlum.

Et raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus; id eſt, Juſtus à Deo maturiùs ab iſta mortali vita evocatus eſt, ne malorum hominum conſortium, quibus convivere debet, mutaret intellectum ejus practicum; & ne deſtructo habitu virtuoſo, induceretur habitus vitioſus ex mala conſuetudine, & malitia perversè operandi.

Aut ne fictio deciperet animam ejus; hoc eſt, raptus eſt Juſtus ex conſortio malorum, ne *fictio*, id eſt, ne *aliquid* bonum apparens, in rei veritate autem malum, deciperet animam ejus, etiam quoad unius tantùm actus deordinationem, quantumvis habitum vitioſum malè operandi non induceret. Circa illa verba, *Vivens inter peccatores*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An in hac vita homo etiam ad correctionem delictorum tendens, experiatur ſe vivere inter peccatores?

DIco quòd ſic.

Probatur & explicatur. Quia ſemper erunt aliqui homines mali bonis hominibus commixti in ſocietate: unde dicit S. Auguſtinus ad Vincentium Donatiſtam ſic? Quantumvis, inquit, vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo, quòd domus mea melior ſit, quàm Arca Noë, ubi tamen inter octo homines unus reprobus inventus eſt. Aut melior ſit quàm domus Abrahæ, cui dictum eſt, Ejice ancillam & filium ejus. Aut melior ſit quàm domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt; Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Et teſtis mihi Deus eſt, quoniam ſicut difficile expertus ſum meliores, quàm qui in Monaſterio profecerunt; ita non ſum pejores expertus, quàm qui in Monaſterio defecerunt. Et ideo in quacunque ſocietate homo ponatur, non poterit omnino evadere, quin inter peccatores converſetur. Et ideo oportet perfectos vitia malorum corrigere pro poſſe: & quod non poſſunt corrigere, ſuſtinere debent; nam tales Deo, qui eſt ſupremus Judex, reſervantur. Hæc S. Auguſtinus.

His addit S. Gregorius Lib. 2. Moral. cap. 18. dicens: Nullus perfectus eſt, qui inter defectus proximorum perfectus non eſt; qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipſe ſibi teſtis eſt per impatientiam, quia boni plenitudine longè diſtant. Abel quippe eſſe renuit, quem Caini malitia non exercet, ſicut in tritura areæ grana ſub paleis premuntur: ſic flores inter ſpinens prodeunt, & roſa quæ redolet, creſcit unà cum ſpina, quæ pungit. Duos namque filios habuit primus homo, ſed unus electus, alius reprobus fuit. Tres quoque filios Arca Noe continuit: ſed duobus in humilitate perſiſtentibus, tertius in patris irriſionem ruit. Duos filios Abraham habuit, ſed unus innocens, alter fratris perſecutor fuit. Duos quoque filios Iſaac habuit, ſed unus in humilitate fuit natus, alter autem etiam antequam fuit natus, erat reprobatus. Duodecim filios Jacob genuit, ſed unus ex eis per innocentiam venditus eſt, cæteri verò per malitiam fratris venditores extiterunt. Duodecim quoque Apoſtoli in Eccleſia ſunt, ſed ne improbati remanerent, unus eis admixtus fuit, qui eos perſequens probaret: ſic namque Juſto peccator cum malitia jungitur. Sic in fornace ſociatur palea auro, & quando ardet palea, aurum purgatur. Hi ergo in veritate boni ſunt, qui in bonitate etiam inter malos perſiſtere poſſunt. Hæc S. Gregorius.

Idem S. Pontifex 5. Moral. cap. 2. ait: Non

eſt

eſt valdè laudabile bonum eſſe cum bonis: ſed bonum eſſe cum malis, laudabile multum eſt. Sicut enim gravioris culpæ eſt inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi eſt præconii inter malos bonum extitiſſe. Ita Job 30 dicitur: Frater fui Draconum, & ſocius Struthionum; id eſt, malorum, ſine læſione tamen meæ innocentiæ. Et Cant. 2. dicitur: Sicut lilium inter ſpinas, ſic anima mea inter filias. Circa illa verba textus, *Vivens inter peccatores translatus eſt.* ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Deus electos ſuos trasferat de rebellione ad reconciliationem, de diſſolutione ad Religionem, & de peregrinatione ad quietem?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd Deus electos ſuos transferat *de rebellione ad reconciliationem.* Quia hoc modo Deus transfert exiſtentes in ſtatu peccati, & injuſtitiæ ſive originalis, ſive actualis, ad ſtatum gratiæ ſive pœnitentiæ, ſicut Rex miſericors exules & profugos & proſcriptos in extraneis regnis vagantes revocat gratioſè, & ad pacis reconciliationem admittit, Ita etiam Chriſtus Dominus ſuos rebelles recedentes à ſe per peccatum, & exulantes in regione umbræ mortis, transfert miſericorditer in ſuum regnum, & repetere patriam permittit. De hoc exilio tranſlati ſunt Petrus, Paulus, Maria Magdalena, Matthæus, & multi alii, inter quos etiam eſt S. Auguſtinus, de quo ſic legimus in ejuſdem feſto: Invenit Auguſtinus longè ſe eſſe à Deo in regione diſſimilitudinis tanquam audiret, &c. De iſta translatione etiam dicitur ad Coloſſ. 1. Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & transtulit in regnum filii ſui.

Scimus, quòd tempore hyemalis frigoris, quando omnia ſunt ſemimortua, tunc prudens hortulanus transfert de loco ad locum plantas, evellens eaſdem radicitus, & in alia terra tranſplantat: & per talem tranſplantationem aliquæ fiunt fertiles & frugiferæ, quæ antea ſteriles erant & ineptæ. Applicatio moralis. Tempus hyemale & frigidum, eſt tempus tribulationis & adverſitatis: Chriſtus autem moraliter loquendo eſt hortulanus, ſicut eum pro hortulano adſpexit S. Maria Magdalena Joann. 20. Iſte porrò hortulanus Chriſtus immittit ſubinde peccatoribus hyemem tribulationis, infirmitatis & anguſtiæ. & ſic transfert eos per contritionem & confeſſionem in hortum Eccleſiæ; & facit eos frugiferos & fertiles, qui priùs erant ſteriles & infœcundi. Et de hic rectè dicitur 1 Joannis 3 Translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd Deus electos ſuos transferat *de diſſolutione ad Religionem.* Quando hortulanus cernit plantam delicati fructus ſine ullo munimine creſcere prope viam, & in loco communi, ubi vel ab hominibus tranſeuntibus vel etiam à beſtiis facilè læditur, vel etiam à petulantibus frequenter excutitur, ita ut nunquam, vel vix unquam producat fructum ſuum ad maturitatem, quia vel læditur in germinibus, quando germinat, vel in flore, quando floreſcit, vel in fructu, quando matureſcit. Quando inquam ita hortulanus talem plantam videt, tunc illam transfert in viridarium, vel in hortum bene concluſum, ut ibi fructificet integrè ſine impedimento, & totus fructus in uſum Domini ſervetur. Hoc modo Chriſtus, quandoque videt perſonam aptam ad fructificandum in Eccleſia, ſtantem tamen in mundo, qui eſt via communis omnium tranſeuntium, & profe-reptem germen vel florem per ſanctum propoſitum, quia multa bona proponit facere, ſed ſtatim læditur à beſtiis id eſt beſtialibus hominibus deditis voluptatibus hujus vitæ, vel excutitur à petulantibus ante fructûs maturitatem, & ita agitatur à malis hominibus ut vix producat aliquem fructum ad maturitatem. Tales homines, inquam, non rectè valentes ferre fructum in ſæculo, Chriſtus ſæpe transfert in hortum ſacræ religionis. Et de tali pia anima translata ad religionem dicitur Cantic. 5. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. In iſto ergo horto ſunt myrrhæ pœnitentiæ & aromata ſanctæ doctrinæ: Et de tali translatione dicitur in Pſalm. Vineam transtuliſti de Ægypto, id eſt, de tenebris mundanis.

Explicatur *tertia pars.* Quòd Deus transferat ſanctos ſuos *de peregrinatione ad quietem.* Notum eſt, quòd Rex habens aliquem ſervum, qui in aliquo officio humili bene laboravit, promovere eum ſoleat ad aliquem certum & perpetuum ſtatum altiorem & quietiorem: ut ſi ſit Clericus promovet eum ad dignitates Eccleſiaſticas. v. g. ad Canonicatum, Decanatum vel Epiſcopatum; ſi autem eſt ſæcularis, dat ei honores ſæculares, item redditus & officia bona, ut ſic de labore transferatur ad requiem. Sic etiam Chriſtus illos, qui ſecum in hac vita laborant, transfert finaliter in requiem regni cœleſtis. Et ita Eccleſ. 44. dicitur: Enoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum. Et de hac translatione ad Paradiſum regni cœleſtis loquitur Spiritus ſanctus in textu allegato.

LECTIO LI.

TEXTUS.

Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona: & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione oſtendere vult Spiritus ſanctus, quòd quantumvis homo ſit præditus bonis ſuis naturalibus, id eſt, potentiis naturalibus animæ & corporis; item quantumvis ſit præditus bonis acquiſitis, puta ſcientiâ & virtutibus moralibus; imo etiam licèt homo habeat bona ſupernaturalia Fidei, Spei & Charitatis, non tamen debet talis homo quantumvis bonus nimium de ſeipſo confidere, dum tractat cum mundo. Dicit ergo Spiritus ſanctus, *faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona.*

Faſcinatio, id eſt occulta, & infectiva deceptio: *Nugacitatis*, id eſt vanitatis mundanorum, vana, inutilia, & meras trutas loquentium. *Obſcurat*, licèt non extinguat bona naturalia, gratuita & acquiſita. Itaque homo bonus immiſceos ſe mundo, & mundanorum inepto collegio, quodammodo faſcinatur & decipitur; dum putat, quòd in gratiam ſocietatis etiam debeat ſimilia ludicra proferre & inutilia. Et de talibus dicitur ad Galat. 6. Quis vos faſcinavit, id eſt, decepit, veritati non obedire.

Et inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum. id eſt, diverſitas rerum ſenſibilium, quæ delectant, quiſque ſenſus diverſimodè appetit, dum modò ad hoc, modò ad illud ſenſibile voluptuoſum ſine intermiſſione allicitur; talis, inquam, *Inconſtantia*, id eſt, digreſſio, diverſæ concupiſcentiæ, *Tranſvertit ſenſum ſine malitia*; id eſt, ſeducit ſenſum, *ſine malitia*: id eſt, abſque hoc quòd ante in ſenſu hominis Juſti fuerit aliqua malitia. Itaque loquitur textus de ſenſu alicujus Innocentis nondum experti malitiam aliorum.

Nota hic. Quòd *Faſcinatio* ſit invectiva viſio alicujus perſonæ nocivæ: inferens latenter per radium viſualem nocumentum rei viſæ: ſicut dicere ſolemus, quòd malitioſæ vetulæ tenellos pueros inficiant ſolo aſpectu. Et ſic loquitur Virgilius in Bucolicis:

Neſcio, quis teneros oculis mihi faſcinat annos.

Dicunt etiam antiqui Philoſophi, quòd anima per imaginationem immutet oculum, qui eſt membrum valdè tenerum: & oculus infectus immutat aerem: aer autem infectus immutat tenerum corpus infantis, & immutat provocando puerum ad nauſeam, & ſic puer refundendo nutrimentum, confunditur.

Nota ſecundò, quòd *Nugacitas* nihil ſit aliud quàm aſſiduitas dicendi nugas: nugæ autem ſunt trutæ, id eſt verba ad nihil apta: vel ſaltem narrationes ludicræ quæ nihil valent, niſi ad ludum vel jocum. Et per ſimilem nugacitatem vir bonus, dans & commiſcens ſe ſæculo, facilè depravari poteſt, ut dictum eſt.

Nota tertiò, quòd licèt bona fortunæ ſint minima, bona naturæ media, & bona gratiæ maxima: homines tamen aliqui mundani ſummè decipiuntur, dum putant bona fortunæ eſſe maxima. Sic erravit Dives Epulo Lucæ 12. qui dixit animæ ſuæ: Anima habes multa bona repoſita in annos plurimos, comede, bibe & epulare. Sed quid illi dictum fuit à Deo? Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti cujus erunt? Et talis eſt omnis, qui theſaurizat ſed non in Deum: unde Matth. 12 dicitur: Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.

Conſtat, quòd quantò oculus videns eſt in *medio rariori*, & res viſa in medio denſiori, tunc res viſa apparet major quàm ſit: ſicut patet in meo oculo exiſtente in aere tanquam in medio rariori, qui denarium exiſtentem in aqua tanquam in medio denſiori, videbit ſibi apparere majorem. At verò econtra, quantò oculus videns eſt in medio denſiori, & res viſa in medio rariori, tunc res viſa apparet eſſe minor quàm ſit in ſe: ſicut ſtellæ, quæ in ſe ſunt maxima corpora, nobis apparent eſſe parvæ non ſolùm propter diſtantiam, ſed etiam propter ſubtilius medium in quo ſituantur, & propter ſubtilius medium per quod videntur, quod medium eſt multò ſubtilius quàm ſit aer, in quo eſt oculus noſter. Videntur enim ſtellæ mediante ſphærâ ignis, quæ eſt multò ſubtilior & rarior quàm ſit aer: & mediantibus ſphæris cœleſtibus, quæ ſunt majoris diaphaneitatis ſeu tranſparentiæ, quàm ſit aer. Applicatio moralis. Iſto modo bona exteriora, cùm ſint corporalia, & delectationes de eis acceptæ ſint corporales, quia ſunt in rebus groſſioribus, quàm oculus mentis, qui eſt intellectus purus & immaterialis, ideo inquam videntur eſſe groſſiora ſeu majora, quàm in ſe ſunt. At verò bona Gratiæ cùm ſint ſpiritualia, & conſolationes de eis acceptæ ſint ſpirituales, in me ſſe nobis à Deo, qui eſt ſummè ſpiritualis & immaterialis, ideo putantur eſſe minora quàm in ſe ſint: & ob hoc ſignanter dicitur Proverb. 17. Qui perverti cordis eſt, non inveniet bonum. Et Job 9 Dies mei velociores fuerunt curſore, & non viderunt bonum.

Nota quartò, quòd multò magis decipiantur homines mundani, qui exiſtimant voluptates carnis, & delectationes ſenſibiles, eſſe bonum hominis principale. Contra quos bene invehitur Seneca Epiſt. 2. eos redarguendo, ait enim: Ex hoc ſequitur quòd De s, qui ſimilibus carnalibus & ſenſibilibus voluptatibus non utitur, non fore beatum, quod eſt ſtultum dicere. Item ex hoc ſequeretur, quòd multæ beſtiæ, quæ iſtis delectationibus carnalibus, & aliis voluptatibus ſenſibilibus magis fruuntur quàm homines, ſint beatiores hominibus, quod etiam fatuum eſt aſſerere. Unde rectè concludit Seneca loco allegato dicens: Non eſt ſumma fœlicitas noſtra in carne ponenda. Bona autem illa ſunt vera, quæ ratio dat ſolida & ſempiterna. Porrò quia tunc unumquodque eſt perfectum, quando ſua propria actio diſtinctiva ab aliis eſt perfecta: actio autem intellectiva, per quam homo diſtinguitur à brutis, eſt & ſit ſummè perfecta per viſionem beatificam: ideo in Viſione beatifica eſſentialis beatitudo hominis conſiſtit, ut ſolent dicere Theologi.

LECTIO LII.

TEXTUS.

Conſummatus in brevi, explevit tempora multa. Placida enim erat Deo anima ejus, propter hoc properavit illum educere de medio iniquitatum.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Spiritus ſanctus duas rationes Lectione præcedenti aſſignavit, cur ſubinde viri Juſti in Juventute ætate ſubtrahantur ab iſta vita, nimirum divinam amicitiam & mundanam malitiam: nunc aſſignat tertiam cauſam, quæ eſt perſonalis juſtitia Electorum. Dicit ergo: *Conſummatus*

ſummatus in brevi explevit tempora multa: id eſt, Juſtus eſt in juvenili ſua ætate tanquam in brevi tempore *Conſummatus*; id eſt, conſummatè perfectus eſt, ſeu conſummationem perfectam virtutum accepit, quam alii ſeniores primùm acquirunt poſt elapſa multa tempora ſeu multorum annorum ſpatia. Unde ſicut contingit, quòd juvenis aliquis fortis, robuſtus, & avidus intrà breve temporis ſpatium Viennâ v. gr. Romam perveniat, cùm tamen alius quiſpiam ſegnior in ambulando, & plus ſomno indulgens, magnum temporis ſpatium requirat, antequam Romam perveniat; & ſicut diligens diſcipulus intrà breve tempus poteſt abſolvere ſuam Philoſophiam & Theologiam, quam alius non ita diligens nec ita vigilans tantùm poſt multos annos abſolvere poteſt; ſic etiam Juſtus aliquis Juvenis intrà breve tempus in ſchola virtutis conſummatus & perfectus eſt, & in Juventute ſua explevit tempora multa, id eſt, in Juventute ſua adeptus eſt illa, quæ alii primum in ſenectute accipiunt.

Placida enim erat Deo anima ejus, id eſt, anima Juſti placuit Deo, juſtè & innocenter vivendo. Et ideo propter Divinam Juſtitiam ſuſcipiendam ad præmia, ita ad fugiendam mundanam malitiam allicientem ad crimina, & propter perſonalem Juſtitiam ſufficientem ad merita.

Properavit Deus eum educere de medio iniquitatum, i. e. placuit Deo propter iſta educere eum de loco certaminis mundi, ſicut victor in Palæſtra qui omnes contrarios ſuperavit, educitur de medio cum gloria, & datur ei corona. *De medio iniquitatum*, id eſt, de medio Dæmonum, & hominum perverſorum, qui magis ſubinde ſanctum virum impediunt quàm Dæmones. Unde ſanctus Chryſoſtomus in opere imperfecto homiliâ 43 ait: Homo malus pejor eſt quàm Diabolus; nam Diabolus ſi videat Juſtum, non audet illum accedere; homo autem malus, quamvis hominem judicet eſſe Juſtum, non ſolum illum non timet, ſed magis contemnit. Non enim Diabolus præſtat homini virtutem, ſed homo Diabolo, arma enim Diaboli ſunt homines mali; ſicut enim homo ſine armis nil poteſt facere contra hoſtem; ſic Diabolus ſine homine malo non poteſt aliquid contra Sanctos. Circa illa verba, *Placida enim erat anima ejus Deo*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrùm anima humana pretioſa apud Deũ æſtimetur ex tribus nimirum: Primò, ex ejuſdem animæ doloroſa amiſſione. Secundò, ex diligenti ejuſdem animæ acquiſitione, & Tertiò, ex cariſſima ejuſdem Redemptione?

DIco quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd anima æſtimetur pretioſa apud Deum *propter ejuſdem animæ doloroſam amiſſionem*, ſeu quod idem eſt, Deus quodammodo doluit animam humanam fuiſſe per peccatum ſibi perditam; Ergo ſignum eſt, quòd animam Deus æſtimet eſſe pretioſam. Sapiens enim non multùm dolet de amiſſione parvæ rei: Chriſtus autem qui eſt ſapientia Patris, monſtravit ſe plus dolere ob amiſſionem paucarum animarum, quàm ſi totum mundi aurum perdidiſſet. Nam tempore Chriſti multa talenta auri deperdita, ac civitates combuſtæ & deſtructæ ſunt, pro quibus tamen non legimus Chriſtum fleviſſe: legimus autem, quòd fleverit propter amiſſionem paucarum animarum in Jeruſalem: unde Lucæ 19. dicitur: Videns civitatem flevit ſuper eam: Ubi gloſſa addit: Plangit reprobos, etiam qui neſciunt, cur plangerentur. Itaque Chriſtus amat animam: propter quod Sap 11. in fine dicitur: Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd anima pretioſa æſtimetur à Deo, propter ejuſdem *factam diligentem inquiſitionem.* Sapiens enim non curat aliquid vile, Chriſtus autem in remotiſſimis partibus animam perditam quæſivit, & quidem diu & in magnis laboribus per annos triginta tres. Fingunt Poëtæ, quòd Orpheus quæſierit uxorem ſuam deperditam, nec ullibi invenerit, niſi poſtquam deſcendit in infernum, Ita Chriſtus poſtquam animam deperditam triginta tribus annis quæſiviſſet, tandem moriens deſcendit ad infernum, ſeu ad inferos, & ibi eam invenit: unde Pſalmiſta ait: Domine, eduxiſti ab inferno animam meam.

Explicatur *tertia pars.* Quòd rectè colligatur *ex cariſſima redemptione*, quòd anima debeat eſſe pretioſa in conſpectu Dei. Nam pro anima redimenda videns Chriſtus totum mundum non ſufficere, dedit ſemetipſum. Unde 1 Cor. 6. in fine dicitur: Empti eſtis pretio magno. Habet ergo Deus animam ſibi valdè pretioſam: in cujus ſignum in ſcriptura Deus ipſe dicitur animas cuſtodire. Nobilis non cuſtodit ipſemet, niſi tantùm res ſibi charas, vilium enim rerum cuſtodia datur famulis. Iſto modo Deus temporalia hominibus, etiam malis cuſtodienda committit; at verò animas ſuæ propriæ cuſtodiæ reſervat; unde Pſalmiſta ait: Cuſtodit Dominus animas Sanctorum ſuorum, Et Sap. 5. Juſtorum animæ in manu Dei ſunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An cupidi animas ſuas vendant, otioſi perdant, ambitioſi oppignorent, & invidi ac iracundi animas ſuas Diabolo planè pro nihilo dent?

DIco quòd ſic.

Explicatur *prima pars, de cupidis, qui animas ſuas vendunt*, dum pro divitiis hujus mundi exponunt ſe furtis, rapinis, perjuriis, falſis mercatoribus, ſimoniis, & aliis hujuſmodi peccatis. Veruntamen de his Eccleſ. 10. dicitur: Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam; nam talis pecuniæ amator animam ſuam habet venalem.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd animas ſuas perdant *otioſi* & negligenter viventes, & acedioſi ad omne opus bonum, non curantes, niſi quòd una dies vadat & altera ſuccedat. Sed de tali otioſo dicitur Eccl. 20. Eſt, qui perdat animam ſuam præ confuſione.

Explicatur *tertia pars*, de ambitioſis, qui animas ſuas Diabolo oppignorant. Conſtat, quòd is qui oppignorat rem ſuam, non intendit

dat alienare pro ſemper dominium illius rei oppignoratæ, ſed concedit rem ſuam tantùm, pro aliquo tempore ad uſum, vel ut ſervetur in depoſito. Sed quid fit? Dæmones tanquam ſœneratores, qui habent iſtorum Ambitioſorum ſibi oppignoratas animas, dant hominibus ad tempus divitias, honores, & dignitates, interim verò homines ſeneſcunt, & in malo magis radicantur, donec tandem pignus exſolvere non valentes, totaliter animas ſuas perdant, licèt eam ab initio perdere non intenderint.

Econtra verò aliqui virtuosè oppignorant animas ſuas Deo; ut ſunt Prælati & Curati, qui animas ſuas obligant pro animabus ſuorum ſubditorum. Et ideo cuivis Curato vel Prælato, quando cura aliorum ipſi committitur, dicitur illud 3 Reg. 20. Cuſtodi virum iſtum (demonſtrato ſuo ſubdito) qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ipſius.

Explicatur *quarta pars.* Quòd invidi & iracundi animas ſuas Diabolo pro nihilo dent. Nam in aliis peccatis peccans habet aliquem fructum. Cupidus quippe recipit divitias, luxurioſus voluptates, ſuperbus & ambitioſus honores, guloſus cibum & potum: at verò iſti miſeri invidi, & iracundi, nihil habent delectabile, ſed tantùm amaritudinem & dolorem: & ideo animas ſuas gratìs dant Diabolo: de quorum quolibet verificatur illud Jud 9. Animam ſuam dedit periculis.

LECTIO LIII.

TEXTUS.

Populi autem videntes & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis ſuis talia; quoniam gratia Dei, & miſericordia in Sanctos ejus, & reſpectus in Electos ejus.

EXPLICATIO TEXTUS.

P*Opuli autem non videntes, nec intelligentes.* Id eſt, populi, ſeu Injuſti qui ut ſupra dictum eſt, poſuerunt, quòd homo per mortem tam quoad corpus quàm quoad animam peribit, & conſequenter quòd non erit retributio Juſtorum poſt hanc vitam, nec pœna malorum in altera vita: iſti, inquam, populi injuſti & maligni non potuerunt intelligere, cur Deus Juſtos aliquos in hoc mundo permittat injuſtè ab aliis affligi.

Nec ponentes in præcordiis ſuis, id eſt, non conſiderantes in affectuoſa notitia, quòd poſt mortem erit præmium Juſtorum, & pœna malorum, accuſârunt Deum in cordibus ſuis, quaſi de aliqua injuſtitia, eò quòd Deus Juſtos permittat à malis injuſtè affligi. Malè autem tales impii Deum accuſant de injuſtitia.

Quoniam gratia & miſericordia Dei in ſanctos ejus, & reſpectus in electos ejus. In quibus verbis tangit Spiritus ſanctus tres affectus Divinæ benevolentiæ erga Juſtos homines, videlicet gratiam, miſericordiam & reſpectum. Et quidem gratiam Deus præbet juſtè viventibus: unde 2 Cor. 6. Hortamur vos ne in vacuam gratiam Dei recipiatis. Et ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Secundò præbet Deus miſericordiam pœnitentibus: unde in Pſal. Miſericordiâ Dei plena eſt terra. Et Threnorum 3. Miſericordiâ Domini, quòd non ſumus conſumpti. Et Tertiò, reſpectus innocentibus: unde Lucæ 1. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An peccatum concludat, excludat, & includat; niſi obſtet divina miſericordia?

DIco, quòd peccatum concludat in Judicio, excludat à regno Dei, & includat in inferno. Econtra miſericordia Dei ſolvit argumentum, ne homo in judicio concludatur: tollit impedimentum, ne homo à regno Dei excludatur: & frangit ligamentum, ne homo in inferno includatur.

Explicatur *prima pars.* Quòd peccatum concludat in Judicio. Quia argumentum, quod facit juſtitiam contra peccatorem eſt demonſtrativum, ſicut furtum inventum contra furem, & ideo ſtatim Juſtitia ſententiat & concludit adverſus peccatorem in Judicio: at verò divina Miſericordia ſententiam ſuſpendit & Judicium, ſicut Princeps ſuperior. Unde Jacobi 2. dicitur: Miſericordia ſuperexaltat Judicium. Et Matth. 12. Si ſciretis, quid ſit, Miſericordiam volo & non ſacrificium, nunquam condemnaſcetis innocentes.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd nimirum peccatum excludat à regno Dei, ſicut lepra excludit leproſum à conſortio ſanorum. Sed hoc impedimentum tollit miſericordia, quæ januam gratiæ reſerat. Unde dicit Chriſtus Joann. 10. Ego ſum oſtium. Et iſtud oſtium fregit Chriſtus cum baculo Crucis tanto cum impetu, ut una pars deſcenderit uſque ad infernum, & altera uſque ad ſepulchrum. Unde licèt Juſtitia dicat; Nemo virorum illorum guſtabit cœnam meam: Miſericordia tamen dicit: Exite in plateas & vicos, & compellite intrare ut impleatur domus mea, Lucæ 13.

Esplicatur *tertia pars.* Quòd peccatum includat in inferno, ſicut debita detinent hominem in carcere. Unde Luc. 12. dicitur: Amen dico tibi, non exibis donec reddas noviſſimum nummum. Econtra autem Miſericordia ſolvit ligamentum redimendo: unde 1 Cor. 6. dicitur: Empti eſtis pretio magno. Item Juſtitia dicit: Convertentur peccatores in infernum. Miſericordia autem dicit: A porta inferi erue animas eorum. Circa verba allegata in textu, *Miſericordia Dei eſt erga ſanctos*, ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm in omni opere, Miſericordia & Juſtitia conjungantur?

NOta ante reſolutionem, quòd Miſericordia & Juſtitia dupliciter accipiantur. Primo modo, largè & communiter: ſecundo modo, ſtrictè & propriè. Largè loquendo Miſericordia Dei dicitur voluntas benefaciendi creaturæ.

Juſti-

Juſtitia verò Dei dicitur, condecentia ſuæ bonitatis circa creaturam. Secundo modo accipiuntur Miſericordia & Juſtitia ſtrictè & propriè: & ſic miſericordia Dei, dicit voluntatem Dei ad ſubveniendum miſeris præter merita: Juſtitia verò dicit voluntatem Dei retribuendi ſecundùm merita vel demerita: & cùm mereri & demereri ſolùm conveniat rationali creaturæ, patet quòd non in omni opere Dei conjungantur ſimul Miſericordia & Juſtitia ſtrictè ſumptæ, ſed tantùm conjunguntur in opere retributionis, quæ fit creaturæ rationali.

Dicunt ergo Theologi, quòd Juſtitia & Miſericordia largè acceptæ conjungantur in omni opere Dei: nam imprimis adeſt Juſtitia, in quantum Deus in omni opere ſuo facit juxta condecentiam ſuæ bonitatis. Adeſt etiam Miſericordia, in quantum Deus in omni opere habet voluntatem benefaciendi creaturæ. Quod adeo verum eſt, ut Deus etiam in punitione reproborum habeat voluntatem benefaciendi: tum quia hæc punitio reproborum bona eſt Electis, ut terrore pœnæ caveant peccata, propter quæ homines damnantur: tum etiam quia Deus reprobos punit citra condignum, ut mox dicitur. At verò Juſtitia & Miſericordia ſtrictè acceptæ, non ſunt in omni opere Dei conjunctæ: tum quia Miſericordia ſolùm dicit voluntatem Dei ad ſubveniendum miſeris præter merita: tum quia Juſtitia ſtrictè ſumpta dicit voluntatem Dei retribuendi ſecundùm merita vel demerita: & etiam mereri vel demereri ſolùm ſit rationalis creaturæ, clarè ſequitur, quòd non in omni opere Dei Juſtitia & Miſericordia ſtrictè ſumptæ conjungantur, ſed tantùm in opere retributionis, quæ fit creaturæ rationali. Hoc præmiſſo

Dico primò, quòd in omni opere Dei reperiatur Juſtitia, quatenus in omnibus operatur ſecundùm condecentiam ſuæ bonitatis. Reperitur etiam in omnibus operibus Dei Miſericordia, prout ſignificat voluntatem benefaciendi creaturæ, vel prout dicit remotionem alicujus defectus. Prout autem Miſericordia dicit ſublevationem veræ miſeriæ, ſolùm reperitur in operibus circa creaturam rationalem: & prout Iuſtitia dicit voluntatem retribuendi propter merita vel demerita, ſolùm fit & exercetur circa creaturam rationalem. Ita S. Thomas 1 part. Q. 21. art. 4. Hæc concluſio patet ex dictis.

Probatur tamen *prima pars.* Nam in operibus, in quibus reperitur debitum, etiam reperitur Iuſtitia; ſed in omnibus operibus Dei reperitur debitum: Ergo etiam Iuſtitia, putà largè ſumpta. Probatur Minor. Nam debitum, quod ex divina Iuſtitia redditur, vel eſt debitum Deo vel Creaturæ; ſed utrumque Deus in operibus reddit: Ergo. Probatur Minor. Nam imprimis in operibus Dei redditur id, quod eſt debitum Deo, dum nimirum Deus facit id, *quod eſt conveniens ſuæ ſapientiæ & bonitati:* redditur etiam id, quod eſt debitum creaturæ, dum in ea facit, quod tali rei ſecundùm exigentiam ſuæ naturæ competit. Ut v. g. cùm Deus igni tribuit caliditatem, & aquæ humiditatem, in quo Deus ſervat aliquem quaſi modum Iuſtitiæ commutativæ: ſi autem ignis conſideretur non ut aliquod totum in ſe, ſed ut pars aliqua univerſi ad aliam compartem, ſic Deus ſervat Iuſtitiam diſtributivam reſpectu ignis, dando ei caliditatem, & aſſignando ei certam ſphæram, ſicut etiam certam ſphæram aſſignavit aquis. Legem enim ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos. Ergo.

Probatur *ſecunda pars.* Opus Iuſtitiæ præſupponit opus miſericordiæ, & in ea fundatur: ſed in omnibus operibus Dei reperitur Iuſtitia, ut modo probatum eſt: Ergo etiam in omnibus operibus Dei invenitur miſericordia, putà prout hæc dicit voluntatem beneficiendi creaturæ, & remotionem alicujus defectus. Probatur Major. Quia creaturæ nihil debetur, niſi propter aliquid in ea præexiſtens, & proveniens à ſola voluntate, bonitate & miſericordia Dei: ſicut habere manus eſt homini debitum propter animam rationalem, quæ tanquam forma corporis humani requirit quantum eſt *de ſe*, corpus habens manus: habere autem animam rationalem convenit ei, quia homo eſt: quòd autem ſit homo, habet per divinam voluntatem & miſericordiam. Ergo.

Probatur *tertia pars.* In eo ſolo opere requiritur vera & ſtricta miſericordia, per quod removetur ab aliquo vera miſeria: ſed à creatura rationali tantùm poteſt removeri vera miſeria, cùm ſola creatura rationalis poſſit eſſe verè fœlix per gratiam conſummatam, & viſionem beatificam: Ergo etiam tantùm in opere circa creaturam rationalem reperitur miſericordia, prout hæc dicit ſublevationem veræ miſeriæ.

Probatur *quarta pars.* Quia ut dictum eſt, Iuſtitia ſtrictè talis, reſpicit retributionem propter merita vel demerita: quæ retributio etiam tantùm exercetur circa creaturam rationalem tanquam circa illam, quæ tantùm mereri vel demereri poteſt. Ergo.

Dico ſecundò. In divinis operibus magis relucet divina miſericordia, quàm Juſtitia.

Probatur & explicatur concluſio. Quia cùm Deus ſit ſummum & infinitum bonum, hinc eſt maximè ſui diffuſivus & communicativus; & maximè cupit per communicationem ſuorum donorum ſublevare miſerias & defectus à rebus, maximè autem à creaturis rationalibus. Unde S. Bernardus ſerm. 5. de Natali Chriſti Domini obſervat: quòd Deus vocetur Pater Miſericordiarum, non autem judiciorum vel ultionum. Unde etiam Eccleſia canit: Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Et Propheta David ait: Miſericordia Domini ſuper omnia opera ejus. Item Deus cauſam & originem miſerandi ſumit ex proprio: cauſam autem judicandi vel ulciſcendi magis ſumit ex noſtro delicto.

Explicatur magis Concluſio. Miſericordia Dei (quæ præſupponit omnipotentiam Dei, juxta illud Eccleſiæ: Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas) ubique locorum eſt diffuſa, ita ut nulla creatura ſit, à qua Deus per bonitatis ſuæ communicationem non repellat aliquem defectum. Unde & Pſalmiſta Pſalmo 32. Miſericordiâ Domini plena eſt terra. Addit etiam S. Auguſtinus ſuper dictum Pſalmum. Quòd non ſolùm terra, ſed etiam cœlum ipſum miſericordiâ Dei repleatur. Ait enim. Omnia indigent Domino, & miſera & fœlicia: ſine illo miſeri non ſublevantur, ſine illo fœlix non regitur. Imò quod magis mirum eſt, miſericordia Dei deſcendit in inferiores partes terræ, & ipſum infernum pervagatur, quia Deus ibi punit citra condignum (ut notat

S. Auguſtinus ſerm. 6. ad fratres in Eremo, his verbis: Iuſtis & injuſtis, beatis & damnatis, miſericordiam cum juſtitia ſemper oſtendit miſericors Dominus) Deus enim beatis pro operibus bonis tranſitoriis dat gloriam æternam, & præmiat eos ultra condignum; malis autem dat pœnam, qui majorem merentur habere propter ſua commiſſa, ita ut adhuc conſervet illorum damnatorum *eſſe*. Unde etiam damnati poſſunt dicere illud Thren. 3. Miſericordiâ Dei quia non ſumus conſumpti.

Dices primò, in Iuſtificatione impii tantùm eſt Miſericordia, non autem Iuſtitia, quod ſic oſtenditur. Quia omnis Iuſtitia præſupponit meritum; ſed in Iuſtificatione impii, nullum præcedit meritum in impio: Ergo in juſtificatione impii non eſt Iuſtitia.

Reſpondetur, quòd in juſtificatione impii præcedat motus liberi arbitrii attritionis, propter quam aliqua ratio Iuſtitiæ videtur eſſe, quòd Dominus infundat ſibi gratiam. Similiter eſt ibi ratio Iuſtitiæ ex parte Dei, qui quodammodo debitor efficitur pœnitenti propter promiſſionem ſuam. Unde Gloſſa ſuper illud Pſalmi, Ut juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas, ait. Deus hoc permiſit, ut peccatoribus pœnitentibus veniam largiretur. Et ſic in juſtificatione impii ex utraque parte ratio Iuſtitiæ reperitur.

Dices ſecundò, In opere creationis non invenitur Iuſtitia, quia illa præſupponit meritum; nec reperitur Miſericordia, quia hæc præſupponit miſeriam: Creatio autem nihil ſupponit: Ergo in opere creationis non reperiuntur ſolùm Iuſtitia & Miſericordia.

Reſpondeo ex dictis, quòd ibi reperiantur Iuſtitia & Miſericordia largo modo acceptæ.

Dices tertiò, Parvuli baptizati affliguntur infirmitatibus & morte; quod tamen videtur eſſe injuſtum, quia ſunt liberati à peccato originali, & conſequenter etiam à pœna peccati: Ergo in morte parvulorum non ſervatur Iuſtitia.

Reſpondeo, quòd peccatum originale ſequatur duplex pœna. Una pœna ſequitur peccatum originale in quantum eſt præcisè infectivum perſonæ; & hæc pœna peccato debita, eſt carentia divinæ viſionis. Alia eſt pœna peccato originali debita in quantum illud peccatum eſt infectivum naturæ; & quantum ad hoc, ſequuntur ad peccatum, pœnæ quæ ex defectu cauſantur propter ablationem doni Iuſtitiæ originalis. Itaque Baptiſmus delet pœnam debitam peccato originali, in quantum eſt vitium perſonæ, non autem in quantum eſt vitium naturæ; & ideo Baptiſmus aufert carentiam Viſionis Dei, ſi parvulus moriatur: non autem aufert pœnalitates, quæ naturam conſequuntur, ex defectu ſuorum principiorum materialium, poſt ablutionem peccati originalis: adeoque Baptiſmus baptizatum ſolvit quidem à reatu mortis animæ, manet tamen ſub reatu mortis corporeæ, & aliarum pœnarum naturam corporis corporaliter conſequentium.

Dices quarto, non videtur eſſe Iuſtitia, quòd unus homo pro peccato alterius puniatur; & tamen Deus hoc fecit, ſicut pro peccato Cain maledictus fuit Chanaan filius ejus Gen. 9. Et pro peccato David (qui populum numeraverat) percuſſus atque punitus eſt populus 2 Reg. ult. Ergo ſaltem in his operibus Deus non ſervavit Iuſtitiam.

Confirmatur Exodi 12. Aaron & populus peccaverunt in adoratione vituli; & tamen ſolùm populus fuit punitus, non autem Aaron (ut ibidem legimus) Ergo Deus fuit acceptor perſonarum, & conſequenter non ſervavit Iuſtitiam. Reſpondetur ad argumentum cum S. Auguſt. ſuper caput 7. Ioſuæ, quòd in pœnis æternis nunquam unus homo pro alio puniatur; bene tamen in pœnis temporalibus quandoque unus homo pro alio punitur. Et hujus triplex poteſt aſſignari ratio.

Prima ratio eſt. Quòd pœna æterna non infligatur alicui pro bono patientis illam, ſed ad vindictam culpæ commiſſæ; at verò pœna temporalis frequenter infligitur pro bono patientis, & etiam aliorum, ut magis caveant peccatum: propter quod ſubinde ſolet affligi proximus, imò civitates integræ.

Secunda ratio eſt. Quia quantum ad corpus, unus homo eſt Rex alterius vel ſubditus, ſicut filius patris & ſervus domini: & ideo filius punitur quandoque pro peccato patris temporaliter, & ſervus pro peccato domini: Sed quantum ad bonum animæ, quilibet gerit perſonam ſuam. Itaque Pater & Dominus peccans, puniuntur per ſe; filius autem & ſervus puniuntur per accidens in quantum res eorum: & ſic Chanaan pro Caino punitus eſt, & eſt ſenſus: Non lætaris tu de filio tuo, ſicut nec ego de te.

Tertia ratio eſt ſecundùm Gregorium, Quòd quandoque unus ſit particeps culpæ alterius; ſicut quandoque propter culpas ſubditorum permittuntur Prælati cadere in peccatum; *& ideo* pro peccato talis Prælati, meritò puniuntur ſubditi: ſicut Davide peccante, populus punitus eſt, ut argutum fuit.

Reſpondetur ad confirmationem, Quòd Aaron fuerit punitus, ſicut & populus, non tamen pœnâ manifeſta: in ſignum, quòd Prælati non debeant manifeſtè puniri ſed occoltè ad vitandum ſcandalum. Pœna autem dicitur fuiſſe in Aarone & in filiis ejus, quod in ſacrificio vitulæ ruffæ immundi efficiebantur, ut patet ex cap. 19. Numerorum.

Dices quintò. In prædeſtinatione nulla eſt Iuſtitia, & in reprobatione nulla eſt Miſericordia: Ergo falſum eſt, quòd in omni opere ſint Iuſtitia & Miſericordia. Antecedens probatur ex illo ad Rom. 9. Cùm nondum nati eſſent, & priuſquam aliquid boni vel mali egiſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Ergo.

Reſpondetur. Quòd in prædeſtinatione & reprobatione, ut connotant ſuos effectus in creatura, adhuc ſalventur Iuſtitia & Miſericordia largo modo acceptæ, ut explicatum fuit, licèt ſtricto modo ibi reperiantur.

Porrò in converſione tam Gentium quàm Iudæorum, ſervavit Deus Iuſtitiam largè ſumptam, in quantum utrobique erant condecentia divinæ voluntatis & bonitatis, qua tam Iudæi quàm Gentes vocabantur ad præmium, quia tamen in utriſque fuerat inſufficientia meritorum, ideoque rectè utrobique aderat divina Miſericordia.

LE-

LECTIO LIV.

TEXTUS.

Condemnat autem Iuſtus mortuus vivos impios: & Iuventus celeriùs conſummata, longam vitam Injuſti.

EXPLICATIO TEXTUS.

Condemnat autem Juſtus mortuus vivos impios, & Juventus celerius conſummata, longam vitam Injuſti. Quaſi dicat: evidenter apparet malitia paccatorum diu viventium, in comparatione ad Iuſtos io joventute & florente ætate jam conſummatos eſſe, & atigiſſe omnium virtutum perfectionem, quam impii & injuſti etiam poſt plurimos longæ vitæ ſuæ aonos oollarenus attigerunt. Et ideo jovenis boous in brevi tempore *conſummatus*, id eſt, *perfectus*, *condemnat*, id eſt, coodemnabilem oſtendit longam vitam Injuſti. Nota hîc quòd in aliqua Republica ſive communitate ſemper ſit maximè cura habenda circa Iuventutem debitè inſtruendam in bonis operibus exerceodis. Ita namque monemur Eccl. 3. ubi ſub metaphora de equo indomito ſic dicitur: Equus indomitus evadet durus, & filius remiſſus evadet præceps. Et infra: Non des ilii poteſtatem in Iuventute, & ne deſpicias cogitatus illius: curva cervicem illius in Iuventute, & tunde latera ejus, dum infans eſt. Vult dicere; quòd ſicut equus indomitus facilè labitur in præceps, ita etiam Iuvenis ſuæ libertati relictus facillimè ruit io vitia. Et ideo rectè dicit Philoſophus 10 Ethic. cap. 9. Neceſſarium eſt fieri quaſdam regulas pro Iuvenibus, qoibus compellantur ad mores: & cùm ſint pleni paſſionibus voloptatum, non poſſunt addiſcere delectari io virtutibus, niſi ſecuodùm booas leges informentur.

Porrò Iuvenes traoſgredientes bonas leges, indigent caſtigatione noo modicâ, propter diverſa deſideria, quæ contra rationem caro calida cauſat, dum durat tempus Ioventutis. Unde rectè dicit Apoſtolus 2 ad Timoth. 2. Iuvenilia deſideria fuge. Audiant hoc omnes parentes, & quotqnot curam animarum habent. Occaſione hujus diſcurſus de Iuvenibus inſtruendis & caſtigandis, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm Juventus ſit moribus informanda, arctiùs caſtiganda, parciùs ſuſtentanda, & mitiùs judicanda?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd Iuventus ſit *moribus informanda* Nam hoc fecerunt aotiqui Gentiles tripliciter: videlicet ſcripturis librorum, picturis geſtorum, & figuris ſignorum. Nobiles enim antiqui explorarunt, qui meliores fuerunt Philoſophi, & accuratiùs Philoſophiam ſuam ſcripſerunt, & talibus Philoſophis tradiderunt ſuos filios informandos tam in literis quàm io moribus. Unde Trajanus Plutarchum, Nero Senecam, & Alexander Magnus Ariſtotelem habuerunt pro magiſtris, & ſummè cavebant oe à talibus magiſtris aliquid diſſolutionis vel minimæ levitatis addiſcerent.

Item nobiles Gentiles docuerunt Juvenes *Picturis geſtorum.* Unde ſicut narrat quidam expoſitor ſuper Juvenalem lib. 1. ſatyr. Nobiles Romani ſic diſpoſuerunt actiones ſuas per ſingulos dies; qoòd ſummo mane omnes ſimul adibant arcus Triumphales, in quibus anteceſſores ſui depicti erant cum armis & cautelis, quibos dimicaverunt contra ſuos hoſtes; ut ſcilicet Juvenes illis viſis accenderentur ad virtutes per glorioſa geſta anteceſſorum ſuorum. Poſtquam igitur arcus Triumphales ioſpexerunt, iverunt deiode ad templom Apollinis; deinde verò Iudices deſcenderunt ad forum, ut cauſas tractarent, & Senatores ad Capitolium iverunt, ut de communi otilitate Reipublicæ deliberarent. Et ſic tempus ſoomuſque ad horam nonam impenderunt. Ne autem Iuveoes à bonis occupationibus impedirentur per totum tempus ante horam nonam, ordinatum fuit, quòd Meretrices pro nullo cenſu proſtibula ſua egredereotur ante nonam, ne Iuvenes à ſuis informatiooibus, & viri à conſilio Reipublicæ per delectatiooes libidinoſas aliquatenus turbareotur. Et hæc eſt ratio ſecundù n Hogonem quare Meretrices *Nonariæ* apud Romanos vocabantur, quia videlicet ad horam nonam licuit eis egredi domibus ſuis, & non aotea.

Præterea etiam Iuvenes à Gentilibus olim ad bonos mores ſtimulabaotur *per figuras ſignorum.* Unde narrat Macrobius primo Saturnalium: Quòd apud Romanos pueri Nobilium quâdam utebantur veſte quæ dicitur *prætexta*; & inde pueri nobiles vocabantur *prætextati*: habebant enim coram pectore ſuo bullam quandam auream habentem figuram cordis humani. Prætexta autem erat de purpura, quæ eſt rubei coloris; ut pudore ſuæ nobilitatis à vitiis ſe ſubtraherent: & cordis imagioem aote pectus portabant, ut inſinuarent ſe tunc verè nobiles eſſe, ſi corda recta & booa haberent. Hæc Macrobius.

Patet ergo ex dictis, qoòd Juventus primò ſit moribus informanda; & ideo rectè dicitur Eccl. 12. Memento Creatoris tui in die Iuventutis tuæ.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd Iuventus ſit *arctiùs caſtiganda*; & ideo Proverb. 3. dicitur: Curva cervicem ejus, dum juvenis eſt.

Conſtat quòd aves ſuos fœtus, ſeu pullos ſuos, ſecundùm conditionem naturæ ſuæ doment & caſtigent. Sed quot ſont homines moderno tempore qui proles ſuas non caſtigant, & ita permittunt perire? ſic Heli Sacerdos negligens filiorum ſuorum delicta ſofficienter punire, damnatus fuit. Unde Beda ait: Quia Heli ferâ pietate ſuperatus eſt, & ferire delinquentes filios noluit, ideo apud diſtrictum Iudicem ſeipſum cum filio crudeli damnatione percuſſit. Nec ſufficit, quòd Heli filios ſuos verbis aliqualiter corripuerit, 1 Reg. 2. dicens: Non eſt bona, inquit, hæc fama quam aodio de vobis. Non, inquam, hoc ſufficit: quia hoc erat nimis mo-

modicum ad correctionem illorum malorum ſnorum filiorum.

Explicatur *tertia pars.* Quòd Iuventus ſit *parcius ſuſtentanda*, ad hoc ut facilius aſſueſcat ſobrietati. Unde dicit Apoſtolus ed Titum 2. Iuvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint. Narrat S. Auguſtinus Lib. 9. Confeſſ. cap. 8. de bone Matrona quòd curem habuerit quarundam filiarum nobilium, eratque in illis coërcendis ſancta ſeveritate vehemens, dum erat opus, adeòque ſtricta ut pro ſobrietate ſervenda interdiu filiabus illis ſiti laborantibus nec equam conceſſerit, præcavens conſuetudinem malam & dicens: Modò aquam bibitis in menſa quie vinum non habetis in veſtra poteſtate; cùm eutem ad maritos veneritis factæ Dominæ, Apothecatum aqua ſordebit, ſed mos potandi permanebit.

Explicatur *quarta pars.* Quòd Iuventus ſit *mitiùs judicanda.* Non enim eſt deſperandum ſi frequenter peccet. Unde ſignanter petivit Pſalmiſte dicens: Delicte juventutis meæ & ignoranties meas ne memineris. Sæpius fit quòd nimius rigor Iuvenes non ſic flectat ed bonum, quàm aliquod ſuave verbum: ſicut Moyſes loquens ad petram elicuit aquam ex ille, quam baculo percutiendo elicere ex ea non potuit. Sæpe etiam fit quòd Iuvenes indies in judicio rationis creſcentes, ſuaves correctiones ſibi factas fortiter cordi ſumant, & ite anteactam vitam malam deſerent, ut ne quidem illius recordentur, nec æſtiment annos juventutis, in quibus malè vixerunt, eſſe ennos ſuæ vitæ. Pro quo in hiſtorie Berlaam, quam Ioannes Dameſcenus dicitur compilaſſe, refertur: quòd idem Barlaam Monechus ſolitarius primò fuerit, & poſtea magiſter cujuſdam Regis filii, qui dicebatur Ioſephat: itaque iſte Ioſaphat puerulus quæſivit à Barlahamo cujus eſſet ætatis, his verbis: Dic mihi, inquit, Pater, quot annorum es, & ubi converſeris, quia à te nunquam volo ſeperari? At ille reſpondit, annorum ſum 45. in deſertis terræ Sennaar degens. Ad quem converſus Ioſaphat ait: ampliùs mihi epperes, Peter, quàm 70 annorum. Tum ille, Si à nativitate mea omnes ennos meos quæris diſcere, benè æſtimaſti; ſed nullo modo à me in menſuram vitæ computantur, quotquot in vanitate mundi expenſi ſunt: tunc enim in interiori homine mortuus erem, & annos mortis nunquem ennos vitæ nominabo. Similis reſponſio fuerat illius qui diu vixit in ſæculo, & tantùm 17 ennis vixit in religione: hic alicui ætatem ſuam interroganti, reſpondit, *Vixi.* Iterumque interroganti quot ennis vixerit, reſpondit *Vixi*, & eddidit, dum *vixi vixi*, *quantum vixi tibi dixi.* Nam in ly *vixi* omnes charecteres aliquem numerum ſignificant, qui ſimul juncti exprimunt numerum decimum ſeptimum.

LECTIO LV.

TEXTUS.

Videbunt enim finem Sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus. Videbunt enim finem Sapientis & contemnent, illos autem Dominus irridebit.

EXPLICATIO TEXTUS.

V*idebunt*, puta mali & reprobi perſecutores Juſtorum.

Finem Sapientis, id eſt, *Martyris*, ut dicit gloſſa interlinearis.

Et non intelligent, propter malitiem excæcantem; unde dicitur 2 Cor. 4. Deus excæcavit mentes infidelium ut non fulgeat in eis illuminatio Evengelii. Non itaque intelligent,

Quid de illo, id eſt, de ſapiente,

Cogitaverit Deus, id eſt, qualiter præparaverit Deus iſti Juſto coronam pro cinere, oleum pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Quid autem Deus ſuper Juſtos edverſa ſuſtinentes cogitet, ipſe explicat Jeremiæ 29. dicens: Ego ſcio cogitationes, quas cogito ſuper vos, dicit Dominus; cogitationes pacis & non afflictionis, ut dem vobis finem & patientiem.

Et quare munierit illum Dominus, ſupple non intelligent reprobi, quare nimirum Deus munierit Martyrem ermis fidei, ſecundùm Gloſſam.

Videbunt enim & contemnent, id eſt, reprobi videbunt mortem Juſtorum in præſenti, *Et contemnent eos*, neſcientes finem futuræ gloriæ illorum; que ratione dives Epulo contempſit Lazarum, & tamen anima ejus portata eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ Luc. 16 Et per hæc verba tangitur Juſtorum culpe ab impiis ficte.

Illos autem irridebit Dominus, id eſt, dignos irriſione monſtrabit in die Judicii univerſalis: unde Proverb. 1. dicitur: Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſennabo, cùm vobis quod timebetis, advenerit. Et in Pſelm. dicitur: Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Irriſio fit cum cachinnatione oris, & buccarum, ſed ſubſennatio fit cum rugatione naſi. Et ita Spiritus ſanctus vult dicere, quòd Deus oſtendet reprobos omni irriſione eſſe dignos. Circa ille verba Textûs, *Videbunt enim finem ſapientis*,

Notandum, quòd Sapiens dicitur à *ſapore.* Quia ſicut guſtus aptus eſt ad diſcernendum ſapores ciborum, ſic etiam ſpiritus aptus eſt ut diſcernet res & rerum cauſas: At verò inſipiens non eſt ullius diſcretionis. Porrò quia nullus eſt ſapiens à netura (ut dicit Ariſtoteles 6 Ethic. cap. 8.) ideo plura adhuc de Sapientia in præſenti dicenda occurrunt. Sit igitur

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Sapientia acquiratur amore, labore, humilitate ac ſtabilitate.

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars*: Quòd Sapientia acquiratur *Amore*. Dicit enim S. Auguſtinus Lib. 1. de moribus Eccleſiæ, & Monachorum, cap. 29. Sapientia ſi non totis viribus concupiſcatur, acquiri non poteſt; amore quæritur, amore revelatur, amore in ea permanetur: & ideo rectè dicitur Sap. 8. Hanc amavi & exquiſivi à juventute mea. Unde Metricè dicitur:

Diſce libens, & eris ſapiens, & honore frueris
Quod fieri quæris, diſce libens, & eris.

Explicatur *ſecunda pars*. Quòd ſapientia acquiratur *Labore*. Unde narrat Hugo Didaſcop. 2. quòd apud veteres lecticam Philoſophiæ quatuor perſonæ portarint, duæ in ſpecie juvenum præcedentes, & duæ in ſpecie puellarum ſequentes. Juvenes dicebantur *amor & labor*, puellæ verò *cura & vigilia*. In *labore* eſt, ut agas; in *amore*, ut perficias; in *cura*, ut provideas; & in *vigilia*, ut attendas. Unde narrat S. Hieronimus in ſuo Polycrato Lib. 4. quòd Gentiles veteres Sapientiam, quaſi omnium Deorum principem coluerint, & ejus imaginem præ foribus omnium templorum depinxerint, & juxta imaginem ejus iſta verba poſuerint: Uſus me genuit, Memoria me peperit: Sophiam me vocant Græci, vos Sapientiam. Ego odi ſtultos homines, & ignavia opera, & frivolas ſententias. Et hoc eſt quod dicitur Proverb. 2. Si Sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ; ſi quæſieris eam tanquam pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies, quia Deus dat ſapientiam, & ex ore ejus prudentia. Sapientia in ſacris literis figuratur per aurum quod eſt pretioſiſſimum, & inter metalla profundius generatur in terra, & cum majori labore effoditur.

Explicatur *tertia pars*. Quòd ſapientia acquiratur per *humilitatem*. Unde S. Auguſtinus lib. 3. de natura & origine animæ ad Vincentium ait, in principio: Quantum apparet ex donis ingenii, quæ tibi largitus eſt Deus, profectò ſapiens eris, ſi te non eſſe credideris; atque ut ſis ſapiens, ab illo, qui facit ſapientes, piè, ſuppliciter, inſtanterque popoſceris humilitatem, & malueris errore non decipi, quàm errantium laudibus honorari. Et ideo, cùm quidam ſenex de modo diſcendi interrogaretur, teſte Hugone loco paulò antè citato, reſpondit,

Mens humilis, ſtudium quærendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
Hæc reſerare ſolent multis obſcura legendo.

De ſtudio & humili voluntate diſcendi quam Plato habuit, ſcribit S. Hieronimus ad Paulinum Presbyterum hæc verba: Plato Ægyptum & Architam Tarentinum, totamque Italiam, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragravit, uſque Athenis Magiſter erat & potens, cujuſque doctrinas Academiæ & Gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atque diſcipulus, mallens alienâ verecundiâ diſcere, quàm ſua impudenter ingerere. Unde Proverb. 11. dicitur: Ubi humilitas, ibi eſt ſapientia.

Explicatur *quarta pars*. Quòd ad acquirendam ſapientiam requiratur *perſeverantia & ſtabilitas in addiſcendo*. Unde Philoſophos antiquos legimus uſque ad mortem ſtuduiſſe. Teſtatur hoc Valerius Lib. 8. ubi narrat, quòd Carneades uſque ad annum nonageſimum eundem vivendi & philoſophandi morem retinuerit. Item Socrates nonageſimum quartum Annum agens, præſtantiſſimum librum ſcripſit. Criſippus ætatis ſuæ octuageſimo ſubtilitatis magnæ volumen ſcripſit. Et ſimilia plura narrantur de aliis. Huc facit illud Eccl. 6. Fili, à Juventute tua accipe doctrinam, & uſque ad canos invenies ſapientiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quale ſit ſignum cognoſcendi Sapientiam?

Dico quòd ſecundùm Stoicos, ſignum Sapientiæ fuerit patientia, & quidem talis, ut in ſapientem non cadat injuria nec contumelia. Ita expreſſè Seneca ad Serenum, in libro, qui intitulatur: Quòd in Sapientiam non cadat injuria, ubi ſic ait: Epicurus quidem aſſerit injurias intolerabiles eſſe Sapienti, nos autem licèt non negemus rem incommodam eſſe verberari, impelli, vel aliquo membro mutilari: hæc tamen omnia negamus eſſe injurias. Et ideo ſenſum quidem illis doloribus non ſubtrahimus, attamen nomen injuriæ tollimus; unde non valet iſta conſequentia: iſte homo facit mihi injuriam, Ergo ego recipio injuriam. Idem Seneca aſſerit, quòd in Sapientem non cadat contumelia ob ſimilem ferme rationem.

Si autem quæras, Cùr Sapiens, ſi non accipit injuriam vel contumeliam, puniat eos, qui talia ſibi vel aliis inferunt?

Reſpondet Seneca quòd non ſe ulciſcatur ſed illos tantùm emendet, nec tamen iraſcitur. Nam quis Medicus phrenetico iraſcitur? & quis accipit in partem deteriorem murmura febricitantis, cui prohibitum eſt bibere aquam frigidam? Sic etiam Sapiens non iraſcitur quando alii iniquè contra ſe operantur. Unde rectè dicitur Eccl. 20. Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus: laſcivus autem & imprudens non ſervabit tempus.

ARTICULUS TERTIUS.

An actus Sapientiæ ſint, informare mores, reprobare errores, & ordinare inferiores? & quis ſit fructus Sapientiæ?

Dico primò. Actus Sapientiæ ſunt informare mores, reprobare errores, & ordinare inferiores.

Ita Ariſtoteles 1 Elenchorum, ubi ait: Opus eſt ſcientem non mentiri, & mentientem poſſe

 ma-

manifeſtare. Primum pertinet ad *informationem*, ſecundum ad *reprobationem*.

Quòd autem officium Sapientis etiam ſit *ordinare inferiores* conſtat ex Ariſtotele 1 Metaph. ubi ait: Quòd inter ea, quæ homines de Sapientiæ concupiſcunt, communiter eſt iſtud, quòd ad eum pertineat ordinare. Et ideo in aureo ſæculo ſoli ſapientes gubernabant, ſicut dicit Seneca in cap. 92. Et S. Hieronymus in ſuo Polycrato Lib. 4. ait: Romanos Principes dum eorum Reſpublica viguit, non memini illiteratos extitiſſe & neſcio quomodo contigit, quòd poſtquam in Principibus languit virtus litterarum, armatæ militiæ infirmata ſit manus, & quaſi radix eſt præciſa ipſiuſmet Principatûs. Unde quidam Rex Romanorum ſcribens epiſtolam cuidam Regi Francorum, ut filios ſuos in litteris erudiri faciat, ſic ait: Rex, inquit, illiteratus eſt quaſi Aſinus coronatus. Et ideo factum eſt, quòd Carolus ſtudium Româ Pariſios tranſtulerit. De eodem etiam Carolo refertur, quòd omnes artes liberales habuerit in ſuo palatio miro modo pictas. Et de Davide dicitur, quòd habuerit Sapientiam ſicut Angelus Dei. Nec mirum, quòd in Regibus vel Principibus requiratur Sapientia, quia nulla communitas ſine ſapientibus regi poteſt; & ideo Sap. 6. dicitur: Multitudo Sapientum ſanitas eſt orbis terrarum.

Dico ſecundò, fructus veræ Sapientiæ eſt, habere rectam viam ad vitam æternam.

Ita expreſsè colligitur ex Eccl. 6. ubi dicitur: Quid habet ampliùs ſapiens à ſtulto, & quid pauper, niſi ut pergat illuc, ubi eſt vita. Et Sap. 6. dicitur: Concupiſcentia Sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.

LECTIO LVI.

TEXTUS.

Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum. Quoniam dirumpet illos inflatos ſine voce, & commovebit illos à fundamentis, & uſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes, & memoria eorum peribit.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus declaravit, quòd perſecutores Juſtorum decipiantur in præſenti per ignorantiam craſſam, in iſta lectione declarat qualiter in altero mundo patientur per pœnarum tolerantiam. Tanguntur autem ſeptem pœnalitates damnandorum, quæ ſunt iſtæ; Dejicientur cum confuſione: affligentur cum deſpectione: repellentur ſine reſponſione: deſtituentur authenticatione: punientur ſine conſolatione: conterentur ſine condonatione: & ſupprimentur ſine recordatione. Et iſta juſtè patientur propter ſeptem malitias quas tyranni & mali homines contra ſanctos & juſtos in hac vita exercuerunt.

Fuerunt enim impii ambitioſi ad honores, & ideo dejicientur cum confuſione: & quia fuerunt contumelioſi perterritores, ideo affligentur cum deſpectione: quia autem fuerunt argumentoſi cavillatores, repellentur ſine reſponſione: quia verò erant facinoroſi ſupportatores, deſtituentur authenticatione: rurſus, quia fuerunt pernitioſi perſecutores, punientur ſine conſolatione: & quia erant voluptuoſi lactatores, conterentur ſine condonatione: ac denique quia fuerunt oblivioſi contemptores, ſupprimentur ſine recordatione.

Explicantur hæ ſeptem pœnalitates. Nam in primis, quia impii fuerunt ambitioſi ad honores, dejicientur cum confuſione, & quantùm ad hoc, dicit primò ſic: *Et erunt poſt hæc*, id eſt, poſt hanc vitam, vel poſt peccata multa perpetrata, *decidentes ſine honore*. Quaſi dicat, non ſolùm erunt cadentes, ſed per violentiam decidentes; unde rectè in Pſal. Decidant à cogitationibus ſuis ſecundùm multitudinem impietatum eorum; expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine; decidant à cogitationibus ſuis ſuperbis, quibus honores ambiebant & dignitates; decidant, inquam, cum Diabolo, qui eſt caput ſuperborum, & projiciantur in infernum videntibus omnibus electis Dei horribilem caſum illorum in ſupremo & univerſali judicio; ſic mandante juſtiſſimo Judice Chriſto, qui tunc apparebit cum poteſtate magna & majeſtate; qui damnatis dicet: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.

Secundò. Quia impii fuerunt contumelioſi perterritores, affligentur cum deſpectione, & propter hoc dicit: *Quòd erunt in contumelia.* Quaſi dicat: Tales impii non ſolùm punientur per opus aliquod contumelioſum, ſed etiam per ſermones contumelioſos. Nam quilibet reprobus afficietur ab aliis ſummis contumeliis, & ſeſe invicem maledictionibus & improperiis vexabunt, & quidem in tali loco, nimirum in inferno, ubi non erit ſpes alicujus auxilii, nec ſpes quòd unquam cruciatus illi ceſſabunt. Unde S. Gregor. 6. Moralium ſuper illud Joannis 20. (Luet, qui fecit omnia, nec tamen conſumetur) ſic diſcurrit: Non, inquit, morte conſumitur, quia ſi conſumeretur vita morientis, etiam pœna finiretur; ſed ut ſine fine crucietur, vivere in pœna compellitur; ut cujus vita mortua hic fuit in culpa, illuc mors ejus vivat in pœna. Luet ergo, qui fecit omnia, nec tamen conſumetur; quia cruciatur & non extinguitur, moritur & vivit, deficit & ſubſiſtit, finitur ſemper & ſine fine eſt; hæc ex ſolo auditu ſunt valde horribilia, quantò magis paſſione? Hæc S. Gregorius.

Ex his patet quòd illud ſit erroneum, quod à quibuſdam Apocryphis fingitur, de revelatione facta cuidam perſonæ, quòd die ſabbati animæ damnatorum ab hora nona uſque ad horam nonam diei Dominicæ ſint in refrigerio, quod tamen eſt falſum; ſi enim damnatorum pœna non ſemper duraret, non eſſet perpetua: quidquid enim perpetuum eſt, debet eſſe continuum & æternum, itaque tales fictæ narrationes non ſunt audiendæ.

Tertiò, Reprobi, quia fuerunt argumentoſi cavillatores, repellentur ſine reſponſione; & quantùm ad hoc dicitur in textu: *Quoniam diſ-*

rumpet

rumpet illos inflatos; id eſt, qui parùm antè fuerunt inflati verbis, legibus & falſis allegationibus; & ideo dicitur, quòd *Deus diſrumpet illos*, (diſruptio autem fit cum impetu & ſubitò) monſtratis eorum malefactis, ſine voce cujuſcunque excuſationis.

Quartò, Reprobi, quia fuerunt facinoroſi ſupportatores, deſtituentur authenticatione; & quantùm ad hoc, dicit: quòd *Commovebis illos à fundamentis.* Et hoc eſt ſpecialiter dictum contra malos miniſtros, conſiliarios & balivos. Iſti enim funguntur authoritate quadam Dominorum, ſicut Cauſarii, Juſtitiarii & alii etiam multi officiales loquuntur ſemper in perſona Principis, cujus authoritatem habent: unde tales ſæpe injuſtum pro juſto decernunt, quia fundamentum totius negotii fingitur eſſe Principis. Ex quo fit, quòd tales, etiam quos volunt, ſupportant & excuſant, & quos volunt, condemnant, ſemperque pro ſe habent regiam poteſtatem & authoritatem. Sed certè in die Judicii deſtituentur iſta authenticatione; quia quivis debebit reſpondere pro ſeipſo; & ideo bene dicitur in textu: *Et commovebis illos à fundamentis.* Per oppoſitum verò de homine Juſto dicitur: Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem, quia fundamenta ejus in montibus ſanctis. Quidquid enim juſti ſive ad partem, ſive judicialiter allegant ex propoſito, totum emanare debet de montibus ſanctis, id eſt, de doctrina Sanctorum.

Quintò, Reprobi, quia fuerunt pernicioſi perſecutores, ideo punientur ſine conſolatione, & quantùm ad hoc, dicitur: *Quòd uſque ad ſupremum deſolabuntur*, pro tanto: quia licèt punientur citra condignum, nihil tamen dimittetur impunitum. Unde S. Gregorius 4 Dialogorum ait: Sicut multi in hoc mundo ſub uno ſole conſiſtunt, nec tamen æqualiter ejus calorem ſentiunt, ſed unus plus & alter minus: ita illic in uno igne, non eſt unus modus incendii, quia quod hîc facit diverſitas corporum, illic agit diverſitas peccatorum; ut & ignem non diſſimilem habeant, & tamen eoſdem diſſimiliter exurat. Hæc S. Gregorius.

Sextò. Quia reprobi fuerunt voluptuoſi leccatores, ideo conterentur ſine condonatione: & quantùm ad hoc, dicit: *Quòd erunt gementes.* Eſt nota hiſtoria de quadam Juvencula in Francia, quæ cùm per annum cum Amaſio ſuo lubricè vixiſſet, & tandem impræguata fuiſſet, & derelicta, cœpit flere & gemere & inconſolabiliter contriſtari: à qua cùm quidam quæſiviſſet cur tantùm ploraret? reſpondit: Deploro gaudium anni præcedentis. Sic itaque iſta puella non deplorabat ſuum peccatum, ſed ſolùm flevit, quòd non ampliùs poſſit frui gaudio tali carnali ſicut fruita fuit anno præcedenti, adeoque puella illa manſit ſine ulla pœnitentia de ſuo peccato. Et ideo juſtum eſt, quòd ii, qui ſine pœnitentia dant ſe voluptatibus carnis in hac vita, poſtea gemant in altera. Et ſi cauſa à talibus ſine pœnitentia mortuis quæratur, reſponſio illorum eſt: Gemimus & ploramus gaudium vitæ præteritæ. Huc facit illud Nahum 2 Minabantur gementes ut columbæ. Columbæ ſunt aves multùm lubricæ, & naturaliter habent gemitum pro cantu; in ſignum, quòd omnes, qui ſe libidini mancipant gemunt vel gement: & ideo Sapient. 11. dicitur: Duplex enim illos acceperat tœdium, gemitus cum memoria præteritorum.

Septimò, Reprobi, quia fuerunt oblivioſi contemptores, ideo meritò ſupprimuntur ſine recordatione; & quantùm ad hoc rectè dicitur in textu: *Quòd memoria eorum peribit.* Econtra de Juſto dicitur: In memoria æterna erit Juſtus. Apud Romanos moris erat, quòd nomina ſeniorum & Judicum in tabulis æreis ſcripta fuerint, & ideo vocabantur Patres Conſcripti: quando autem contingebat, quòd aliquis delebatur, fuit pro maximo ſcelere & perpetua confuſione tali homini ejecto reputatum. Iſto modo multi ſcribuntur ſecundùm præſentem Juſtitiam in Eccleſia militante: quidam ſunt Epiſcopi, quidam Religioſi, & quidam Clerici, quidam Rectores & Curati, quibus ſine dubio erit maximus pudor, ſi in die Judicii in libro vitæ non inveniantur; & fiant de numero eorum, de quibus dicit Pſalmiſta: Periit memoria eorum cum ſonitu. Et iterum: Deleantur de libro viventium, & cum Juſtis non ſcribantur. At verò per contrarium de Sanctis dicitur Apoc. 3. Qui vicerit, veſtietur veſtibus albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ. Circa reprobos argumentoſos Cavillatores, de quibus paulò antè dictum fuit,

Notandum eſt, quòd injuſti Advocati & Juriſtæ frequenter antequam moriantur, deſtituantur voce, nec linguam movere poſſint ad loquendum: rectè autem taliter à Deo caſtigantur, quia non eſt juſtum, quòd aliquis idem vendat alteri & retineat ſibi. Iſti autem falſi Advocati, malè & injuſtè vivendo, linguam, vocem, ſenſum & facundiam ſuam aliis vendiderunt, falsè allegando & injuſtè judicando contra conſcientiam, malitioſè objiciendo, & perversè ſuggerendo: & ideo juſtum eſt, quòd quando indigent voce, eâdem priventur: unde Iſaiæ 5 dicitur: Venditi eſtis iniquitatibus veſtris. De iſtis loquitur Solinus Sidonius in quadam epiſtola, dicens: Vidi, inquit, morbum incurabilem, ad quem curandum non inveniebatur medicus; ſed nunquam inveni cauſam adeo deperditam, quin ad eam tuendam inveniretur Advocatus aliquis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm falſi Advocati ſint deteriores Meretricibus, rectèque aſſimilentur ſtellis errantibus, linguæ ſtateræ, & Cherubino tenenti flammeum & verſatilem gladium?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd falſi Advocati ſint deteriores *Meretricibus*; quia meretrices vendunt partem ſui corporis magis abominabilem: iſti autem Advocati falſi, vendunt partem ſui corporis nobiliſſimam, nimirum linguam & os.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd rectè comparentur *ſtellis errantibus.* Nam Advocati deberent quidem eſſe ſtellæ fixæ, & ſolùm deberent moveri motu *firmamenti*, id eſt, veritatis; Pro-

propter quod Proverb. 12. dicitur: Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Sed certè falſi Advocati omnes inveniuntur ſtellæ erranticæ, quia moventur duplici motu, nimirum contra veritatem propter munera, & quandoque pro veritate, ducti propria conſcientiâ; & ideo de illis ſtellis dicitur Job 25. Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus.

Explicatur *tertia pars.* Quòd rectè comparentur *linguæ ſtateræ*, quæ ſtatim ad minimum pondus facit nutum, & ſe inclinat in partem graviorem. Ita etiam iſti Advocati, nihil curantes de veritate rei, ad illam partem ſe inclinant, quæ eſt ponderoſior & liberalior in danda pecunia. De acceptatoribus verò talium munerum dicitur in Pſalm. Mendaces filii hominum in ſtateris.

Explicatur *quarta pars.* Quòd falſi Advocati comparari poſſint *Cherubino tenenti flammeum & verſatilem gladium*, ad impediendum reditum hominis in paradiſum, Gen. 3. Et revera iſti Advocati habent flammeum gladium (quia lingua eorum gladius acutus) & eſt valde verſatilis, quia facilè verti poteſt, & contra veritatem, & pro veritate. *Cherubim* interpretari ſolet, *plenitudo ſcientiæ*; iſti autem falſi Advocati dicuntur eſſe ſapientiſſimi apud vulgus; ſed ad quid deſerviunt? revera ſolùm ad cuſtodiendam viam ne quis accedat ad lignum vitæ, id eſt Chriſtum. Quidam ſenex falſos Advocatos ſic deſcripſit: Iſti falſi Advocati procurant divortia non neceſſaria, conjungunt illegitima Matrimonia, Eccleſias veris ſuis Prælatis exſpoliant, Simoniacos inſtituunt, innocentes excommunicant etiam verbis falſis, cùm de jure non poſſunt, rebelles denique conciliant, Chriſtum & Eccleſiam perſequentes.

Eſt hiſtoria aliqua, quòd quidam viderit Neronem apud inferos balneantem, Miniſtri autem ejus continuò aurum bulliens circa ipſum infundebant. Poſtquam autem Nero ſedens in ſuo aureo calidiſſimo balneo vidiſſet ad ſe accedentem unam cohortem Advocatorum, exclamavit, dicens: Hoc, inquit, vanale hominum genus, venite, accedite, amici mei, ut In hoc vaſe ſimul balneari valeamus, adhuc enim ſupereſt locus, quem pro vobis ſervavi. Sed caveant ſibi Advocati de tali balneo, quia cruciabit ſemper, nec tamen vermem conſcientiæ malæ occidit; Quia vermis eorum non morietur in æternum. Talem cruciatum timens quidam Cauſidicus in Francia, qui ex paupere Clerico per jura & actus juridicos factus eſt ditiſſimus; is dum eſſet morti proximus, rogatus eſt à ſuis amicis ut faceret teſtamentum, æger autem nihil aliud in lingua ſua Gallica repetiit, quàm *langue, langue, langue tent gagna, & langue tout aura.* Quibus dictis fratres Prædicatores, qui ibidem villam tantùm, ſed non conventum habebant, ad ſe accerſiri fecit, dixitque: Ego periti â meæ linguæ lucratus fui multa bona temporalia, item aurum & argentum & alia pretioſa: vos autem linguis veſtris lucramini ſpiritualia & ſempiterna, & ideo ut vos linguis veſtris bonis, & precibus lucremini bona ſpiritualia, ego bona omnia mea temporalia vobis dono & lego; ſicque peracta bona confeſſione aliiſque perceptis ſacramentis, mortuus eſt. Venit Advocatus iſte adhuc horâ undecima, ut lucraretur groſſum æternæ beatitudinis. Sed videant Advocati, ne tamdiu pœnitentiam ſuam differant, quia periculoſum eſt an ſint impetraturi gratiam verè pœnitendi, itaque operemur bonum dum tempus habemus.

LECTIO LVII.

TEXTUS.

Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione Spiritus ſanctus declarat tria, quæ futura ſunt injuſtis in Judicio generali, quia ibi præſentabuntur perſonaliter ſine procuratore, conſternabuntur integraliter ſine conſolatore, & accuſabuntur criminaliter ſine defenſore. Et iſta tria ſunt valde gravia, quando homo nec poteſt habere procuratorem, nec defenſorem, nec conſolatorem.

Itaque impii primò præſentabuntur *perſonaliter ſine procuratore*; quia ſicut dicitur 2 Cor. 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque prout geſſit in corpore ſive bonum ſive malum. Et quantùm ad hoc dicitur in Textu:

Venient in cogitatione, ſcilicet *timidi.* Propter quod Ioëlis 3. dicitur: Venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi accumbere faciet Dominus robuſtos, conſurgant & aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. Venient ergo perſonaliter impii ad Judicium, quando citabuntur peremptoriè terribili illa voce, de qua dicit Apoſtolus 1 ad Theſſal. 4. Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. *In juſſu*, id eſt, in Imperatoris poteſtate: non enim Chriſtus Dominus tunc veniet in humilitate, ſicuti venit in primo ſuo adventu quando aſſumpſit carnem & natus eſt ex beatiſſima Virgine Maria in miſero ſtabulo Bethlehemitico. Nec equitabit ſuper aſinam, nec bajulabit ſibi crucem, ſicut legitur feciſſe Ioan. 20. Sed tunc in ſecundo ſuo adventu in Iudicio univerſali veniet cum Majeſtate; unde Lucæ 21. dicitur: Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum poteſtate magna & majeſtate. Et ideo dixit Apoſtolus, quòd ipſe *Dominus veniet in juſſu & in voce Archangeli*, id eſt, in voce facta per ſemetipſum, qui eſt Princeps Angelorum, ut dicitur Iſaiæ 9. & Ioann. 5. Et ſic mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. Vel etiam verba iſta magis conformiter ad literam poſſunt aliter explicari; nimirum *in voce Archangeli*, quæ vox non erit alia quàm iſta: Surgite mortui, venite ad Iudicium.

De hac terribili voce loquens S. Hieron. ſuper Matth. ſic inquit: Quoties diem illum conſidero,

ſidero, totis viribus contremiſco; ſive enim comedo, ſive bibo, ſive aliquid aliud facio, ſemper videtur mihi tuba illa terribilis inſonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Veniet ergo Dominus *in Juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei.*

Eadem vox vocari poteſt *Tuba* propter ſimilitudinem ad uſum tubæ quæ fuit in veteri teſtamento: nam tubâ convocabantur ad concilium, commovebantur ad prælium, & vocabantur ad feſtum: Et hoc modo reſurrecturi, vel homines reſurgentes, congregabuntur ad concilium Iudicii, item ad pugnam prælii, quo orbis terrarum pugnabit contra inſenſatos, & ad feſtum æterni convivii.

De hujus tubæ voce S. Chryſoſtomus ſuper illud Matth. 24. Virtutes cœlorum movebuntur, ſic inquit: Verè vox magna vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa; quæ petras ſcindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum diſrumpit, & de profundis abyſſi animas liberans, corporibus aſſignat: hæc omnia citiùs conſumat in opere, quàm ſagitta tranſit in aere, dicente Apoſtolo: In momento, in ictu oculi, 1 Cor. 15.

Erunt ergo tyranni & injuſti illi perſecutores terribiliter à mortuis excitati, evocati, & ſevero Iudicio præſentari. Et ſi terribile eſt, quando homo ſubitò excitatur à ſomno, per fragorem & ſtrepitum tonitrui; quantò magis terribile erit, quando mortui ſubitò excitabuntur, ſiſtenturque ſupremo Iudici? Eſt quoque veriſimile, quòd illa Vox citans omnes ad Iudicium erit ſicut vox tonitrui magni, quo terram tremere, & cœlum concuti, & univerſa de ſuis locis videbuntur commoveri. Tunc Reges & Reginæ, Prælati & Concubinæ, Milites & Clerici, Mercatores & Monachi, nudi cum confuſione apparebunt, ſi malè vixerunt. Unde S. Hieron. in Epiſt. ad Heliodorum Monachum ait: Iudicaturo Domino lugubrem mundus immugiet ronum, tribus ad tribum pectora ferient, potentiſſimi quondam Reges nodo pectore palpitabunt. Ibi adducetur Plato cum ſuis diſcipulis; tunc Ariſtotelis argumenta non proderunt, quando veniet filius illius pauperculæ quæſtuariæ, judicaturus fines orbis terrarum. Unde rectè Sophoniæ 1. dicitur: Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis; dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Hæc S. Hieronymus

Secundò, impii in Iudicio conſternabuntur *integraliter ſine conſolatore*; & quantùm ad hoc dicitur in textu: Quòd impii venient non qualitercunque, ſed *venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi.* Ubi

Nota, magnam eſſe differentiam inter bonos & malos; quia boni timent quidem de peccatis ſuis, ſed timent Deum ſolum ante Iudicium; unde in Pſalm. dicitur: Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui Et Eccl. 5. De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu; & ideo timenti Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. At verò per oppoſitum reprobi in præſenti non timent peccata ſua, nec etiam timent Deum: ſed in Judicio timebunt Deum, quando timor non erit ampliùs pro emendatione, ſed ad pœnam. Et ideo rectè in perſona impiorum dicit Pſalmiſta: Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Unde S. Gregorius Lib. 14. Moralium ait: Vitari terror Judicis non niſi ante Judicium poteſt; modò non cernitur, ſed precibus placatur. Cùm verò in illo tremebundo examine ſederit, videri quidem poteſt, ſed placari non poteſt: quia peccata impiorum, quæ diu ſuſtinuit, ſolùm omnia puniet iratus. Unde neceſſe eſt, nunc timere Judicem, cùm nondum judicium exercet, dum adhuc ſuſtinet, & adhuc tolerat mala, quæ videt; ne cùm manum in retributionem ultionis excuſſerit, tantò diſtrictiùs in Judicio feriat, quantò diutius ante Judicium nunc expectat.

Tertiò, Impii in Iudicio accuſabuntur *criminaliter ſine defenſione*: & quantùm ad hoc dicitur in textu: *Et traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum.* Traducere autem nihil aliud eſt, quàm propalare aliquid occultum de aliquo, quod cedit in ejus confuſionem. Vult ergo ſacer Textus, quod ipſimet peccata propalabunt peccatores, qui illa fecerunt: & erunt peccata propria, advocati accuſantes & ſtantes ex adverſo contra reum. Unde in Pſalm. dicitur: Peccatum meum contra me eſt ſemper.

Narratur de ſimia, quando habet duas proles patiturque inſidias venatoris, tunc, inquam, prolem, quam magis diligit, apprehendit in brachia & ſic fugit, relicta altera prole; altera verò proles inſilit ſuper matrem, ſedetque etiam invita matre ſuper collum ejuſdem; porrò dum venator fortiter ſimiam inſequitur, tunc ſimia fatigata, prolem ſibi magis dilectam, quam brachiis conſtrinxerat à ſe projicit, ut citius currere poſſit, altera autem proles velit nolit inſiſtit collo ejus, donec tam mater quàm proles capiatur. Hoc modo peccator habet duos filios, nimirum peccati malitiam & delectationem: delectationem diligit, ſed peccatum non diligit; Mors autem tanquam venator quotidie vitam peccatoris inſequitur: peccator ergo ſperans ſecum delectatione evadere, illam tanquam chariſſimum filium inter brachia ſua, id eſt, inter intellectum & voluntatem ſuam portat; ſed imperceptibiliter peccatum à tergo ſe collocat, & matrem non dimittit, donec mors vel Diabolus utrumque attingat, & ad infernum rapiat.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm vox tubalis præcedens Judicium erit aliquo modo cauſa reſurrectionis corporum?

NOta ante reſolutionem, quòd ſit duplex cauſa, una principalis & altera inſtrumentalis; principalis cauſa eſt, quæ virtute propria producit effectum; inſtrumentalis eſt, quæ accipit virtutem à principali agente ad producendum effectum nobiliorem ſe. Hoc prænotato,

Dico, quòd cauſa principalis reſurrectionis erit virtus divina aſſiſtens illi voci: illo modo, quo virtus divina aſſiſtit verbis Sacramentalibus in Eccleſia militante. Cauſa autem Inſtrumentalis erit vox illa, ſicut verbum prolatum eſt cauſa inſtrumentalis tranſubſtantiationis in Corpus

Chr ſti Domini. Et hoc modo intelligendus eſt Magiſter ſententiarum in 4. diſt. 43. cap. 2. ubi dicit: quòd cauſa reſurrectionis mortuorum erit vox tubæ, quæ in adventu Iudicis audietur ab omnibus, & cujus virtute excitabuntur mortui, & de monumentis reſurgent. Huc etiam facit Gloſſa ſuper illud Pſalm. Dabit voci ſuæ vocem virtutis, id eſt, efficaciam reſuſcitandi omnes mortuos.

Dices Primò, S. Damaſcenus ait: Credo reſurrectionem futuram divina voluntate, virtute & nutu; Ergo cùm iſta ſufficiant, vox non erit cauſa reſurrectionis.

Confirmatur. Fruſtra fit vox ad illud, quod audire non poteſt; ſed mortui non habent auditum; Ergo fruſtra vox ad illos emittitur, & conſequenter vox illa non eſt cauſa reſurrectionis.

Reſpondeo ad argumentum ex dictis: Quòd reſurrectio fiet virtute divina principaliter, & per vocem, tanquam per cauſam inſtrumentalem.

Reſpondeo ad Confirmationem: Quòd ſicut formæ Sacramentorum habent ſuum effectum, non ex hoc, quòd audiantur, ſed ex hoc quòd pronuntientur & proferantur: ita vox illa habet effectum ſuum non quòd audiatur, ſed quia profertur.

Dices ſecundò. Reſurrectio corporum non poteſt fieri niſi à virtute infinita: ſed vox illa, quantumvis magna, non habet virtutem infinitam. Ergo.

Reſpondetur ſolutione jam data, quòd nimirum reſurrectio fiat principaliter à virtute infinita; cum quo tamen ſtat, quòd fiat à voce inſtrumentaliter.

Dices tertiò. Gloſſa ad Romanos 8. dicit: Quòd reſurrectio Chriſti ſit cauſa noſtræ reſurrectionis: Hæc eſt, inquit, cauſa, quare Chriſtus ſuſcitabit alios, quia ipſe ſuſcitatus eſt: Ergo vox non erit cauſa reſurrectionis.

Reſpondetur: Quòd reſurrectio Chriſti ſit cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis, non autem ſit cauſa propriè efficiens.

CAPITULUM QUINTUM.

LECTIO LVIII.

TEXTUS.

Tunc ſtabunt Iuſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

CErtum eſt quòd in quovis judicio ad minus quatuor perſonæ requirantur, ſcilicet Iudex, Actor, Teſtis & Reus. In hoc autem judicio Judex eſt Deus, reus peccator, actor peccatum, & teſtis eſt Juſtus, in quem peccator deliquit. Quia autem jam in Lectione præcedenti oſtenſum eſt, quomodo peccatum erit accuſator (*Traducent enim impios ex adverſo impietates eorum*) ideo pro ulteriori deſcriptione Judicii, ſolùm adhuc oportet deſcribere tres perſonas, nimirum, teſtem, reum & Judicem; & hoc fit in hoc toto Capitulo, quod dividitur in tres partes: nam primò declarat Spiritus ſanctus, quòd teſtis non terrebitur ab adverſitate; ſecundò, quòd reus confitebitur ſine falſitate; & tertiò, quòd Judex non recedet à vera æquitate. Eſt igitur intentio hujus Capituli declarare tria quantùm ad reprobos: nimirum, quòd accuſabuntur cum fervore laudabili, turbabuntur timore miſerabili, & confitebuntur cum pudore inæſtimabili. Primum oſtenditur in hac Lectione; ſecundum ibi, *Turbabuntur videntes*; & tertium ibi, *Dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritûs gementes*, ut infra patebit. Itaque in hac Lectione explicandum nobis eſt, quòd teſtes non terrebuntur adverſitate, ſed accuſabunt malos cum fervore laudabili.

Dicit ergo ſic. *Tunc ſtabunt Juſti in magna conſtantia.* In quo proceſſu quinque circumſtantiæ judicialis teſtimonii Juſtis aſſignantur, nimirum tempus comparendi, geſtus proponendi, modus proſequendi, forma reſiſtendi, & cauſa contradicendi. Tempus comparendi exprimit per ly *tunc*; geſtus proponendi explicantur per ly *ſtabunt*; modus proſequendi exprimitur per ly *in magna conſtantia*; forma reſiſtendi explicatur per ly *adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt*; & cauſa contradicendi exprimitur per ly *abſtulerunt labores eorum.* Dicit ergo *tunc*, nimirum in die Judicii, & non modò dum durat patientia hujus mundi, ſed *tunc*, quando nimirum videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate, Lucæ 21. Et in Pſal. *Tunc* loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Et ideo *tunc ſtabunt*, quia priùs jacuerunt compediti, ligati & oppreſſi. Stabunt, inquam, & rectè; unde 1 Machab. 4 dicitur: State nunc contra inimicos veſtros, & expugnate illos.

Vult autem Scriptura ſacra, quòd Iuſti ſtare debeant ad quatuor actus, ſcilicet ad videndum, ad docendum, ad teſtificandum & ad pugnandum.

Primò ad videndum, nam ille qui ſtat, poteſt videre ad aliquid remotius, quàm qui ſedet. Et ideo Ierem. 6. dicitur: State ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in ea.

Secundò ſtare debent ad docendum. Conſtat, quòd præco proclamaturus edictum regis aſcendat in altum, ut eminus audiatur. Præconem agit quivis prædicator qui proclamat ex cathedra edicta Regis, id eſt, præcepta Chriſti; unde Act. 5. dicitur: Stantes loquimini in templo omnia verba vitæ hujus. Et Nehem. 8. Stetit Eſdras ſuper gradum ligneum, quem fecerat ſibi ad loquendum.

Tertiò jubetur ſtare Iuſtus ad teſtificandum. unde Matth. 9. Stabitis ante Reges & Præſides propter me.

Quartò ad pugnandum. Unde ad Eph. 6. di-

dicitur: Accipite armaturam fidei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfectè ſtare.

Stabunt ergo *Iuſti in magna conſtantia*, qui in iſta vita fuerunt abjecti in magna miſeria; qualiter 1 Machab, 2. Mathatbias & filii ejus conſtanter ſteterunt: unde conſonat quoddam Reſpoſorium: O conſtantia Martyrum. Quod reſponſorium quidam Rex Franciæ, nomine Rupertus, vel Robertus (qui floruit circa annum Domini 1096) compoſuit hac occaſione. Rex iſte cùm fuerit vir in omni ſcibili eruditiſſimus, ſimulac piiſſimus, fecit multa carmina in latino ad honorem Dei; compoſuit etiam proſam: Sancti Spiritûs adſit nobis gratia. Item reſponſorium de Nativitate Domini, Iudæa & Ieruſalem. &c. Item Reſponſorium de S. Petro, Cornelius Centurio, &c. Et reſponſorium de omnibus Sanctis, Concede nobis, &c. Hujus Regis uxor vocabatur Conſtantia, quæ moleſtè tulit quòd de ea nihil compoſuerit, quod poſſet ad ejus laudem decantari. Quid fecit bonus ille Rex Robertus, ut placaret uxoris ſuæ impatientiam? compoſuit præfatum reſponſorium de Martyribus, O conſtantia Martyrum, &c. curavitque illud decantari; quod dum audivit Regina, putabat ſibi in laudem factum eſſe illud Reſponſorium propter ly *Conſtantia*, ſicut illa vocabatur, poſitum in principio reſponſorii, & ita placata fuit. Stabunt ergo Iuſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt injuriis aut flagellis; illi, inquam, Iuſti ſtabunt, de quibus ad Hæbr. 11. dicitur: Circuierunt in melotis & in pellibus captinis, egentes & anguſtiati & afflicti, quibus dignus non erat mundus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qualis erit illa vox citans omnes ad Univerſale Judicium?

ALiqui putant quòd ipſamet evidens repræſentatio Filii Dei in mundo dicatur vox; & iſti ſe fundant in quadam authoritate S. Gregorii, qui dicit: Tubâ ſonare nihil aliud eſt quàm mundo Iudicem Filium Dei demonſtrare. Sed relicta hac opinione,

Dico: Quòd vox tubæ erit ſonus quidam ſenſibilis, & imperium vocale Chriſti, quo præcipiet mortuis reſurgere; juxta illud Ioann. 5. Mortui audient vocem Filii Dei. Et paulò pòſt: Omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filii Dei. Unde dicit quidam Doctor ſe putare, quòd illa tria, quæ enumerat Apoſtolus 1 ad Theſſ. 4. in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei, diſtingui ſolùm tanquam præcepta Chriſti.

Primò enim in ſuo deſcenſu Chriſtus jubebit pulveres, ſive partes quaſcunque corporum mortuorum recolligi per miniſterium Angelorum: & hoc notatur, cùm dicitur, quòd deſcendet in *Juſſu*.

Secundò præcipiet corpora reformari, & ex pulveribus recollectis & formatis corporibus animas reunire; & iſta duo fient per divinam virtutem; & iſtud præceptum notatur, cùm dicitur *in tuba Dei*.

Tertiò, Archangeli qui fuerunt cuſtodes provinciarum in ſuis provinciis, quas cuſtodierunt, clamabunt fortiter & ſenſibiliter, ſicut ſono articulato ſenſibili, & mediante aliqua creatura ſenſibili à ſe formata, ut omnes coram Judice corporaliter compareant, diffinitivam & irrevocabilem ſententiam audituri. Et hæc vox notatur cùm dicitur *in Voce Archangeli*. De hac voce tubali prophetizavit Sibilla, ut refert S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 23. ſic dicens:

Sed tuba tunc ſonitum triſtem dimittet ab alto
Orbe, gemens facinus hominis varioſque labores.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrùm in Judicio Generali erit aliqua diſceptatio vocalis?

DIco cum S. Thome in 4 ſent. diſt. 47. Q. 1. art. 2. quòd licèt nihil in hac quæſtione diffiniri poſſit, quod ſit omnino certum, probabiliùs tamen videtur dicendum eſſe, quòd totum illud Iudicium & quoad diſcuſſionem, & quoad accuſationem malorum, & commendationem bonorum, & quoad ſententiam de utriſque mentaliter perficietur: quia ſi ſingulorum facta nominarentur, requireretur inæſtimabilis temporis longitudo. Unde ſecundùm S. Thomam valde probabile eſt, quòd proceſſus recitatus Matth. 25. Eſurivi, & non dediſtis manducare, &c. ſimul mentaliter perficietur.

Huic ſententiæ S. Doctoris favet S. Auguſtinus Lib. 4 de Civit. Dei cap. 26. ubi dicit: Deus conſcientias reproborum convincet ſine ulla ſermonis prolixitate. Et eodem libro cap. 25. loquens de libro vitæ, ex cujus ſcriptura omnes homines judicabuntur, ſicut dicitur Apoc. 20. inqui: Quòd hoc non debeat intelligi corporaliter, quia haberent magnitudinem ineffabilem, & vix in longiſſimo tempore poſſet legi.

Nihilominus quia S. Doctor nihil pro certo determinat, relinquitur probabilitas alteri ſententiæ aliorum, qui putant, quòd erit ibi diſceptatio tam vocalis quàm mentalis. Quia Chriſtus ibi judicabit ut Deus & homo, & judicabit modo divino & humano. Et ex hoc erit majus gaudium beatorum, & dolor magis ſenſibilis damnatorum. Videtur quoque hoc congruere apparitioni corporali Chriſti tanquam Iudicis; & corporali comparitioni hominum tanquam judicandorum; & ſenſibili voci tubæ, qua citantur ad Iudicium omnes homines, ut paulò antè dictum eſt.

Itaque vult iſta ſententia, quòd diſcuſſio tam meritorum quàm demeritorum in particulari, erit mentalis; replicatio tamen contra injuſtos in generali, enarrando illum proceſſum: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, &c. Et quia non ſervaſtis præcepta mea, ac veræ Iuſtitiæ: & quoniam ſententia contra injuſtos, Ite maledicti in ignem æternum, erit vocaliter prolata à Chriſto. Item laus Iuſtorum enarrando illum proceſſum Matth. 25. Eſurivi, & dediſtis mihi manducare, &c. Item ſententia finalis, Ve-

nite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, erit vocalis. Neque ad replicandum contra omnes injuſtos in generali, & ad proferendam ſententiam contra eos, neque ad laudandum omnes Iuſtos in generali & ad ferendam ſententiam favorabilem pro Iuſtis, requiritur magnum tempus; ſed ſufficit exigua pars temporis; maximè cùm jam aliàs omnia ſint ibidem manifeſta & aperta.

An verò etiam homines *vocaliter* teſtificabunt contra malos, dubium eſt. Et quidem juxta mentem S. Thomæ dicendum eſt, quòd non, quamvis alii aſſerant, quòd ſic. Angeli tamen qui fuerunt cuſtodes reproborum, ſimpliciter teſtificabunt contra eos, ſicut tenent Sancti. Et hoc idem dicit Apuleius Libro ſuo de Deo ſacratis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quid tenendum ſit de die Judicii Univerſalis?

DIco, hoc tenendum eſſe de die Iudicii Univerſalis, quòd non erit antequam Antichriſtus venerit; ſicut dicit Apoſtolus 2 ad Theſſ. 2. Cujus adventus nobis omnino incertus eſt; nam circa ejus adventum calculatores & pſeudoaſtronomi ſeducti ſunt.

Hoc tamen ſciendum eſt, ſicut dicit quidam Expoſitor ſuper cap. 11. Apoc. Quòd Antichriſtus regnabit ſicut ibidem dicitur 42 menſibus, id eſt, tribus annis cum dimidio; & tunc venient Enoch & Elias, & prædicabunt diebus mille ducentis & ſexaginta (hoc eſt, toto tempore, quo regnabit Antichriſtus) amicti ſaccis, ut homines provocent ad pœnitentiam: quos tamen occidet Antichriſtus, & inſepulti jacebunt per tres dies & dimidium, propter Antichriſti timorem. Poſtea verò reſurgent, & aſcendent in cœlum, & poſtmodum occidetur Antichriſtus à Chriſto Domino, vel à Michaele Archangelo ſicut dicit Gloſſa ſuper 2 ad Theſſ. 2.

Tandem poſt mortem Antichriſti dabuntur adhuc ad pœnitentiam agendam quadraginta quinque dies pro illis, qui in perſecutione Antichriſti titubaverunt. Tunc ergo miniſtri & ſequaces Antichriſti, licèt ipſemet ſit mortuus, pacem & ſecuritatem habentes, ubique ducent uxores & celebrabunt convivia. Et cùm dixerint *pax & ſecuritas*, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, & quidem ita gravis & ſubitaneus, ſicut eſt dolor mulieris parturientis. Et non effugient, ſicut dicit Apoſtolus 2 ad Theſſ. 2. Ubi in gloſſa ferme omnia prædicta ponuntur. Sicut etiam dicit Haymo. Et habetur etiam in Gloſſa 2 ad Theſſ. 2.

Porrò Antichriſtus naſcetur de tribu Dan; occidetur autem in monte Oliveti in papilione, & in ſolio ſuo, in loco illo, circa quem Chriſtus Dominus aſcendit in cœlum.

Quando autem Dominus poſt illos 45 dies venturus ſit, penitus ignoratur.
Hæc Haymo.

LECTIO LIX.

TEXTUS.

Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, gementes præ anguſtia ſpiritûs, dicentes intrà ſe pœnitentiam agentes: & præ anguſtia ſpiritûs gementes.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Spiritus ſanctus Lectione præcedenti declaravit, qualiter Iuſti in Judicio teſtificabuntur veritatem laudabiliter; hîc oſtendit quomodo Reprobi confitebuntur veritatem confuſibiliter, oſtenditque Spiritus ſanctus quòd iſtam propriam reproborum confuſionem tria præcedent. Quia nimirum turbabuntur, mirabuntur, & triſtabuntur: & ex iſtis tribus cauſis coacti, veritatem de ſeipſis neceſſariò fatebuntur.

Itaque quantùm ad primum dicit, *Quòd turbabuntur timore horribili.* Super quæ verba dicit S. Gregor. lib. 25. Mor. cap. 2. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Sed certè in præſenti culpa claudit oculos ne videant veritatem, ſed ſtatim in morte pœna aperit oculos. Quando itaque iſti homines vident ſe de hujus mundi gloria eſſe transferendos ſtatim ad pœnam inferni, meritò debent turbari. Nec mirum, Quia horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, ad Hebræos 10. Et quia nullam vident eſſe opportunitatem evadendi, confitebuntur peccata ſua.

Secundò, *Mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis.* Si quid accedat citra ſpem omnem & exſpectationem, ſolemus mirari: ſic etiam Injuſti poſtquam Juſtos totaliter oppreſſerunt, & tamen eoſdem vident poſt hanc mortem eſſe in gloria, meritò *mirantur in ſubitatione inſperatæ ſalutis.* Unde rectè de Iuſto dicitur in Pſal. In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum; quia ſalus Iuſtorum à Domino, & protector eorum eſt in tempore tribulationis.

Tertiò, Reprobi ante conſcientiæ ſuæ confeſſionem contriſtabuntur; & quantùm ad hoc dicitur in textu: *& præ anguſtia ſpiritûs gementes.* Et meritò: quia hîc noluerunt anguſtiari, ſed deliciari. Et impoſſibile eſt ſicut dicit S. Gregorius quòd quis à deliciis ad delicias tranſeat. Ideo ergo ibi cruciabuntur, quia hîc delicatè & deordinatè vixerunt.

Et dicent intrà ſe pœnitentiam inutilem agentes. Unde ad Hebr. 12. Non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis quæſiviſſet illam.

Et iterum additur: *Præ anguſtia ſpiritûs gementes,* propter duplicem materiam gemitûs: gement enim damnati & pro pœna quam ſuſtinebunt, & pro gloria, quâ in æternum carebunt.

Nota hic. Quòd rectè in textu dicatur, *turbabuntur*

habuntur timore. Cauſa enim cur perverſi modò non turbentur, eſt, quia non vident ſuos defectus, neque pericula ſuorum defectuum; nec alii Doctores, Prælati & Sapientes ſemper dicunt eis ſuos defectus, prout deberent: vel ſi dicant ei s ſuos defectus, ſunt relicti ſemiſurdi, nolentes audire. Sapientes autem econtra libenter vident, ſi ſibi dicantur ſui defectus, ut ſe poſſint emendare. Unde Prov. 9. dicitur: Atgue ſapientem, & diliget te. Quaſi dicat: Sapiens libenter videt ut ſibi dicantur ſui defectus, quos ipſe in ſe non advertit. Et certè multùm intereſt, ſi quis charitativè alteri ad emendandam vitam dicat ſuos defectus: & ſi quis negligat alteri charitativè ſuos defectus dicere, malè facit. Unde Alexander ad quendam ſuum miniſtrum qui nunquam eum corripuit, dixit: Si in magno tempore apud me exiſtens, nullum meum errorem perpendiſti, nimis ignarus fuiſti: ſi autem percipiens meos defectus occultaſti, eras mei fraudator. Similiter etiam dixit Plato, quòd homines magis ex inimicis, defectus proprios improperantibus perficiant, dum ſeſe corrigunt, quàm ab amicis, qui defectus videntes, tacent & occultant, ipſi verò licentioſiùs errores augmentant & continuant. Occaſione illorum verborum in tex. u poſitorum, *Intra ſe pœnitentiam agentes*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm dolor pœnitentis poſſit eſſe nimius?

Notandum ante reſolutionem, quòd in pœnitente poſſit conſiderari triplex dolor: Unus eſt eſſentialis pœnæ, & eſt in voluntate ipſa; eſtque iſte dolor in voluntate exiſtens nihil aliud, quàm diſplicentia de peccato, in quantùm peccatum eſt offenſa Dei ſummi boni. Et iſta diſplicentia voluntatis eſt eſſentialiter contritio. Et quia hic dolor contritionis veræ cauſatur ex amore Dei vel charitate, quæ nunquam poteſt eſſe nimia: ideo nec iſte dolor contritionis, ſeu contritivus poteſt eſſe nimius.

Alius eſt dolor non eſſentialis pœnitentiæ, eſtque in ſenſualitate, & eſt paſſio appetitûs ſenſitivi. Et iſte dolor cauſatur ex redundantia doloris, ſeu contritionis exiſtentis in voluntate: quia vires inferiores ſenſitivæ ſæpe obtemperant in ſuis actibus viribus ſuperioribus. Unde dicit Ariſtoteles 3. de Anima: quòd appetitus intellectivus rapiat aliquando appetitum ſenſitivum, ſicut ſphæra ſphæram.

Tertiò, poteſt accipi dolor in pœnitente, pro ſola afflictione corporali. Et de hoc tertio dolore conſtat, quòd hic poſſit eſſe nimius.

Itaque in præſenti ſolùm quæſtio eſt, an dolor ſecundo modo acceptus poſſit eſſe nimius? Nam quia iſte dolor cauſatur ex contritione exiſtente in voluntate, hæc contritio autem utpote cauſata immediatè ab amore Dei, non poſſit eſſe nimia; non apparet, quomodo talis dolor poſſit eſſe nimius. His præmiſſis,

Dico, Quòd ſi Pœnitens ex vehementiſſimo amore erga Deum, tantum doleret de ſuo peccato, ut cauſaretur in appetitu ſenſitivo dolor tantæ intenſionis, ut corrumperet harmonĳam totius corporis neceſſariam ad vitam conſervandam, aut ſi etiam induceret mortem; tunc inquam, talis dolor non eſſet exceſſivus in genere moris, ſed virtuoſus, & opus perfectæ pœnitentiæ. Hoc tamen ſuppoſito, quòd voluntas ſic pœnitentis non intendat paſſionem illam adeo potentem in appetitu ſenſitivo cauſare, ad cauſandam ſibi mortem, ſed tantùm propter diſplicentiam de peccato, in quantum Deum offendit.

Probatur. Quia dolor iſte eſt actus perfectæ pœnitentiæ; unde etiam legimus, multos commendatos fuiſſe de perfectione talis contritionis.

Dices. S. Anſelmus in quadam oratione dicit: Utinam ſic impinguentur viſcera animæ meæ, ut medullæ corporis mei exſiccentur. Ergo ex mente S. Anſelmi colligitur, quòd dolor de peccatis, qui mortem inducit, ſit laudabilis.

Reſpondetur. Quòd S. Anſelmus non appetierit, quòd humores ſui corporis exſiccarentur totaliter, prout prima fronte textus videtur ſonare: ſed ſolùm exoptavit S. Anſelmus, quòd motiones carnales in ipſo totaliter extinguerentur. Vel etiam reſponderi poteſt, quòd S. Anſelmus ſolùm appetiverit talem dolorem, prout illum in concluſione noſtra explicavimus, ad quem poſſet ſequi mors per accidens.

LECTIO LX.

TEXTUS.

Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.

EXPLICATIO TEXTUS.

In hac Lectione Spiritus ſanctus primò declarat, quòd impii confiteantur quòd Juſtos viventes injuſtè contempſerint: & ſecundò, quòd vitam illorum malè judicaverint: & tandem inducit impios admirantes circa Juſtos, quomodo iſti computati ſint inter filios Dei.

Dicit ergo: *Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum*. *Hi*, id eſt, Juſti, *ſunt, quos aliquando*, id eſt, brevi tempore vitæ noſtræ: *habuimus in deriſum*, id eſt, deriſimus, & deridendo ſprevimus.

Et in ſimilitudinem improperii. Verum improperium eſt de aliquo malo; impii autem de Juſtis aliquod malum dicere non poterant: & ideo rectè dicitur, quòd Juſtos ſolùm habuerint *in ſimilitudinem improperii*: per hoc quòd Juſtos in hoc mundo paupertatem colentes, & in Chriſtum crucifixum credentes, contempſerint. Sequi autem in paupertate & humilitate Chriſtum, & credere in Chriſtum crucifixum, in re non eſt improperioſum, ſed potius glorioſum; unde ait Apoſtolus ad Galatas 6. Mihi autem

rem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Itaque impii hic fatentur, quòd Juſtos injuſtè contempſerint: deinde etiam fatentur, quòd malè judicârint de vita Sanctorum.

Unde in Textu dicitur: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam. Nos inſenſati*, qui nobis in vita mortali imaginati fuimus quòd eſſemus ſapientiſſimi ad decipiendum, ad acquirendum, ad regendum, & ad nos ipſos defendendum, nunc debemus agnoſcere, quòd Deus ſtultam fecerit ſapientiam hujus mundi: & ideo impii bene incipiunt ſuum confiteor, dicentes: *Nos inſenſati, vitam illorum*, id eſt, Juſtorum, *æſtimabamus inſaniam*; dum Juſti & humiles humilem, & pauperes pauperem Chriſtum, relictis omnibus mundi divitiis, voluptatibus, & facultatibus, in ſumma auſteritate corporis fuerunt ſecuti.

Et finem illorum ſine honore (puta, æſtimabamus) Nam ut ſupra dictum eſt; putabant impii, quòd poſt hanc vitam non erit retributio bonorum operum, nec quod danda ſit gloria æterna pro meritis: putabant etenim impii, quod anima cum corpore morietur, ut ſupra dictum eſt.

Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Iſtam quæſtionem impii de Juſtis quærent nimis tardè pro ſua ſalute. Si enim eam quæſiviſſent in hac vita, tunc eam perfectè per Chriſti prædicatores didiciſſent, potuiſſentque adhuc fieri filii Dei; juxta illud Joann. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Et Ioann. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur & ſimus. Itaque de Iuſtis rectè dicitur, quod computati ſint inter filios Dei, puta adoptivos, generatos per gratiam & charitatem.

Dum autem dicitur, *Et inter Sanctos ſors illorum eſt*; non eſt putandum, quod ſtatus beatitudinis non debeatur Iuſtorum meritis, aut quod tantùm fortuito & per ſortem beatitudo ipſis acciderit. Certum enim eſt, quod beatitudo conferatur Iuſtis propter eorum merita, unde dicit Apoſtolus; De reliquo mihi repoſita eſt corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Iudex; non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt adventum ejus.

Nihilominus merces ſanctorum pro tanto poteſt vocari *ſors*: quia quamdiu homo vivit, incertum eſt, quid de ipſo finaliter eveniet propter mutabilitatem voluntatis ad peccandum. Unde Eccl. 9. dicitur: Sunt Iuſti atque ſapientes & opera eorum in manu Dei; & tamen neſcit homo an odio vel amore dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta. Circa illa verba, *Vitam illorum* (puta ſequentium Chriſtum) *æſtimabamus inſaniam*,

Nota. Quod quatuor genera hominum legamus in ſacris literis deriſiſſe Chriſtum Dominum. Nam deriſerunt Chriſtum divites avari, principes præclari, milites amari, & ſimplices ignari.

De primis *divitibus avaris* legimus Lucæ 16. ubi Chriſtus docuit, quod nemo poſſit Deo ſervire & mammonæ; & ſtatim ſubdit Evangeliſta Audiebant autem hæc omnia Phariſæi, & qui erant avari, & deridebant eum.

De Principibus præclaris dicitur Lucæ 23. Deridebant eum Principes dicentes, alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Et in eodem capitulo dicitur; ſprevit autem illum Herodes, & exercitus ejus, & illuſerunt indutum veſte alba.

De tertio genere hominum dicitur Lucæ 23. Illudebant autem ei milites, & acceſſerunt, & offerentes acetum dixerunt illi, ſi tu es Rex Iudæorum, ſalvum te fac.

De quarto genere hominum ſcribitur Lucæ 8. & Matth. 9. Quando ſuſcitavit filiam Archiſynagogi, quia Chriſtus dixerat, non eſt mortua puella ſed dormit. Deridebant eum, ſcientes, quia mortua eſt.

Cùm ergo Chriſtus tot deriſiones pro nobis ſuſtinuerit patientiſſimè, fœlix eſt, qui reciprocè pro Chriſto patienter injurias & deriſiones tolerabit. Gaudeant ergo imitatores Chriſti, etiamſi à ſectatoribus mundi tanquam fatui contemnantur. Huc rectè facit illud, quod dicit Seneca libro de Moribus: Nondum fœlix es, ſi non te turba irriſerit; ſi beatus vis eſſe, cogita hoc primùm non contemnere ab aliis contemni. Apoſtolus etiam 1 Cor. 4. dicit: Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto. Et eſt ironicè dictum ſecundùm Gloſſam; quaſi diceret: Nos reputamur ſtulti, & qui Chriſtum prædicamus; & putatiſne vos, quòd ſitis prudentes, quia tacetis? quod certè non eſt verum. Unde S. Auguſtinus ſuper Pſalmum 38. Et ponitur in Gloſſa ſuper illud allegatum (Facti ſumus ſpectaculum Angelis & hominibus) ſic ait: Boni Angeli & boni homines laudant nos, & mali irrident. Hæc ſunt dextera & ſiniſtra; his utimur quaſi armis ad feriendum Diabolum, ſcilicet laudantibus & vituperantibus: ſi nec iſta elevent, nec iſta frangant. Hæc S. Auguſtinus.

Nota ſecundò, quòd deriſio ſit locutio cum riſu deordinata, de defectu hominis propter ludum vel jocum aut contemptum; ut homo inde erubeſcat apud alios unde deriſio eſt peccatum, quia intentio deridentis eſt diminuere gloriam alterius ſub ſpecie ludi vel joci.

Nota tertiò ex Ariſtotele 4 Eth. cap. 2. Quòd ludus moderate applicatus ſit bonus & neceſſarius ad vitam, ſicut requies quædam mentis; quia ſi mens humana ſemper applicaretur ad ſeria, valde fatigaretur. Sicut autem carentia omnis luſûs nihil boni confert, ita ſuperabundantia luſus exceſſivi multùm nocet. Unde illi, qui totum tempus impendunt ludis, venationibus, vel taxillis, ſunt exceſſivi in luſu, nec poſſunt Domino Deo reſpondere pro pretioſo tempore, quod tam malè tranſigunt. Et de talibus verificatur illud Sap. 15. *Æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram.*

Dicit ergo Ariſtot. loco citato, quòd nimis deriſivi ſuperabundent in luſu, & ſunt tales homines, qui promiſcuè loquuntur honeſta & inhoneſta, dummodo cauſent riſum. Et tales homines rectè vocantur *Bomolochi*, id eſt, raptores temporum. Hoc autem nomen iſtis hominibus imponitur ad ſimilitudinem milvorum volitantium circa templa, tantùm ut rapiant inteſtina: ita etiam *Bomolochi* in colloquendo cum hominibus nihil aliud gaudent, quàm quòd recitent defectus hominum ad cauſandum riſum.

in aliis, & in aliis erubeſcentiam. Porrò iſte ludus non eſt bonus nec diſciplinatus, quia ad bonum ludum ſeu jocum requiritur, quod dicantur bona & honeſta.

ARTICVLVS VNICVS.

Utrùm deriſor monſtret propriam ſtultitiam, ſuſpendat amicitiam, tollat Juſtitiam, & intendat malitiam?

Dico quod ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod deriſor monſtret *propriam ſtultitiam* Quia qui deridet hominem ſibi ſimilem pro quocunque defectu naturali, vel morali, ignorat propriam fragilitatem; poteſt enim ſimiliter fieri in his defectibus deriſibilis, ſi Deus permittat: Unde S. Gregorius 25 Moralium cap. 7. ait: Quod ſumus hodie, novimus, quid autem poſt paululum eſſe poſſumus, neſcimus. Hi vero, quos fortè deſpicimus, & tardè poſſunt incipere, & tamen vitam noſtram ferventioribus ſtudiis anteire. Timendum itaque eſt, ne etiam nobis cadentibus ſurgat, qui nobis ſtantibus irridetur: quamvis ſtare jam non novit, qui non ſtantem novit irridere. Hæc S. Gregorius. Et ideo advertat quis illud Iob. 11. Cùm cæteros irriſeris, tu à nullo confutaberis? Quaſi dicat: omnino confutaberis; quia Proverb. 3. de Domino Deo dicitur: Illuſores ipſe deludet.

Explicatur *ſecunda pars.* Quod irriſio ſuſpendat *amicitiam*; quia ſæpe eſt cauſa diſſenſionis & diſcordiæ. Unde Proverb. 22. dicitur: Ejice deriſorem, & exibit cum eo jurgium.

Explicatur *tertia pars.* Quod deriſio offendat *Juſtitiam*; quia deriſor facit aliquid, quod ſibi nollet fieri. Et ideo Proverb. 19. dicitur: Parata ſunt deriſoribus judicia.

Explicatur *quarta pars.* Quod deriſio intendat *malitiam*. Incipit enim in ludo, & tamen ſub ſpecie ludi vel joci intendit proximi inhoneſtatem: & ſic committit mendacium facti. Unde Jeremiæ 9. dicitur: Omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem ſuum irridebit, & veritatem loquetur.

Et ideo rectè ſacra Scriptura contra deriſores dat quatuor minas. Dicit enim quod non ſint arguendi de iniquitate, non ſint inſtruendi de fatuitate, ſint ejiciendi de ſocietate, & ſint deridendi à Dei Majeſtate. De primo dicitur Prov. 9. Noli arguere deriſorem, ne odiat te: argue ſapientem & diliget te. De ſecundo dicitur ibidem: Quærit deriſor ſapientiam, & non inveniet eam. De tertio dicitur Proverb. 25. Ejice deriſorem. De quarto dicitur in Pſalmo: Tu, Domine, deridebis eos, & ad nihilum deduces omnes gentes. Et Sap. 12. Propter hoc tanquam pueris inſenſatis Iudicium eis in deriſum dediſti.

LECTIO LXI.

TEXTUS.

Ergo erravimus à via veritatis, & Iuſtitiæ lumen non luxit nobis; & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.

EXPLICATIO TEXTVS.

Dixerunt impii antecedenter, *Nos inſenſati æſtimabamus vitam illorum inſaniam, & finem illorum ſine honore*; & jam videmus quod illorum vita ſit ſumma ſapientia, & finis eorum ſit in maximo honore: ex hoc, inquam, antecedenti rectè inferunt reprobi iſtam conſequentiam,

Ergo erravimus à via veritatis, id eſt, à Chriſti doctrina: qui de ſeipſo dicit Ioann. 14. Ego ſum via, veritas & vita. Et ſponte receſſimus à via veritatis, id eſt, à doctrina Chriſti. Ideo etiam

Iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Id eſt, Chriſtus (qui dicitur ſol Iuſtitiæ & ſol intelligentiæ) non illuſtravit corda noſtra ad rectè ambulandum in via Dei. Dicitur autem Chriſtus ſol Iuſtitiæ, in quantum minima noſtra merita, quantumvis occultiſſima, aliquando debitè præmiabit, & juſtè retribuet nobis ſecundùm facta noſtra. Dicitur autem ſol intelligentiæ, quia facit nos Ipſum intelligere per fidem; unde Iſaiæ 7. dicitur: Niſi credideritis, non intelligetis, uti certi expoſitores legunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſtus rectè comparetur Soli propter operationem vivificantem, apparitionem ſignantem, & declarationem manifeſtantem?

Dico quod ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod Chriſtus rectè comparetur *Soli propter operationem vivificantem.* Quia ſicut Sol eſt cauſa & fons luminis & caloris, & vitæ corporalis in iſtis inferioribus (propter quod Ariſtoteles 2 Phyſ. dicit: quòd homo & ſol generant hominem) ita etiam Chriſtus eſt cauſa luminis intellectualis, id eſt, notitiæ ſive cognitionis ſupernaturalis, & vitæ ſpiritualis per gratiam in hominibus. Unde ſicut ſol radios ſuos diffundit ſuper pulchra & turpia, ita etiam Chriſtus radios ſuæ bonitatis extendit non ſolùm ad bonos ſed etiam ad malos, conſervando bonos in ſua bonitate & malos per gratiam alliciendo ad agendos fructus bonos pœnitentiæ. Item largiendo ipſis bona temporalia & pœnam debitam pro peccatis differendo; juxta illud: Diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Et ita rectè Matth. 5. dicitur: Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, ſeu peccatores.

Pot-

Porrò contingit ſubinde, quòd Sol ſuper nivem vel glaciem radios ſuos evibret, & tamen nix vel glacies non reſolvatur in aquam. Sed ſciendum eſt, quòd aliquis planeta frigidus impediat radios ſolis & ejus liqueſaciendi effectum. Ita moraliter loquendo ſubinde Chriſtus projicit radios ſuæ clementiæ ſuper cor coagulatum alicujus peccatoris inveterati; projicit, inquam, clementiæ ſuæ radios ſuper illum, dum facit eum cogitare de beneficiis Chriſti in creatione, paſſione, redemptione, & peccatorum remiſſione, & præmiorum retributione; & tamen cor durum talis peccatoris inveterati non emollitur. Unde hoc provenit? revera à planeta aliquo frigido, nimirum à Diabolo, qui ex defectu charitatis per malitiam eſt ſummè infrigidatus. Unde Jerem. 6. dicitur: Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam facit malitiam ſuam Diabolus ſuper regionem cordis talis.

At verò peccatores in malo non inveterati, nec in tanto exceſſu infrigidati, alium ſentiunt effectum, quando Chriſtus radios ſuos verſus illos evibrat: nam tales peccatores ſtatim liqueſcunt proferendo ex corde contrito lachrymas. Ita legimus de S. Petro Luc. 22. qui poſtquam Chriſtum negavit, & Chriſtus eum reſpexiſſet, exivit foras & flevit amarè. Idem legimus de S. Maria Magdalena Lucæ 2. quæ irradiata à ſole Chriſto in domo Simonis leproſi, lachrymis cœpit rigare pedes Jeſu, & capillis capitis ſui tergebat. De qua ſancta pœnitente canit Eccleſia: Liqueſecit, & refecit, reſolutam in lamentis, verbum miſſum cœlitus.

Explicatur *ſecunda pars*. Quòd Chriſtus rectè comparetur ſoli *ratione ſua motionis*. Notum eſt, quòd quando ſol mane rubet, ſignum ſit tempeſtatis futuræ, at verò quando ſol in occaſu rubet, tunc ſignum eſt ſerenitatis. Unde Matth. 16. dicitur: Facto veſpere dicitis, ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum: & mane, hodie tempeſtas erit, rutilat enim triſte cœlum. Sic etiam circa Chriſtum Dominum contigit. Nam poſt ortum ſuæ nativitatis, ſtatim rubor apparuit in ipſo; venerunt enim die octavo circumcidere puerum, adeoque Chriſtus in ſua circumciſione primum ſanguinem effudit. Et certè iſtum ruborem ſequebantur tempeſtas valida variarum perſecutionum; ita ut Pſalmiſta in ſpiritu de Chriſto dicat: In circuitu ejus tempeſtas valida. Rurſus in occaſu hujus ſolis apparuit maxima rubedo, quando corpus Chriſti Domini virgis & flagellis, coronâ ſpinea, clavis crucis & lanceâ dira fuerat cruentatum. Verumtamen iſte rubor, qui apparuit in occaſu hujus ſolis Chriſti, fuit ſignum futuræ ſerenitatis in reſurrectione & tranquillitatis perpetuæ: Unde Tobiæ 3. dicitur: Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis.

Licèt autem ſit dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem, ut dicitur Eccl. 11. non poteſt tamen clarè à nobis videri ſine læſione oculorum, niſi tegatur aliqua nube tenui & non nimia groſſâ. Sic etiam Filius Dei in ſuæ naturæ divinæ puritate ab oculis mortalibus videri non potuit ante incarnationem. Et ideo Chriſtus volens ſe exhibere hominibus, involvit ſe nube tenui humanitatis noſtræ ex beatiſſima Virgine Maria, per operationem Spiritûs ſancti, carnemque humanam aſſumendo. Unde rectè ad propoſitum dicitur Ezech. 32. Solem nube tegam.

Explicatur *tertia pars*. Quòd Chriſtus rectè comparetur ſoli propter *declarationem manifeſtantem*. Si radius ſolis per minimam rimam penetrat in aliquod cubiculum, quantumvis illud videatur eſſe purum, apparent tamen tunc temporis pulveres illius cubiculi, qui tamen ſolùm videri poſſunt in radiis ſolis, contrahentibus & manifeſtantibus illos pulveres. Ita declarat Chriſtus Dominus cubiculum conſcientiæ, quantumvis videatur eſſe purum, habere tamen copiam venialium peccatorum. Et hoc ipſi Juſti agnoſcunt, quia quantò ampliorem gratiam recipiunt, tantò magis ſeſe de culpis venialibus corripiunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm Chriſtum tanquam ſolem, ejuſque radios, à nobis ſubtrahant & abſcondant, terra mundialis cupiditatis; nubes temporalis vanitatis; & luna carnalis voluptatis?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars*. Quòd Chriſtum à nobis ſubtrahat & abſcondat *terra mundialis cupiditatis*. Quando terra (quæ eſt infimum elementum) interponitur inter aſpectum noſtrum & ſolem (uti contingit de nocte) tunc nec videmus ſolem nec ſolis radios, ſed manemus in tenebris infra umbram terræ. Iſto modo multi ſunt, inter quorum aſpectum & Deum, interponitur ipſa terra (quia tota eorum ſolicitudo, mens & cogitatio atque affectio ad terram dirigitur) talibus verò occidet ſol in meridie, ſicut dicitur Amos 8.

Explicatur *ſecunda pars*. Quòd Chriſtus tanquam ſol quibuſdam abſcondatur propter *nubem interpoſitam*. Dignitates hujus mundi ſunt volatiles quaſi nubes ſine quiete; & hæ dignitates in tantum ponuntur ſuper oculos ſuperborum & ambitioſorum, ut Deum videre non poſſint: tales autem homines ſuperbi & ambitioſi Deum ſatis videbunt in morte, ſolùm tamen ad terrorem & judicium; unde 2 Mach. 1. dicitur: Tempus adfuit, quòd ſol refulſit, qui priùs erat ſub nubibus.

Explicatur *tertia pars*. Quòd aliqui ſint, quibus ſol Chriſtus eclipſatur per interpoſitionem *lunæ carnalis voluptatis*. Et iſti ſunt homines beſtiales libidini dediti, & igne concupiſcentiæ inflammati: unde in Pſalmo dicitur: Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.

ARTICULUS TERTIUS.

An ſicut ſol in curſu ſuo annuo, pertranſit duodecim ſigna cœleſtia; ita etiam eadem ſigna cœleſtia Chriſtus tanquam ſol moraliter loquendo pertranſierit?

Dico, quòd Chriſtus, moraliter loquendo, tanquam ſol pertranſierit duodecim

ſigna

ſigna cœleſtia, quæ his verſibus continentur.

Eſt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
Libraque, ſcorpius, arcitenens, caper, amphora,
piſces.

Explicatur quomodo Chriſtus fuerit in ſigno *Arietis.* Communiter tenetur, quòd *Aries* ſit dignior pars dextera cœli, & nobilior, unde incipit motus. Unde *Aries* eſt primum ſignum ſecundùm Ariſtotelem. Itaque ſol fuit creatus in ariete, & in ariete primò fuit, ut communiter tenent Catholici. *Aries* autem eſt animal naturaliter innocens ſecundùm genus ſuum, fortis tamen & potens in ſua ſpecie. Et ita moraliter loquendo Chriſtus ut Deus, quando creavit primos parentes in paradiſo & in ſtatu innocentiæ, nullam eis ferocitatem oſtendit, ſed tantùm potentiam in creando & gubernando res, & innocentiam ac manſuetudinem.

In ſecundum tamen ſignum nimirum in *Taurum* Chriſtus & Deus tranſivit ſtatim poſtquam homo peccavit; quia ad inſtar fortis tauri ejecit primum hominem ex paradiſo, privans eum juſtitiâ originali, & infligens ei pœnam moriendi; unde dicitur Proverb. 3. Aries eſt, & non eſt rex qui reſiſtat ei.

Eſt autem natura *Tauri*, quòd quantumcunque fuerit ferox, ſi tamen alligetur ficui, manſueſcit (teſte S. Iſidoro Lib. 17. Eth. cap. 7.) & ita fuit de Filio Dei, donec alligatus eſſet ficui dulciſſimæ, id eſt, Virgini glorioſiſſimæ per Incarnationem: tunc enim ferocitate ſua contra genus humanum depoſitâ, tanquam alligatus vinculo filiali, continuò manſuefactus eſt. Et ita verificatum fuit illud Matth. 21. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.

Tertium ſignum *Geminorum* Chriſtus tanquam ſol quoque ingreſſus fuit in incarnatione ſua, quando duas naturas ineffabiliter copulavit, Procedens de thalamo ſuo, pudoris aula Regia, geminæ gigas ſubſtantiæ, alacris ut curtat viam, ſicut dicit S. Ambroſius. Huc facit illud Geneſ. 25. Et ecce gemini in utero ejus reperti ſunt.

Porrò hoc ſignum *Geminorum* depingitur in forma duorum juvenum ſeſe invicem amplectentium; & ſicut quidam fingunt, illi fuerunt duo filii Jovis Caſtor & Pollux, qui ſe invicem in tantum dilexerunt, ut cùm Caſtor haberet à Patre immortalitatem, id eſt, poſſe non mori, ſi voluiſſet, nihilominus ſponte mori voluit pro fratre ſuo Polluce ad tempus, ut utrique poſtea daretur immortalitas. Ex quo factum eſt, quòd ambo ſtellificati fuerint, & ſigno illo nuncupati, quod dicitur *Gemini.* Sic etiam moraliter loquendo Chriſtus factus eſt germanus frater hominis; & quamvis Chriſtus poſſe non mori habuerit, ſi voluiſſet præelegit tamen pro homine mori, ut nos immortalitatis ſuæ tribueret eſſe participes.

De iſto ſigno tranſivit Chriſtus in quartum ſignum nimirum in *Cancrum.* Eſt autem *Cancer* piſcis retrocedens, id eſt, paſſu retrogrado vadens; juxta illud Aniani in quadam Apologia,

Curva retrocedens dum fert veſtigia Cancer.

Et iſto modo videbatur Chriſtus retrocedere, dum vixit in mundo. Rectus enim inceſſus hominis deberet eſſe de virtute ad honores, de merito ad præmium, & de labore ad requiem: ſed certè Chriſtus continuò retroceſſit de virtute ad vituperium, de vituperio ad verbera, & de verberibus ad crucem, & ſic uſque ad mortem. Unde toto tempore inter nativitatem & reſurrectionem ſuam, vocatus eſt Chriſtus ſol noſter in *Cancro.*

Præterea ſicut ſole exiſtente in *Cancro* maximus fervor mundo infunditur: ita Chriſtus iſto tempore intermedio, maximum æſtum ſeu fervorem charitatis hominibus demonſtravit.

Ex *Cancro* autem intravit ſol noſter Chriſtus in ſua reſurrectione ſignum *Leonis*, quod eſt quintum ſignum. S. Iſidorus 12 Ethymol. cap. 2. dicit: quòd catulus Leonis de novo natus, tribus diebus jaceat quaſi mortuus, & tandem poſt tres dies patris rugitu quaſi excitatur à morte vel potius à dormitione ſua. Iſto modo Chriſtus cùm mortuus eſſet per tres dies, per ſynecdochen mortuus jacuit: poſt quod tempus virtute Patris reſuſcitatus reſurrexit glorioſè. Unde dicitur Apoc. 5. Hic eſt Leo de tribu Juda. De quo Gen. 49. prophetavit Jacob benedicens filiis ſuis, quando dixit Judæ filio ſuo: Catulus Leonis Juda, ad prædam fili mi aſcendiſti; requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum?

De *Leone* Chriſtus tanquam ſol tranſivit in ſignum ſextum nimirum *Virginis.* Toto enim tempore intermedio inter reſurrectionem & aſcenſionem ſuam, doctrina & fides Eccleſiæ in Beatiſſima Virgine Maria potiſſimum conſervabatur. Nam Beatiſſima Virgo illo tempore potiſſimum Apoſtolos & Diſcipulos docuit, monuit, & conſolata fuit: utpote illa, quæ repleta fuit Spiritu ſancto pleniſſimè in verbi Dei conceptione. & ideo tunc temporis manſit in tali ſigno, id eſt, in fide Virginis. De qua Ovidius tertio de vetula cap. ult. ſic canit:

O Virgo fœlix, ô Virgo ſignificata
Per ſtellas; ut ſpica notes, quis det mihi tantum
Vivere quòd poſſim laudum fore præco tuarum.
Nam niſi perfecta fores, non eligeret te
Hic Deus omnipotens, ut carnem ſumeret à te.

Ubi prophetat diffusè, quòd Deus omnipotens ſumeret de ea carnem, & quòd reſurgeret à mortuis; & quòd dilectiſſimam Matrem ſuam & Virginem aſſumeret cum corpore & anima in cœlum. Unde dicit ſic in fine:

Non opus eſt ut eam velit exaltare gradatim,
Sed ſimul aſſumet, & eandem concathedrabit.
Illic eſto tui memoris, memor optima Virgo.
Illic cùm fueris, pro nobis tracta trahendis.
Pro nobis non te pigeat ſuadere, quòd ad ſe
Nos trahat is per te, qui per te venerat ad nos.
A nobis ipſi ſit gloria laudis, ab ipſo
Gratia ſit nobis, & metæ neſcia vita.

Porrò an iſte liber ſit Ovidii, Deus novit, quamvis à Leone Protonotario referatur liber iſte extractus de ſepulchro Ovidii; unde etiam teſtamentum Ovidii vocatur. Dicit enim quòd inventus fuerit in Cœmiterio publico, in quodam ſepulchro in ſuburbio Dioſcori civitatis, quæ eſt Caput regni Colchorum: & quia ibi

P non

non erat copia Latinorum, eò quòd Armeni linguam latinam non intelligant. Ideo Rex Colchorum miſit illum librum Conſtantinopolim, ubi tunc erat copia Latinorum. Refert etiam, quòd inter antiquorum ſepulchra unum inventum eſt, ſuper quod ſculpta fuerunt quædam verba Armenica, quorum interpretatio ſic ſonabat: Hîc jacet Ovidius ingenioſiſſimus Poëtarum. Obiit autem Anno Chriſti 18. ſicut refert Guilielmus de Evang. in Chronica ſua, anno tertio Tiberii. Ex quibus patet, quòd ſi liber ille fuerit Ovidii, tunc fuerit pulcherrima Prophetia. Sed redeamus ad alia.

Septimò, Chriſtus ſol Juſtitiæ tranſivit de *Virgine* ad ſignum *Libræ*; quando à Virgine benedicta Matre ſua ſuiſque diſcipulis licentiam accipiens eiſque valedicens, ipſis videntibus eſt elevatus in cœlum, Act. 1. tunc, inquam, tranſivit in *Libram*, quando cum Patre ſuo æterno paſſionis ſuæ meritum contra primi parentis & prævaricatoris peccatum appendit, oſtendens ſe plus ſolviſſe in pœna, quàm Adam commiſerit in culpa. In cujus Adæ perſona dicit Job: Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in ſtatera. Id eſt, Chriſtus humanatus loco mei, quaſi arena maris, hæc gravior appareret, Iob. 6.

Octavò, de *Libra* tranſivit in *Scorpionem*; quando corpus ſuum (quod eſt Eccleſia) Tyrannorum & hæreticorum perſecutionibus quaſi quorundam ſcorpionum aculeis lacerari permiſit: ut diceret tunc meritò Eccleſiæ ſuæ illud Ezech. 2. Subverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.

Nono tranſivit ſol noſter in *Sagittarium*. Fuerunt enim à tempore Sylveſtri Papæ & Conſtantini Imperatoris (qui primò dicitur Eccleſiæ dediſſe temporalia) ſemper judicia, placitationes & diſſenſiones inter clericos, quis eorum videretur eſſe major ad paſcendum oves Chriſti: & hæc eſt cauſa, cur volent ſagittæ acutæ. Nunc regalium ſupplicationum ad Romanam curiam: nunc accuſationum, nunc diffamationum ad inferiorum judicum audientiam; ita ut plena ſit Eccleſia advocatis in omni cauſa ad deferendam injuriam; & ideo uſque in hodiernam diem Sol ſtat in ſigno *Sagittarii*. Sed utinam omnes advocati eſſent boni & veridici, & non magis ſtuderent pecuniæ quàm veritati. Huc facit illud Prov. 25. Jaculum, & gladius, & ſagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium. Et illud 1 Reg. 31. Conſecuti ſunt eum viri ſagittarii, & vulneratus eſt vehementer à ſagittariis.

Decimò, Sol noſter Chriſtus tranſibit in ſignum *Capricorni*. Capricornus habet primam partem ſui corporis caprinam. Et tunc eſt ſol in maxima elongatione à nobis: quia in primo puncto Capricorni eſt ſolſtitium hyemale. Unde iſtud ſignum ſignificat tempus Antichriſti, qui rectè poteſt dici caprinus. Tum quia capra eſt animal ſummè libidinoſum, & de Antichriſto dicitur Dan. 11. Erit in concupiſcentiis fœminarum, nec quenquam Deorum curabit. Tum quia capra generat hœdos; ſequaces autem Antichriſti rectè dicuntur Hædi, juxta illud Matth. 25. Statuet quidem oves à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Adeoque tempore Antichriſti erit Chriſtus Sol Juſtitiæ in ſigno *Capricorni*, & tunc videbitur quaſi maximè elongatus ab Eccleſia; ſed non diu durabit; quia ſtatim in *Capricorno* incipit ſol aſcendere: & ſic etiam Chriſtus ſtatim occiſo Antichriſto in cordibus ſuorum fidelium refulgebit.

Undecimò, tranſibit Chriſtus Sol Juſtitiæ in *Aquarium*. Depingitur autem *Aquarius* in forma hominis tenentis urceum aliquem, ſeu vas inverſum, ex quo aqua pleno foramine perrumpit. Et ſignificat quadraginta quinque dies cum toto reſiduo tempore poſt mortem Antichriſti. In quibus pluet Chriſtus miſericordiam ſuper Juſtos, qui tempore Antichriſti vacillaverunt, ſicut ſupra dictum eſt. Et ita Chriſtus tunc erit in *Aquario*; verificabiturque illud Ezech. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.

Duodecimò & ultimò, Chriſtus Sol Juſtitiæ erit in *Piſcibus*. Quando Sol ad ſignum *Piſcium* pervenit, tunc deſinit eſſe hyems & incipit ver, juxta illud:

Cedit hyems retro, cathedrato Simone Petro.

Iſto tempore, quæcunque radices & ſemina ſub terra latuerunt, incipiunt ſeſe exerere, & terra ſe incipit aperire, & pandere illa quæ occultavit. Per hoc autem ſignificatur tempus reſurrectionis generalis omnium corporum humanorum, quando ſe aperiet terra, & reddet mortuos occultatos. Et tunc erit Chriſtus in *Piſcibus*, quando cum ſuis piſcatoribus, quos olim Apoſtolos fecerat, veniet ad Iudicium. Et tunc implebitur illa Parabola Matth. 13. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, quam cùm impleta eſſet educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi. Huc facit illud Habac. 1. Facies hominis quaſi piſces maris. Et ſicut in fine *piſcium* aſt ipſum oriens, quod eſt caput ſigni *Arietis*, ubi ſol eſt creatus, & ibi ſtabit poſt extremum Iudicium in perpetuum, nec movebitur ulterius circa terram faciens ortum & occaſum. Ita Chriſtus deinceps cum ſanctiſſima ſua Matre in medio electorum ſuorum ſtabit ſine fine, & tunc erit dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem, Eccl. 11. Et implebitur illud Habac. 3. Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo. Ad quod nos Deus perducat.

LECTIO LXII.

TEXTUS.

Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Spiritus ſanctus oſtendit, quòd impii confitebuntur ſe fuiſſe fraudatos propter ſuam culpam: hic oſtendit ſe fuiſſe fruſtra

ſtra fatigatos in operatione. Dicit ergo.

Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis. Id eſt, nos impii, qui portavimus iniquitatem tanquam onus grave (juxta illud Pſalm. Iniquitates ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.) tandem laſſati ſumus.

Et ambulavimus vias difficiles. Id eſt, ambulavimus tales vias, quæ ſecundùm apparentiam videntur eſſe amabiles, finaliter autem ducunt ad infernum.

Viam autem Domini ignoravimus. Id eſt, rectam viam Domini quaſi nihil curantes, *ignoravimus*; id eſt, neſcire voluimus: juxta illud, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ſeptem ſint viæ difficiles iniquitatis, quarum viarum viam difficilem & montoſam ſuperbi, ſpinoſam avari, lutoſam luxurioſi, tenebroſam invidi, ſumptuoſam guloſi, tumultuoſam iracundi, & tædioſam denique viam acedioſi eligant, ac perambulent?

DIco quod ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod viam *montoſam & difficilem ambulent Superbi & ambitioſi.* Quia iſti ſemper tendunt ad ſublimia & alta. Sed revera via iſta eſt periculoſa, quia de modico lapſu imminet maximum periculum; unde S. Gregorius dicit: Quantò gradus altior, tantò caſus gravior eſt. Sed homines iſti ſuperbi & ambitioſi rectè comparantur lepori, quia ſicut lepus multò meliùs currit montem aſcendendo, quàm deſcendendo de monte in vallem: ita etiam ſuperbi de monte ſuperbiæ cum difficultate deſcendunt, ſed ad loca dignitatia cum magno conatu aſcendunt. Ratio autem cur lepus citius montes aſcendat, eſt, quia habet crura anteriora ſeu pedes anteriòres breviores, quàm ſint pedea poſteriores. Ita etiam moraliter loquendo, affectiones hominis ad Deum, ſunt quaſi tibiæ anteriores, affectiones autem ad mundum ſunt veluti tibiæ poſteriores. Quando ergo contingit quòd affectiones hominis ad Deum ſint breviores, quàm affectiones ad mundum, fit, quòd talis homo velociùs currat contra montes in acquiſitione dignitatum & divitiarum. Unde Job 15. dicitur Cucurrit adverſus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd viam *ſpinoſam ambulent cupidi & avari.* Et ideo rectè Salvator noſter dixit Lucæ 8. quòd viæ, quas avari ambulant, ſint ſpinæ: tum quia habent punctionem laborum in acquirendo opes; tum quia tales habent timorem in cuſtodiendo divitias; tum denique quia tales habent dolorem in amittendo illas. De tali avaro dicitur Oſeæ 2. Sepiam viam tuam ſpinis.

Explicatur *tertia pars.* Quòd viam *lutoſam ambulent luxurioſi.* Aurigæ & bubulci pecora de loco in locum ducentes, ſemper utuntur viâ magis communi & trita, quæ etiam ordinariè eſt magis turpis ac fœda: ita etiam luxurioſi viam illam ſpurcitiæ communem, quam plurimi homines mundani perambulant, ingrediuntur, & eandem pervadentes, corpus ſimul & animam cõmaculant. Unde de viis luxurioſorum dicitur in Pſalm. Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Et Matth. 7. Lata porta & ſpacioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem, & multi ambulant per eam. At verò per oppoſitum de homine caſto dicitur in Pſalm. Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Et Proverb. 3. Viæ ejus viæ pulchræ.

Explicatur *quarta pars.* Quòd viam *tenebroſam eligant invidi*, qui per malitiam propriam ſunt excæcati: & ideo, ubicunque ſunt, in tenebris ambulant. De talibus dicitur Prove.b. 2. Relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas: qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Item in Pſalm. dicitur: Fient viæ illorum tenebræ & lubricum. Ex hoc autem quòd invidi ambulent viam tenebroſam, mirum non eſt, quòd cadant; unde Prov. 4. dicitur: Via impiorum tenebroſa, neſciunt, ubi corruunt.

Explicatur *quinta pars.* Quòd *guloſi ambulent viam ſumptuoſam.* Quando in aliqua civitate, ubi ſunt nundinæ, eſt magna caritas vini & panis, tunc extranei mercatores non libenter comparent in talibus nundinis, dicunt enim, quòd plus perdant in una nocte manendo in hoſpitio, quàm lucrentur duobus diebus. Moraliter loquendo, nos omnes ſumus mercatores & negotiatores, juxta illud Lucæ 19 Negotiamini dum venio. Quivis autem guloſus eſt in domo ſua ſicut in hoſpitio, ubi qui nimia laute vivit, plus conſumit in una hora, quàm lucretur fortè per duos dies, vel ſaltem plus conſumit, quàm ſibi ſufficeret ſuſtentatione duorum dierum, ſi moderatè ac temperatè juxta regulas prudentiæ viveret. Cùm itaque omnis via hominis guloſi ſit ſuperflua & ſumptuoſa, meritò eſt deteſtanda. Unde in Pſalm. dicitur: Via illorum ſcandalum ipſis, & poſtea in ore ſuo complacebunt.

Explicatur *ſexta pars.* Quòd viam *tumultuoſam perambulent iracundi.* Et hæc via eſt plena preſſuris. Unde ubicunque ſunt iracundi erit preſſura. (ut docet Seneca Lib. 3. de Iracundia cap. 6.) De his etiam dicitur in Pſalm. Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.

Explicatur *ſeptima pars.* Quòd viam *tædioſam perambulent acedioſi*: qui nihil faciunt ubicunque fuerint, & tamen ſemper ſunt fatigati. Eſt enim *Acedia* quoddam ſpirituale tædium in his quæ Dei ſunt; ita ut omne illud, quod ſpectat ad divinum officium, reputetur à talibus hominibus acedioſis eſſe nimis longum. Hi volunt habere longa convivia, & breves gratias; garritiones & confabulationes longas, & horas orationis ſincopatas; ſomnia infantis (Puer enim nutritur ex delectamento ſomni convenientis, ut dicitur Sap. 7.) & Miſſam venatuis, quæ deſideratur eſſe valde ſuccincta.

Et hæ ſeptem explicatæ viæ, ſunt viæ iniquitatis, à quibus dehortatur nos Iſaias 55. cap. dicens: Derelinquat impius viam ſuam & cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, Et Ezech. 33 Convertimini ad me à viis veſtris peſſimis. Et ideo humiliter cum Davide Dominum rogare debemus, dicentes: Vias tuas, Domine,

demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Et iterum: Notam fac mihi, Domine, viam in qua ambulem. Ubi tamen

Nota primò. Quòd vita hominis Chriſtiani non poſſit eſſe ſemper no ſormis. v. g. Non poteſt eſſe ſemper contemplativa tantùm (hoc enim eſſet nimis moleſtum homini) nec ſemper poteſt eſſe activa. Unde una eademque perſona pro loco & tempore utramque iſtarum viarum incedere debet. Et ideo ſicut homo eſt compoſitus ex corpore & anima, ita ut corpus fatigetur aſcendendo per orationes, ſtudia, vigilias & contemplationes, anima verò fatigatur & deficiatur deſcendendo & occupando ſe circa temporalia proximis diſpenſanda: Ideo ne tædium in ſervitio Dei contrahamus, debemus ſubinde aſcendere contemplando, & poſtea deſcendere proximum juvando. In cujus rei figuram vidit Jacob Gen. 28. Angelos aſcendentes & deſcendentes de cœlo ad terram, & de terra ad cœlum.

Quidam Juvenis Religioſus quæſivit à beato Jordano ſecundo Generali Ordinis Prædicatorum, O Pater venerande, inquit, quid tibi utilius videtur, ut orem, vel ut legam S. Scripturam? Cui ſanctus vir reſpondit: Quid eſt tibi magis neceſſarium, comedere vel bibere? Ac ſi velit dicere, utrumque eſt tibi neceſſarium. Sic etiam tibi neceſſaria eſt oratio & lectio ſacræ Scripturæ, ita tamen ut unum fiat poſt alterum modo diſcreto. Sic etiam Haymo ſcribit de S. Paulo, quòd unam partem temporis conſumpſit in oratione, aliam in prædicatione, & tertiam in labore manuali.

Porrò ut meliùs intelligas illa verba textûs, *Viam autem Domini ignoravimus,*

Nota ſecundò, quòd homines diditi vitiis non judicent, quòd aliquis homo poſſit vivere virtuosè; unde homo luxurioſus putat, quòd nemo poſſit ſervare caſtitatem, & guloſus putat, quòd nullus poſſit facere abſtinentiam: & hoc provenit ex eo, quia (ut loquitur S. Chryſoſtomus in opere imperfecto hom. 33) omnis homo ſecundùm ſe exiſtimat alterum: nec ipſe poteſt meliùs ſentire de altero, quàm ſentiat de ſeipſo. Ecce fornicarius neminem exiſtimat caſtum, caſtus autem econtra non facilè de fornicatione ſuſpicatur; ſic etiam ſuperbus neminem putat eſſe humilem, & humilis econtra nullum putat eſſe ſuperbum, & ſic de aliis: unde Eccl. 10. dicitur: In via ſtultus ambulans, cùm ſit ipſe inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.

Ex quo colligitur, quòd cauſa, cur via virtutis ac pœnitentiæ reputetur eſſe laborioſa & difficilis, ſit inexperientia & ignorantia affectata, quâ impii nolunt ſcire vias Domini rectas. Et inſuper perſeverando in peccato, putant viam Domini eſſe ſummè laborioſam ac difficilem, cùm tamen Salvator noſter dicat: Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Et ideo dicitur nobis illud Jerem. 6. State ſuper vias & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.

LECTIO LXIII.

TEXTUS.

Quid nobis profuit ſuperbia; aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione Spiritus ſanctus explicat, quòd impii confitebuntur ſe amore inordinato aliqua amâſſe. Et quia affectio hominis primò fuit deordinata per appetitum ſingularis excellentiæ, & ſecundò per amorem ſæcularis opulentiæ: ideo quantùm ad primum dicitur in textu:

Quid nobis profuit ſuperbia? & facilis eſt reſponſio, quòd nihil profuerit, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, ut dicitur Jacobi 4. Sequitur,

Aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Facilis etiam eſt reſponſio, quòd nihil profuerit, quia omnia iſta tranſierunt relinquendo intus vermem conſcientiæ.

Rectè autem Spiritus ſanctus conjunxit hîc divitias cum ſuperbia, quia ut ait *S. Auguſtinus Serm. 31.* Vermis divitiarum eſt ſuperbia; difficile namque eſt, quòd dives ſit, & non ſit ſuperbus: tolle ſuperbiam, & divitiæ non nocebunt. Ita S. Aug.

ARTICULUS PRIMUS.

An Superbia inter vitia ſit magis generoſum naſcendo, magis animoſum invadendo, & magis cauteloſum in alliciendo?

DIco quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd ſuperbia inter vitia ſit magis *generoſum naſcendo*, quia eſt vitium ſpirituale, & etiam inter Angelicos ſpiritus inventum eſt, & ideo ſuperbia nimis impedit nobiles mentes in profectu vitæ bonæ. Unde *S. Hieronymus in quadam epiſtola* ait: Superbia natione cœleſtis, ſublimium appetit mentes, & quaſi ad proprios revolans ortus, appetit gloriam & puritatem hominum irrumpere; quæ de gloria & puritate Angelorum erupit, ut quos invenit participes naturæ, faciat quoque conſortes ruinæ. ſic tamen fatua eſt, quòd ad domum neſcit redire. *Ita S. Hieronymus.* Hic audiendus quoque eſt *Hugo libro ſuo de Anima*, ubi ſic inquit: Superbia in cœlo nata eſt, ſed veluti immemor, qua viâ inde deciderit, illuc poſtea redire non potuit.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd Superbia ſit vitium valde *animoſum invadendo*; quia non parcit loco, nec perſonæ, nec tempori, nec ſtatui.

Nam *primò* Superbia non parcit loco; quia quanto locus eſt ſolemnior, tanto ſuperbia eſt promptior: unde in congregationibus, in præ-

prædicationibus, & in omnibus negotiis publicis ſeſe facilè ſuperbia immiſcet. Ecce enim quid non lucratur ſuperbia in Eccleſia? certè ibi utriuſque ſexûs perſonæ in ornatu & geſtu, oſtentationi & ſuperbiæ magis ſtudent, quàm devotioni.

Secundò, nec ſuperbia parcit perſonæ: quia invaſit primum angelum & primum hominem. Nam poſtquam ſerpens Evæ dixerat, Eritis ſicut Dii, cupiens Eva per Deitatem acceptam ſuperbire momordit in pomum: & quidem ut notat *S. Ambroſius*, priùs Eva de pomo comedit, & poſtea guſtandum Adamo tradidit, ut Adamum divinitate præcurreret. Imo ſuperbia aggreditur ſubinde perſonas bene facientes. Et ideo rectè dicit *S. Auguſtinus in cap. ad Dioſcorum*: Vitia cætera in peccatis, ſuperbia vero etiam in rectè factis timenda eſt, ne illa, quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Et ideo merito dicit *S. Hieron in quadam Epiſtola*: Difficiliùs arrogantiâ, quàm auro & gemmis caremus.

Tertiò, ſuperbia non parcit tempori. Imo magis infeſtat ſuperbia, quo magis tempus eſt ſacrum, ut eſt dies Paſchalis, vel dies natalis Domini; quibus diebus uterque ſexus ſummè ſeſe ornat ad placendum aliis, quæritque in ſua vanitate ac ſuperbia veſtium aliquam delectationem.

Quartò ſuperbia non parcit ſtatui, unde invadit ſenes cum junioribus, religioſos & ſæculares, divites cum pauperibus, ac ſuperiores cum inferioribus; & ideo metricè dicitur:

Tunc bene pugnatis, cùm cuncta ſubacta putatis
Quæ magis infeſtat, vincenda ſuperbia reſtat.

Et ideo rectè orat Pſalmiſta: Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Eſt autem *Pes ſuperbiæ* affectio mala, quâ receditur à Deo; & *Manus peccatoris* eſt tentatio ab intrinſeco, vel impulſio per tentationem Diabolicam, aut per malum exemplum proximi.

Explicatur *tertia pars*. Quòd ſuperbia ſit vitium magis *cautelſum alliciendo*. Nam reſpectivè facilè eſt evitare luxuriam vel gulam, aut furtum vel homicidium, & alia groſſa peccata, quàm evitare ſuperbiam. Unde ſicut ſagittarius, ſi percuſſerit beſtiam in pede vel dorſo, necdum eſt de beſtia ſecurus, quominus evadat, ſi autem tangat beſtiam in corde, ſecurus eſt, quòd beſtia tacta ſit ſua: ſic etiam moraliter loquendo, Diabolus, ſi per ſagittas ſuarum tentationum hominem lædat in corde per ſuperbiam, ſecurus eſt, quòd talis homo cadet in ſuam prædam. Huc facit illud 4 Reg. 9. Egreſſa eſt ſagitta per cor regis, ſtatimque corruit. Et 49. dicitur: Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui. Et ideo omnis ſuperbus habet ſibi Deum adverſarium, quia ut Eccl. 10. dicitur: Odibilis eſt Deo & hominibus ſuperbia. Unde bene dicitur metricè:

Actibus & verbis homo tu quicunque ſuperbis,
Hoc retine verbum, frangit Deus omne ſuperbum.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Avari inſipienter ſeſe jactent de ſuis divitiis?

Dico quòd ſic.

Probatur & explicatur aſſertio. Quia tales homines ſunt ad inſtar equi portantis ſuper dorſum ſuum aliquam ciſtam plenam auro & argento; iſti autem equi poſtquam domum vel ad hoſpitium venerint, ducuntur ad ſtabulum, & comedunt fœnum, ciſta autem plena pecuniis ab ipſis aufertur, & ponitur in gazophilatio. Sic etiam divites avari ſunt veluti equi portantes pecuniam *Domini ſui*, id eſt, hujus mundi; in fine autem diei, id eſt, in fine vitæ ſuæ ducuntur ad ſtabulum *inferni*: & divitiæ eorum reponuntur in gazophilatio ab hæredibus eorum. Unde dicitur Eccl. 5. Eſt alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole, divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui. Ergo inſipienter gloriatur avarus de ſuis divitiis; maximè quia habendo divitias, non utitur illis, ſed parciſſimè vivit, vix aliquid comedit vel bibit, & inſuper laceris veſtibus utitur.

Probatur aſſertio ſecundò. Nam fatuè aliquis gloriatur, quòd portet ſpinam ſe pungentem in pede; ſed avarus habens divitias, portat ſpinam ſe pungentem (dicit enim Chriſtus Luc. 8. quòd divitiæ ſint ſpinæ) Ergo avarus inſipienter ſeſe jactat de ſuis divitiis.

Probatur tertiò. Fatuè aliquis gloriatur de eo, quòd ſibi hilaritatem & ſecuritatem tollit, ſimulque affert anxietatem; ſed divitiæ tollunt ab avaro hilaritatem & ſecuritatem, ſimulque afferunt anxietatem (ut docet Boëtius Lib. 3. de *conſolatione*, proſâ tertia: Avarus enim ſemper timet, ne ſibi vel furto vel alio infortunio divitiæ abducantur) Ergo inſipienter gloriatur de illis avarus.

Cavete ergo quotquot eſtis opulenti avari, & ſcitote, quòd unumquemque ex vobis avaris divitibus conſequentur duo inconvenientia. Nam in vita cura mordax non deſerit ſuperſtitem, defunctumque leves, id eſt, leviter tranſeuntes opes non comitantur. Unde rectè Job. 27. dicitur: Dives cùm dormierit, nihil ſecum auferet; aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet.

LECTIO LXIV.

TEXTUS.

Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, aut tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit, non eſt invenire veſtigium, neque ſemitam ejus in fluctibus.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione impii confitentur temporalis ſuæ fœlicitatis vanitatem, hancque diverſimodè

modò exemplificant, ſeu diverſis rebus comparant. Dicunt ergo:

Tranſierunt omnia (quæ nos amavimus) ***tanquam umbra***; ſicut enim umbra abſcondit hominem à luce ſolis materialis; ita divitiæ, honores & cupiditates humanæ auferunt & abſcondunt homini gratiam & dilectionem Dei. Unde Sap. 2. dicitur: Umbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum. Item in Pſalm. in perſona peccatoris dicitur: Sicut umbra, cùm declinat ablatus ſum.

Et tanquam nuntius præcurrens. Itaque fœlicitas vitæ humanæ non comparatur cuicunque nuntio, ſed nuntio currenti velociſſimè, breviterque curſum ſuum abſolventi. Unde Job. 9. dicitur: Dies mei velociores fuerunt curſore, tranſierunt & non viderunt bonum.

Aut tanquam navis quæ pertranſit, cujus cùm præterierit, non eſt invenire veſtigium, neque ſemitam carinæ ejus in fluctibus. Carina eſt venter navis, ſive media pars navis, juxta illos verſus:

Prora prior pars eſt, navis altera, tertia puppis,
Dic latus eſſe ratem, ventrem dic eſſe carinam.

Ita ſenſus illorum verborum eſt, quòd ſicut navis non relinquit veſtigium poſt ſe: ita etiam vita hominum mundanorum nullam relinquit ſui memoriam tranſactis paucis annis. Et hoc eſt veriſſimum, plures enim nobiles perierunt, quàm habeantur in memoria, ſive per ſcripturam, ſive per quæcunque memorialia. Circa iſta ultima verba, *Tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrùm ſtatus pœnitentiæ, quam inchoamus, rectè comparetur navi propter figuræ qualitatem, vecturæ commoditatem, & jacturæ poſſibilitatem?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd ſtatus pœnitentiæ inchoatæ rectè comparetur *navi propter figuræ qualitatem.* Navis enim eſt figura ſtricta in extremis, & lata in medio. Et hoc modo ſe habet pœnitentia, quia ab initio eſt difficilis propter defectum ſatisfactionis, & reſiſtentiam carnis. Unde Matth. 7. dicitur: Anguſta & arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam. In fine etiam navis pœnitentiæ eſt anguſta & arcta, quia Diabolus multùm inſidiatur fini hominis. Unde Gloſſa ſuper caput 6. Tobiæ dicit: quòd Domino in cruce paſſo & moriente crucifixo, Diabolus aderat quærens ſi quid peccati in eo invenire potuiſſet. Nihilominus in medio ad inſtar navis via pœnitentiæ eſt aliqualiter & ſufficienter ampla: quia ſecundùm S. Gregorium Via Domini non niſi in arcto itinere inchoatur, ſed amoris dulcedine dilatatur. Unde Prov. 4. dicitur: Ducam te per ſemitam æquitatis, quam cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & corruens non habebis offendiculum. Sic itaque una conditio ſeu figura navis eſt, quòd ſit arcta in principio, & ampla in medio; & hæc conditio rectè convenit pœnitentiæ, ut dictum fuit.

Alia conditio figuræ navis eſt, quòd ſit clauſa versùs mare, & aperta versùs cœlum. Et ſic anima pœnitentis claudi debet ad mundum, & aperiri ad cœlum. Facta eſt enim navis ad calcandum mare illudque ſuperandum, non autem ad illud recipiendum. Ita etiam anima pœnitens debet calcare mundum, nec tangere mundum ob aliquam delectationem carnalem, ſed ſolùm debet illum tangere ad diſpenſandum; juxta illud Prov. 31. Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd pœnitentia rectè navi comparetur *propter vecturæ commoditatem*: Nam merces & quævis aliæ res ab una terra ad aliam tranſportantur per naves. Iſto modo nos, qui ſumus in inſula mundi nullo ſenſu vel paſſu exire poterimus ad cœlum, niſi per naviculam pœnitentiæ. Et hanc naviculam Chriſtus & ejus diſcipuli primò intraverunt, ut nos audaces efficerent. Conſtat, quòd ii qui non ſunt experti navigium, illud intrant cum timore, qui autem experti ſunt, intrant ſine difficultate; in cujus rei figuram dicitur Matth. 8. Aſcendente Jeſu in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Ingrediamur ergo & nos navim pœnitentiæ ſine difficultate, ſecuri quòd taliter fluctus periculoſos maris hujus mundi evaſuri ſimus.

Navis eſt vas commune, tam pro rebus pretioſis, quàm rebus vilibus, accipit enim omnia, ſalvat, atque ad portum perducit. Iſto modo pœnitentia nullum omnino reſpuit peccatorem quantumvis ſit turpis: unde ſi talis ingreſſus fuerit contrito corde navem pœnitentiæ, certò ſalvabitur. In cujus rei figuram Gen. 8 legimus, quòd omnia animalia quæ non intraverant arcam, mortua fuerint, alia verò quæ arcam ingreſſa ſunt, ſalvabantur.

Explicatur *tertia pars.* Quòd pœnitentia rectè comparetur navi *propter jacturæ poſſibilitatem.* Eſt enim navis quaſi continuò in periculis propter ſcopulos, fluctus & voragines; Unde Eccl. 43. dicitur: Qui navigant mare enarrant pericula ejus.

Quatuor autem modis navi periclitanti ſuccurritur, nimirum per exonerationem, per foraminum obſtructionem, per aquæ ejectionem & anchoræ fixionem. Et quidem

Primo modo per exonerationem ſalvata fuit navis Act. 27. quando illi, qui fuerunt cum S. Paulo in navi, armamenta navis ejecerunt. Et hoc modo peccatores onerati opibus obnoxiis reſtitutioni, ante paſſum periculoſum mortis, exonerant ſe per confeſſionem, & reſtitutionem faciendo illis quos defraudârunt.

Secundò, juvatur navis per foraminum obſtructionem. Et tali modo ſenſus noſtri tanquam foramina per bonam cuſtodiam rationis debent obſtrui, ne per ſenſus noſtros tanquam per foramina vel feneſtras ingrediantur tentationes, quibus durum eſt ſemper reſiſtere. Hoc bene cognovit is qui dixit: Salva me, Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.

Tertiò, Aqua debet ejici ex navi; quia ſi aliqua noxia delectatio ſubintravit, debet ejici per confeſſionem.

Quartò, Figi debet anchora in re firma, hoc eſt,

eſt, in Domino Deo, qui non mutatur. Spes autem noſtra eſt anchora; undè ad Hæb. 6. dicitur: Confugimus ad tenendā propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus tutam & firmam. Et benè nobis erit cum Deo, in quo anchoram ſpei noſtræ collocamus: nam ſi Deus pro nobis, quis contra nos, ad Rom. 8.

ARTICULUS SECUNDUS.

An periculoſa Sirenum cantica, Circis pocula, & Ceti fallax Inſula, moraliter loquendo, fœliciter per pœnitentiam ſuperentur?

DIco quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Nam ut fingunt Poëtæ tres fuerunt Sirenes, quæ ex parte ſuperiori erant virgines, ex parte autem erant piſces habitantes in mari; & dicebantur Sirenes, quaſi trahentes: Siren enim eſt verbum Græcum, quod latinè ſignificat traho. Itaque Sirenes dicuntur illæ, quæ per dulciſſimam harmoniam homines auſcultantes ad ſe traxerunt, & attractos occiderunt. Una enim harum Sirenum canebat voce humana, alia tibiis, & tertia lyra, ſicut dicit *Alexander, in ſcintillario Poëſis.* Porrò Ulyſſes per eas tranſiens tali cautela uſus fuit: aures ſociorum ſuorum obturavit cerâ, ne aliquid de harmonia audirent, ſeipſum autem alligavit malo navis, & ſic evaſit. Moraliter loquendo. Ulyſſes ſapiens interpretatur, & deſignat mentem prudentem; tres verò iſtæ Sirenes ſignificant corporales illecebras; vel potius deſignant tres humani generis hoſtes, puta carnem, mundum, & diabolum, qui diverſimodè homines ſtimulant ad peccandum: at verò mens ſapiens ac prudens, debet ſociorum ſuorum, id eſt ſenſuum ſuorum potentias, obturare cerâ, id eſt, memoria fragilitatis noſtræ; mens verò noſtra ſeipſam alligare debet ad lignum ſanctæ Crucis: quod Crucis lignum eſt in ſancta pœnitentia loco mali exiſtentis in navi; ſicque homo feliciter evadet.

Explicatur *ſecunda pars.* De Circis poculo, quod eſt ſecundum periculum ſpeciale ipſius maris. Narrat *Boëtius 4. de Conſol. metro tertio*, quod Ulyſſes rediens de bello Trajano per decennium erraverit in mari. Contigit autem quod aliquando viderit quandam Inſulam, in qua Circes pulcherrima Dea (quæ ſolis filia dicebatur) habitavit. Ad hanc ergo Inſulam Ulyſſes applicuit, & intravit ad Circem. Hæc verò per incantationes, & carmine miſcuit quædam pocula, per quæ bibentes transformavit ſicut voluit à natura humana in diverſas beſtias. Poſtquam ergo ſocii Ulyſſis biberunt de poculo ipſis porrecto à Circe, hæc ſtatim unum mutavit in aprum, alium in leonem, alium in cervum, & ſic de aliis. Solus Ulyſſes manſit immutatus, & ſanus, quia Mercurius dederat ipſi unum florem, cujus virtus fuerat contra tales incantationes. Cùm igitur Ulyſſes nihil ſuiſſet paſſus, mox evaginato gladio magam inſecutus fuit, eamque ad ſociorum ſuorum reparationem coegit.

Moraliter loquendo, iſta maga eſt cupiditas ſæculi, quæ per incantationes ſuas homines transformat in beſtias, eoſque ſpoliat ratione & manſuetudine, ex quarum privatione homo efficitur beſtialis ad convivendum. Et tales propriè efficiuntur porci, evomentes omnia, quæ comederunt & biberunt. Alii autem per cupiditatem mundi, fiunt lupi rapaces, ſicut injuſti milites; quidam canes mordaces, ſicut falſi Advocati: & ſic de aliis. Verumtamen hos omnes homines ſic malè transformatos, ſola pœnitentia reſtituit ad priſtinum gradum, conferens eis iterum gratiam, & Spiritus ſancti dona.

Explicatur *tertia pars.* De Cete fallaci Inſula. Eſt autem Cete maxima bellua marina, quæ ſæpè colligit in dorſo ſuo lutum; ſuper quod lutum deindè creſcunt gramina, & herbæ vireſcunt: & ſic navigantibus videtur apparere, quaſi quidam monticulus virens, ſeu viride pratum. Decepti itaque nautæ eo applicant, vel ſolvunt, & anchoram ibi figunt; & quia nautæ putant ſe appuliſſe ad terram ſolidam, ideò ignem præparant pro coquendis rebus neceſſariis victui: beſtia vero calorem ignis ſentiens, mox ſeſe ſubtrahit, mareque ingreditur, & ita omnes homines; qui ſe eò collocaverant, ſubmerguntur.

Hæc beſtia moraliter loquendo dignitatem, vel ſtatum nobilem poteſt ſignificare; quam dignitatem homines ſimplices navigantes in hoc mundo deſiderant, exiſtimantes ibi eſſe locum ſoliditatis & quietis; undè unus deſiderat Epiſcopatum, alter Comitatum, tertius Abbatiam, vel Prioratum, putantes ſe fore fœlices, ſi ſtatum talem aſſequantur. Sed quando tales jucundiſſimè ſe habent, ſolumque cogitant pacem & ſecuritatem in tali ſtatu; ecce ſupervenit interitus repentinus, & multo velocius deſcendunt ad infernum, quàm antea aſcenderint ad talem ſtatum. Sed quid eſt quod talem beſtiam Cete poſſit vel occidere, vel navigantes in hujus mundi mari ſalvare? Certè aliud nihil eſt, quàm pœnitentia; quæ armata galeâ juſtitiæ conſpicit anguem, ſeu potius beſtiam deterrimam latere, cum delectationum mundanarum virenti gramine; & ideò beſtia illa unico afflatu cordis contriti perimitur: aliaque via, lucente nobis ſtellâ matutina Maria monſtratur, ex hoc mundi navigandi ad portum ſalutis æternæ; quod nobis Deus concedat.

LECTIO LXV.

TEXTUS.

Aut tanquam avis, quæ transvolat in aëre, nullum invenitur argumentum itineris illius; ſed tantum ſonitus alarum verberans levem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem commotis alis transvolavit: & poſt hæc nullum ſignum invenitur itineris illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione comparat Spiritus ſanctus fœlicitatem temporalem impiorum avi transvolanti. Dicit ergo: *Sicut avis quæ transvolat in aëre, ſui itineris nullum veſtigium relinquit;* ita potentes & divites volant in ſuis honoribus, & ſubito ſubtrahuntur, ita, ut non remaneat veſtigium, vel ſignum de ipſis.

Sicut

Sicut autem in volatu evis tria ſunt, ſonitus, impetus,& tranſitus: ita etiam in vita nobilium & potentum, eſt ſonitus pompæ,& magnificentiæ in victu & veſtibus; item impetus prædæ, & violentiæ à ſubditis, quos ultra jus premunt, & cogunt ad ſolutionem pecuniæ indebitæ: & tertio eſt tranſitus culpæ,& impotentiæ; quia tales nobiles potentes,ac divites, qui ultimum ſuum finem ponunt in honoribus, ac divitiis, tandem ſicut vixerunt, ita & moriuntur cum ſua culpa abſque præmiſſa pœnitentia. Et iſta trie ſignanter ponuntur in hodierna lectione, in qua dicitur: *Sed tantum ſonitus alarum verberans ventum levem, & ſciadens per vim itineris aërem, commotis alis volavit, & poſt hac nullum ſignum invenitur itineris illius.*

Nota hic. Quod impii nobiles, divites,ac potentes,loco alarum habeant malos ſuos conſiliarios, & officiales, iſtæ enim ſunt duæ alæ à dextris, & à ſiniſtris, per infamiam & famam, ut rapiant bona pauperum per exactiones & oppreſſiones injuſtas, quas nonniſi per malos ſuos conſiliarios & officiales extorquent. Tales autem conſiliarii ſunt damnabiles alæ ſuorum dominorum; Undè Jeremiæ 2. dicitur: In alis tuis, inventus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentum.

Nota ſecundò. Quod quædam ſint eves,quæ mare transvolant, & certo tempore iterum redeunt: aliquæ autem mare transvolent, & nunquam amplius revertantur. Sic etiam aliqui homines volant à Deo per peccatum,ſed redeunt & manſueſcunt per pœnitentiam; aliqui autem ſic per peccatum à Deo recedunt, ut nunquam amplius ad Deum per pœnitentiam redeant: & tales ſunt peſſimi nobiles, ec divites obdurati in malo, quorum memorie poſt hanc vitam tranſit una cum ſonitu campanarum, qui ipſis pulſatur, dum portantur ad ſepulturam. Circa hoc, quod homo vietor avi volanti comparetur (de quo etiam Job 5. fit ſermo dum dicitur: Homo ad laborem naſcitur,& avis ad volandum) ſit

ARTICULUS UNICUS.

An nobiles milites Falconibus; Mercatores Perdicibus; Prælati Aquilis, & Prædicatores Gallis rectè comparentur?

DIco quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quòd milites nobiles *Falconibus* rectè aſſimilentur. Sunt autem Falcones eves generoſæ, quia vivunt deprædā; & ita etiam communiter faciunt iſti milites, vivunt enim ordinariè de ſpoliatione Eccleſiæ,Religioſorum,& peuperum ſubditorum.

Ad propoſitum dicit *S. Ambroſius in Hexameron:* quod omnes eves prædabiles prædantur prædam alterius ſpeciei, de ſua autem ſpecie non ſolent præclari, excepto ſolo Niſo, qui etiam planè aves ejuſdem ſuæ ſpeciei rapere, occidere, & devorare ſolet, quando eſt conſtitutus in aliqua neceſſitate. Sic etiam communiter faciunt iſti nobiles milites, qui non aggrediuntur vel deprædantur alios divites vel potentes, qui ſunt quaſi ejuſdem ſpeciei cum ipſis,ſed ſolum aggrediuntur pauperes vel religioſos,qui ratione paupertatis vel ratione ſuæ impotentiæ ad reſiſtendum, ſunt quaſi diſtinctæ ſpeciei ab iſtis nobilibus militibus. Nihilominus ſæpè fit,quod etiam nobiles milites adinſtar Niſi avis parvæ, ſed crudelis, aggrediantur ſæpè ſæpius divites, & potentes ſibi quaſi ſimiles in ſpecie, dum per magnam violentiam,ac armis eos devincunt & ſpoliant.

Notum eſt, quod *Falco* quamdiu vivit in aula nutritur benè, habet veſtes ſub pedibus,ne lædat ungues,portaturque in manu: poſtquam autem eſt mortuus,projicitur ad ſterquilinium. Gallina autem econtra fugatur ab aula,vivit in villa,ſcalpit in terra, & colligit grana, quæ poteſt; ſed in morte ejus mutatur fortuna,nam in ſcutellis argenteis portatur ad menſas Principum, & Dominorum. Ita etiam erit de divite prædone, & de paupere juſto; habeturque hujus rei hiſtoria Lucæ 16. ubi dicitur: Factum eſt, ut moreretur mendicus,& portaretur ab Angelis in ſinu Abrahæ; mortuus autem eſt & dives, & ſepultus eſt in inferno. Et hoc eſt, quod de eis prophetatur Baruch. 3. his verbis: Ubi ſunt principes gentium, qui dominantur ſuper beſtias, (id eſt ſuper pauperes, qui ſolum tanquam beſtiæ à divitibus tractantur) qui in avibus cœli ludunt,quique tenent argentum & aurum,in quibus homines confidunt,& non eſt finis acquiſitionis ipſorum. Ubi inquam tales ſunt? Et ſtatim reſpondetur. Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt,& alii in loco eorum ſurrexerunt.

Explicatur *ſecunda pars.* Quòd Mercatores rectè aſſimilentur *Perdicibus.* Perdix reſte S. Ambroſio ova alterius perdicis rapit & furatur; ſed pulli procreati ſtatim ad vocem Matris relinquunt falſam nutricem, & ſequuntur matrem ſuam,quæ ova pepetit. Sic etiam fit in mercatoribus, qui per uſuras, ac decepnones lucrantur pecuniam, & ex hac emunt ſibi fundos, agros, ædes,& ſimilia: quibus quidem ad tempus fruuntur, ſed poſt mortem mercatorum, omnia eorum bona relicta recedunt ab hæredibus talium mercatorum, & ſæpè redit pecunia ad illos dominos, undè illam per fraudem ab ipſis tales mercatores ſunt lucrati. Undè commune effatum eſt.

De malè quæſitis vix gaudet tertius hæres.

Explicatur *tertia pars.* Quod Prælati Eccleſiæ rectè comparentur *Aquilæ.* Nam Aquila (ut dicitur *in Libro de naturis rerum*) habet pedem dextrum majorem ſiniſtro, diligentiſſimè nutrit pullos ſuos: imò corpus ſuum interponit inter eos & ſagittarium ad defendendos eoſdem ſuos pullos. Item Aquila captâ prædâ eſt ita liberalis, ut etiam evibus aſſiſtentibus largiet impertiatur. Sic moraliter Prælati, licet habeant duos pedes,id eſt duas affectiones; unam ad eos, quorum animarum debent habere curam, aliam ad decimationem, quæ eſt pes quaſi ſiniſter: zelus tamen animarum ſibi commiſſarum, qui eſt pes dexter, eſt longè per Dei gratiam major altero pede. Deindè etiam Prælati Eccleſiæ inter pullos ſuos, id eſt,parochianos,& ſagittarium,id eſt, tyrannum injuſtum ſeſe interponunt,nec patiuntur eos injuſtè pati.

Tertiò etiam Prælati prædam ſuam, id eſt bona Eccleſiaſtica, quæ poſſident, largiter aliis dando Eleëmoſynam impertiuntur. Huc facit illud

Exodi 19.

Exodi 19. ubi dicitur: Vos ipſi vidiſtis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Sed timendum eſt, ne quidam Eccleſiæ Prælati moderno tempore ſint ſicut Struthigines, qui habent quidem pennas, ſed non volant à terra: ita etiam quidam Prælati habent præbendas, dignitatem, & ſcientiam, nec tamen cogitationibus ſuis ſpeculantur cœleſtia; ſed tantum in terrenis occupantur. Similiter timendum eſt, ne quidam Prælati ſint ſicut Bubones, qui diligunt Eccleſiam propter oleum: undè extinguunt lumen, & oleum conſumunt. Ita quidam Eccleſiaſtici lumen ſcientiæ extinguunt, & ſolum pinguedinem Eccleſiæ comedunt: & utinam non in deteriores uſus expenderent.

Explicatur *quarta pars*. Quod Prædicatores rectè in prædicando comparentur *Gallo*. Undè Job 7. dicitur: Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, & quis dedit Gallo intelligentiã? Gallus annuntiat horas noctis, & excitat homines à ſopore. Sic Prædicatores ſapientiam ſuam non debent abſcondere, ſed palam auditoribus ſuis, pro fructu ſpirituali reportando, communicare. Debent etiam annuntiare horas noctis, id eſt, mortem; quæ quidem certa eſt, hora autem incerta; juxta illud: Quâ horâ non putatis Filius hominis veniet, repetendo ab homine animam. Beatus proindè homo, quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem. Debent quoque Prædicatores homines excitare à ſopore, ſeu ſomno peccati, & ad vigiliam pœnitentiæ peragendæ revocare. Sed timendum eſt, ne quidam Prædicatores, vel Confeſſarii in hoc ſuo officio ſint valdè pigri, non corrigendo, ſed potius excuſando peccata, quod eſt valdè malum.

Refertur de Gallo gallinaceo, quod ſi in ventre deplumetur, & urticis verberetur, foveat pullos more gallinæ; in hoc tamen eſt differentia: quod Gallina hoc faciat naturaliter propter commodum pullorum, ſed Gallus gallinaceus hoc ſolum faciat effigiativè, & propter commodum proprium, quia plus boni à pullis recipit, quam pullis impendat. Sic nonnulli Prædicatores fovent filios ſuos ſpirituales à confeſſione, hocque faciunt, tantum ut aliquid accipiant muneris ab eis, non autem ex zelo ſpirituali erga animas eorum. Et tales Prædicatores, vel Confeſſarii ſunt, matres ſolum effigiativè, ſunt enim pauperes deplumati; & ideò pullis inſident, ut pulli non ab ipſis, ſed ipſi potius à pullis calefiant. Sed væ talibus Prædicatoribus, vel Confeſſariis, qui profectò pro temporali hypocriſi merebuntur tribulatione perpetua coronari. Undè Iſaiæ 22. dicitur: Ecce Dominus aſportare te faciet, ſicut Gallus gallinaceus aſportatur, & quaſi amictum, ſic ſublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione.

LECTIO LXVI.

TEXTUS.

Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum; diviſus aër in ſe continuò recluſus eſt, ut ignoretur tranſitus illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

In iſta Lectione Spiritus ſanctus comparat fœlicitatem impiorum ſagittæ properanti ad terminum. Dicit ergo: *Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum*, id eſt, ſicut ſagitta emiſſa ab arcu velociſſimè tendit ad metam, ita iſti impii cum ſuis terrenis voluptatibus miſſi ſunt, ut per mundum tranſeant ad mortem. *Et ſicut diviſus aër, in ſe continuò recluſus eſt*, id eſt, ſicuti aër per ſagittam diviſus, ſtatim totaliter recluditur; ita etiam multitudo aliqua vel communitas quæ per alicujus impii diſſenſionem, perturbata & diviſa fuit, illo impio ablato, ſtatim reconciliatur, manetque unita, ſicut aër ablata ſagitta tranſvolante ſemper manet concluſus, & unitus. *Ut ignoretur tranſitus illius*. Id eſt, ſicut ſagittæ per aërem ad metam ſuam properantis, non apparet amplius ubi in aëre tranſierit, ita hominis impii ablati per mortem & ex iſta vita tranſeuntis, nullum ſignum amplius apparebit. Circa *ly ſagitta ſit*

ARTICULUS PRIMUS.

An diabolus habeat tres arcus, ita ut in arcu carnalis concupiſcentiæ, ſagitta illius ſit mulier compta & petulans; in arcu autem fraternalis invidiæ, ſagitta ſit detractio; ac tandem in arcu mundialis concupiſcentiæ ſagitta ſit malitioſa conſpiratio falſarum ſuggeſtionum?

Dico quod ſic.

Explicatur *prima pars*. De primo arcu carnalis concupiſcentiæ, cujus ſagitta eſt *mulier compta & petulans*. Nam ab hac capitur, & vulneratur ve cors Juvenis, ſicut dicitur Proverb. 7. ubi etiam dicitur: Quod Juvenis vecors ſequatur mulierem comptam & petulantem, quaſi bos ductus ad victimam: & ignorat, quod ad vincula ſtultus trahatur, donec ſagitta transfigat cor ejus. Porrò hæc mulier petulans eſt pennata per ornatum curioſum; ferrata per animum malitioſum; & inflammata per amorem libidinoſum. Undè Cupido dicebatur eſſe filius Veneris, qui cum ſagittia & facula pingitur: quia amor carnalis vulnerat & inflammat. Et cum hac ſagitta fuit vulneratus David in aſpectu Berſabeæ, cùm aſpiceret eam ſe lavantem. 2. Reg. 11. Porrò iſta ſagitta abſconditur in pharetra, quando mulier talia ſeſe occultat in ſua camera; arcus verò tenditur, quando mulier ſeſe diverſimodè exornat: & ſagitta tandem emittitur, quando ipſa ſic compta procedit in publicum. Et ideò ſicut periculoſum eſt hominibus non armatis, & benè cuſtoditis, inter ſagittas volantes incedere; ita etiam periculoſum eſt juvenibus in virtute parum exercitatis converſari frequenter cum fœminis. At verò ille, qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur; & talis non timebit à ſagitta volante in die, & à negotio perambulante in tenebris, ut dicitur *in Pſalmo*.

Explicatur *ſecunda pars*. Seu ſecundus arcus diaboli qui eſt *fraternalis invidentia*: ex quo arcu procedit ſagitta detractionis peſtifera; de qua dicitur *in Pſalmo*: Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Et benè dicit (*in obſcuro*) quia diabolus iſta detractionis ſagitta non utitur, niſi *in obſcuro*, id eſt, in occulto. Et ſicut bonus ſagittarius non

emittit ſuas ſagittas adverſus petram, ubi repercutiuntur; ita diabolus non emittit ſuas detractionis ſagittas coram devotis & Sanctis, utpotè, qui repellunt tales detractionum ſagittas nolentes eas audire: undè rectè ad propoſitum S. Hieron. inquit. Nemo invito auditori libenter refert.

Detractio autem eſt ſagitta doloroſa, quia tres occidit: nimirum detrahentem, audientem, & abſentem. Et ideò detractio ſummè eſt cavenda & fugienda; quia ut dicitur Jerem. 9. Sagitta eorum lingua vulnerans, dolum locuta eſt.

Explicatur *tertia pars.* Seu tertius arcus diaboli, qui eſt *Mundialis concupiſcentia*; cujus ſagitta eſt malitioſa conſpiratio falſarum ſuggeſtionum, ſeu adinventiones accuſationum contra innocentes. De hia Prov. 25. dicitur: Sagitta acuta homo, qui loquitur contra ſuum proximum falſum teſtimonium. Iſti figurantur per illos ſagittarios, qui utraque manu funda ſua ſaxa projiciebant, & ſagittas ſimiliter, ut legitur 1. Paralip. 12. Ita etiam homines malitioſæ conſpirationis, æque benè formant accuſationes. & actiones juſtas, quam injuſtas: & tam libenter procedunt contra innocentem, ſicut contra nocentem. Undè conqueritur *Eccleſia* in perſona juſti Threnorum 3. dicens: Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam, miſit in renibus meis figuras pharetræ ſuæ. Et iſti ſunt tres arcus diaboli cum tribus ſagittis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Chriſtus habeat triplicem arcum; nimirum lucis Scripturæ, mortis naturæ, & legis cenſuræ; ita ut ab arcu lucis Scripturæ procedat tanquam ſagitta Prædicator verbi Dei; & ab arcu mortis (nimirum animæ) egrediatur ſagitta pœnalitatis, & infirmitatis; & ab arcu legis cenſuræ, egrediatur tanquam ſagitta, ultima ſententia definitiva ſupremi Judicis per verbum *Venite*, vel per verbum *Ite*?

Dicò quod ſic.

Explicatur *prima pars.* De arcu *Lucis Scripturæ, à quo procedit tanquam ſagitta Prædicator verbi divini.* Nam de hac expreſsè dicitur: Iſaiæ 4. Poſuit me quaſi ſagittam electam. Sagittarius autem eſt Chriſtus, cujus primæ ſagittæ ſtatim in principio fuerunt Apoſtoli, pennati per virtutes, habuerunt tres pennas, id eſt, Fidem, Spem & Charitatem: de quibus fit ſermo 1. Cor. 12. Iſti etiam Apoſtoli tanquam ſagittæ erant inflammati igne S. Spiritus, juxta illud Pſal. Sagittas tuas ardentes effecit. Et iterum: ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis.

Conſtat quod quando ſagitta eſt nimis onerata luto, nunquam benè volabit: ita etiam quidam, qui deberent eſſe ſagittæ Chriſti in prædicando, ſunt nimis onerati cogitationibus terrenis ita ut volare non poſſint, corda peccatorum tranſverberando per verbum Dei, eoſque diſponendo ad pœnitentiam.

Certum quoque eſt, quod niſi principalis ſagittarius manum apponat ad arcum, arcus non benè emittet ſagittam. Undè legimus 4. Reg. 13. quod Joas Rex petiturus conſilium ab Eliſæo infirmato, acceſſerit ad eum dicens: Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auriga ejus. Cui dixit Eliſæus, affer arcum tuum & ſagittas. Et poſuit Rex manum ſupra arcum, & Eliſæus manum ſuam quoque poſuit ſupra manum Regis, & dixit: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam. In propoſito itaque principalis ſagittarius eſt Chriſtus; & hic applicat manum ad arcum, quando Prædicatori verbi divini communicat ſuam gratiam, quâ habitâ prædicatio tanquam ſagitta velociter ſimul, & fœliciter vadit, multumque fructum affert, dum peccatores ad pœnitentiam flectit, & multas animas Deo lucratur.

Explicatur *ſecunda pars.* De *Arcu mortis naturæ*, à quo egreditur ſagitta pœnalitatis & infirmitatis. De hac ſagitta fit mentio in Pſalm. Dum dicitur, ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Ubi loquitur Pſalmiſta de pœnalitatibus conſequentibus ad peccatum originale. Porrò iſte arcus mortis emittendo ſuas ſagittas percutit *ante nos*, dum occidit juniores. Percutit quoque *juxta nos*, quando aufert potentiores & ſuperiores: & denique percutit *infra nos*, quando occidit inferiores nobis. Et ideò meritò iſta ſagitta mortis timenda eſt juxta illud Pſalmi. Emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

Explicatur *tertia pars.* De *Arcu legis cenſuræ*, cujus ſagitta eſt definitiva & ultima ſententia per verbum *Venite*, aut per verbum *Ite*. Nam bonis dicet Chriſtus principalis ſagittarius, Venite Benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt à principio mundi: malis autem dicet, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus èſt diabolo & Angelis ejus. De iſto arcu dicitur in Pſalmo: Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus. Et tunc in malis hominibus implebitur illud Deut. 32. Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. Cæterum hoc horrendum eſt, quod quanto diutiùs iſte arcus expectat, & magis intenditur, tanto magis vulnerat; & ita implebitur illud Ezech. 5. Mittam in eos ſagittas meas peſſimas, quæ mortiferæ erunt, ut diſpergam eos.

ARTICVLVS TERTIVS.

An liceat contra Saracenos & infideles rebelles, Chriſtianorum perſecutores, ſuffragante authoritate Eccleſiæ bellare?

Dico quòd ſic.

Probatur. Quia licitum eſt fidelibus bona ſibi debita, & ab aliis injuſtè detenta recuperare bellando; ſed Saraceni, & alii multi infideles diverſas terras, & alia bona occupant, quæ fidelibus ſunt debita. Ergo licitum eſt interveniente authoritate Eccleſiæ contra eos pugnare. Major patet, & minor ſimiliter conſtat. Nam Saraceni occupant terram ſanctam, & quædam alia loca olim à Chriſtianis juſtè poſſeſſa.

Probatur

Probatur ſecundò. Licitum eſt vim vi repellere, ut patet ex jure; ſed infideles & perſecutores Chriſtianorum inferunt vim fidelibus, & toti Eccleſiæ; ergo licitum eſt tales infideles bellando ſuperare, ac occidere.

Confirmatur. Licitum eſt per timorem inducere charitatem, quia timor ſervilis parat viam charitati, teſte *S. Auguſtino*; ſed quibuſdam interfectis, & quibuſdam ſive de Saracenis, ſive de hominibus infidelibus perſequentibus Chriſtianos, occiſis vel captis, reſidui timebunt; & forſitan ex timore concipient charitatem, & ita convertentur ad fidem, uti ſæpius legimus eſſe factum, maximè in infidelibus captivis, qui debitè inſtructi converſi ſunt ad veram fidem. Ergo

Dices primò. Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, ut dicit Scriptura ſacra, ſed ſi Saracenus aliquis vel infidelis perſecutor Eccleſiæ occidatur, non poteſt amplius converti, niſi per miraculum reſuſcitetur. Ergo non eſt licitum tales Saracenos, vel infideles perſecutores Eccleſiæ occidere.

Reſpondetur quod illa Authoritas Scripturæ ſacræ intelligenda ſit de morte pœnæ animæ, quam Deus peccatori non vult abſolutè, ſed tantum ſub conditione, ſi non pœniteat. Et iſta ſtant ſimul, nolo Titium decapitari etiam quantum Titius eſt homo, & volo Titium decapitari in quantum eſt homicida. Eodem modo illi, qui expugnant infideles perſequentes Eccleſiam, nó debent eorum mortem principaliter, directè, & per ſe intendere, ſed per accidens, ſecundariò & indirectè, quia principaliter debent velle recuperationem bonorum Chriſtianis debitorum. Item eorundem Saracenorum converſionem ad fidem, & ſecundariò eorum mortem, ſi velint in ſua malitia perſeverare; & ita fideles, qui expugnant Saracenos, vel infideles, rectè ſeſe conformabunt voluntati divinæ.

Dices ſecundò. Non licet eos occidere, pro quibus Eccleſia orat; ſed Eccleſia in die Paraſceves orat ſpecialiter pro talibus infidelibus: Ergo non licet eos bellando occidere.

Reſpondetur. Quod Eccleſia optet, quod fiant juſti, & ideò pro eis orat: ſed ſi noliot converti, vult eorum malitiam abbreviare per mortem.

Dices tertiò. Pagani, & Saraceni non magis peccant contra Deum, quàm peccarunt Judæi tempore Paſſionis; ſed Chriſtus noluit, ut Judæi perderentur gladio materiali. (Undè etiam Chriſtus oravit Patrem pro Judæis ſe crucifigentibus, & Petrum, qui amputavit auriculam ſervo, increpavit dicens: Qui gladio percuſſerit, gladio peribit, ubi eſt ſermo de gladio materiali.) Ergo etiam non licet bellando contra Saracenos, vel Paganos, uti gladio materiali, ſed tantum ſpirituali, qui eſt verbum Dei. Antequam huic argumento reſpondeatur.

Notandum eſt ex *S. Auguſtino*, quod accipere gladium authoritate privatâ, & ſine ſuperioris judicio, jubente, vel permittente, ſit illicitum. Undè dicit S. Antiſtes *lib. 2. contra Manichæos*, & ponitur in *Canone 23. q. 4.* Ille inquit gladium accipit illicitè, qui nulla ſuperiori, ac legitimâ poteſtate, vel jubente, vel concedente in ſanguinem alicujus armatur. Hoc prænotato.

Reſpondetur verum eſſe, quod Deus ſit ita potens facere miſericordiam, ſicut unquam eam fecit; requiritur tamen, quod ſe homines ad hanc Dei miſericordiam recipiendam rectè diſponant; nec peccando ponant obicem, podiuſque anſam præbeant exercendæ juſtitiæ. Porrò, quod Chriſtus Petrum increpaverit propter extractionem gladii, exindè contigit; quia tunc propter circumſtantiam ſuæ Paſſionis, non fuit tempus utendi armis, & gladio materiali, ne Redemptio noſtra impediretur. Undè factum Petri propter circumſtantiam temporis reprobatum fuit: cum quo tamen ſtat, quod authoritate ſuperioris legitimâ accedente, licitum ſit uti gladio materiali. Occaſione hujus argumenti ſit

ARTICULUS QUARTUS.

An Petrus tempore Paſſionis extrahendo gladium, & amputando ſervo auriculam peccaverit?

Dico, quod Petrus quidem peccaverit leviter, excuſatur tamen à culpa gravi propter zelum, ex quo gladium ſuum extraxit pro Domino ſuo defendendo.

Probatur. Quia Chriſtus Dominus Petrum ſuper hoc facto increpavit; Ergo ſignum eſt, quod Petrus aliqualiter peccaverit extrahendo gladium, & vulnerando ſervum: maximè quia ad hoc faciendum authoritatem à Judice non habuit. Nihilominus ſicut Moyſes propter zelum, quem habuit erga fratrem ſuum, eſt excuſabilis aliquo modo de homicidio Ægyptii ſine authoritate legitima commiſſo, ita multo fortius eſt excuſabilis Petrus à facto ſuo, quia hoc faciebat ad defendendum Dominum ſuum, quem ſciebat eſſe Deum. Et ideò *S. Auguſtinus contra Fauſtum* de Moyſe & Petro in hoc caſu loquens ſic ait: Uterque non deteſtabili immanitate, ſed non emendabili animoſitate juſtitiæ regulam exceſſit, uterque enim odio improbitatis alienæ; ſed ille fraterno, iſte dominico, licet adhuc carnali amore peccavit. Hæc *S. Auguſtinus*.

Dices. Petrus ex amore Chriſti extraxit gladium; undè S. Hieronymus ait: Petrus hoc fecit mentis ardore, quo, &c. Et ideò Rabanus cóparat S. Petrum cum Phinees ſacerdote. Sciebat enim quod Phinees puniendo ſacrilegos mercedem juſtitiæ, & ſacerdotii perennis acceperat: Ergo Petrus in hoc facto non peccavit.

Reſpondetur ad 1. quod amor ille Petri fuerit aliqualiter carnalis, & ideò Petrum non excuſavit; undè cum Petrus eodem amore carnali motus, Chriſto aliqua vice diſſuaſit, ne pateretur, Dominus eum increpando, vocavit ſathanam, ut legitur Matth. 16.

Ad alterum quod ſubditur de dicto Rabani dicendum eſt, quod Petrus non habuerit talem zelum diſcretum ſicut Phinees, licet ſecundum apparentiam in utroque potuiſſet putari fuiſſe idem zelus. Nam Petrus ex zelo impetuoſo, & quidem in præſentia ſui Magiſtri gladium extraxit, ſine cujus imperio nihil debuiſſet facere. At verò Phinees fuit ſacerdos, ad quem pertinebat punitio in veteri lege. Qualiter etiam Mathathias excuſatur, qui trucidavit idololatram ſuper aram Machab. 2.

Nec obſtat, quod Chriſtus dixerit, qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium.

Non inquam obſtat, quia ut dicit *S. Auguſt l. 12. contra Fauſtum.* Dominus quidem juſſit, ut ferrum diſcipuli ejus ferrent, ſed non juſſit, ut ferirent, quia nec ferrum ad hoc ferre præcepit. Ex quo

Nota, quod quidam ex diſcipulis, qui magis animoſi erant ſicut Petrus, cùm ſæpè audiſſent, quod Chriſtus tradendus eſſet in manus peccatorum, de gladiis ſibi providerint, ut ſi fortè opus eſſet, Magiſtrum ſuum defenderent; Chriſtus autem hoc noluit, ut Paſſionem ſuam impleret, & redemptionem noſtram accelerarct: & ideò Petrus gladio percutiens peccavit, quia voluntatem Domini ſui non inquiſivit. Undè & excuſatur aliquo modo propter zelum ſuum, non tamen excuſatur pro toto, ut dictum eſt.

Dices. Petrus licentiam à Chriſto poſtulavit, dicens: Domine, ſi percutimus in gladio? Ergo non peccavit. Reſp. quod Petrus peccaverit propter zeli impetuoſitatem, petitâ quidem, ſed non exſpectata licentia: undè debuiſſet exſpectare licentiam antequam gladio feriret.

LECTIO LXVII.

TEXTUS.

Sic & nos nati continuò deſinimus eſſe, & virtutis quidem ſignum nullum valuimus oſtendere: in malignitate autem conſumpti ſumus.

EXPLICATIO TEXTUS.

Hic explicat Spiritus ſanctus, quomodo mali conſiderantes, quod vita ſua ſit tranſacta ſine fructu ſicut umbra evaneſcens, aut nuntius curſitans, vel ſicut navis transfretans, ſive avis transvolans, ſeu ſicut ſagitta arcum penetrans; conſiderantes inquam impii, quod vitam ſuam ſine fructu tranſegerint, dicent: *Sic & nos continuò deſinimus eſſe.* Nam homo ſtatim ut incipit vivere, etiam incipit mori, cujus vivere eſt à vita tranſire. Undè *S. Auguſt. lib 13. de Civitat. Dei cap. 9.* inquit. Ex quo quiſque in ſuo corpore moriturus eſſe cœpit, ſemper in eo agitur, ut mors veniat. Hoc enim agit ejus mutabilitas toto tempore vitæ hujus, ſi tamen vita dicenda eſt, ut veniatur ad mortem. Nemo quippè eſt, quin ejus mors poſt annum ſit propinquior, quam ei ante annum fuerat; & cras, quàm hodie, & hodie quàm heri, & nunc quàm paulò ante; ita ut merito vita noſtra nihil aliud ſit, quàm curſus ad mortem. Undè *Seneca Epiſt. 59.* ait: Quotidiè morimur, quia quotidiè demitur aliqua pars vitæ; & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit.

Porrò impii non ſolum fatebuntur ſe fuiſſe, dum vixerunt, continuò naturaliter morientes: ſed etiam fatebuntur ſe fuiſſe continuò *moraliter* delinquentes. Undè in textu ſubditur: *Et virtutis quidem ſignum nullum valuimus oſtendere.* Puta ſtante ſuâ malitiâ, quam impii dilexerunt. Sicut enim ligatus ſtante ſuâ ligaturâ non poteſt ambulare, ſolutus autem à ligatura poteſt ambulare; ſic etiam peccator dum ligatur peccato, ad opus virtutis non valet. Verumtamen hæc invalitudo non excuſat, quia impius eſt ſibimetipſi cauſa hujus ſuæ impotentiæ nolendo deſiſtere ab amore peccati, ut ait *Anſelmus l. 1. cur Deus homo, q. 24.*

Tandem impii concludunt. *Et in malignitate noſtra conſumpti ſumus*, id eſt, in malitia noſtra mortui ſumus. *Et virtutis quidem ſignum nullum valuimus oſtendere.* Contrarium tamen fit in hominibus juſtis, in quibus etiamſi peccent, fiantque maligni, ipſa tamen malignitas in eis conſumitur per pœnitentiam, & miſericordiam divinam. Undè Tren. 3. dicitur: Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.

Nota. Quod ſignum virtutis ſit operari circa bonum arduum & difficile, faciliter delectabiliter, & perſeveranter. De duobus primis hoc fatetur *Ariſt. 2. Eth.* De tertio autem dicitur: qui perſeveraverit in finem, hic ſalvus erit. Et hoc etiam *Eccl. 46.* dicitur de Caleph, quodusque ad ſenectutem permanſerit illi virtus. Et *Actorum 4* Virtute magna, id eſt, conſtanti, reddebant Apoſtuli teſtimoniũ Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et iſta tria ſunt vera ſigna virtutis. At verò honor non eſt ſemper ſignum virtutis, quia ſæpè honorantur ii, qui ſunt mali. Eadem ratione, dignitates & officia non ſunt ſemper ſigna virtutis; quia ſæpè ad tales dignitates homines mali propter largitionem pecuniæ, vel qui ſunt aliis potentioribus conſanguinitate conjuncti, promoventur.

ARTICULUS PRIMUS.

An gaudium virtutis excedat gaudium mundi Continuitate, Puritate, Dignitate, & Salubritate?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod gaudium virtutis excedat gaudium mundi *Continuitate.* Nam Proverb 15. dicitur: Secura mens quaſi juge convivium. Homo carnalis non ſemper ſedet ad menſam corporalem, ſed homo virtuoſus ſemper eſt in menſa delectationis ſuæ. Undè ad Philipp. 4. dicitur: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Econtra verò de gaudio hominis mali dicitur Job 20. gaudium hypocritæ adinſtar puncti.

Explicatur *ſecunda pars.* Quod gaudium virtutis excedat gaudium mundi *Puritate.* Nam dulcedo fœlicitatis mundanæ, mixta eſt multis amaritudinibus; ideò autem Deus replet amaritudinibus humana gaudia, ut homines magis ab eiſdem avocet. Undè Deus hac in parte eſt ſimilis nutrici, quæ dum vult ablactare puerum, mamillam ſuam ab extrinſeco reddit amaram, quam amaritudinem infans advertens non petit amplius ſugere lac. Sic etiam nos homines, quia ſcimus amaritudinem latere ſub gaudiis mundanis, non debemus ea quærere, ſed potius deſerere. Huc facit illud *S. Auguſt. l. 8. Confeſſ. cap* 2. ubi ait: Tu ſemper aderas miſericorditer ſæviens, & amariſſimis confuſionibus aſpergens omnes illicitas jucunditates meas, ita ut quærerem ſine offenſione jucundari, & ubi hoc poſſem, non inveni. Nunquid propter te Domine, qui fingis labo-

laborem in præcepto; & percutis, ut ſanes; & occidis, ut moneamur abs te? Idem *libro 4. in fine* ait: Væ animæ audaci quæ ſperavit, ſe melius habere, ſi à te receſſerit. Verſa & reverſa in dorſum, & in ventrem, in latera, dura ſunt hæc omnia, tu ſolus requies.

Explicatur *tertia pars.* Quod gaudium virtutis excedat gaudium mundi *in Dignitate.* Quia gaudium virtutis ſolùm datur Juſtis & Sanctis, qui ſunt amici Dei; temporalia autem & naturalia dantur tam bonis, quàm malis: & ſæpè malis temporalia magis dantur quàm bonis. Undè *S. Auguſt. libro 1. de Civ. Dei c. 3.* ait: Iſta temporalia bona, & etiam mala temporalia, voluit Deus bonis & malis eſſe communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernantur: nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.

Præterea gaudium virtutis eſt in illis, de quibus dignum eſt gaudere; ſicut dicit Gloſſa ſuper illud ad Galatas 5. Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, &c. Econtra autem de malis dicitur Proverb. 3. Stultorum exultatio ignominia eſt; quia ut dicitur Proverb. 2. Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Undè pulchrè S. Auguſt. ait: Quid eſt mundi gaudium? breviter dico. Sæculi lætitia eſt impunita nequitia, ut luxuriari in ſpectaculis, ebrietate ingurgitari, turpitudine fœtere, & nihil mali pati. Hoc gaudium pejus eſt dolore: pejus enim eſt gaudere de iniquitate, quàm dolere de corruptione.

Explicatur *quarta pars.* Quod gaudium virtutis præcedat gaudium mundi *in Salubritate.* Quia facit mundum contemnere, & de diabolo triumphare. Undè in vitis Patrum legitur, quod S. Antonius dixerit, unica ratio vincendi inimicum eſt lætitia ſpiritualis. Et ideò rectè Eccl. 30. dicitur: Jucunditas cordis, hæc eſt vita hominis, & theſaurus ſine defectione ſanctitatis. Hinc *in libro de ſpiritu & anima* virtus eleganter deſcribitur his verbis: Virtus eſt habitus mentis benè inſtitutæ, ad modum regni quod benè eſt inſtitutum, ſi rectè in eo conſulatur, rectè in eo præcipiatur, & rectè obediatur. Et hoc modo mens eſt benè inſtituta, quando ratio rectè conſulit, voluntas rectè præcipit, & ſenſus rectè obediunt. Sine iſto autem regimine mens pueriliter regitur, & aſſimilatur regno Roboam 3. Reg. 12. qui relicto conſilio ſenum, juvenibus acquievit. Ubi enim virtus non eſt, fit, quod id, quod ſervire debuiſſet, imperet: & quod damnari deberet, ſervit ac miniſtrat. Et ideò regnum in homine carente virtutibus, diviſum eſt. Studeamus proindè virtuti, quæ tantum verum gaudium generat; de qua dicitur Eccl. 30. Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.

ARTICULUS SECUNDUS.

An virtus faciat quaſi duplicem Paradiſum, terreſtrem videlicet, & cœleſtem in corde hominis?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod virtus faciat in corde hominis quaſi *Paradiſum terreſtrem*; juxta illud Eccl. 40. Gratia Dei ſicut Paradiſus in benedictionibus. Aſſimilatur enim mens virtuoſi Paradiſo terreſtri in tribus; nimirum in amœnitate, fœcunditate, & ſecuritate, propter tres virtutes Theologicas. Nam mens hominis habet amœnitatem per Fidem, dum per Fidem Dominum Deum, licet oculo adhuc caligante, contemplatur; fœcunditatem autem habet per Charitatem, quæ generat bona opera meritoria; & ſecuritatem habet per Spem, dum mens virtuoſi ſecura & certa eſt de retributione æterna. Præterea animam virtuoſi tanquam quatuor flumina irrigantia Paradiſum recreant quatuor virtutes Cardinales, ita ut homo per illas ab omnium carnalium deſideriorum æſtu temperetur.

Explicatur *ſecunda pars.* Quod mens virtuoſi aſſimiletur *Paradiſo cœleſti* præcipuè in quatuor prærogativis. Nam ſicut cœlum eſt locus divinæ habitationis, locus generalis illuminationis, locus ordinatæ dilectionis, & locus gaudii ſeu exultationis: ita etiam menti virtuoſæ iſta quatuor conveniunt.

Et inprimis quidem mens virtuoſa eſt Dei habitatio; undè S. Hieron. ait: Nihil quietius, nihilque purius debet eſſe eâ mente quæ in Dei habitaculum præparanda eſt; quoniam non templa fulgentia, non gemmis altaria diſtincta delectant, ſed anima ornata virtutibus. Per picturam domus, facilè diſcernitur domus officium. Aliter enim depingitur taberna, & aliter capella, in hac enim pinguntur geſta Sanctorum, in illa autem geſta ſatuorum. Ita moraliter loquendo ſi quis poſſet videre mentem virtuoſam, diceret illam eſſe capellam ſeu templum Filii Dei; juxta illud 1. Cor. 3. Neſcitis, quod templum Dei ſitis, & Spiritus ſanctus habitat in vobis? Et ſubdit: Si quis templum Dei violaret, diſperdet illum Deus: templum autem Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Econtra quando mens hominis ſpoliatur virtutibus, & vitiis deturpatur, tunc fit taberna dæmoniorum.

In hoc ergo loco, nimirum in mente humana, ornata virtutibus libenter habitat Deus teſte S. Bernardo; quia mens virtuoſa eſt cœlum Dei: quod mentis humanæ cœlum ut Chriſtus acquireret, pugnavit, & ſeſe per triginta tres annos fatigavit, ac tandem occubuit, ut glorioſè redimeret.

Secundò. Mens virtuoſa eſt locus generalis illuminationis; undè tota lux cognitionis humanæ à mente derivatur; & ideò S. Bernardus ait: Sicut terra ſine cœlo obſcura eſt & opaca, ita corpus ſine mente. Lux autem ſapientiæ non introibit in malevolam animam ſed tantum in virtuoſam.

Tertiò. Mens virtuoſa eſt locus ordinatæ dilectionis; undè *S. Auguſt. lib. 3. de Civit. Dei* ait: Vera definitio virtutis eſt, quod virtus ſit ordo amoris.

Quartò. Sicut cœlum eſt locus gaudii & exultationis, ita etiam mens virtuoſa: imò verum gaudium non poteſt eſſe ſine virtute. Undè de virtuoſis dicitur Matth. 5. Gaudete & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlis. Huc facit illud, quod ait *Seneca Epiſt. 80.* dicens: Unum hominis bonum eſt ipſa virtus, quæ inter proſperam fortunam & adverſam incedit heroïca cum magno utriuſque contemptu: virtus Rectorem ducemque conſiderat, ſed ſine magiſtro vitia diſcuntur. Hæc Seneca Ethnicus aſſerit.

rit, quod ſine magiſtro vitia diſcuntur. Sed prò Deum immortalem, quid nunc facit mundus? Ecce, vitia tantum totus mundus nos docet, & ad monſtranda vitia Duces, Ractores, & Præceptores multos habemus: ſed virtutes profectò moderno tempore pauci docent.

Et ſi reſpiciamus tempora antiqua, fateri neceſſe erit, quod multo plures virtutum Doctores fuerint (ut inquit *S. Greg. lib. 1. Moral. cap 2.*) Nam ad oſtendendam innocentiam venit Abel; ad docendam munditiam, venit Enoch; ad inſinuandam longanimitatem ſpei & boni operis, venit Noë; ad manifeſtandam obedientiam, venit Abraham; ad demonſtrandam vitæ conjugalis caſtimoniam, venit Iſaac; ad inſinuandam laboris tolerantiam, venit Jacob; ad rependendam pro malo opere bonæ retributionis gratiam, venit Joſeph; ad oſtendendam manſuetudinem, venit Moyſes; ad inſinuandam contra adverſa fiduciam, venit Joſue; ad oſtendendam inter flagella patientiam, venit Job: ſed ad omnium morum regulam oſtendendam, venit JESUS Chriſtus Salvator noſter factus homo ex beatiſſima Virgine MARIA.

LECTIO LXVIII.

TEXTUS.

Talia dixerunt in inferno, hi qui peccaverunt. Quoniam ſpes impii tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.

EXPLICATIO TEXTUS.

T*Alia dixerunt in inferno*; talia, videlicet expreſſiva humanæ fragilitatis & modici gaudii terreſtris: de quibus Lectionibus præcedentibus ſermo factus eſt. *Dixerunt in inferno, hi qui peccaverunt*, id eſt in peccato finaliter ſine pœnitantia mortui ſunt. In ſequentibus autem verbis quædam exempla recapitulat Spiritus ſanctus confirmando præcedentia. Comparat enim inanem impiorum proſperitatem, quam in divitiis & aliis voluptatibus mundanis collocabant, quatuor rebus valdè tranſitoriis, & parvi valoris; videlicet *lanugini*, *ſpuma congregata ſuper aquas*, *fumo ignis*, & *memoria hoſpitis unius diei prætereuntis*.

Et certè *ſpes impii*, id eſt proſperitas, in qua ſperavit, eſt *tanquam lanugo, quæ à vento tollitur*. Lanugo autem in præſenti dicitur id, quod ſtat ſuper capita quarundem herbarum flore deſiccato; & habet aliquam ſimilitudinem cum lana, & ideò lanugo vocatur. Iſta autem lanugo, quando eſt ſicca, ſtatim à modico vento tollitur, & relinquit extremitatem herbæ ſicut caput raſum, ut patet in flore marcido & deſiccato herbæ, quæ vocatur dens leonis.

Secundò. Spes impii eſt tanquam *ſpuma gracilis*, quæ generatur ex colliſione aquarum & deſuper ſtat in ſuperficie: ſed hæc ſpuma facile à procella ſeu repentino vento & marino fluctu diſſipatur; vel ut ait *Bruno*, exſpuitur & projicitur.

Tertiò. Spes impii eſt ſimilis *Fumo*, qui citò diffunditur. Fumus quanto altius aſcendit, tanto magis deficit; & quanto magis diffunditur & dilatatur, tanto citius diſſipatur: ſic fiet de impiis, qui quanto magis aſcendent, tanto citius cadent & diſſipabuntur. Undè de impiis *in Pſalmo* dicitur: Deficientes tanquam fumus deficient.

Quartò. Spes impii, id eſt, proſperitas ſæculi in qua confidit impius, eſt tanquam *memoria hoſpitis unius diei prætereuntis*. Certum eſt, quod hoſpitator, qui ſemper novos hoſpites recipit, ſtatim deperdat memoriam unius hoſpitis unâ die apud ſe hoſpitantis, eique ſolum concedit ſua utenſilia, dominium autem eorum non tradit, ſed dum exierit è hoſpitio, debet illa utenſilia in domo hoſpitii relinquere. Sic etiam mundus eſt adinſtar alicujus hoſpitatoris, qui hoſpites aliquos dimittit, & novos recipit; undè Eccl. 1. dicitur: Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat. Item, quæ mundus homini dedit, eidem non donavit, ſed ſolum uſum conceſſit; & ideò debet homo omnia ſua bona relinquere in mundi hoſpitio, & egredi ex mundo, ſicut in eum ingreſſus eſt: juxta illud Eccl. 5. Sicut egreſſus eſt nudus ex utero matris ſuæ, ſic egredietur, & nihil afferet ſecum de labore ſuo.

Tandem ſicut hoſpitis prætereuntis memoria facile perditur, ita etiam mundus hominis memoriam amittit; verificaturque illud: tranſiit memoria ejus cum ſonitu. Huc facit quoque illud Sap. 2. Nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo habebit memoriam operum noſtrorum.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum damnati in inferno agant veram pœnitentiam de peccato ſuo commiſſo?

DIco quod damnati per ſe non pœniteant fructuosè de peccato à ſe commiſſo, in quantum peccatum eſt offenſa Dei; pœniteant tamen de peccato per accidens ratione pœnæ duntaxat, quam ſuſtinere debent propter peccatum.

Ita colligitur ex *S. Auguſtino de fide & pœnitentia cap. 26.* Ubi dicitur: Quod tantum in iſta vita ſit pœnitentia fructuoſa, malus verò in futuro habebit pœnitentiam de malis ſuis (puta ratione pœnæ annexæ) ſed indulgentiam non habebit. Præterea Sap. 5. dicitur: Impii dicent intra ſe pœnitentiam agentes; Ergo impii damnati agunt pœnitentiam: ſed non agunt pœnitentiam fructuoſam, & per ſe talem quæ eſt de peccato, ut eſt offenſa Dei: Ergo ſolum agent pœnitentiam de peccato per accidens, ratione pœnæ peccato debitæ, quam pati debent.

Dices primò. *S. Bernardus ſer. 8. ſuper Cant.* dicit, quod damnatus ſemper vult iniquitatem, quam fecit: Ergo nunquam pœnitebit.

Reſp. ex dictis, quod damnati per ſe non pœniteant de peccato ſuo, pœniteant tamen per accidens ratione pœnæ annexæ.

Dices

Dices ſecundò. Quod eſt hominibus mors, hoc eſt Angelis caſus: Ergo ſicut Angeli poſt caſum ſunt inflexibiles à malo, cui adhærent, ita etiam homines poſt mortem irremediabiliter peccato adhærent.

Reſp. ſimiliter, quod in damnatis non erit averſio voluntatis à peccato commiſſo propter peccatum, nihilominus à pœna peccato debita, quam non libenter ſuſtinent, erit averſio eorum.

Dices tertiò. Sicut gratia inclinat bonos ad bonum, ſic peccatum inclinabit malos ad malum; ſed Sancti per gratiam ſic inclinabuntur ad bonum, ut ſemper eis ſit placiturum, quod bona fecerint: Ergo etiam malis ſemper placebit peccaſſe, & conſequenter mali nunquam pœnitebunt.

Reſp. Quod Sanctis ſemper placebit ſe benè feciſſe, quia non habebunt aliquid mali adjunctum, ratione cujus ipſis diſplicere debeat bonum feciſſe: ſed malis erit pœna adjuncta propter peccatum, & ita mali per accidens ratione pœnæ adjunctæ poterunt dolere de peccato.

LECTIO LXIX.

TEXTUS.

Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſſimum.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus oſtendit, qualiter ſe reprobi habebunt, nunc econtra declarat, qualiter cum Juſtis agatur in gloria. Dicit ergo: *Juſti autem in perpetuum vivent*, id eſt, poſtquam Juſti in vita mortali vixerint vitâ naturæ & gratiæ ſupernaturalis; vivent poſtmodum etiam in gloria cœleſti, quæ eſſentialiter in viſione Dei ut in ſe eſt, conſiſtit juxta illud Joannis 7. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum. Et quia hanc gloriam nemo à Beatis tollet (teſte Salvatore noſtro) ideò rectè *vivent in perpetuũ.* Nec mirum; dicit enim *Commentator in ſuo libro de vita & morte*: quod entia in quibus dominatur mixtio ignis & aquæ, ſunt longioris exiſtentiæ. In Juſto autem eſt mixtio ignis charitatis, & aquæ patientiæ in tribulatione: & ideò non eſt mirum, ſi Juſti ſint magnæ permanentiæ duraturæ in perpetuum.

Et apud Dominum eſt merces eorum. Deus enim cum ſit juſtiſſimus in omnibus operibus ſuis, & juſtitiam diligat, ideò Juſto conformiter ad ſua merita præmia diſtribuit, ac mercedem reddit. Undè Juſto dicit Deus illud Gen. 15. Ego Protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. De hac mercede dicit *S. Auguſt. de verbis Domini hoc modo*: Promiſiſti mihi omnia bona, ſi amem te, da te ſolum, & ſufficit mihi.

Et cogitatio eorum apud Altiſſimum. Quaſi diceret: Nihil peribit de labore Juſtorum, non factum, non verbum, imò nec cogitatio bona tranſibit ſine mercede: Reddet enim Deus Juſtis mercedem laborum ſuorum Sap. 11. quia dictum eſt, quod Deus ſit juſtiſſimus, & fideliſſimus retributor. Reſtat aliquid dicendum de malis Dominis, defraudantibus ſervos ſuos juſtâ mercede. Undè ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An oppreſſio Pauperum, Viduarum, ac Pupillorum, clandeſtinum Homicidium, peccatum Sodomiticum, & defraudatio Operariorum à mercede, ſint peccata clamantia ad Deum pro vindicta?

DIco quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod oppreſſio Pauperum, Viduarum, ac Pupillorum ſit peccatum clamans ad Deum pro vindicta. De talibus enim pauperibus dicitur Exodi 3. Aſcendit clamor filiorum Iſraël ab operibus ad Dominum.

Inter omnes tamen oppreſſiones clamantes ad Dominum, ſpecialiter videntur clamare oppreſſiones, & extortæ actiones factæ contra Viduas & Pupillos, qui vel maximè egent auxilio. Unde ſignanter dicitur Exodi 22. Viduæ, & Pupillo non nocebis: ſi læſeris eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem meum.

Explicatur *ſecunda pars.* Quod Clandeſtinum homicidium clamat ad Deum pro vindicta. Nam Geneſis 4. poſtquam Cain occidit fratrem ſuum Abel, dixit ad eum Deus: Quid feciſti? ecce vox fratris tui Abel clamat ad me de terra.

Explicatur *tertia par.* Quod vitium Sodomiticum clamet ad Deum pro vindicta. Nam Geneſ. 18. dicitur: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. De hoc vitio ſic loquitur *S. Auguſt. lib. 2. de Civit. Dei cap. 8* Flagitia, quæ ſunt contra naturam, ubique ſemper deteſtanda ſunt & punienda, qualia fuerunt Sodomitarum: quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur, quæ nec ſic fecit homines, ut ſe illo uterentur modo. Violatur quippè ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, quando eadem natura, cujus ipſe author eſt, libidinis perverſitate polluitur.

Explicatur *quarta pars.* Quod defraudatio mercedis rectè ſervientium clamet ad Deum pro vindicta. Undè *Tobias* docuit filium ſuum Tobiæ 4. Quicunque aliquid tibi operatus fuerit, ſtatim mercedem ei reſtitue, & merces mercenarii apud te omninò non maneat. Sed certè hoc conſilium Tobiæ non faciunt omnes Domini, quia multi Domini Injuſti mercedem debitam non ſolvunt, & famulos furari compellunt: quia nunquam famulus erit fidelis alicui Domino, quem ſcit eſſe infidelem in retribuendo. Porrò defraudationis Juſtæ mercedis clamare dicitur Jacobi 5. Ecce merces operariorum veſtrorum, qui meſſuerunt ſegetes veſtras, quæ fraudata eſt à vobis clamat, & clamor eorum etiam aures Domini Sabaoth introivit. At verò non ſic ſe habet Deus ad hominem ſibi ſervientem, ſed mercedem ſemper habet paratam. Undè Eccl 11. dicitur: Benedictio Dei mercede Juſti feſtinat, & in honore veloci proceſſus illius fructificat.

Et

Et *Apocal. ultimo.* Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere cuique juxta opera ſua. Et quia ſolum Juſtis merces datur, videndum eſt quis ſit verè juſtus. Undè ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quis ſit verè dicendus juſtus?

DIco, quod vir juſtus rectè deſcribatur Ezech. 18. per quindecim qualitates his verbis. Vir ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium, & juſtitiam; & in montibus non comederit; & oculos ſuos non levaverit ad Idola domus Iſraël; & uxorem proximi ſui non violaverit; & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit; & hominem non contriſtaverit; pignus debitum reddiderit; per vim nihil rapuerit; panem ſuum eſurienti dederit; & nudum operuerit veſtimento; ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit; ab iniquitate averterit manum ſuam; & judicium fecerit verum inter virum & virum; & in præceptis meis ambulaverit; & judicia mea juſto dixit, ut faciat veritatem: hic juſtus eſt, & vitâ vivet ait Dominus.

In iſta deſcriptione ponuntur quindecim gradus juſtitiæ ut patet: undè oportet ſingulos gradus explicare. Primus ergo gradus eſt facere *judicium, & juſtitiam*; id eſt, debet Judicium facere per reatus ſui confeſſionem, at juſtitiam per condignam ſatisfactionem. Undè in Pſalm. de Juſto dicitur: Feci judicium & juſtitiam. Sed quia fortè nonnulli pœnitentiam faciunt, ut videantur ab hominibus, ideò

Secundus gradus eſt, *non comedere in montibus.* In montibus autem comedit, qui de multitudine bonorum operum inaniter delectando gloriatur. Qualis fuit ille Phariſæus, qui Luc. 20. dixit: Domine gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, &c. In hujus figuram legimus Gen. 31. quod Laban invitaverit Iſraël ſeu Jacob, ad comedendum in montibus Galaad ſuper acervum lapidum: quod fit cùm diabolus ſuggerit homini, ut ex multitudine bonorum operum glorietur. Portò quia non ſufficit de præteritis pœnitentiam agere, ſed inſuper requiritur ad peccata commiſſa non redire. Ideò

Tertius gradus juſtitiæ eſt, *oculos non levare ad Idola domus Iſraël.* Idola ſont peccata, quæ à multis coluntur; & ad hæc peccatorum idola non oportet oculos levare complacendo in illis, ſed potius oportet cum Pſalmiſta dicere: Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

Quartus gradus eſt, *uxorem proximi non violare.* Proximus noſter eſt Chriſtus, ut patet ex Lucæ 10. Quis tibi videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? Et dicitur, quod proximus illi fuerit Samaritanus, per quem figuratur Chriſtus: uxor autem Chriſti eſt anima humana. Quicunque ergò malâ doctrinâ, vel malo exemplo animam proximi corrumpit, & allicit ad peccatum, hic moraliter uxorem Chriſti violat, & injuſtum ſe eſſe declarat. Undè 1. Corinth. 3. dicitur: Quicunque templum Dei (id eſt animam) violaverit, diſperdet illam Deus.

Quintus gradus eſt, *ad mulierem menſtruatam non accedere*, id eſt, ad perſonam vitiis irretitam, & non habere ſocietatem cum illa. Undè Levit. 15. dicitur: Qui tetigerit menſtruatam immundus erit ſecundum legem. Et Prov. 13. Qui cum ſapientibus graditur ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur. Et ideò in Pſalmo dicitur: Cum Sancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris. Menſtruata mulier inficit ſpeculum, & maximè novum, ſicut dicitur *in libro de ſomno & vigilia*: ſic etiam mala perſona infecta peccato, hominem quantumcunque purum per nimiam ſocietatem, & maximè hominem aliquem juvenem, inficit.

Sextus gradus eſt, *hominem non contriſtare per iram & impatientiam*: Hoc autem faciunt pacis perturbatores in Republica. Undè Exodi 22. dicitur: Advenam non contriſtabis neque affliges. Et Rom. 12. Si fieri poteſt cum omnibus hominibus pacem habentes.

Septimus gradus eſt, *pignus debitori reddere.* Ille autem pignus debitori reddit, qui injuriam ſibi factam ex animo dimittit. Undè Exodi 22. dicitur: Si pignus à proximo acceperis, ante ſolis occaſum redde illi. Hoc eſt, ſi quis te offenderit, ſtatim quantum ad rancorem dimittas illi. Mandatum enim habemus: Ut Sol non occidat ſupra iracundiam noſtram ad Ephe. 4.

Octavus gradus eſt, *per vim nihil rapere.* Moraliter loquendo non ſolom rapina corporalis juſto interdicitur, ſed etiam ſpiritualis. Eſt autem rapina triplex, gloriæ nimirum, laſciviæ & pecuniæ. Et quidem gloriam rapiunt ſuperbi à Deo, cui ſoli debetur honor & gloria 1. Cor. 1. qui cunque gloriam ſuam alteri dare non vult, ut dicitur Iſaiæ 43. Laſciviam autem rapiunt lubrici. In cujus figuram filii Benjamin (qui interpretantur Aſinini) rapuerunt ſibi uxores de virginibus choros ducentibus in Silo, Judicum 21. Denique pecuniam rapiunt avari; de quibus dicitur Iſai. 3. Rapina pauperis in domo veſtra. Et Proverb. 11. Alii rapiunt aliena, & ſemper in egeſtate ſunt. Aves rapaces ſunt ſemper macilentæ. Nocent autem avari, quod rapaces regnum Dei non poſſidebunt, ut dicitur 1. Cor. 6.

Nonus gradus eſt, *panem eſurienti dare.* Undè non ſufficit Juſto, ut à proximo nil rapiat, ſed inſuper requiritur, ut indigenti panem det; juxtà illud Iſaiæ 58. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam, &c.

Decimus gradus eſt, *nudum operire veſtimento.* Nudus eſt, qui ſcientiâ & virtutibus caret. Undè anima in ſua creatione eſt ſicut tabula nuda, in qua nihil eſt depictum: ut dicitur in 3. *de Anima.* Inſtrue ergo in moribus & ſcientia hominem, & ipſum ſic veſties ſpiritualiter. Quod ſi etiam proximus egeat veſtimento corporali, veſties illum, ut adimpleas id, quod dicitur Iſai. 58. Cùm videris nudum, operi eum.

Undecimus gradus eſt, *ad uſuram non accommodare.* Ad uſuram autem commodat, qui pœnæ æternæ ſeſe obligat propter momentaneam delectationem; ſicut patet *in Gloſſa ſuper illud Pſalm.* Ex uſuris, &c.

Duodecimus gradus eſt, *judicium verum facere inter virum & virum.* Et illud non ſolum eſt contra malos judices in publico, ſed etiam contra judicantes in occulto; ſicut faciunt ſuſpicioſi, invidi, & detractores. Iſti enim quaſi auferunt diadema de capite Dei, cui ſolom convenit judicium de occultis; undè de hoc ſuſpicioſo, & judicante de occultis dicitur Job 19. Spoliavit me gloriâ meâ, abſtulit coronam de capite meo.

Decimus quartus gradus eſt, in præceptis Dei ambulare, proficiendo de virtute in virtutem.

Decimus quintus gradus eſt, Judicia Dei cuſtodire, ut faciat veritatem, hoc eſt, perſeverantiam habere fidelem. Itaque qui iſtos quindecim gradus habuerit, Juſtus verè dicendus.

LECTIO LXX.

TEXTUS.

Ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: quoniam dextera ſua reget illos, & brachio ſuo defendet eos.

IN hac Lectione quatuor dicuntur de Juſtis, nimirum quod dominabuntur in honore, coronabuntur in decore, conſervabuntur ſub bono tutore, & defenſabuntur à Dei timore. Dicit ergò Spiritus ſanctus, quod Juſti terminato judicio generali, dominabuntur in honore (*Quia accipient regnum decoris*) per hoc quod anima beata accipiet perfectum dominium ſuper corpus ſuum glorificatum, impaſſibile, agile, & ſubtile: & tunc erit animæ valdè glorioſum regere corpus ſuum, quod tamen in hac vita regere eſt valdè tædioſum; quia ut dicitur Sap. 9. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. In patria autem poſt judicium univerſale regnum animæ ſuper corpus glorificatum, erit regnum decoris: quando anima perfectè erit ſubjecta voluntati Dei, & corpus voluntati animæ. Undè ad hoc reſpiciens Chriſtus Dominus docuit nos Matth. 6. ſic orare: Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua.

Secundò. Juſti coronabuntur in decore; undè ſubjungitur: quod *accipient diadema ſpeciei de manu Domini.* Diadema eſt Corona regia; diciturque à *Dia*, quod eſt *duo*, & *demo*, quia demit principium & finem: eſtque propriè de auro & lapidibus pretioſis. Et certè beatitudo Juſtorum verè vocatur diadema, quia tollit à Juſtis duo mala, nimirum culpam & pœnam. Sunt enim beati impeccabiles, & ideò tam culpa quam pœna in ipſis ceſſabunt. Imò etiam illud Diadema in Juſtis tollet ignorantiam animæ, & corporis corruptibilitatem; adeoque de quolibet Juſto exponi poteſt illud *Pſalmi*, ſecundum aliquam translationem; Super ipſum autem efflorebit diadema meum. Ubi tamen noſtra translatio habet: ſanctificatio mea. Item de quovis Juſto poterit dici illud Iſaiæ 62. Eris Corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Porrò illud diadema accipient Juſti non de manu alicujus Angeli, ſed de manu Domini, id eſt, Chriſti, qui manus Domini dicitur; quia Dominus Pater cœleſtis omnia per Filium operatur: undè Pſalmiſta ait: Fiat manus tua, ut ſalvet me, quoniam mandata tua elegi. Vel de manu Domini, id eſt, poteſtate judiciaria Chriſti.

Tertiò. Juſti conſervabuntur ſub bono tutore; & ideò ſubditur: *Quoniam dextera tua reget illos.* Dextera pars in animali ſemper eſt fortior & dignior, ut dicitur 2. *de cœlo, & lib. 1. de animalibus.* Undè *dextera Dei Juſti protegentur*, quia ſub ejus omnipotentia requieſcent. Huc facit illud, quod dicit *S. Anſelmus Proſologion 25. de poteſtate Beatorum.* Si poteſtas, inquit, Beatorum quæritur, omnipotentes erunt voluntatis ſuæ, ſicut Deus ſuæ: nam ſicut Deus poteſt, quod volet per ſeipſum, ita poterunt Juſti, quod volent per illum. Quod ſicut illi non aliud volent quàm quod ille, ita ille volet, quidquid illi volent. Undè *in Pſalmo* dicitur: Etenim illuc manus deducet me, & tenebit me dextera tua.

Quartò. Juſti defenſabuntur ab omni timore; & ideò ſubditur in textu: *Et brachio ſuo defenſabit illos.* Brachium Dei Patris, dicitur Chriſtus, juxta illud Iſaiæ 53. Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt. Imò Chriſtus non ſolum dicitur eſſe brachium Patris, ſed etiam dicitur brachium noſtrum, ſi ſimus unum corpus cum Patre per charitatem; undè Iſaiæ 33. dicitur: Domine miſerere noſtri, te enim expectavimus, eſto brachium noſtrum in manè, & ſalus noſtra in tempore tribulationis. Pro quo ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum in Chriſto tanquam in brachio ſit noſtra minutio, noſtra tutio, & noſtra fruitio?

DIco quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod etiam in Chriſto tanquam in brachio ſit noſtra *Minutio.* Notum enim eſt, quod in brachio ſit minutio ſanguinis pro totius corporis ſanitate; pars enim ſana minuitur pro curatione partis infirmæ: in toto autem corpore generis humani, non fuit pars aliqua perfectè ſana, niſi brachium noſtrum quod eſt Chriſtus Dominus. Et ideò in Chriſto tanquam in brachio, & parte ſanâ, facta eſt minutio pro totius Eccleſiæ ſanitate; undè in Pſalm. dicitur: Salvavit dextera & brachium ſanctum ejus. Porrò iſtud brachium fuit calefactum non ſolum per motum triginta trium annorum, per labores continuos; ſed etiam per ignem: quia tempore ſuæ Paſſionis circumdederunt Judæi Chriſtum facibus & laternis. Fuit etiam hoc brachium ligatum in ſua flagellatione, & profundè percuſſum: adeoque habuit omnia requiſita, quæ adhiberi ſolent ad minutionem ſanguinis. Sed ecce in hac ſua minutione Judæi Chriſtum non confortabant, ſed potius contriſtabant; quia dederunt ei potum amariſſimum, juxta illud Pſalm. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. Et tamen hoc non obſtante mitiſſimus Salvator noſter, ſeu brachium generis humani, in ſua ſacratiſſima Paſſione, copioſiſſimum Sanguinem effudit, qui fuit medela noſtræ ſalutis juxta illud *S. Auguſtini*: Purus Sanguis medici factus eſt medicamentum ægroti. Undè in Pſal. dicitur: Redimiſti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob & Joſeph.

Explicatur *ſecunda pars.* Quod in iſto brachio nimirum Chriſto, ſit noſtra *Tutio.* Quia in ipſo ſolo inimicos noſtros proſternimus. Nullum enim noſtrum opus eſt meritorium ſatisfactionis pro peccatis noſtris, niſi in virtute iſtius brachii; contra quod nihil poſſunt inimici no-

ctri: juxta illud Sap. 11. Virtuti brachii tui quis reſiſtet?

Explicatur *tertia pars.* Quod in iſto brachio ſit noſtra *Fruitio*; undè Iſai. 40. dicitur: In brachio ſuo portabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit. Quaſi dicat: In die judicii, quando dividet bonos à malis, ſicut Paſtor ſegregat oves ab hædis, tunc agnos portabit, & innocentes acceptabit, & in ſinu ſuo levabit, ducens eos ad cœlum. Et fœtas ſimiliter portabit, id eſt, acceptabit fœtas, id eſt, perſonas fœcundas meritis: quia non ſolum innocentes, ſed etiam verè pœnitentes, & à ſtatu beſtiali peccatorum tendentes ad cor contritum, ſalvabit in ſancto brachio ſuo; undè in *Pſalmo* dicitur: Brachium eorum non ſalvabit eos: ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Circa illa verba textus: *Accipient regnum, &c.* Sit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum cœlum ſit regnum decoris, mundus regnum timoris, & infernus regnum horroris?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod cœlum ſit *regnum decoris & gloriæ*; unde in *Pſalmo* dicitur: Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur: ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam & gloriam magnificentiæ regni tui; ita ut, teſte *S. Bernardo in ſuis floribus lib. 9. cap. 16.* illi, qui omnia ſua propter Deum relinquunt, regnum cœlorum quodammodo rapiant; alii autem regnum cœlorum quaſi mercantur, qui videlicet ab aliis metunt carnalia, dum ſeminant ſpiritualia, vel qui bona ſua diſtribuunt ex amore Dei pauperibus: hi enim regnum cœlorum quaſi emunt, juxta illud *S. Chryſoſtomi*: Regnum cœlorum tantum valet quantum habes. Aliqui regnum cœlorum quaſi furantur, qui nimirum nullam laudem hominum quærentes bona opera ſua occultè faciunt, & ita cœlum quaſi furantur. Aliqui autem quaſi compelluntur intrare regnum cœlorum: & ſunt ii, quos Deus hîc affligit per paupertatem, quam ipſi æquo animo portant.

Explicatur *ſecunda pars.* Quod mundus iſte ſit *regnum timoris.* Undè Lucæ 21. dicitur: Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, & erunt peſtes & fames, &c. Iſtud regnum mundi Chriſtus contempſit, quando fugit ab hominibus, qui voluerunt eum facere Regem, Joannis 6. Et ideò Chriſtus Joan. 18. dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo.

Explicatur *tertia pars.* Quod infernus ſit *regnum horroris ſeu doloris.* Ubi damnatur ille Tyrannus, qui eſt Rex omnis ſuperbiæ, Job 10. Ubi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat, cujuſque horrori nihil comparari poteſt: erit enim ibi ſumma miſeria, fletuſque continuus, & ſtridor dentium: à quo proindè Regno Deus unumquemque Chriſtianum miſericorditer cuſtodiat.

LECTIO LXXI.

TEXTUS.

Et accipiet armaturam zelus ejus, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum, induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium rectum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, acuet diram iram in lanceam.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Spiritus ſanctus declaravit Juſtorum retributionem, nunc iterum redit ad declarandam malorum punitionem. Et dicit Spiritus ſanctus, quod Chriſtus in extremo die judicii armabit ſeipſum; ſecundò ſuum exercitum id eſt omnes creaturas juſtas: & tertiò oſtendit ad quem effectum ſe armabit, nimirum ad ultionem inimicorum, ſeu peccatorum. Dicit ergo: Et accipiet armaturam zelus ejus, id eſt, eo ipſo quod Chriſtus ſit zelans, ſeu zeloſus juſtitiæ ſuæ, poſtquam toties fuit offenſus à reprobis, *accipiet armaturam.* Licet enim venerit Chriſtus in primo adventu mitis ac manſuetus juxta illud Matth. 21. (Ecce Rex venit tibi manſuetus) in ſecundo tamen adventu dum venerit in carne impaſſibili ulturus hominum peccata, nemini parcet; nam ut dicitur Proverb. 6. Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ. Nec tunc Chriſtus veniet in humilitate, ſed potius ut dicitur Lucæ 21. Filius hominis veniet in nubibus, cum poteſtate magna, & majeſtate.

Et ideò ſubditur in textu, *quod armabit creaturam*: dando tam Angelis, quam hominibus bonis, virtutem & voluntatem approbandi ſententiam ferendam contra reprobos tanquam ſuos inimicos. Et ideò ſubditur in textu *Ad ultionem inimicorum.* Undè ille qui nunc eſt Pater miſericordiarum, erit tunc temporis in extremo die judicii Deus ultionum; juxta illud *Pſalmi*: Dominus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit.

In ſequentibus verbis deſcribit Spiritus ſanctus arma, quibus ſe armabit Chriſtus. Et quidem pro armis defenſivis accipiet Chriſtus loricam, galeam, & ſcutum, pro armis autem invaſivis accipiet lanceam.

Dicit ergo ſic. *Induet pro thorace juſtitiam. Thorax* ſecundum Papiam præter ſuam uſitatam ſignificationem quam habet, quod ſit veſtis tegens pectus, humeros, & dorſum, ac brachia, etiam ſignificat munimentum militare, quod dicitur lorica. Induit ergo Chriſtus pro lorica juſtitiam; juxta illud Iſaiæ 59. Indutus eſt juſtitia ut lorica. *Et accipiet pro galea judicium rectum*; quia Chriſtus ſine omni errore judicabit: undè dicitur Proverb. 16. Non errabit in judicio os ejus. *Et ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem.* Undè in *Pſalmo* dicitur: Judicabit orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate. Et hoc judicium contra reprobos appetit quivis ſanctus, & juſtus; in cujus perſona dicit David: Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi.

Sequi-

Sequitur. *Acuet diram iram in lanceam*; hoc eſt, in vindictam pungentem proferendo ſententiam damnationis contra malos. Undè Job 16. dicitur: Circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos. Et dicetur ira Dei tunc temporis *dira*, ad differentiam iræ, quam exercet modò, quæ eſt mitis ira & ſuavis. Undè *in Pſalmo* dicitur: Iratus es, & miſertus es nobis. Et Habacuc 3. Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Occaſione hujus, quod dictum eſt, quod Angeli boni, & Juſti, Chriſto aſſiſtent in judicio contra miſeros reprobos, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Beati poſt diem judicii gaviſuri ſint de pœnis damnatorum?

NOta ante reſolutionem, quod aliquid poſſit eſſe materia gaudii dupliciter: per ſe nimirum, & per accidens. In pœnis autem malorum poſſimus duo conſiderare, primum eſt ipſum nocumentum ipſis malis illatum, & ſic Beati non gaudebunt de pœnis damnatorum: ſecundum eſt ordo divinæ juſtitiæ, ſecundum quem juſtum eſt eos ſic punire, & hoc modo gaudebunt Juſti de pœnis damnatorum ipſis inflictis conformiter ad divinam juſtitiam. Undè Beati per ſe gaudebunt de divina juſtitia, quodque evaſerint culpas ob quas ejuſmodi pœna infligitur: per accidens tamen de pœnis damnatorum gaudebunt. Hoc prænotato

Dico, quod Beati per ſe gaudebunt tantùm de juſtitia divina juſtè exercente ſuum actum circa reprobos eoſdem puniendo: per accidens tamen ſolum gaudebunt de pœnis reproborum.

Patet hoc ex explicatione mox præmiſſa. Et in hoc ſenſu pro concluſione allegatur ille textus *Pſalmi*: Lætabitur Juſtus cùm viderit vindictam.

Confirmatur ex *S. Gregorio* qui *Hom. 40. ſuper Lucam* dicit ſic. Apud Beatorum animum nō obfuſcat beatitudinem aſpecta pœna reproborum; quia ibi compaſſio miſeriæ non erit, nec minuere lætitiam bonorum valebit. Et licet Juſtis ſua gaudia ſufficiant, ad majorem tamen ſuam gloriam videbunt pœnas, quas per Dei gratiam evaſerunt.

Dices primò. In homine viatore eſt valdè vituperabile gaudere de pœnis aliorum: Ergo etiam erit vituperabile in electis, gaudere de pœnis damnatorum.

Reſp. ex dictis, quod in viatore laudabile ſit de pœnis malorum gaudere per accidens, in quantum juſtè puniuntur: vitioſum autem eſt, ſi delectentur præcisè de pœnis inflictis aliis.

Dices ſecundò. Compaſſio procedit à charitate: Ergo ubi eſt maxima charitas, eſt maxima compaſſio; ſed Beati habent maximam charitatem: Ergo etiam maximam compaſſionem videndo damnatos puniri.

Reſp. quod quamdiu homo eſt in ſtatu convertibilitatis, ſtet compaſſio Beatorum ad hominem aliquem peccatorem; ſed ſi peccator ſit in ſtatu, in quo ad Deum amplius converti non poteſt, non ſtat amplius aliqua compaſſio de pœna ipſis inflicta: quia hæc compaſſio eſſet contra ordinem divinæ juſtitiæ, quam omnes Electi approbant, dicendo: Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.

Dices tertiò. Gaudere de malo alterius eſt actus odii: Ergo Beati non poſſunt gaudere de pœnis damnatorum.

Reſp. ex dictis, quod gaudere de malò alterius per ſe, & in quantum eſt malum illius, ſit actus odii: gaudere autem de malo alterius, quatenus hoc eſt ſibi juſtè inflictum, non eſt actus odii.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum ignis purgationis totius mundi, ſeu ignis finalis conflagrationis in infernum cum reprobis demergetur?

DIco, quod quidquid erit calidum aduſtivum, & groſſum in illo igne conflagrativo totius mundi, detrudetur ad infernum ad pœnam damnatorum: quod verò in illo eſt, ſubtile, & lucidum, remanebit ſuperius ad gloriam Electorum. Ita expreſsè ſcribit S. Baſilius ſuper illud *Pſalmi*. Vox Domini intercidentis flammam ignis.

Explicatur deindè aſſertio hoc modo. Tota purgatio mundi, & innovatio, ad purgationem, & innovationem hominis ordinabitur; & ideò oportet, quod mundi purgatio & innovatio, purgationi & innovationi generis humani correſpondeat. Certum autem eſt, quod erit aliqua purgatio generis humani per hoc, quod mali ſegregabuntur à bonis; juxta illud Lucæ 3. Purgabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum (id eſt, Electos) in horreum ſuum, paleas autem (id eſt, reprobos) comburet igne inextinguibili. Similiter etiam fiet in purgatione mundi; nam quidquid erit turpe & fœdum, hoc in infernum cum reprobis retrudetur: quidquid autem erit pulchrum & nobile, hoc in ſuperioribus reſervabitur ad gloriam Electorum. Et ita etiam erit de illo igne conflagrationis, quod nimirum ignis ille quantum ad eſſe ſuum calidum aduſtivum, & eſſe groſſum, detrudetur ad infernum pro reprobis quantum ad id verò, quod ignis habebit de ſubtilitate & luce, remanebit ſuperius ad gloriam Electorum.

Dices 1. Gloſſa ſuper illud Malachiæ 3. Purgabit filios Levi, ait, duos legimus ignes eſſe futuros; unus eſt, qui purgabit Electos, & hic ignis præcedet judicium: alter ignis eſt, qui reprobos cruciabit; iſte autem ignis, qui reprobos cruciabit, eſt ignis inferni, alter verò ignis, qui purgabit Electos ante judicium, eſt ignis finalis conflagrationis: Ergo ignis finalis conflagrationis non erit ille ignis, qui malos in inferno involvet, & torquebit.

Reſpond. Quod ignis ille, qui purgabit Electos ante judicium, erit idem cum igne finalis conflagrationis, licet aliqui teneant contrarium. Convenit enim, ut quia homo eſt pars mundi, etiam eodem igne ipſe homo purgetur, quo purgatur mundus. Dicuntur autem eſſe duo ignes, unus qui purgabit bonos, & alius ignis, qui cruciabit malos; dicuntur inquam duo ignes, quan-

tum ad officium, & aliquo modo etiam quoad ſubſtantiam. Et quidem quod erunt aliqualiter duo ignes quoad officium, patet de ſe, quia unus purgabit bonos, quos ſegregabit tanquam triticum: alter vero ſegregabit malos tanquam paleas ad comburendum. Quod autem etiam aliqualiter erit duplex ignis quoad ſubſtantiam, conſtat ex eo; quia ut dictum eſt, non tota ſubſtantia ignis purgantis ad infernum detrudetur ad punitionem damnatorum, ſed ſolum id quod groſſum, calidum, & aduſtivum eſt in igne illo conflagrativo totius mundi: hoc inquam detrudetur ad infernum.

Dices 2. Ignis ille conflagrativus totius mundi obſequetur Deo in omnibus; Ergo debet remunerari, ſicut alia elementa, & conſequenter non detrudetur pro ſua remuneratione in infernum.

Reſpond. Quod in hoc ignis ille remunerabitur, quia pars ejus groſſa, & aduſtiva ab eo ſeparabitur, & in infernum detrudetur: ſubtilitas autem ipſius, & luciditas, deſerviet pro Juſtis.

Dices 3. Ignis qui malos involvet, erit ignis inferni, qui jam ab initio mundi præparatus fuit, juxta illud Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus; atqui ignis finalis conflagrationis non fuit præparatus ab initio mundi, ſed ſolum ex concurſu mundanorum ignium generabitur: Ergo ignis ille, eſt alius ab igne inferni, qui reprobos involvet.

Reſpond. Quod ſicut gloria Electorum poſt judicium erit major majoritate accidentali quàm ante, in quantum anima Beati una cum corpore lætabitur: Ita etiam pœna reproborum erit major. Et ideò ſicut claritas ſuperiori creaturæ addetur ad augmentandam gloriam Electorum (in quantum lux iſtius ignis conflagrativi ſeparata à ſua graſſitie aduſtiva, Electis deſerviet) ita etiam quidquid eſt turpe in igne conflagrativo retrudetur ad infernum ad augendam miſeriam damnatorum. Et ita non eſt inconveniens, quod igni ab initio præparato in inferno alius ignis addatur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Utrum damnati puniantur per corporales tenebras?

Dico. Quod diſpoſitio inferni erit talis, ut maximè miſeriæ damnatorum competat, eruntque ibi lux & tenebræ, prout ſpectant ad miſeriam damnatorum. Undè ſimpliciter loquendo in inferno eſt locus tenebroſus, ſed tamen ex divina diſpoſitione erit in inferno aliquid luminis, obducti tamen aliqua caligine vel umbroſitate, & quantum ſufficit ad videnda illa, quæ animam damnatam torquere poſſunt. Ex quo fit, quod viſio ſecundum ſe ſit delectabilis, contingit tamen, quod per accidens viſio ſit afflictiva. in quantum videmus aliqua nobis nociva, vel noſtræ voluntati repugnantia.

Probatur, quia cùm infernus ſit in medio terræ, ideò in inferno ſolum poteſt eſſe ignis fœtulentus, turbidus. & quaſi fumoſus; Ergo in inferno erunt tenebræ cum luce caliginoſa, quæ propter multitudinem & compreſſionem corporum damnatorum non poterit in inferno clarè lucere; cùm in inferno ob prædictam compreſſionem corporum damnatorum nullus ferè ibi ſit manſurus aër, adeoque ibi non erit aliquid de diaphano, quod poſſit eſſe ſubjectum debitum lucis: undè in inferno oculi damnatorum pleràque ex parte erunt obtenebrati.

Dices 1. *S. Gregorius 9. Moralium* exponens illud Job 10. *ſed ſempiternus horror inhabitat,* ait: quamvis illic in inferno ignis ad conſolationem non luceat, lucet tamen ad aliquid ut magis torqueat; nam reprobi flamma illuſtrante viſuri ſunt eos, quos ſecum malo exemplo traxerunt: Ergo in inferno non erunt tenebræ.

Reſpond. Quod ignis in inferno ſine dubio ad aliquid luceat, quia damnati præcipuè videbunt eos, quos ſeduxerunt, vel à quibus ſunt ſeducti. Iſta tamen viſio non erit delectabilis, quia vident eos, quos odio habent, ex quo magis torquetur: cùm odium ſit triſtitia, & de re ſemper alteri diſplicenti oriatur.

Dices 2. Damnati vident ſuam pœnam, quia hoc deſervit ad majorem ſuam miſeriam; ſed ad hanc ſuam pœnam videndam requiritur lumen: Ergo damnati in inferno habent lumen. Major patet: quia ſine lumine nihil poteſt videri.

Reſpond. Quod dupliciter aliquid videatur, uno modo per medium diſpoſitum, ac viſui proportionatum, & talis viſio ſemper eſt delectabilis; ſecundo modo aliquid videtur per medium aliquod fumoſum, & turbidum, & talis viſio videntem plus contriſtat. Itaque damnati videbunt ſuas pœnas, & eorum, quos odio habent per medium aliquod fumoſum & turbidum. Ex quo patet quod illæ tenebræ corporales, quæ erunt in inferno, non repugnabunt tali viſioni: idem enim corpus poteſt eſſe ſecundum quid illuminatum, & tamen eſſe tenebroſum ſimpliciter.

Dices 3. Damnati poſt reſurrectionem habebunt potentiam viſivam; Ergo ne hæc potentia viſiva ſit fruſtra, videbunt aliquid, & quidem in lumine, quia ſine hoc nihil videri poteſt.

Reſp. Quod ſicut omnia erunt Beatis ad gloriam, ita ſingula damnatis erunt ad pœnam. Viſus ergo damnatorum erit in actu, ſed ex hac viſione ſolum habebunt pœnam & dolorem. Tum quia iſta viſio ſolum erit per medium fumoſum, & turbidum: tum etiam quia res illa, quam videbunt (nimirum homines, quos odio habent, vel ſeduxerunt) ſolum cauſabit triſtitiam.

Dices 4. Matth. 22. dicitur: Ligatis manibus & pedibus ejicite eum in tenebras exteriores. Super quem locum dicit *S. Gregorius*: Si ille ignis lucem haberet, in tenebras exteriores nequaquam mitti dicerentur: Ergo in inferno nulla prorſus lux eſt, nequidem obducta caligine.

Reſpond. ex dictis, quod in inferno ignis ille habebit aliqualem lucem, quia tenebræ magis abundant lumine illo, ideò potius ſunt dicendæ tenebræ in inferno quam lux, cùm unumquodque dominetur à ſuo potiori. Et hoc modo rectè damnati poſſunt dici in tenebras exteriores mitti: Cæterum damnati in tenebras interiores fuerunt prolapſi per peccatum, quæ tenebræ interiores manent in damnatis ſicut cauſa ſuæ damnationis.

Dices 5. *S. Baſilius ſuper illud Pſalmi*: Vox Domini intercidentis flammam ignis, ait: Quod virtute divinâ ab igne ſeparabitur ejus virtus aduſtiva,

aduſtiva, ita ut claritas illius cedat in gloriam Beatorum; uſtivum autem ignis in tormentum damnatorum; Ergo damnati ab igne quo torrentur, non habebunt ullam lucem, ſed tantum calorem aduſtivum & tenebras.

Reſpond. *Quod claritas ignis quæ eſt delectabilis viſui, ſeparabitur ab illo igne*, non autem fumoſa perſpicuitas, quæ potius viſum contriſtabit.

Quæres. An viſu intellectuali Sancti in patria ſint viſuri pœnas damnatorum?

Dico, quod videbunt illas viſione intellectuali. Ratio eſt, quia à Beatis nihil debet ſubtrahi, quod ad perfectionem beatitudinis eorum pertinet: & ideò ut beatitudo Sanctorum ſanctis magis complaceat, ac Deo ulterius gratias agant, conceditur eis, quod viſione intellectuali perfectè pœnam damnatorum intueantur.

LECTIO LXXII.

TEXTUS.

Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tanquam à benè curvato arcu nubium exterminabuntur; & ad certum locum inſilient: & à petroſa ira plena grandines mittentur, & excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus deſcripſit Chriſti ad judicium inexpugnabilem præparationem: hic deſcribit creaturæ Chriſto conſentientis intolerabilem cooperationem. Dicit ergo: *Et pugnabit cum illo.* Quaſi diceret, non ſolum Chriſtus Judex apparebit armatus lorica juſtitiæ, ſed *etiam pugnabit cum illo orbis terrarum*, id eſt, omnis motus orbis circa terram: nam virtutes cœlorum movebuntur, Lucæ 21. Vel pugnabit una cum illo orbis terrarum; id eſt, tota ſphæra terræ. *contra inſenſatos*, id eſt, contra reprobos: qui vocantur inſenſati, non quaſi omni ſenſu caruerint, ſed quia caruerunt diſciplinâ & voluntate Deo ſerviendi, & ſenſu ad bonum flexibili. Et ideò de reprobis dicitur Sap. 12. Tanquam pueris inſenſatis, judicium eis in deriſum dediſti. De hac pugna orbis terrarum contra inſenſatos loquens *S. Chryſoſt. ſuper illud Matth. 24.* (Virtutes cœlorum movebuntur) dicit ſic. Exurgente Rege cœleſti judicare vivos & mortuos, virtutes Angelicæ movebunt: terribiles miniſtri terribilem judicem præcedentes. Et infra ait ſic: Patrefamilias moriente domus turbatur, familia plangit, & nigris veſtibus induitur: ſic etiam humano genere, propter quod facta ſunt omnia circa finem conſtituto, cœli miniſteria lugent, & candore depoſito tenebris induuntur. Ita Chryſoſtom. *Ibunt directè emiſſiones fulgurum.* Fulgur eſt vapor ignitus expreſſus à nube, ſicut dicitur 3. *Meth.* Undè per *emiſſiones fulgurum* intelligit Spiritus ſanctus in præſenti generalem mundi conflagrationem per ignem; de quo dicitur *in Pſalmo*: Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. *Et tanquam à benè curvato arcu nubium exterminabuntur.* Id eſt, ſicut in diluvio aquarum tempore Noë, omnes mali fuerunt ſubmerſi, Noëmo & paucis ſalvatis animabus, & tunc apparuit arcus benè curvatus, puta Iris: ita in judicio generali omnes reprobi exterminabuntur, & tamen Juſti ſalvabuntur illæſi. Et reprobi ad *certum locum inſilient*, puta ad infernum.

Et à petroſa ira plena grandines mittentur, id eſt, ponderoſæ increpationes, quas faciet Chriſtus tanquam Judex; quando dicet reprobis: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, Matth. 25. *Mittentur à petroſa ira*; id eſt, à vindicta Chriſto debita qui 1. Cor. 10. vocatur petra juxta illud: Petra autem erat Chriſtus.

Quarto exprimit pugnam creaturæ contra malos per elationem maris; & dicit: *Et excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.* Id eſt, erunt colluſiones aquarum cum maximo impetu & ſtrepitu, & earum in altum elevatio. Undè de hac forti aquarum colliſione, & elevatione dicitur *in Pſalmo*: Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ & quot ſigna juxta Hæbræos præcedent univerſale judicium?

DIco cum *S. Hieron.* quod in annalibus Hæbræorum reperiantur quindecim ſigna, quæ præcedent univerſale judicium, fiuntque ſucceſſive per quindecim dies: hæc tamen ſigna ab Hæbræis allata, non habent omnimodam certitudinem.

Explicatur aſſertio aſſignando hæc quindecim ſigna.

Itaque ſecundum Hæbræos primo die omnia maria exaltabuntur quindecim cubitis ultra omnes montes orbis terræ, nec diffundentur, ſed ſtabunt aquæ maris erectæ ſicut muri.

Secundo die, Aquæ illæ proſternentur in profundum, adeò ut vix poterint videri.

Tertio die, Aquæ iterum redigentur in antiquum ſtatum.

Quarto die, Omnes belluæ & animalia quæ movebuntur in aquis, congregabuntur & elevabuntur ſuper pelagus invicem mugientes, more contentionis.

Quinto die, Omnia volatilia cæli congregabuntur in campis, omnes invicem lamentantes, & nihil guſtantes vel comedentes.

Sexto die, Fulmina ignea ſurgent ab occaſu ſolis contra faciem firmamenti, uſque ad ortum currentia.

Septimo die, Omnia ſidera erratica & fixa, ſurgent & proferent ex ſe igneas comas ſicut cometæ.

Octavo die, Erit maximus terræ motus, ita ut nullus homo poſſit ſtare, ſed ædificia corruent.

Nono die, Lapides tam parvi quam magni in quatuor partes ſe divident, una petra aliam collidente.

Decimo die, Omnes plantæ ſanguineum ſtillabunt rorem.

Undecimo die, Omnes montes, & colles, unà cum ædificiis in pulverem redigentur.

Duodecimo die, Omnia animalia venient de ſylvis, & montibus ad campos, rugientia & nihil guſtantia.

Decimo tertio die, Omnia ſepulchra ab ortu ſolis uſque ad occaſum patebunt cadaveribus ad reſurgendum.

Decimo quarto die, Omnes homines exibunt de ſuis habitaculis non intelligentes, neque ad invicem loquentes, ſed adinſtar beſtiarum diſcurrentes.

Decimo quinto, Omnes morientur, & mox reſurgent cum mortuis longe ante defunctis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum mundus purgabitur per ignem?

DIco 1. Quia mundus eſt factus propter hominem, conveniens eſt, ut quando homo glorificabitur, etiam mundus aliquo modo innovetur.

Explicatur *prima pars.* Dicimus quod mundus ſit factus propter hominem, nam ut dicitur 2. *Phyſic.* ; Omnium nos ſumus quodammodò finis. Undè mundus iſte magnus factus eſt propter hominem. qui eſt *microcoſmus*, ſeu parvus mundus : ita ut nomine omnis creaturæ quæ in toto mundo eſt, ſignificetur homo. Habet namque homo commune eſſe cum lapidibus, vivere cum plantis, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis. Deindè etiam ſicut in mundo ſunt quatuor elementa, ita in homine ſunt quatuor humores, qui correſpondent his quatuor elementis. Nam flava bilis correſpondet igni, ſanguis aëri, pituita aquæ & atra bilis terræ. Habet deindè homo pro cœlo animam ſuam : Anima enim Juſti ſedes Dei eſt : teſte *S. Ambroſio.* Sedes autem Dei cœlum eſt. Et ſicut cœlum ornatum eſt Sole & Luna : ſic homo ornatus eſt intellectu & voluntate. Et ſicut cœlum aliis ſtellis fulget, ſic etiam homo duobus oculis veluti ſtellis eſt ornatus. Imò cœlum eſt patria nobis deſtinata à Deo pro habitatione perpetua, ad quam nunc in via tendimus. Et quamvis homo, Angelus non ſit, habet tamen Angelos ſibi ſervos & cuſtodes deſtinatos à Deo ; qui cuſtodiant hominem in viis ſuis, ne fortè ad lapidem offendat pedem ſuum. Inſuper homo habet commune intelligere cum Angelis : & paulò minus ſolùm minoratus eſt ab Angelis. Erit etiam homo ſodalis Angelorum in cœleſti curia. Imò implebit ruinas illorum Angelorum, qui è cœlo præcipitati ſunt. Adde quod homo in carne ſine carne vivens, non homo ſed Angelus cenſendus ſit teſte *S. Hieron.* Patet ergo, quod homo ſit parvus mundus, & quod magnus mundus ſit factus propter hominem. Hoc poſito

Explicatur *ſecunda pars.* Quod nempè conveniens ſit. ut quando homo glorificatur, etiam mundus innovetur. Itaque ſicut ad hoc ut homo glorificetur, oportet ab homine removeri duo, nimirum corruptionem in corpore, & infectionem culpæ in anima : ita etiam oportet mundum purgari in duobus, nimirum in hoc, quod elementa purgabuntur ab aliis qualitatibus ſibi commixtis (eſt enim aër in quo vivimus v. g. admixtus cum vaporibus terrenis, & aqueis ut dicitur 3. *metheororum*: Similiter partes terreæ & aqueæ ſunt ad invicem commixtæ, & reſtituentur elementa ad ſuam ſimplicem puritatem. Commixtio autem alicujus qualitatis extraneæ in elementis correſpondet corruptibilitati corporum ; quæ corruptibilitas ut dictum fuit, debet tolli ab homine glorificato.

Secundò. Habent hæc elementa quandam impuritatem correſpondentem infectionem culpæ, hoc eſt, quandam inidoneitatem ad futuram innovationem ; quæ inidoneitas provenit ex peccatis in his locis, ſeu elementis, commiſſis à malis hominibus ; ſicut dicimus : quod loca prophanata indigeant aliqua reconciliatione. Purgabitur ergo mundus ab utraque impuritate per hoc, quod omnes diſpoſitiones extraneæ elementis commixtæ corrumpentur, ita ut elementa reſtituantur ad ſuam ſimplicem puritatem. undè nec manebunt poſtea animalia nec plantæ quæ intervierunt homini pro ſuo alimento.

Dico 2. Mundus purgabitur in illis partibus, in quibus fuit habitatio dæmonum & hominum.

Explicatur. Nam ut dicit *S. Auguſt. lib.* 2. *de Civit. Dei cap.* 18. Ignis ille incipiet purgare aërem in ſuperiori parte aëris ultra medium interſtitium, & deſcendet ſucceſſivè verſus terram. Erit autem altitudo illius à terra, quantum aſcenderunt aquæ diluvii, id eſt, quindecim cubitis ſuper montes quos cooperuerunt, ſicut dicitur Gen. 7.

Dico 3. Quod ignis purgativus totius mundi, erit productus ſupernaturaliter.

Probatur *prima pars.* Quod mundus purgabitur per ignem. Ita enim colligitur ex *Epiſtola 2. Canonica S. Petri cap* 3. ubi inquit : Adveniet dies Domini, ut fur in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem & quæ in ipſa ſunt, exurentur. Et infra : Per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis tabeſcent, novos autem cœlos, & novam terram, & promiſſa ipſius exſpectamus.

Item gloſſa ſuper illud 1. Corinth. 8. Præterit figura hujus mundi, dicit ſic : Pulchritudo hujus mundi, mundanorum ignium conflagratione peribit. Ergo mundus purgabitur per ignem.

Præterea *S. Auguſt. lib* 2. *de Civit. Dei cap* 6. ſic ait : Illa mundana conflagratione, corporalium elementorum qualitates, quæ corporibus noſtris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipſa ſubſtantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniebant, ut ſcilicet mundus innovatus in melius accommodetur, quando homines etiam quoad carnem in melius innovantur.

Probatur *ſecunda pars*, & explicatur. Quod ignis ille purgativus mundi erit ſupernaturaliter productus, ſicut fuerunt aquæ diluvii, ut facer textus ſatis innuit. Præcedet tamen vehemens ſiccitas, & calor productionem illius ignis, & deſinet cauſari arcus nubium, & quæcunque humidæ impreſſiones, ſicut ſunt pluviæ ; nix, grando, ros, & hujuſmodi generabitur A ſub. & apparebit aſpicientibus, quod ſint ſtellæ de cœlo cadentes ;

dentes; Et ſic intelligitur illud Matth. 24. Stellæ cadent de cœlo. Quam locutionem eſſe tropicam ait *S. Auguſt. lib. 2. de Civit. cap.* 18.

Dices primò. Si ignis ille ſit ſupernaturaliter productus, ſequitur, quod non conflagrabit mundum operatione naturali; ſed hoc eſt falſum: Ergo & id undè ſequitur.

Reſp. Neg ſequ. Sicut enim ſi Deus cæcum illuminaret, tunc cæcus naturaliter videret; quia illuminatio ſolùm eſt ſupernaturalis, ſed viſio deindè ab homine illuminato elicita eſt naturalis; ita ſimiliter hic dicendum eſt.

Dices 2. Si mundus purgabitur per ignem, tunc ille vel præcedet judicium, vel ſequetur illud; ſed nihil horum poteſt dici: Ergo. Probatur minor. Nam imprimis non poteſt dici, quod ignis ille præcedat judicium; quia dicit *S. Auguſt. 2. de Civit. Dei cap.* 16. Judicatis his, qui ſcripti non ſunt in libro vitæ, ſequitur, quod tunc figura hujus mundi ignium conflagratione peribit. Ergo ſecundum *S. Auguſt.* mundi conflagratio erit poſt judicium. Deindè nec poteſt dici, quod conflagratio mundi fiet poſt judicium univerſale, quia dicit *S. Auguſt. lib. 2. de Civit. Dei c.* 18. Hoc erit Sanctis incendium mundi, quod fuit caminus tribus pueris: in quibus verò aliquid purgandum fuerit, hoc per illum ignem purgabitur. Sed conſtat, quod poſt judicium nullus purgabitur per illum ignem, quia conſtat, quod omnes Sancti ſtatim in reſurrectione habebunt corpora glorioſa, & conſequenter impaſſibilia; Ergo ille ignis non poteſt ſequi judicium univerſale.

Reſpondetur, quod ignis ille quantum ad aliquam operationem præcedet judicium, & quantum ad aliquid concomitabitur, & quantum ad aliquid ſequetur; Actio enim illius ignis eſt ſucceſſiva, quia ante judicium fiet incineratio corporum hominum tunc viventium tali modo, ut perfecti reſolvendi ſint ſine pœna ſenſus ab illo igne illata; & imperfecti purgabuntur. Quo facto ſtatim erit reſurrectio mortuorum. Poſtea judicio peracto inflammabitur totus mundus per circuitum, ignisque dividetur in id, quod habet puritatis, ſubtilitatis, & claritatis, & in id quod habet de graſſitie flammæ aduſtivæ: & hæc flammæ aduſtivæ ignis, unà cum omnibus fœditatibus hujus mundi involvent reprobos, eoſque comitabuntur uſque in infernum, eoſque in perpetuum affligent, ſicut dicit *S. Baſilius ſuper illud Pſalm.* Vox Domini intercidentis flammam ignis.

Ex quo patet. Quod aliqua pars, nimirum magis groſſa, & aduſtiva iſtius ignis conflagrativi totius mundi, adoletur igni infernali, qui nunc eſt: alia autem pars ignis magis nobilis, lucida, & pulchra, addetur igni ſuperiori ad gloriam Electorum. Conſtat igitur manifeſtè, quod ille ignis purgans mundum quantum ad ſuum opus initiale (quod eſt purgare) judicium generale præcedet, & concomitabitur: ignis verò ille conflagrativus quantum ad ſuam conſummationem ſequetur judicium univerſale. Et hoc modo intelligendus eſt *S. Auguſt.* in iſtis duabus authoritatibus allegatis, quæ ſi cum tali diſtinctione accipiantur, ſibi non ſunt contrariæ.

LECTIO LXXIII.

TEXTUS.

Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tanquam venti turbo dividet eos: & ad eremum deducet omnem terram iniquitatis illorum, & malignitas evertet ſedes potentum.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione oſtendit Spiritus S. quomodo reprobi damnabuntur finaliter, ſeparabuntur potentialiter, & incarcerabuntur localiter, & tandem pro cauſa, cur nobiles ſeu potentes injuſti damnabuntur, aſſignat malignitatem eorum.

Quantum ad primum, quod reprobi damnabuntur finaliter, Dicit ſic: *Contra illos* (puta reprobos) *ſtabit ſpiritus virtutis.* Spiritus in ſacris litteris aliquando idem ſignificat quod vox. Undè 1. Cor. 14. dicitur: Pſallam ſpiritu (id eſt voce) pſallam, & mente. Quia ergo vox Chriſti judicantis, erit vox virtutis (juxta illud *Pſalm.* Dabit voci ſuæ vocem virtutis) cui virtuti nullus poſſit reſiſtere; ideò ſignanter dicitur: *Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis.* Huc facit illud Iſaiæ 11. ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et 2. *ad Theſſ.* 2. Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet ſpiritu oris ſui.

Quantum ad ſecundum, quod reprobi ſeparabuntur potentialiter, dicit ita Spiritus ſanctus: *Et turbo venti dividet eos.* Turbo venti ſecundum *Iſidorum* 13. *Ethic.* eſt volubilitas ventorum. Dicitur autem turbo à terra; quia quoties eſt ventus validus, terram, ſeu potius pulverem per circuitum ſpargit. Sicut ergo pulvis ſiccus ſtatim ſine ulla reſiſtentia elevatur à terra, & defertur ſecundum motum venti; ita etiam reprobi prolata damnationis ſuæ ſententia abſque ulla reſiſtentia involventur illo turbido igne (de quo dictum fuit Lectione præcedenti) & demergentur in infernum. Undè *in Pſalm:* dicitur: Non ſic impii, non ſic, ſed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Et *Joan:* 21. Erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut favilla, quam turbo diſpergit. Et *Jeremiæ* 23. Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum eveniet.

Quantum ad tertium, quod reprobi incarcerabuntur localiter, ita inquit Spiritus ſanctus: *Et ad Eremum deducet omnem terram iniquitatis illorum.* Id eſt, ad infernum deducet Deus omnem terram iniquitatis illorum; hoc eſt, omnem terrenam & carnalem affectionem eorum ad puniendum in perpetuum. Vocatur autem infernus *Eremus*; quia ſicut eremus vocatur locus vaſtus & incultus, ubi nullum animal rationale habitare poteſt convenienter: ita infernus locus eſt nulli rationali creaturæ ſecundum ſe conveniens, illuc tamen mali deducentur propter ſua peccata. Iſtud tamen infernale malum benè ordinatum, & ſuo loco poſitum emi-

nentius

nentius commendat bonum ſicut dicit *S. Auguſt. in Enchrid. cap. 4.* Porrò Eremus ſecundum Grammaticos eſt generis fœminini, in ſignum, quod per fœmineum genus ad illam inferni Eremum (quantum fuit ex vi peccati) primus homo ſit ſeductus; atque utinam in hodiernum uſque diem, multi homines ex amore impudico fœminarum ad miſeram illam & infernalem Eremum perpetuò cruciandi, non deducerentur.

Quantum ad quartum, oſtendit Spiritus ſanctus cauſam cur nobiles injuſti ſubvertentur, dicitque ſic. *Et malignitas evertet ſedes potentum.* Non dicit ignorantia, vel impotentia, quæ tantum excuſare poſſunt; ſed malignitas eorum damnabit eos: dum videlicet ſciverunt, quidnam debeant facere, & etiam potuerunt bonum operari, & tamen noluerunt, ſed peccatum peccato adjecerunt, & ita cauſam damnationis dederunt. Undè de homine potente operari bonum, & nolente dicitur metricè.

Cùm poteris quod vis, probat actio te tua quid ſis.

Porrò licet injuſti potentes poſſint malignari ad tempus, finaliter tamen ſubvertentur, & exterminabuntur. Undè *in Pſalmo* dicitur: Noli æmulari, ut maligneris; id eſt, noli ſequi malignantes, quoniam qui malignantur, exterminabuntur, id eſt, extra terminos divinæ dilectionis ponentur.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum pœna damnatorum debeat dici corporalis?

Dico quòd ſic.

Probatur. Quia dicit *S. Auguſt. 2. de Civit. Dei cap. 1. & 10.* Gehenna, quæ ſtagnum ignis & ſulphuris dicta eſt, corporeus ignis erit, cruciabit corpora damnatorum. Item *S. Gregorius 4. dialog.* parum ante medium ait: Ignem in gehenna corporum eſſe non ambigo.

Probatur ſecundo ratione, Quia omnis pœna, quâ corpus patitur, eſt pœna corporea: ſed corpora damnatorum in gehenna punientur poſt diem judicii (quia ſicut Sancti gaudebunt in corpore & anima, ita damnati punientur in corpore & anima) Ergo patientur pœnâ corporeâ.

Dices primò. Si ignis crucians corpora damnatorum foret corporalis, tunc corpora damnatorum calefierent, & alterarentur ab illo igne; ſed conſequens eſt falſum: Ergo & antecedens; Probatur minor. Quia poſt diem extremi judicii ceſſabit omnis motus cœli, ſine quo non poteſt fieri alteratio. Ergo

Reſp. cum ſancto Thoma, quod ignis ille non agat in corpora damnatorum materialiter, ſeu immutatione aliqua materiali, ſed tantum ſpirituali immutatione, eo modo quo ſenſus noſter immutatur; Hoc enim commune eſt omni ſenſui, quod ſenſus ſit ſuſceptivus ſpecierum ſine materia. Undè ſicut oculus patitur à colore, & tamen oculus non coloratur nec alteratur per receptionem coloris, ita tactus in damnatis immutabitur ſpiritualiter à calore, & tamen non recipit calorem, nec alterabitur per calorem. Undè tenet *S. Thomas*, quod calor imprimetur ſenſui tactus ſecundum eſſe ſpirituale, non autem ſecundum eſſe materiale. Cruciabuntur ergo per formas receptivas intentionaliter ab extrinſeco, non autem per formas receptas materialiter. Et ad hoc dicendum potiſſimum movere videtur, quod poſt diem judicii ceſſabit motus cœli, de quo fuit argumentum formatum.

Alii tamen etiam ſatis probabiliter dicunt, quod corpora damnatorum non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam materialiter immutabuntur & calefient; quorum fundamentum eſt: quia licet nulla actio naturaliter eſſe poſſit ceſſante motu cœli, non tamen ideò coguntur dicere, quia ibi erit actio, & paſſio ſupernaturaliter in corporibus damnatorum. Manifeſtum eſt enim, quod quaſi omnia, quæ circa damnatos ponimus, futura ſint ſupernaturaliter divina virtute: nam neque ignis ille infra terram perpetuò manere poſſet, cùm nullum violentum *teſte Ariſtotele* ſit perpetuum. Nec etiam corpora mixta (cujuſmodi ſunt corpora damnatorum) poſſent eſſe ſecundum naturam perpetua, cùm ſint compoſita ex contrariis, &c. Itaque ex hoc fundamento alii dicunt, quod corpora damnatorum etiam materialiter ab igne infernali cruciabuntur.

Dices ſecundò. Si ignis ille foret corporalis, & ageret continuò in corpora damnatorum, ſequitur, quod corrumperet illa corpora (quia magna paſſio abjicit aliquid à ſubſtantia, ut dicitur *tertio Ethicorum*) & ita pœna damnatorum quoad corpus non eſſet perpetua; ſed hoc non eſt dicendum: Ergo nec illud undè ſequitur. Hoc argumentum præcipuè procedit contra ſecundum modum dicendi, ſed

Reſp. Quod Deus volet illi igni cooperari ad torquendum, ſed non ad corrumpendum; quod *S. Auguſt. lib. 21. de Civit. Dei* videtur declarare per exempla, quomodo nimirum quædam animalia etiam corruptibilia vivunt in igne. Et *cap. 4. de Salamandra* expreſsè hoc docet: licet ſecundum *Ariſtotelem libro de proprietatibus elementorum*, nullum animal diu poſſit in igne vivere: certum tamen eſt pilos ejus non poſſe ab igne conſumi. Oportet itaque firmiter tenere; quod ignis ille cruciabit, & tamen corpus in perpetuum durabit. Sed qualiter hoc fiet, nobis ignotum eſt, adeoque certum eſt, quod illud tantum oporteat reducere ad ſingulare miraculum.

Dices tertiò. Sicut dicitur, quod ibi erit ignis, ita dicitur, quod ibi erit fletus & ſtridor dentium, Matth. 8. ſed fletus in inferno non durabit in perpetuum: Ergo nec ille ignis cruciabit corpora damnatorum in perpetuum. Probatur minor, quia fletus fit per emiſſionem lachrymarum; damnati autem non poſſunt continuò emittere lachrymas ex oculis, niſi fiat generatio novi humoris per receptionem alicujus alimenti quod in inferno non eſt: Ergo

Reſp. Quod in fletu duo conſiderantur; nempè reſolutio lachrymarum, & turbatio capitis, & pruritus oculorum. Dicimus ergo, quod in damnatis non erit fletus continuus quo ad primum, ſed tamen quo ad ſecundum.

Dices quartò. Sicut dicitur, quod erit in inferno ignis, ita etiam dicitur, quod erit ibidem

vermis

vermis; ſed iſte vermis futurus in damnatis non poteſt intelligi corporaliter (quia poſt extremum diem judicii nullum corpus mixtum manebit, niſi ſolum corpus humanum) Ergo nec ignis ille intelligendus eſt corporaliter. Undè *S. Auguſtin. ſecundo de Civit. Dei cap. 22.* ait: In pœnis malorum inextinguibilis ignis, & vivaciſſimus vermis, ab aliis aliter & aliter eſt expoſitus. Aliqui utrumque ad corpus, aliqui utrumque ad animam retulerunt. Alii propriè ignem ad corpus tropicè, ad animam verò vermem quod credibilius eſſe videtur.

Reſp. Quod vermis ille erit ſpiritualis, puta remorſus conſcientiæ, qui orietur ex peccato non retractato, & ita metaphoricè corrupto, atque animam in perpetuum affliget.

Dices quintò. In inferno non erit verum ſulphur; Ergo nec verus ignis corpora damnatorum torquens. Conſequentia patet, quia de utroque dicit Propheta: Ignis ſulphur, & ſpiritus procellarum, &c. Ergo ſi ibi non ſit verum ſulphur, neque etiam ibidem erit verus ignis.

Confirmatur. In purgatorio eſt ſolus ignis, & non ſulphur; Ergo etiam in inferno eſt ſolus ignis ſine ſulphure.

Reſp. ad primum, quod non ſolum per ignem damnati puniantur, ſed ſicut dicit *S. Baſilius ſuper illud*; (Vox Domini intercidentis flammam ignis) In ultima purgatione mundi fiet quædam ſeparatio puri ab impuro in elementis. Et quidquid eſt purum & nobile, hoc manet ſuperius ad gloriam Electorum augendam (ut ſupra dictum eſt) quidquid autem eſt fœculentum & turbidum, hoc deſcendet in infernum, ad pœnam damnatorum augendam. Ita ut ſicut omnis creatura Dei erit electiſſima terra gaudii, ita damnatis omnis creatura fiet tormentum. Et hoc modo aliqui intelligunt textum in præcedenti Lectione allegatum; videlicet, *Et pugnabit cum illo* (id eſt, unà cum judice ſupremo Chriſto Domino) *orbis terrarum*, id eſt, omnis creatura: *contra inſenſatos*, id eſt, reprobos.

Quia verò (ut dictum eſt) per illum ignem mundi conflagrativum, in creaturis ſeparabitur purum ab impuro: ideò dicimus, quod varia illa mixtura multorum fæcum rectè poſſit nominari ſulphur.

Reſp. ad Confirmationem, quod illa pœna non ſit principaliter ad affligendum, ſed ad purgandum; & ideò dicunt Doctores hanc purgationem exiſtentium in purgatorio, ſolum fieri per ignem: at verò tali modo ſe res non habet in inferno, cujus pœna eſt ad affligendum, & nullo modo ad purgandum.

Et hæc pro quinque primis Capitibus hujus Libri Sapientiæ, in quibus Spiritus ſanctus huc uſque oſtendit, quomodo per juſtitiam & bonos mores homo poſſit Sapientiam acquirere, dicta ſufficiant.

Finis quinti Capitis.

CAPITULUM SEXTUM.

LECTIO LXXIV.

TEXTUS.

Melior eſt Sapientia quàm vires, & Vir prudens quam fortis.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus à principio hujus Libri uſque huc oſtendit, quomodo per juſtitiam, & bonos mores, homo poſſit Sapientiam acquirere: hic conſequenter declarat, quomodo Sapientia acquiſita poſſit hominem perficere. Iſta tamen Libri partitio, & proceſſus in ſermocinando non eſt ita rigidus, quia in utraque Libri diviſi parte utrumque fiet. Nam in præcedentibus aliquando dictum eſt, quomodo Sapientia poſſit hominem perficere, & in ſequentibus docebitur aliquando, quomodo homo poſſit Sapientiam acquirere. Agit enim Spiritus ſanctus alternatim, nunc de Sapientia acquirenda, nunc de Sapientia exercenda; videlicet per totum Librum. Quia verò finis & perfectio Sapientiæ eſt facere hominem habilem ad ſeipſum, & ad alios virtuosè gubernandum; ideò de iſto fine principaliter eſt diſcurſus, intentioque hujus Capituli eſt informare Reges, Principes, Judices, & Prælatos, quomodo tam ſe quàm ſibi ſubjectos debeant gubernare. Hoc autem fit interſcalariter & alternatim duplici viâ: nempè Sapientiam commendando, & ad Sapientiam inclinando. Et ideò Spiritus ſanctus nunc commendat Sapientiæ valorem, nunc autem invitat ad ejuſdem Sapientiæ amorem.

Dicit ergo ſic: *Melior eſt Sapientia quam vires*; Per quæ verba commendat Spiritus ſanctus Sapientiam; quia comparativè ad vires humanas, in quibus impii præcisè collocabant vim ad gubernandum alios, pro ſua particulari utilitate duntaxat, debellando, & opprimendo homines per tyrannidem, ut patet. *de Nemroth Gen. 10.* dicit: quod *Sapientia ſit melior quam vires*, ſeu fortitudo corporalis; quæ ſecundum errorem antiquorum videbatur hominem præcipuè dignificare ad principatum: qui error adhuc à multis fatuis approbatur.

Porrò ly *Sapientia*, in præſenti non accipitur, prout eſt virtus quædam intellectualis rem cognoſcens per cauſas altiſſimas; ſed accipitur hic ly *Sapientia* pro collectione virtutum: ſeu prout includit Fidem, Spem, & Charitatem cum omnibus virtutibus Cardinalibus. *Et vir prudens magis quàm fortis.* Id eſt, vir ſapiens melior eſt quàm vir robuſtus. Undè in præſenti, prudentia & ſapientia accipiuntur pro eadem. Et ita Proverb. 15. dicitur: Vir prudens, & ſapiens diriget greſſus ſuos. Qualiter autem vir ſapiens, vel prudens greſſus ſuos dirigat, benè explicat

by Google

Seneca de Copia verborum ſic diſſerens, ſi prudens, & ſapiens es: præſentia ordina, futura prævide, & præterita recordare. Nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdidit: qui nihil de futuro præmeditatur, incautus per omnia incedit. Cave autem, ne cùm aſtutus ſolùm ſis, ſapiens videri, & nominari velis, Sapientia vera ſine ſimplicitate eſſe non poteſt. Undè rectè dicit Salvator noſter, Matth. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Occaſione horum verborum ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum triplex ſit prudentia ſerpentis in bono, quam nos convenit imitari?

Dico quòd ſic.

Prima prudentia ſerpentis eſt, teſte *S. Hieronymo*, quod totum corpus ſuum pro ſalute capitis exponat, & toto ſuo corpore caput involvat. Et hoc modo pro capite Noſtro Chriſto, nos, & omnia noſtra exponere debemus, & propter honorem Dei injurias ſuſtinere tam in corporibus, quàm in rebus.

Secunda prudentia ſerpentis eſt, quod obturet aures ſuas, ne audiat voces incantantium. Quærunt enim incantatores venena quæ ſunt in capitibus ſerpentum, ad medicamenta inde conficienda; ſerpens verò hoc advertens, caput ſuum inter ſpiras corporis involutum abſcondit, & unam aurem applicat ad petram, aliam verò cum cauda obturat. Sic etiam nos moraliter facere debemus. Incantatores noſtri ſunt mali homines allicientes nos ſub ſpecie amicitiæ, ad vitia mundi, vel carnis, malis ſuggeſtionibus & perverſis exemplis. Nos ergo, quando adſunt tales incantatores, debemus ſuperiorem partem rationis, tanquàm unam aurem conjungere Chriſto tanquam petræ (Petra autem erat Chriſtus 1 Cor. 10.) per amorem adhærendo: alteram verò partem inferiorem, cogitatione finis noſtri, tanquam caudâ obturemus; ne illi, qui nobis dulciter peccata ſuggerunt, ad malum conſenſum nos pertrahant.

Tertia prudentia ſerpentis eſt, quod veterem pellem deponat. Quando enim ſerpens ſeneſcit, & ſquamis ac putredine corpus ſuum gravari ſentit, tranſit per anguſtum foramen alicujus petræ, & ita veterem pellem ibi omninò relinquit, & ita renovatur ac ſanatur. Petra Chriſtus eſt, foramina autem multa hujus petræ, ſunt plurima Chriſti vulnera. Si ego veterem pellem, id eſt, noſtram malam & corruptam converſationem velimus deponere, opus eſt, ut contemplatione paſſionis Chriſti per iſta foramina vulnerum ſuorum tranſeamus. Huc facit illud Exod. 33. Ponam te in foramine petræ, & protegam te dexterâ meâ. Et Cant. 2. Veni columba mea in foraminibus petræ. Porrò duo requiruntur ad hoc, quod ſerpens in foramine pellem deponat. Primo requiritur foraminis anguſtia: ſi enim foramen latum eſſet, tunc ſerpens ſine difficultate tranſiret, & veterem pellem retineret. Secundò requiritur ſtabilitas, ſeu firmitas foraminis; niſi enim eſſet firmum, ac ſtabile foramen, potius illud ſecum portaret, quam pellem ſuam ibi relinqueret. Iſto modo ſi velimus pellem veteris converſationis deponere, oportet tranſire arctam & anguſtam pœnitentiæ viam: & hoc non qualitercunque, ſed in ſtabili ac conſtanti propoſito vitam noſtram in melius commutando. Nihil enim magis contrarium eſt prudentiæ, quàm inſtabilis mutabilitas: & econtra Deus nihil magis præmiat, quàm conſtantiam in bono. Undè *in Apoc.* dicitur: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Si itaque per arctam viam pœnitentiæ conſtanter iverimus, tunc rectè exuimus veterem hominem cum actibus; novumque induemus, qui ſecundum Deum creatus eſt. Et ita ſatisfaciemus mandato *Apoſtoli ad Eph. 3.* dicentis: Deponite vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur, ſecundum deſideria erroris. Quia ſupra dictum eſt, quod in præſenti accipiatur Sapientia pro collectione virtutum, ideò ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum vera Sapientia ſit triplex; cordis videlicet, oris, & operis, & unaquæque in tribus conſiſtat?

Dico quòd ſic.

Ita enim expreſsè docet *S. Bernardus* in quibuſdam ſententiis quæ referuntur *lib. 8. Florum cap. 29.*

Explicatur prima pars *de Sapientia Cordis*, quæ in tribus conſiſtit, nempe in pœnitudine peccatorum præteritorum; in contemptu præſentium commodorum; & in deſiderio futurorum præmiorum. Inveniſti plane ſapientiam (ait, mellifluus Doctor) priora vitæ peccata defleas, ſi hujus ſæculi deſiderabilia parvi pendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas. Inveniſti Sapientiam, ſi horum ſingola tibi ſapiunt prout ſunt; hæc quidem ut amara, & omnino fugienda, iſta verò velut caduca, & tranſitoria contemnendo; illa verò perfecta & bona totis deſideriis appetendo, intimi animi quodam ſapore dijudices & diſcernas. Hæc S. Doctor de Sapientia Cordis.

Explicatur ſecunda pars *de Sapientia oris*, quæ ut idem *S. Abbas* ait, conſiſtit in tribus verbis. Si affluis, inquit, Sapientiâ, vel prudentiâ, ſed in ore confeſſio propriæ iniquitatis; gratiarum actio, & vox laudis, ſit etiam ſermo ædificationis.

Explicatur tertia pars *de Sapientia Operis*. De qua idem *S. Pater* ſic diſcurrit. Quæramus in opere triplicem Sapientiæ affluentiam; ita puto ego, quantum ad opus pertinet illum copioſè ſatis affluere Sapientiâ, quicunque continenter, patienter, obedienter converſatur, ut videlicet fidelis obedientia propriam mortificet voluntatem; humilis conſcientia carnalem pariter, & ſæcularem amputet voluptatem: & hilaris patientia utramque ſimiliter carnalem, & mundialem viriliter ſuſtineat adverſitatem. Hæc *S. Bernardus*. Et certè *Sapientia* hoc modo intellecta *melior eſt quàm vires*. Quiſquis ergo veſtrum eſt ſapiens, veniat & faciat quod Dominus imperavit, Exodi 35. Dictum eſt in hoc articulo, de vera Sapientia quod ſit triplex: nunc videndum eſt, quotuplex ſit Sapientia, conſiderando illam quatenus æquivocè ſe habet ad Sapientiam veram & falſam. Undè ſit

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Utrum Sapientia prout æquivocè ſe habet ad Sapientiam falſam, ſeu fictam, & veram, rectè dividatur in Sapientiam mundialem, beſtialem, & ſpiritualem?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* De falſa *Sapientia mundiali*, quam habent ambitioſi, & cupidi. Nam de illa dicitur 1. Cor. 3. Si quis videtur ſapiens, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens: Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Et de hac Sapientia falſa, ac mundiali loquens *S. Gregorius* 10. *Moralium*, & exponens illud Job 12. (Deridetur Juſti ſimplicitas) dicit ſic: Hujus mundi Sapientia eſt cor machinationibus regere; ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere; & quæ vera ſunt falſa demonſtrare. Hanc qui neſciunt ſubjecti, & timidi in aliis ipſam mirantur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honoris culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere; irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cùm vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere: & cum viribus poſſibilitas deeſt, quidquid per malitiam explere non poteſt, hæc pacifica voluntate ſimulare. Hæc *S. Gregorius.*

Explicatur *ſecunda pars.* De falſa *Sapientia beſtiali*; de qua dicitur ad Rom. 8. Sapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim non eſt ſubjecta. Hanc Sapientiam beſtialem ſequuntur voluptuoſi, qui totam ſuam ſolicitudinem circa carnis delicias procurandas impendunt.

Explicatur *tertia pars.* De *Sapientia ſpirituali.* De qua dicit Apoſtolus ad Coloſſ. 1. Impleamini agnitione voluntatis Dei in omni Sapientia, & intellectu ſpirituali. Et Jacobi 3. Quæ deſurſum eſt Sapientia, primum quidem pudica eſt, deindè pacifica. Per ly *pudica* excluditur Sapientia beſtialis, & per ly *pacifica* excluditur Sapientia mundialis, quæ nunquam eſt pacifica, ſed ſemper in turbatione & bello.

Iſta itaque Sapientia ſpiritualis, eſt Sapientia Sanctorum; de qua *ſanctus Gregorius* ubi ſupra ſic ait: Juſtorum Sapientia eſt, nihil per oſtentationem fingere; ſenſum verbis aperire; vera ut ſunt diligere, falſa devitare; bona gratis exhibere, mala libentius tolerare; nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam, lucrum putare. Hæc Juſtorum ſimplicitas deridetur, & à mundi ſapientibus fatuitas æſtimatur; Quid enim mundo ſtultius, quàm amiſſa non quærere; poſſeſſa rapientibus relaxare; nullam pro acceptis injuriis vindictam reddere; imò adjunctis aliis bonis patientiam præbere? Veruntamen iſta Sanctorum ſimplicitas, Sapientia eſt apud Deum, à quo etiam in glorioſa æternitate præmiabitur.

LECTIO LXXV.

TEXTUS.

Audite ergo Reges, & intelligite. Diſcite judices finium terræ.

EXPLICATIO TEXTUS.

Cum finis Sapientiæ ſit hominem benè dirigere ad ſeipſum, & alios virtuoſè regendos, (quod maximè ad Reges, Judices, & Prælatos pertinet) & ulterius jam declaratum ſit, quod ſine Sapientia non poſſint eſſe juſti, nec ſine juſtitia veri ſapientes: ideò Spiritus ſanctus ex omnibus præcedentibus infert hanc concluſionem perſuaſivam dicens: *Audite ergo Reges, &c.* Quaſi diceret: Quicunque ſapientiam & juſtitiam ſibi ſubjectis adminiſtrare tenetur, prius tenetur ſapientiam ac juſtitiam quærere; ſed Reges, Judices, & Prælati, tenentur ſibi ſubditis adminiſtrare ſapientiam & juſtitiam: Ergo debent illam prius quærere. Et hoc rectè. Nam quomodo quis poſſet alteri Sapientiam communicare, quam in ſe non habet? Undè rectè *in Pſal.* dicitur: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Spiritus ſanctus rectè perſuadeat in hoc textu humilitatem addiſcendi, ſubtilitatem advertendi, aviditatem inquirendi, & ſeveritatem exequendi?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars.* Quod Spiritus ſanctus rectè perſuadeat *humilitatem addiſcendi* per ly *audite Reges.* Hoc eſt, quicunque Principes vel Prælati, audite aure corporis. quia ſi dilexeris audire, ſapiens eris, Eccl. 6. Et hoc ipſum audire Sapientiam, eſt Regi valdè utile; ſi enim Rex Sapientiam non audiret, rectè diceretur tali Regi illud Eccl. 10. Rex inſipiens perdet populum ſuum. Et ideò rectè Salomon, cùm Rex conſtitueretur, rogavit Dominum dicens 2. Paralip. 1. Da mihi Domine ſapientiam & intelligentiam, ut egrediar coram populo tuo & ingrediar. Sed quia non ſufficit aure audire, niſi percipiatur & mente, ideò ſubditur in textu, & *Intelligite.* Et ideò dicitur Proverb. 1. Audiens, ſapiens, ſapientior erit, & *intelligens*, gubernacula poſſidebit.

Dixi autem, quod per ly *audite Reges*, perſuadeatur ipſis *humilitas addiſcendi.* Quia quod non habemus, oportet cum humilitate quærere; undè cùm nulla virtus ſive moralis, ut dicitur 2. Eth. ſive intellectualis, ut dicitur *in 3. de anima*, nobis innaſcatur; eò quod anima ſecundum ſe ſit ſicut tabula nuda, vel raſa, in qua nihil eſt depictum; ex alia verò parte Reges ſummè virtutibus & ſapientia indigeant, pro qua acquirenda auditus eſt ſenſus valdè diſciplinabilis, juxta illud:

Altius immutant animum demiſſa per aures.

Ideò rectè dicit Spiritus ſanctus, *Audite Reges*; id eſt, cum humilitate aure corporis audite, & mente percipite. Hoc facit illud Judicum 5. Audite Reges, & auribus percipite Principes: omnem enim Regem decet legem Dei ſcire, & ſummè Deum colere.

Explicatur ſecunda pars, quod Spiritus ſanctus Regibus, ac Prælatis perſuadeat *Subtilitatem advertendi*, ea quæ cum humilitate didicerunt. Nam ideò in textu additur: Et *intelligite*. Intelligere eſt quaſi intus legere, ſeu ponderare, ac recordari, & memoriter retinere ea, quæ audivimus, vel ex libris legimus: legere verò, & non intelligere, nihil aliud eſt, quàm negligere. Sed graviter conqueritur *Pſalmiſta*, Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Et ſtatim ſubdit Regius Vates: Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt. Ut ergo rectè faciamus, oportet, quod aure percipiamus bona, mente intelligamus, & opera exequamur.

Explicatur tertia pars, quod Spiritus S. Regibus, & Prælatis, & Judicibus, rectè perſuadeat aviditatem inquirendi, per ly *Diſcite*. Sed certè multi pigri confunduntur, qui talem aviditatem diſcendi non habent. Undè Proverb. 6. dicitur: Vade ad formicam piger, & conſidera vias ejus, & diſce Sapientiam. At verò per oppoſitum aviditatem diſcendi monſtravit *Pſaltes Regius* dicens: Da mihi intellectum Domine & diſcam mandata tua. Et Matth. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Porrò licet multi antiqui monſtraverint aviditatem inquirendi Sapientiam, hoc tamen ſpecialiter patet in Alexandro Magno, quem pater ejus Philippus Rex Macedoniæ Ariſtoteli imbuendum tradidit; cui ſtatim ac Alexander filius ſuus natus eſt, epiſtolâ hujus retroris (refert *Aulus Gellius Libro Noctium Atticarum*) ſcripſit: Philippus Ariſtoteli ſalutem, dicit filium mihi genitum ſcito, quod equidem diis habeo referre gratias; non tam proindè, quia natus eſt, quàm pro eo, quod ipſum naſci contigerit temporibus ac diebus vitæ tuæ. Spero enim fore, ut educatus & eruditus à te, dignus exiſtat, & nobis & iſtarum rerum ſucceſſione in regno. De ſtu lio verò Alexandri, ſcribitur *in libro de naturis rerum* hoc modo. Alexandrum Macedonem Ariſtotelis diſcipulum fuiſſe certum eſt, cujus cauſa Logicam elaboravit. Tam ſedulus autem extitit naturarum indagator Macedo, ut in vaſe vitreo in mare miſſus, naturas & conſuetudines piſcium deprehenderit. Gallum etiam ſecum habuit, ut ſuper diluculo certificaretur per galli cantum. Inſuper in vaſe dicto didicit, quomodo inſidiæ clandeſtinæ præparandæ ſint ſuper hoſtes in re militari, dùm exercitus piſcium contra alios inſurgere conſpexit. Ordinavit etiam Alexander (uti narrat *Plinius*,) aliquod millia hominum, qui in tota Aſia & Græcia vacarent armentis, alvearibus, piſcinis, & vivariis, ne quidquam ignoraretur: quidquid verò illi experiebantur, ſine mora innotuit Ariſtoteli qui deindè omnia percunctando, quinquaginta fermè præclara volumina de animalibus edidit. Hæc *Plinius*. Apud nos tamen non niſi novendecim habentur. Si itaque Alexander cum tanta aviditate ſcrutatus fuit naturalia, multo magis nos cum maximo ſtudio ſcrutari debemus, quæ ad cultum Dei pertinent. Et hoc vel maximè pertinet ad Reges, & Prælatos, ſeu aliorum Gubernatores. Undè *Baruch* 3. dicitur: Diſce ô Princeps, ubi ſit ſapientia, ubi prudentia, ubi intellectus, & virtus, ut ſcias ſimiliter, ubi ſit longiturnitas vitæ & virtus, ubi ſit lumen oculorum & pax. Et *S. Auguſtinus 19. de Civit. Dei cap. 6.* ait: Ignorantia Judicis, vel Principis, plerumque eſt calamitas populi innocentis.

Explicatur quarta pars, quod Spiritus ſanctus rectè præcipiat Regibus, & Gubernatoribus, *ſeveritatem exequendi illud quod juſtum eſt*; & hoc inſinuatur per ly *Judices finium terræ*. Moraliter loquendo, mali dicuntur fines terræ, & in illos debent Judices ſeveritatem exercere. Undè de Judice dicitur ad Rom. 13. Dei enim miniſter eſt in vindictam, vindex in iram ei, qui malum agit. Et ideò etiam dicitur Deut. 6. Judices & Magiſtros conſtitues in omnibus partibus ejus, ut judicent populum tuum juſto judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipias perſonam vel munera, quæ excœcant oculos judicum, & mutant verba Juſtorum. Ubi tamen

Nota, quod ad proferendam ſententiam nunquam debeamus eſſe præcipites, ne quælibet mala audita nos moveant, & ne paſſim dicta ſine probatione credamus. Quia in hoc textu Spiritus ſanctus ſpecialiter alloquitur Reges, ut Sapientiam addiſcant, & juſtitiam, ideò aliquid ſpeciale adhuc dicendum eſt de Regibus: ſit ergo

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum in Regis coronatione mentio fiat de juſtitia adminiſtranda?

Dico quòd ſic.

Explicatur aſſertio. Nam in ſolemnitate faciendæ inaugurationis Regis, antequam is coronetur, debet hæc tria ſub hac forma promittere.

In Chriſti nomine promitto hæc tria populo Chriſtiano mihi ſubdito. Inprimis me præcepturum & opem pro viribus impenſurum, ut Eccleſia Dei, & omnis populus Chriſtianus veram pacem noſtro arbitrio in omni tempore conſervet. Secundò ut rapacitates & iniquitates omnibus gradibus interdicam. Tertiò ut in omnibus judiciis æquitatem & miſericordiam præcipiam, ut mihi & vobis indulgeat miſericordiam ſuam clemens & miſericors Deus.

Poſtquam autem Rex prædicta juravit, dictis ſuper eum quibuſdam orationibus, tunc Metropolitanus inungit ipſi manus de oleo ſanctificato, & poſtea pectus & ſcapulas, compageſque brachiorum. Et tandem de eodem oleo, faciet Crucem ſuper caput ejus, & poſtea de Chriſmate cum orationibus; & deindè ab Epiſcopis accipiet enſem; & cum enſe totum regnum ſibi fideliter ſciat eſſe recommendatum, dicente Metropolitano: (ſi tamen ſolemnitatem faciat) Accipe gladium per manus Epiſcoporum (licet indignis, vice tamen & authoritate Apoſtolorum conſecratis) tibi regaliter impoſitum noſtræ Benedictionis officio, in defenſionem ſanctæ matris Eccleſiæ divinitus ordinatum; & eſto memor, de quo Pſalmiſta prophetavit dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.

tiſſime. Et per eundem vim æquitatis exercens, molem iniquitatis potenter deſtruas; & ſanctam Dei Eccleſiam, ejuſque fideles propugnando protegas; nec minus ſub fide falſos, quam Chriſtiani nominis execteris & deſtruas. Viduas, ac pupillos clementer adjuves & defendas; deſolata reſtaures. & reſtaurata conſerves; ulciſcaris injuſta, & confirmes benè diſpoſita: quatenus hæc agendo, virtutum triumphator glorioſus juſtitiæque cultor egregius, cum mundi Salvatore (cujus typum geris) ſine fine merearis regnare.

Deindè cùm Rex jam accinctus fuerit enſe, accipiet armillas à Metropolitano cum hac oratione. Accipe armillas ſinceritatis & *Sapientia*, quibus intelligas omnes operationes tuas contra hoſtes viſibiles poſſe eſſe munitas.

Hoc facto accipiet pallium, & poſtea coronabitur. Poſt hæc accipiet annulum, deindè ſceptrum, & ultimo virgam.

Coronatus ergo Rex, Epiſcopos oſculatur, à quibus choro interim canente *Te Deum laudamus*, ad ſolium regale ducitur, Metropolitano dicente: Sta & retine amodò locum, quem huc-uſque paternâ ſucceſſione tenuiſti, hæreditario jure tibi delegatum per authoritatem Dei omnipotentis, & præſentem traditionem noſtram, atque omnium Epiſcoporum, cæterumque Dei ſervorum. Et quantò Clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis, tantò eis potiorem in locis congruis honorem impendere memineris: quatenus mediator Dei & hominum, te mediatorem Cleri & plebis in hoc regni ſolio confirmet: & in regno æterno faciat regnare Jesus Chriſtus Dominus noſter Rex Regum & Dominus dominantium.

Poſtea Litaniæ, & aliæ multæ orationes dicuntur ſuper Regem coronatum, quæ omnes declarant, eum debere eſſe cultorem juſtitiæ, & fidei zelatorem: quæ ſine doctrina ſeu *Sapientia*, exerceri non poſſunt. Et ideò ſignanter Regibus dicitur: *Audite Reges & intelligite.* Et iterum regibus ſub figura montium dicitur: Montes Iſraël audite verbum Domini.

Porrò non ſolùm illi Reges dicuntur, qui tali modo coronantur, ſed etiam Clerici, qui ſe & alios regunt, dicuntur Reges; ad quos proinde etiam pertinent verba hujus textus: *Audite Reges*. Undè 1. *Petri* 2. dicitur de ſacerdotibus: Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta & populus acquiſitionis. Sed caveant tales Clerici, & Sacerdotes, ne de ipſis verificetur id quod dicit *Gilbertus de Tornaco* in quodam ſermone. Vos eſtis, inquit, genus dejectum, ſervile ſacerdotium, gens prophana, populus perditionis. Ubi *Gilbertus* tantum loquitur de malis ſacerdotibus, & Clericis; Avertat autem Deus hoc malum à nobis omnibus Religioſis.

* * * * *

LECTIO LXXVI.

TEXTUS.

Præbete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum; quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis & virtus ab Altiſſimo: qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione Spiritus ſanctus, ſpecialiter Reges, & Judices malos, per rationabilem comminationem invitat ad amorem ſapientiæ. Tangit autem Spiritus ſanctus tria in Regibus; Nam *primo* tangit Regum celſitudinem, dum dicit: *Præbete aures vos, qui continetis multitudinem. Secundò* tangit eorum ingratitudinem dum dicit: *Quoniam vobis data eſt poteſtas à Deo.*

Et *tertiò* tangit eorum certitudinem, dum dicit: *Qui interrogabit opera veſtra & cogitationes veſtras.*

Dicit ergo ſic: *Præbete aures*, nempe ad diſcendam Sapientiam, & bonos mores juxta illud *Proverb.* 5. Fili mi attende Sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam. Dicit autem Spiritus ſanctus; *Præbete aures*, & non unam tantum, ideſt, *Præbete aures* cordis & corporis, juxta illud *Lucæ* 8. Qui habet aures audiendi audiat. *Vos qui continetis multitudinem*. Non dicit vos qui regitis multitudinem, ſed qui continetis. Quaſi dicat; Vos qui non quæritis fructum in ſubditis veſtris, contra quos dicitur 1 *Petri* 5. Non ut dominantes in clero; ſed forma facti gregis ex animo. Et placetis vobis & conſequenter non placetis Deo; nam ut loquitur *S. Auguſtinus ſuper Pſalmum.* Ad te levavi: Qui ſibi placet, Deo diſplicet.

In Turbis nationum; id eſt in multitudine ſubditorum, vel etiam auditorum: & non in bonitate eorum, quod eſt contra doctrinam ſapientis. Nam *Eccl.* 17. dicitur. Non jucunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur. Econtra verò *S. Ioannes in ſua Epiſtola tertia canonica*, ſic ait: Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulantes. Et ſic patet quomodo Spiritus ſanctus exprimat ſtatus potentum celſitudinem.

Nunc pergit explicare eorum ingratitudinem dum ait: *Quoniam data eſt vobis à Domino poteſtas.* Quaſi dicat. Gratis accepiſtis, gratis date, vos autem abutimini iſtâ poteſtate vobis à Deo data, quia per eam exſpoliatis ſubditos; opprimitis, exſurgitis & rapitis pecuniam eorum, adeòque ſummè ingrati eſtis Deo. Nam is dedit vobis poteſtatem hanc, gubernandi ſubditos pro honore Dei; vos autem abutimini hac poteſtate impugnando Deum, eumque offendendo. malè regendo vel opprimendo ſubditos veſtros.

Et virtus ab Altiſſimo, ideſt, coërcendi malos & puniendi reos.

Nunc addit Spiritus ſanctus pœnæ eorum certitudinem, dum dicit: *Et interrogabit opera veſtra.* Id eſt Deus non tantum interrogabit homi-

nem malum; ſed etiam opera quæ teſtificabuntur contra hominem. Juxta illud *Ioannis 5.* Opera, quæ ego facio teſtimonium perhibent de me.

Et cogitationes ſcrutabitur juxta illud *Sap. 1.* In cogitationibus impii interrogatio erit. Circa verba priora in textu allegata nempe circa ly *Præbete aures.*

Notandum eſt quod aliqui aures accommodent Sapientiæ: aliqui autem vendant aures, & tales reverà aures non præbent. Et quidem illi aures tantum accommodant Sapientiæ, qui tantum vacant ad horam ſeu tempus docendi. Contra quos dicitur 1 *Timoth.* 4. Attende tibi & doctrinæ. Et parum autè: Hæc meditare, in his eſto. Vndè *Seneca Epiſt.* 83. Non cum vocaveris philoſophandum eſt, omnia alia negligenda ſunt, ut huic Sapientiæ ſtudeamus.

Illi autem aures ſuas vendunt, qui ſolùm aliquid addiſcunt propter vanam gloriam. Vendunt quoque Judices ſuas aures, quandò ſunt receptores munerum: nec aliquid volunt audire de cauſis pauperum, donec munus advenerit. De talibus dicitur *Michaæ tertio*: Principes ejus in muneribus judicabant.

Notandum ſecundò quod Chriſtus exigat, quæ ipſi præbere debemus: nempe cor, manus, & aures. Cor ad diligendum, juxta illud *Proverb. 23.* Præbe fili mi cor tuum mihi. Manus ad teſtimonium perhibendum: undè *Eccl.* 46. dicitur de Samuele. Teſtimonium perhibuit in conſpectu Dei & Chriſti. Aures ad audiendum, nempè ad Sapientiam addiſcendam: ut in præſenti textu dicitur. Cui concordat illud *Job. 6.* Præbete aures & videte. Sed moderno tempore, ſunt quidam nobiles ſimiles animali ferociſſimo Albanæ, habenti ſuum fel amariſſimum in aure (teſte *Ariſtotele 2 de animalibus cap. 2.*) tales inquam Albanæ ſunt multi nobiles, & potentes; qui quandò tanguntur à prædicatore verbo Dei, ſciuntque ſe eſſe reos, ſtatim turbantur, & amaricantur, & in coleram aguntur; quorum cuivis dici poteſt illud *Act.* 8. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto; in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.

Notandum tertio, quod licet Prælatus ſit malus & ſubditus ſit bonus, quamdiu tamen Prælatus toleratur ab Eccleſia, debet habere majorem honorem & reverentiam, quàm ſubditus. Tum quia Prælatus gerit vices Dei, Deusque in Prælato ſpecialiter honoratur. Tum quia Prælatus eſt perſona publica; undè in ipſo honoratur reſpublica & bonitas Eccleſiæ, quæ major eſt quàm bonitas ſingularis perſonæ: & ideò conſueverunt Prælati dicere poſt horas finitas, Fidelium animæ; quia verbum & oratio Prælati, eſt quaſi oratio multitudinis, & ideò videtur eſſe melior *cæteris paribus*, quàm oratio ſingularis perſonæ. Tum deniquè, quia prælatio ſe habet ad virtutem, ſicut cauſa efficiens in aliis virtutibus; quod tamen intellige de tali Prælato, qui licet in ſe malus ſit, alios tamen ſtimulat ad virtutes exercendas: & hoc modo prælatio honorabilis eſt etiam in perſona indigna. Dicit enim *Ariſtoteles 9 Ethic.* Dignius eſt in aliis cauſam virtutis exiſtere, quam in ſe tantum virtuoſum eſſe.

LECTIO LXXVII.

TEXTUS.

Quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, neque cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Spiritus ſanctus cauſam, cur mali Reges, Judices ac Prælati damnabuntur. Dicit ergò: *Quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius.* Reges enim, Judices, & Prælati aliqualiter repræſentant perſonam Dei, & ratione hujus honorari debent (ut dictum eſt Lectione præcedenti) ſuntque *Miniſtri regni illius*, hoc eſt, gubernationis Eccleſiæ Dei. Undè *1. Corinth 12.* dicitur: Diviſiones miniſtrationum ſunt (id eſt, diverſæ perſonæ in Eccleſiâ ad diverſa miniſteria obligantur) idem autem Dominus; Et iſtam obligationem ipſis improperat Spiritus ſanctus dum dicit: *Quoniam cum eſſetis Miniſtri regni illius*, id eſt, Eccleſiæ Dei: fuiſtis obligati ex juſtitia veſtrum miniſterium rectè exhibere.

Sed vos, *non rectè judicaſtis*: vel ex timore, aut cupiditate, vel ex offenſione, aut ex affectione. Dicit enim *S. Gregorius in quadam Homilia*, & habetur in *Cant. 11. q. 3.* quod quatuor modis humanum judicium pervertatur. Videlicet Timore dum metu poteſtatis alicujus veritatem loqui pertimeſcimus; Cupiditate, dum præmio jus alterius corrumpimus; Odio, dum contra quemlibet adverſarium aliquid nocivum facere molimur: ſive amore, dum amico vel propinquo contendimus præſtare auxilium.

Neque cuſtodiſtis legem juſtitiæ. Id eſt, non tribuiſtis unicuique quod ſuum eſt, ſed ſæpè ſpoliaſtis juſtos, & innocentes injuſtè, dum injuſtam ſententiam contra juſtos protuliſtis.

Neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Id eſt, vos ipſi malè regulaſtis veſtram vitam, non obſervando præcepta juxta voluntatem Dei. Huc facit illud ad Rom. 12. Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei beneplacens, & perfecta. Non enim debent ſe conformare huic ſæculo, ſed ſtare pervalidè in judicio rationis, ut ſancti ſint in ſe ipſis, qui debent alios ex officio ſanctificare. Undè 1. *ad Theſſ.* 4. dicitur: Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione & honore, non in paſſionibus deſiderii, ſicut gentes quæ ignorant DEUM. Notandum primò, quod ſi Judex tulerit ſententiam iniquam ex certa malitia, ſivè etiam ex juris ignorantia, tenetur ad reſtitutionem, & ad totum intereſſe parti læſæ præſtandum, niſi poſſet inducere illum pro quo judicavit injuſtè, ad ſatisfaciendum parti læſæ. Et hoc ipſum intelligitur de judice ordinario, vel delegato, vel ſponte ſe ingerente, vel acceptante gratis ſuam delegationem. Quod ſi tamen aliquis ignarus fuiſſet compulſus ad judicandum, & peteret conſilium à juriſperitis, & adhiberet poſſibi-

poſſibilem diligentiam ad rectè judicandum, tunc inquàm talis, licet ferret ex ſua inſcitiâ iniquam ſententiam, non tamen teneretur ad reſtitutionem. Si autem fuiſſet negligens in petendo conſilium à juriſperitis, cum tamen eos potuiſſet habere, tenetur ad reſtitutionem. Ita communiter Doctores.

Notandum ſecundò quod ſicut dicitur: *Extra de ſententia & re judicata; in Novellis Innocentii cum aterni*; Si judex Eccleſiaſticus ordinarius, vel delegatus, contra conſcientiam vel juſtitiam, in gravamen partis in judicio alterius quidquam fecerit per gratiam, vel per ſortes, is ab executione officii per annum noverit ſe ſuſpenſum: ad æſtimationem litis, parti quam læſerit, nihilominus condemnandus. Et ſi durante ſuſpenſione ingerat ſe divinis, irregularis eſt, & cum eo ſolus Papa diſpenſat. Hæc ibi. Et ideò illi, qui cum Judicibus tractant conſiliando, ſupplicando, vel informando, benè ſibi cavere debent; ne ſint cauſa, cur Judex à veritate declinat, vel propter eorum conſilium, aut importunas preces, vel ſuggeſtiones: quia alias tales graviter peccant, & ad reſtitutionem parti læſæ faciendam tenentur.

ARTICULUS PRIMUS.

An aliqui non rectè judicent propter perſonarum acceptionem; aliqui propter perverſam intentionem; & aliqui propter debiti ordinis prætermiſſionem?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima pars*. Quod aliqui non rectè judicent *propter perſonarum acceptionem*, contra quos Deut. 1. dicitur: Ita parvum audietis, ut magnum: nec accipiatis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt. Sed utinam legem iſtam omnes Judices attenderent. *Quoniam Dei judicium facimus*; Id eſt, illud facere deberent, quod credunt Deum eſſe facturum, ſi eſſet ibi.

Explicatur *ſecunda pars*. Quod aliqui non rectè judicent *propter perverſam intentionem*. Nam aliqui proferendo ſententiam juſtam, intendunt accipere remunerationem temporalem, vel in fama vel in pecunia. Contra quos loquitur *S. Gregorius*, *& habetur in Can. 11. q. 3. qui rectè*. Verba autem *S. Gregorii* ſunt iſta. Qui rectè judicat, & præmium remunerationis expectat; fraudem in Deum perpetrat: quia juſtitiam, quam gratis impertiri debuit, vendidit acceptatione pecuniæ. Bonis malè utuntur, qui pro temporali lucro juſtè judicant. Tales quippe ad veritatem, non juſtitiæ defenſio, ſed amor pretii provocat: quibus ſi ſpes nummi ſubtrahitur, confeſtim à juſtitiæ defenſione diſcedunt. Hæc S. Gregorius. Porrò ſi res ita ſe habeat, quod Judex propter munera juſtitiam faciens damnetur, quid fiet de illo Judice, qui propter munera injuſtitiam judicabit?

Explicatur *tertia pars*. Quod aliqui non rectè judicent propter *ordinis debiti prætermiſſionem*. Debemus enim quicunque ſumus in ſuperiori gradu poſiti, primò judicare nos ipſos, & poſtea alios, conſiderando nos eſſe homines, & non Deos aut Dominos. Undè 1. Cor. 10. dicitur: Si nos ipſos judicaremus, utique non judicaremur.

Qualis autem debeat eſſe, qui debet alios judicare, pulchre declarat S. Ambroſius ſuper Pſal. Beati immaculati. Et habetur in *Can. 3. q. 7. judicet*. Judicet, inquit ille, de alterius errore, qui non habet, quod in ſe ipſo condemnet. Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda: cùm de alio judicat, in ſe ferat ſententiam. Et judicet ille, qui ad pronunciandam ſententiam nullo odio, nulla offenſione, & nulla levitate ducatur. Hæc S. Ambroſius.

ARTICULUS SECUNDUS.

An ad hoc, ut Judex legem juſtitiæ cuſtodiat, requiratur exquiſita cauſæ diſcuſſio; facilis credulitatis excluſio; & deliberata ſententiæ prolatio?

Dico quòd ſic.

Explicatur *prima & ſecunda pars*. Quod ad legem juſtitiæ cuſtodiendam, requiratur *exquiſita cauſæ diſcuſſio*, *& facilis credulitatis excluſio*. Nam Job 29. dicitur: Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam. Super quæ verba dicit *S. Gregorius* 19. *Moral. cap.* 16. Majora crimina tardè credenda ſunt, cùm audiuntur; & ſunt citius punienda, cùm veraciter cognoſcuntur; facilitas enim credulitatis perverſum facit dare judicium. Sicut patet de Putiphare Principe militum Pharaonis Gen. 39. qui nimis credulus verbis conjugis, innocentem Joſephum carceri mancipavit.

Explicatur *tertia pars*. Quod requiratur *deliberata ſententiæ prolatio*. Nam de forma diſcutiendi cauſas in judicio, habemus exemplum de Domino Deo noſtro: qui tamen omnia novit ut Deus. Clamor, inquit Dominus, Sodomorum & Gomorreorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis: Deſcendam, & videbo utrum laborem opere compleverint, an non eſt ita, ut ſciam. Gen. 18. Quod exponens *Magiſter in hiſtoria Scholaſtica*, dicit ſic: Hoc exemplum Deus reliquit nobis. Quaſi diceret: mala hominum non citò credatis. Et indè eſt quod Judex crimen ſibi ſoli notum, punire non poſſit. Hæc ille.

Aliud exemplum diſcutiendi cauſas in judicio habemus Joannis 8. Ubi diligenter Chriſtus diſcuſſit cauſam mulieris, quam Scribæ & Phariſæi de adulterio accuſabant. Primò enim Chriſtus inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra. Ecce quàm moroſus fuit Chriſtus antequam voluit ſententiare, & quam diligenter cauſam mulieris diſcuſſerit. Cæterum quid Chriſtus in terra ſcripſerit, non eſt expreſſum in ſacra Scriptura. Quidam tamen dicunt, quod illud ipſum ſcripſerit, quod eis reſpondit: nempè hæc verba. Quis ſine peccato veſtrum eſt? *Gloſſa* autem dicit, quod Chriſtus ſcripſerit peccata Scribarum & Phariſæorum, qui accuſarunt illam mulierem, ita ut quivis legere potuerit ſua peccata. *S. Ambroſius* autem (ut refertur in Gloſſa interlineari) ait; quod Chriſtus nil aliud ſcripſerit, quàm hoc propheticum: Terra terra abſorbe hos viros abdica-

abdicatos. *S. Hieron. in quadam epiſtola*, videtur velle, quod Chriſtus ſcripſerit; Terra terram accuſat.

In hoc ergo exemplo Chriſti, patet doctrina omnium trium requiſitorum, ſine quibus juſtum judicium eſſe non poteſt. Ad hoc enim quod judicium ſit actus juſtitiæ, tria exiguntur; Primò quod procedat ex inclinatione juſtitiæ: alias ſi ſit contra juſtitiam erit judicium perverſum. Secundò requiritur, quod fiat ex authoritate legitima; alias erit judicium uſurpatum. Tertiò requiritur, quod feratur ſecundum rationem prudentiæ, & cum aliqua deliberatione cauſæ & ſententiæ ferendæ: alias diceretur judicium temeratium. Et in hoc, quod non debito modo cauſam examinaverit, & præcipitanter ſeptem millia hominum interimi præceperit, poſtquam intellexit quoſdam Judices apud Theſſalonicam fuiſſe lapidatos, graviter deliquit Theodoſius Imperator: uti legitur *lib. 9. hiſtor. tripartita.* Undè meritò poſtea S. Ambroſius Theodoſium Mediolani Eccleſiam intrare volentem, foris ad januam prohibuit, dicens; quam, inquit, pœnitentiam oſtendiſti poſt tantas iniquitates? attendant proindè omnes Judices, ut iſta tria allegata benè obſervent.

LECTIO LXXVIII.

TEXTUS.

Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur.

EXPLICATIO TEXTUS.

H*orrendè & citò apparebit vobis.* Quaſi diceret: Vos qui modo terribiles apparetis pauperibus, & innocentibus; vos qui ſtipati eſtis militibus & multitudine famulorum; honorati muneribus & adulationibus aliorum; dilati pecuniis, & onerati ſceleribus; Vos, inquam, cavete: quia ad Hæbr. 10. dicitur; Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, & Chriſti judicis, qui tunc temporis erit inplacabilis, & ſententia illius irretractabilis: apparebitque vobis Prælatis & ſuperioribus auſterus, & cum vultu in Altiſſimo; ita, ut damnandi vultum ejus præ terrore aſpicere non valentes, dicturi ſint: Montes & valles cadite ſuper nos, &c. Citò quoque apparebit Judex ille ipſis malis ſuperioribus damnandis; quia licet Chriſtus nunc moroſè expectet impiorum Prælatorum pœnitentiam, dum tamen fruſtra illam expectat, & impii per moram ſuam patientia Chriſti abutuntur, dicentes intra ſe pax & ſecuritas: tunc repentinus eis ſupervenies interitus, ut dicitur 1. ad Thim. 2. *Quoniam judicium duriſſimum etiam his, qui præſunt, fiet.* His declarat Spiritus ſanctus finem, cur Chriſtus ſupremus Judex horrendè & citò apparebit: quia, inquit, *Judicium duriſſimum, in his qui præſunt, fiet.* Hoc eſt, licet omnium hominum peccata diſcuſſurus ſit, & puniturus; principaliter tamen, his *qui præſunt, fiet judicium*: & hoc non qualecunque, ſed duriſſimum. Fiet inquam, ejus judicium durum, quia malè intrarunt; durius, quia malè rexerunt: & duriſſimum quia malè vixerunt. Durum judicium fiet ſæcularibus malis; durius malis religioſis; & duriſſimum perverſis Prælatis. Dura fiet ſuperioribus quæſtio, quare oves Chriſti non paverint auxilio temporalis ſubſtantiæ; durior, quare non paverint verbo doctrinæ: & duriſſima quæſtio eis fiet, quare non paverint eos exemplo bonæ vitæ. Dura quæſtio erit, quare ex pauperibus extorſiones fecerint; durior, qualiter bona pauperum conſumpſerint: duriſſima quare Chriſto & Eccleſiæ de perceptis eleēmoſynis non ſervierint. Dura quæſtio erit, quare bonos non informaverint; durior, quare malos non increpaverint. & duriſſima quæſtio erit, quare ipſemet non benè vixerint. Itaque *judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, Potentes autem potenter tormenta patientur. Exiguo*, id eſt, ei qui peccavit per ignorantiam, aut fragilitatem, *conceditur miſericordia*, id eſt, pœna: ſed *potentes*, id eſt, Prælati ſcientes, & ad ſcientiam obligati, *potenter*, id eſt, abundanter, tormenta patientur. Undè Apoc. 18. dicitur: Quantum glorificavit ſe, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum; quia in corde ſuo dixit: Sedeo regina & vidua non ſum, & luctum non videbo. Quod exponi poteſt de anima perverſi Prælati.

ARTICULUS UNICUS.

An Prælatus, ad hoc ut dignè præſit, debeat eſſe luminoſus per rectam informationem; operoſus per ſanctam occupationem; gratioſus per piam compaſſionem; & animoſus per juſtam correctionem?

D*Ico quòd ſic.*
Explicatur *prima pars.* Quod bonus Prælatus debeat eſſe *luminoſus per rectam informationem.* Undè *Sapientia 6.* dicitur: Diligite ſapientiæ lumen omnes, qui præeſtis populis. Iſti enim Prælati, moraliter loquendo, ſunt ſtellæ de quibus dicitur Gen. 1. Poſuit ſtellas in firmamento cœli, ut lucerent ſuper terram, & præeſſent diei & nocti: diei, id eſt, clericis, & nocti, id eſt, laicis. Huc facit illud, quod dicit *S. Gregorius 13. Moral.* Cum is, inquit, qui ſubeſt, ſervit ad obſequium, reſtat procul dubio, ut qui præeſt, ſerviat ad verbum. Et cum is, qui ſubeſt, obtemperat, oportet, quod is, qui præeſt, curam ſolicitudinis impendat. Hæc *S. Gregorius*. Sed prô dolor, moderno tempore verificatur illud Joêlis 2. Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt lumen ſuum. Sol & luna ſunt Prælati majores negligentes: & ſtellæ ſunt curati minores, ſed pigri.

Explicatur *ſecunda pars.* Quod bonus Prælatus debeat eſſe *operoſus per ſanctam occupationem*; videlicet contemnendo temporalia. & ſpiritualia prædicando. Item ſacra adminiſtrando & pauperes viſitando. Undè dicitur ad Rom. 12. Qui præeſt in ſolicitudine. Notum eſt, quod

corpora

corpora inceſſanter moveantur, agantque in iſta inferiora; alterant terram & Elementa: ita ut ſi cœli motus ceſſaret, etiam ceſſarent multiplicari omnes ſpecies ſublunares. Sic etiam Prælatus debet eſſe in continuo motu bonæ operationis, monendo ſibi ſubditos, corrigendo & bonum exemplum præbendo. Vnde rectè *S. Hieron. ſuper Caput 28 Exod.* dicit: Tanta debet eſſe converſatio & eruditio Pontificis, ut omnis motus & greſſus, & univerſa ejus opera notabilia ſint. Veritatem mente concipiat, & eam toto habitu reſonet & ornatu, ut quidquid agit & quidquid loquitur, doctrina ſit populorum. *Hæc S. Hier.* Illi porrò qui ſic benè præſunt, duplici ſunt digni honore; & ideò 1 *ad Thimoth.* 5. dicitur: Qui bene præſunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant verbo, & doctrina. Sic etiam ſcribit *S. Paulus* 1 *ad Theſſ.* 5. Rogamus, inquit, vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in domino, & monent vos, ut abundantius habeatis illos in charitate, propter opus illorum pacem habete cum eis.

Explicatur tertia pars, quod Prælatus debeat eſſe bonus *per piam compaſſionem*, ut conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes, ſecundum regulam *Sancti Auguſtini*. Et ideò Chriſtus Dominus non Ioannem conſtituit Principem ſuæ Eccleſiæ, ſed Petrum, qui infirmus fuerat & compaſſione indiguerat, ut compaſſionis viſcera omnibus aperiret & oſtenderet. Legimus *Gen.* 24. quod *Eliezar* præerat omnibus, quæ habuit Abraham. *Eliezer* autem interpretatur *Dei mei Sanctificatio*, & deſignat Prælatum per cujus diſcretam Eleemoſinam ſanctificari debent ſubjecti *S. Bernard. ſuper citatum Capitulum 24. Geneſeos* dicit: Diſcite vos ſubditorum matres eſſe debere, non dominos: ſtudete magis amari, quam metui; Et ſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica: matres fovendo, & patres paternè corrigendo, vos exhibeatis. Suſpendite verbera, producite ubera; lacte pingueſcant, non typo tingeſcant. Sed moderno tempore quid fit (inquit, *Innocentius de Vilitate conditionis humanæ*) ſtatim, inquit, ut ambitioſus eſt promotus ad honorem, in ſuperbiam extollitur, & in jactantiam effrenatur; non curat prodeſſe, ſed gloriatur, dum præeſt: præſumit ſe meliorem, quia cernit ſe ſuperiorem. Bonum facit non gradus, ſed virtus; Non dignitas, ſed magis extollit honeſtas; Priores dedignatur amicos; notos ignorat heſternos: ſodales contemnit antiquos; vultum avertit, cervicem erigit, faſtum oſtendit, grandia loquitur, ſublimia meditatur, ſubeſſe non patitur, præeſſe molitur. Præceps & audax, glorioſus & arrogans, gravis & importunus eſt. Hæc *Innocentius*. Sicut autem in malos Prælatos fiet *judicium duriſſimum*, ita bonis dabitur maximum præmium. Vndè *S. Auguſtinus* in quodam ſermone ait: Nihil eſt in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, & periculoſius officio Epiſcopi; ſed apud Deum nihil beatius, quam ſi eo modo militet, quo Imperator noſter jubet.

Explicatur quarta pars quod *Prælatus* debeat eſſe *animoſus per juſtam correctionem. Gen.* 1. legitur quod Deus creaverit primum hominem, ut præſit piſcibus maris & volatilibus cæli, beſtiis terræ, omnique reptili quod movetur in terra. Moraliter loquendo piſces maris ſunt rebelles, & otioſi. Volatilia cœli ſunt ſuperbi, & ambitioſi. Beſtiæ terræ ſunt avari & divites. Reptilia ſunt lubrici & libidinoſi. Quos omnes Prælatus debet juſtè corripere, & ad virtutes reducere; juxta illud *Iſaiæ* 32. Principes in judicio præerunt. Veruntamen moderno tempore quidam Prælati ſimiles ſunt Milvis, qui non invadunt antiquas gallinas, ſed pullos eorum rapiunt. Sic etiam aliqui Prælati moderni non divites & nobiles peccatores, ſed pauperes Eccleſiaſticâ cenſurâ caſtigant. Aſt, væ talibus ſuperioribus, & iterum væ illis qui ſine bona fama Eccleſiæ Dei præſunt. Contra quos egregiè loquitur *S. Ambroſius in ſuo Paſtorali* hoc modo: Nihil in hoc ſæculo Sacerdotibus excellentius, nihil ſublimius Epiſcopis reperiri poteſt; quod ut omni cum dignitate oculis demonſtremus, dignè noſcamus, quid ſumus, quid ſuimus profeſſione & actione potius quam nomine demonſtremus; ut nomen congruat actioni, & actio nomini. Ne videlicet ſit honor ſublimis, & vita proclivis; ne ſit deifica profeſſio, & actio illicita; ne ſit religioſus amictus, & irreligioſus profectus; ne ſit gradus excelſus, & defamis exceſſus; ne locutione ſimplicitatem ſimilemus columbinam, & mente habeamus caninam; ne profeſſione monſtremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam. Ita Ambroſius.

Conſimilem ſententiam dicit *S. Bernardus in lib* 2. *ad Eugenium*. Audi, inquit, canticum meum minus ſuave, ſed ſalutare. Monſtruoſa res eſt gradus ſummus, & animus infirmus, dignitas prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis; caput canum, & cor vanum; facies rugoſa, & lingua nugoſa; authoritas ingens, & nutans ſtabilitas. Hæc *S. Bernardus*.

LECTIO LXXIX.

TEXTUS.

Non enim ſubtrahet perſonam cujusquam Dominus, qui eſt dominator omnium, nec verebitur magnitudinem cujusquam. Quoniam puſillum & magnum fecit per ſe: & æqualiter eſt ipſi cura de omnibus; fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Spiritus ſanctus quod Chriſtus ſupremus Judex judicabit malos Prælatos, abſque ulla diſſimulatione, ita ut illis nullatenus parcet propter benevolentiam, aut impotentiam, vel negligentiam, ſicut ſubinde faciunt Judices mundani. Quantum ergo ad primum, quod Chriſtus non parcat propter benevolentiam, dicit ſic: *Non enim ſubtrahet perſonam cujusquam Dominus*; id eſt, Chriſtus tanquam Judex non patietur quod quiſquam emaneat à die judicii, ad quam citatus eſt; ſicut ſubinde apud mundanos Judices contingit, quod permittant, quod reus citatus ad judicium, pro certo

 die

die non compareat: in quo die etiam Judex mundanus contra reum non cōparentem in judicio, nihil tentabit. Veruntamen iſtâ cautelâ non poterunt uti homines; quia nullus ſeſe poterit abſentare. Vndè 2. Cor. 5. dicitur: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. Et conſequenter Dominus non ſubtrahet perſonam cujuſquam à judicio per diſſimulationem. Nec mirùm quia Deus non eſt acceptor perſonarum, ut dicitur Actor. 10. Et Ratio eſt, *quia eſt dominator omnium*. Nam fortis Iſrael dominator hominum juſtus, ut dicitur 2. Regum 23. Et ita nulli ſupremus judex faciet favorem ex aliqua benevolentia.

Quantum ad ſecundum, quod Chriſtus nulli parcet propter impotentiam, dicit Spiritus ſanctus ſic. *Nec verebitur magnitudinem cujuſquam*; Quaſi dicat, non dimittet potentes peccatores ſine pœna, propter timorem potentiæ Regum, vel Principum, vel cujuſcunque creaturæ. Et hoc probat ſtatim per verba ſequentia dicens, quia *Deus fecit puſillum, & magnum*, quem etiam pro ſuo libitu poteſt deſtruere. Huc facit etiam illud *Pſalmi*: Dominus Deus ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Quantum ad tertium, quod Deus nulli parcet propter negligentiam, dicit ſic. Quia *æqualiter eſt ipſi cura de omnibus*: & conſequenter æque benè unum ac alterum puniet. Vnde Sap. 12. dicitur. Non eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus: ut oſtendas, quoniam non injuſtè judicas judicium.

His tribus cauſis diſſimulandi excluſis, infertur ultimò iſta concluſio. *Fortibus autem* (id eſt qui fortius & gravius) *fortior inſtat cruciatio*, Vnde Deut. 25. dicitur. Pro menſura delicti erit, & plagarum modus.

Notandum circa hanc, & præcedentes lectiones; quod judex illum, quem ſcit privata ſcientia eſſe innocentem, convictum tamen & ritè probatum in judicio tanquam nocentem poſſit condemnare. Ratio quia judex in judicio agit tanquam perſona publica, & non ut privata perſona; Ergo etiam debet ſe regulare ſecundum ſcientiam quam habet ut perſona publica: & juxta illam debet illum condemnare, quem in judicio cernit eſſe convictum tanquam nocentem. Maximè quia Deut. 19. dicitur: In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Ergo judex debet condemnare ſecundum teſtimonium teſtium, ritè tamen & strictè examinatū & probatum; ne forte dicatur, quod judex judicaverit, dum non erat conveniens teſtimonium teſtium: qualiter peccavit Pilatus adjudicando Chriſtum morti, propter malevolos quoſdam teſtes, quorum non erat conveniens teſtimonium contra Chriſtum. Porrò quia in iſta lectione tangitur aliquid de acceptione perſonarum, ideò ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum acceptio perſonarum ſit peccatum?

NOtandum ante reſolutionem, quod ad juſtitiam pertineat, quod diverſa bona diverſis diſtribuantur perſonis, ſecundum valorem, merita, & conditionem perſonarum; ita ut cum dignitas unius perſonæ præ alia conſideretur, vel ſimpliciter & abſolutè; vel ſaltem reſpectivè pensatis aliquibus certis circumſtantiis, vel penſato bono communi cui una perſona melius prodeſſe poteſt, quam alia. Qua ratione ſubindè Epiſcopatus magis confertur illi potentibus, qui magis defendere poſſunt bonum commune Eccleſiæ, quam alicui ignobili, licet hic ſit doctiſſimus Theologus. Imò dum Eccleſia eſt in multis litibus propter bona ad Eccleſiam pertinentia, Epiſcopatus rectè potius confertur alicui bono Juriſtæ, vel Canoniſtæ, quam Theologo, licet Theologia ſecundum ſe conſiderata ſit melior Juriſprudentiâ.

Quando ergo aliquis conſiderat in quadam perſona aliquam conditionem, quæ non facit eum dignum illo quod ipſi deberet ex juſtitia diſtributiva conferre, tunc eſt acceptio perſonarum. Vt v. g. ſi alicui ſtupidiſſimo, & infimæ parentelæ homini conferrem beneficium aliquod nobiliſſimum curatum, præcisè ex eo, quia mihi recommendatus eſt ab aliquo meo amico, vel amica; ſi autem collator conſideret in perſona conditionem aliquam quæ facit talem perſonam dignam conferendo beneficio, tunc non eſt acceptio perſonæ, ſed eſt acceptio juſtæ cauſæ, propter quam fit beneficii collatio. Vnde *Gloſſ. ſuper illud ad Epheſ. 6.* (Non eſt perſonarum acceptio apud Deum) rectè dicit: quod juſtus judex cauſas attendat, & non perſonas; Itaque patet quod acceptio perſonæ in materia juſtitiæ diſtributivæ, tunc fiat, quando præfertur perſona perſonæ propter cauſam non dignificantem talem perſonam ad illud quod ei confertur. Hoc prænotato.

Dico quod acceptio perſonarum ſit peccatum.

Probatur primò, quia quidquid opponitur virtuti eſt peccatum; ſed acceptio perſonarum opponitur virtuti nempè juſtitiæ, dum videlicet alicui perſonæ confertur ſeu diſtribuitur aliquod bonum ſeu beneficium propter cauſam non dignificantem talem perſonam ad hujuſmodi bonum ſibi collatum: Ergo acceptio perſonarum eſt peccatum.

Probatur ſecundò. Nihil prohibetur in lege divina niſi ſit peccatum; ſed acceptio perſonarum prohibetur in lege divina (dicitur enim Deut. 1. Non accipies perſonam cujuſquam; & loquitur ibi ſcriptura ſpecialiter de loco judicii) Ergo acceptio perſonarum eſt peccatum. Propter quod etiam Jacobi 2. dicitur: Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Dices primò, Deus impeccabilis eſt acceptor perſonarum; Ergo dicendum eſt quod acceptio perſonarum non ſit peccatum. Probatur Antecedens. Nam ad Rom. 9. dicitur: Cum nondum aliquid boni vel mali egiſſent, dictum eſt, Jacob dilexi, Eſau odio habui. Ergo

R. Quod in gratuita donatione vel libera admiſſione ad aliquem locum pulchrum, non habeat locum acceptio perſonarum, ſed hæc tantum tunc eſt, quando aliquid datur alicui, quod tamen ex juſtitia diſtributiva magis deberet alteri. Vndè ſicut dives non eſt acceptor perſonarum, dum uni pauperi dat eleēmoſinam, & non alteri; ita etiam Deus non eſt acceptor perſonarum

rum

rum, ſi unum eligat ad gloriam tanquam ad indebitum benaficium, non autem alterum; gloria enim conſiderata per modum indabiti beneficii datur ante prævila merita, ut docent Thomiſtæ; Cum quo tamen ſtat, quod gloria conſiderata per modum præmii, datur via executionis propter marita.

Dices ſecundò, conferra alicui beneficium propter conſanguinitatem, eſt acceptio perſonæ; ſad hoc non eſt peccatum, ſad aſt potius charitas ordinata, dicitur enim ad Galat. 6. Operemur bonum, ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei; quorum nomina deſignantur conſanguinei. Unde 1. ad Thimoth. 5. dicitur: Si quis ſuorum curam non habet domeſticorum, fidem negavit, & infidali deterior eſt. Ergo acceptio parſonarum non eſt peccatum.

℞ Quod conſanguinei alicujus Prælati, vel ſunt ſimpliciter minus digni, tam per raſpectum ad beneficium conferendum, quàm per reſpectum ad bonum commune; vel ſunt æquè digni ac alii. In primo caſu promovera eos, & dimittere digniores, eſt peccatum acceptionis perſonarum. Et idem aſt in diſpenſationa rarum ſpiritualium, ſi has Prælatus conferat ſuis conſanguineis, abſolutè, ſimpliciter, & per omnem reſpectum indignis: quia Prælatus rerum ſpiritualium v. g. beneficiorum, præbendarum, non aſt Dominus, ſad miniſter, juxta illud 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpanſatores miniſteriorum Dai: adeòque ſi Prælati conſanguineis ſuis indignis conferant beneficium, vel præbandam, varificabitur de illis iſtud metricum.

Mos aſt Prælatis dara præbandas benè natis;
Aut benè nummatis, vel aorum ſanguine natis:
Ergo præbendæ non dicuntur ſed amendæ.

In ſacundo autem caſu licitum eſt Prælato præferre conſanguineos ſuos; quia ſic extranao non fit injuſtitia, cum ſupponatur, quod conſanguineus Prælati habeat æqualia merita vel talenta. Tum etiam quia tales conſanguinei videntur ſaltem acceptiores eſſe in hoc, quod Prælati magis poſſint de iis confidare, quod negotia Eccleſiaſtica unà ſecum unanimitar tractabunt.

Dices tertiò præferre nobilem illiteratum, nobili litterato, eſt accaptio parſonæ; ſed hæc non eſt peccatum. Ergo. Probatur minor, quia talis nobilis magis poteſt defendere Eccleſiam, quàm ille ignobilis ſed doctus.

Præterea ſummus Pontifax in diſpenſationibus dandis ſæpè attendit nobilitatem, & facilius diſpenſat cum nobilibus, quàm cum aliis. Nam facilius diſpenſatur cum nobilibus divitibus, quàm cum pauperibus, quod in gradu prohibito contrahant matrimonium; Ergò ſignum aſt, quod acceptio perſonarum non ſit paccatum.

℞ Quod licat litteratura abſolutè loquendo, & cætaris paribus faciat hominem magis idonaum ad promotionem in Eccleſia, reſpectivè tamen ad bonum commune, nobilitas fulcita bonis moribus, poteſt plus expedira Eccleſiæ in reſiſtendo rebellibus, & lupis ovas invadentibus, quam poſſit litteratura: adaòque dum nobilitas bono communi Ecclaſiæ magis prodaſt, mirum non aſt, quod præponatur litiaraturæ. Similiter licèt Theologia dignificet magis hominem ad curam animarum; Canones tamen magis dignificant hominem ad dafenſionem decimarum, & aarum exactionem; unde non eſt mirum, quod quando nagotia Ecclaſiæ ſunt litigoſa, magis eligatur bonus Juriſta, & Canoniſta, quàm bonus Theologus.

Ad id quod additur, quod cum nobilibus fiant diſpenſationes in contrahando matrimonio infra gradus prohibitos, & non cum pauperibus, dicendum eſt, quod non ſit acceptio perſonarum; Nam cauſa diſpenſandi cum nobilibus eſt *confirmatio, & multiplicatio pacis inter majores in Eccleſia*. Quæ cauſa apud pauperes non habetur.

Dices quartò ſecundum Jura *Extra de electione Cap. cum electi*. Sufficit eligere dignum ad prælaturam. Item ſubindè electio debet fieri ex gremio, ubi multi alii digniores extra gremium prætarmittuntur, nec aſſumuntur ad prælaturam: Ergo non aſt acceptio parſonæ eligera minus dignum ralicto digniori.

Confirmatur Eccle. 4. dicitur: In judiciis eſto pupillis miſaricors, ut pater; Ergo ſaltem acceptio perſonarum pupillorum non eſt peccatum.

℞. Ad 1. quod loquẽdo de electione in foro fori, vel foro judiciali, ſine dubio ad præcavendas plures lites, & ne quævis electio calumniam patiatur, aut controverſiam, ſalubriter ſtatutum ſit ſufficere, quod eligatur bonus ad prælaturam, ita ut homo in foro fori non obligatur ad eligendum meliorem juxta jura; cum quo tamen ſtat, quod attandando conſcientiam eligentis, is teneatur eligere illum quem reputat eſſa maliorem; vel ſimpliciter & abſolutè talam, vel meliorem reſpectivè: & pro tunc panſatis omnibus circumſtantiis particularibus, quæ tunc occurrunt; ſi ſecus eligens faciat, committit peccatum acceptionis parſonæ: & inſuper committit mendacium eligendo minus dignum, dum conſcientia ipſi dictavit melioram fuiſſe eligendum.

Ad alterum de eligendo intra gremium, dicendum eſt; quod illi, qui ſunt da gremio communitatis, ordinariè cenſentur plus eſſe profuturi illi communitati, in qua ſunt enutriti, quam aliquis extranaus: & ideò licite eliguntur da gremio, quam diu ſubjectum aliquod capax in eo reperitur.

℞ Ad Confirmationem, quod in judicio oporteat miſareri pauperis, quantum poteſt fieri ſine læſione juſtitiæ: alias ſiquid contra juſtitiam fieri deberet, nec ipſius pauperis miſereberis, ut dicitur Exodi 23.

Dices quintò, ſi acceptio perſonarum eſſet peccatum, ſaquitur, quod malis Prælatis aut malis parentibus, aut ſenibus diſcolis non ſit axhibenda raverentia; ſed hoc aſt falſum; Ergo & id undè ſequitur, ſaquela patet; Quia mali Prælati, parentes, & ſenas non ſunt digni honore. Minor ſimiliter conſtat: quia tenemur etiam malos parantes Prælatos & ſenes honorare; juxta illud Lavit. 19. Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſanis. Ergo.

℞ Verum quidam eſſa, quod ſola virtus ſit cauſa, cur alicui reverantia exhibeatur, nihilominus aliqui honorantur propter virtutem propriam, aliqui autam propter virtutem alienam; ſicut mali parentes, & Prælati honorantur, quia perſonam Dei gerunt, & communitatis, cui præficiuntur. Senes autem honorantur propter virtutum apparentiam, & quia præſumuntur eſſe virtuoſi.

tnoſi. Divites verò honorantur propter bonitatem reipublicæ, cui præſumuntur eſſe utiles, non autem honorantur præcisè propter divitias. Undè Gloſſa ſuper illud Jacobi 2. Nolite in perſonarum acceptione habere fidem fratres mei, ſic ait: Qui divitem propter divitias præciſè honorat, peccat.

LECTIO LXXX.

TEXTUS.

Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis Sapientiam & non excidatis. Qui enim cuſtodierint juſtitiam ejus, juſtè judicabunt: & qui didicerint juſta, invenient, quid reſpondeant.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus rigorem ſupremi Judicis declaravit in generali contra Judices ac Prælatos, nunc in ſpeciali declarat, quomodo iidem ſibi providere debeant in ſpeciali contra illud judicium. Ad hoc autem ut ſibi judices debitè provideant, quid reſponſuri ſunt ſupremo Judici, ſuadet eis Spiritus ſanctus Sapientiam quoad Deum, & juſtitiam quoad proximum. Eſt aut Sapientia Theoſobia, id eſt verus Dei cultus ſecundum ſanctum Damaſcenum: Juſtitia vero eſt virtus directiva, in his, quæ ſunt ad proximum *ſecundum Ariſtotelem 5i Eth.* Itaque Spiritus ſanctus in hoc textu tria docet Judices, & prælatos. Primò docet eos Deum perfectè colere. Secundo ad proximum juſtitiam exercere: & Tertio promittit eis, quod ſi iſta fecerint, poterunt in judicio ſubſiſtere & Deo reſpondere. Licet autem in præcedentibus de Sapientia & Juſtitia amplectende Spiritus ſanctus mentionem fecerit: ut tamen has virtutes amplectendas Judices magis animet, ideò in præſenti priora repetit, ut eiſdem magis inculcet factam admonitionem. Dicit ergò *Ad vos ergò Reges* (id eſt, Eccleſiarum rectores & Prælati) ſunt *hi ſermones mei*, puta qui tam præceſſerunt, quam etiam modo ſequuntur *Ut diſcatis Sapientiam*, non illam quæ terrena, & diabolica, atque animalis eſt, ſed illam quæ deſurſum eſt Jacobi 3. Et de que Eccle. 1. dicitur: Omnis Sapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. *Et non excidatis*, videlicet, à gratia ad culpam: ſed contineatis illam, perſeverantes in charitate juxta illud 1. Cor. 13. Charitas nunquam excidit.

Qui enim cuſtodierint juſtitiam ejus; id eſt, Sapientiæ increatæ, qui eſt Chriſtus: *juſtè judicabuntur*, id eſt, juſtitiæ præmium accipient per mercedem; juxta illud 2. ad Thimot. 4. De reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.

Et ſoli tales invenient in judicio quid reſpondeant; undè ſubditur in textu; *qui didicerint juſta, invenient, quid reſpondeant.* Et ſic ſolvitur quæſtio illa poſita Jobi 9. Si repentè interroget, quis reſpondebit ei? Certe ſolum illi, qui didicerint juſta, invenient, quid reſpondeant.

ARTICULUS UNICUS.

An & quid reſpondere debeamus quatuor contra nos argumentantibus; videlicet Deo demonſtrativè; mundo perſuaſivè; diabolo ſophiſticè: & carni deductivè arguentibus?

DIco quod Deo contra nos *demonſtrativè* arguenti debeamus reſpondere cum humilitate affirmativè, reliquis autem cum generoſitate negativè.

Explicatur prima pars, quod Deo contra nos argumentanti debeamus reſpondere cum humilitate affirmativè. Nam Deus arguet contra nos clarè, & demonſtrativè, ut nos doceat & corrigat. Proceduntque ſuæ demonſtrationes ab immediatis & nobis notiſſimis, id eſt ex peccatis noſtris; juxta illud Joannis 16. Ipſe arguet mundum de peccatis. Et ideò ad has Dei demonſtrationes ſolum poſſumus, ac debemus, cum humilitate reſpondere affirmativè. Quia ſi dixerimus quod peccatum non habeamus ipſi nos ſeducimus, nec veritas in nobis eſt, ut dicitur 1. Joannis 1. Undè rectè Job. 9. dicitur: Quantus ego ſum ut reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo: quia etiamſi habuero quidpiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicium deprecabor; id eſt, cum humilitate rogabo eum pro venia.

Et hoc modo cum humilitate rogans pro venia reſpondit mulier deprehenſa in adulterio Joannis 8. Et ideò confuſionem evaſit dicente ſibi Chriſto: Nec ego te condemnabo, vade, & noli amplius peccare. Sic etiam reſpondit cum humilitate David ad Nathan Prophetam, cùm eum argueret de homicidio & adulterio. *Peccavi* inquit. Ad quæ ſtatim Nathan ſubjunxit: Tranſtulit Dominus peccatum tuum, ut habetur 2. Regum 12. Explicatur ſecunda pars quod mundus arguat contra nos *perſuaſivè*, huic reſpondere debeamus *negativè*. Nam mundus ſuadet nobis illud Apoc. 3. Suadeo tibi, inquit, ut emas à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris. Per quæ verba mundus ſuadet homini primum acquirere divitias per fas & nefas; ita ut poſtquam dives eſt factus, poſſit homo per eleëmoſinas Deo ſatisfacere pro peccatis. Unde mundus conſulit primò quærere, quæ mundi ſunt, & poſtremò ea quæ ſunt Dei. Econtra Chriſtus ſuadet primum quærere regnum Dei, & juſtitiam ejus, quia hæc omnia mundana adjicientur nobis Matth. 6. Hoc itaque conſilium Chriſti amplecti debemus; mundo autem principaliter ſuadenti mundana, debemus reſpondere *negativè*; dicendo ipſi illud Actor. 26. In modico perſuades me. Maximè quia cum mors ſit certa, & hora incerta, non poteſt mundus promittere homini quam diu vivet poſt conquiſitas divitias: nec poteſt aſſecurare hominem an ſit habiturus voluntatem reſtituendi illa quæ injuſtè ab aliis rapuit, & conquiſivit. Undè occludamus mundo malè perſuadenti os hac interrogatione: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi? Ad quam quæſtionem mundus reſpondere non poterit. Cum ergo breves ſint dies hominis, & numerus menſium

apud

apud eum ſit; operemur bonum dum tempus habemus: ut cùm Dominus venerit, & pulſaverit januam, inveniat nos vigilantes, & benè operantes.

Romanus quidam nomine *Priſcus*, quæſivit ſæpe à Martiali coquo, qualis ipſe foret ſi fieret dives, & potens? Cui reſpondit coquus. Dic mihi ſi tu fias leo qualis eris? Quam hiſtoriam *lib 13. Epigrammaton Valerius* deſcribit hoc modo:

Sæpè rogare ſoles. qualis ſim priſce futurus
Si fiam locuples, ſimque repentè potens?
Quamquam poſſe putas mores narrare futuros
Dic mihi ſi fias tu leo, qualis eris?

Vult dicere hic Martialis coquus, non retinebo mores bonos; nec humilitatem & manſuetudinem, ſi fiam dives. ſed potius naturam leonis, ſevaritatem & crudelitatem amplectar.

Si ergo divitiæ à paupere per fas & nefas conquiſitæ, faciant ex humili ſuperbum, & ex manſuero crudelem, & ex miti iracundum; præſtat paupertatem amplecti: & mundo principaliter ſuadenti terrenas divitias ſeſe generoſè opponere Licet enim Abraham dives fuerit, & David magnificus, &c. adeòque cum divitiis ſtare poſſit quod quis ſerviat Chriſto: ſecurius eſt tamen & majoris perfectionis ad exemplum Chriſti (qui non habuit, ubi caput ſuum reclinaret) ſequi viam paupertatis.

Explicatur tertia pars quod diabolo arguenti *ſophiſticè* debeamus reſpondere *negativè*. Nam diabolus per ſuas argumentationes perſuadet homini ſub aliquo colorato prætextu, quod falſum amplectatur. Undè, etiam ad primum peccatum perpetrandum, diabolus per aliquod ſophiſma, ſeu poſitionem falſi ſeduxit Evam dum ei dixit. Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut Dii Gen. 3. Et mille alia ſimilia ſophiſmata uſque in hodiernum diem diabolus perſuadet hominibus; ut v. g. luxuriam ſub prætextu amicitiæ, vel conſervandæ ſanitatis; ſuperbiam ad oſtendendas ſuas divitias; furorem, & tyrannidem, ad oſtendendum ſuum dominium &c. Sed diabolo alia ſophiſmata ſuggerenti dicamus illud Dan. 3. Non oportet nos de hac re reſpondere tibi.

Explicatur quarta pars quod carni *deductivè*, & propemodum inſolubiliter contra nos argumenti, debeamus reſpondere *negativè*. Quia caro nos impugnat ducendo ab una tentatione ad aliam, ita ut ipſius tentationes propemodum ſint à nobis inſolubiles, ſiquidem pugna eſt quotidiana, & rara victoria, Undè Jacobi 10 dicitur. Vnuſquiſque tentatur, à concupiſcentia ſua tractus, & illectus. Veruntamen carni ſic tentanti reſpondeamus *negativè* per diſſenſum; tollendo imaginationem veneream, à qua provenit conſenſus, & reſtringendo carnis appetitum per rationem rectè regulantē: cogitemuſq; quod momentaneū ſit quod delectat, æternum autem quod cruciat. Cogitemus etiam, quod caro citò decidit, & tranſibit in terram, juxta illud 1. Mach. 1. Decidit in lectum, & cognovit, quia moriretur. Habemus etiam de iſta reſponſione clarum fundamentum in Apoſtolo 2. Cor. 1. ubi ait. Ipſi in nobis ipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo. Et qui ſic didicerint juſta in præſenti, invenient, quid reſpondeant in futuro.

LECTIO LXXXI.

TEXTVS.

Concupiſcite ergo ſermones meos, & diligite illos, & habebitis diſciplinam. Clara eſt, & quæ nunquàm marceſcit Sapientia: & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt eam.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hac lectione oſtendit Spiritus ſanctus quod Sapientia iſta, à ſe Regibus, & Judicibus ſuaſa (quæ eſt cognitio Dei per fidem, & amorem) non ſolum ſit cuivis poſſibilis, ſed etiam facilis. Dicit ergo *Concupiſcite ſermones meos*, id eſt, cum aviditate deſiderate Sapientiam, eamque vobis cum delectatione applicate. Unde ſubdit, *& diligite illos*, id eſt, non ſolum in memoria retinete ſermones meos, ſed diligendo ſermones meos ſervate ea, quæ per illos præcepta ſunt. Et ideò rectè dicit Chriſtus Joannis 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Quia teſte ſancto Gregorio: Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. Huc facit illud *S. Auguſtini ſuper illud Pſal.* In quo corrigat adoleſcentior viam ſuam, in cuſtodiendo ſermones tuos. Cuſtoditio, inquit, ſermonum Dei, intelligenda eſt operatio præceptorum: fruſtra enim cuſtodiuntur in memoria, ſi non cuſtodiantur in vita.

Subdit & *habebitis diſciplinam*, id eſt, habebitis converſationem bonam, & honeſtam, cui parum eſt mala non facere, ſed ſtudet etiam in his, quæ bene agit, per cuncta irrepræhenſibilis apparere. Eſt autem diſciplina omnium membrorum motus ordinatus, & diſpoſitio decens in omni habitu, & actione, ut ait *Hugo de diſciplina Novitiorum. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit Sapientia.* Quaſi dicat: meritò ſunt diligendi ſacri Chriſti ſermones, vel ſacra ſcriptura, quia cum expoſitionibus ſanctorum Patrum clara eſt, & non turbida. Unde in Pſalm. dicitur: Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. Iſte enim calix eſt adeò dulcis, ut quantò homo magis guſtat, tantò magis delectando magis ſitit; ita ut verificetur illud Eccl 24 Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient: eritque pax multa diligentibus legem meam. Additur autem in textu: *Et quæ nunquam marceſcit Sapientia.* Quia Sapientia, id eſt, cognitio Dei per fidem, & amorem conſtantem, nunquam marceſcet; ſed fidei ſuccedit viſio beatifica patriæ; & amor ſeu charitas Dei erit conſummata in patria, ſequens ad inamiſſibilem Viſionem beatificam: ita ut beati nunquàm poſſint ab amore Dei ceſſare: & ideò Sapientia iſta nunquàm marceſcet, quia nunquam amittetur. Huc facit illud, quod olim ſapientes ſoliti ſint coronari Lauro; in ſignum, quod ſicut Laurus ſervat viriditatem perpetuam, ita etiam Sapientia nunquam areſcet. Et ideò probat *Ariſtoteles 1. Poſter.* Quod omnis ſcientia ſit, de

perpetuis. Licet autem ſcientia ſit adeo nobilis, eſt tamen inventu facilis. Et propter hoc ſubditur in textu *Facile invenitur ab his qui diligunt eam*. Et ideò *Sapientiæ* 7. dicitur. Optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi & venit in me Spiritus Sapientiæ. Et Jacobi 1. dicitur: Siquis veſtrûm indiget Sapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Itaque pietas, boni mores, & devota oratio ſunt via ad iſtam Sapientiam acquirendam.

Et invenitur ab his, qui quærunt eam; id eſt, invenitur ab illis, qui ſtudioſe & cum magna delectatione quærunt eam: non autem ab otioſis, qui eam non requirunt. Circa prima verba textus *Concupiſcite ergo ſermones meos*.

Notandum primò: quod ſicut Concupiſcentia cibi, & nutrimenti, eſt ſignum ſanitatis & bonæ diſpoſitionis in corpore; & econtra abominatio cibi, & potus, eſt manifeſtum ſignum gravis infirmitatis: ita moraliter loquendo, ſermo Dei eſt cibus animæ Chriſtianæ. Unde Matth. 4. dixit Chriſtus: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Et ideò *S. Ambroſius in quodam ſermone de quadrageſima* ait. Quiſquis verbo Dei paſcitur, terrenum pabulum non requirit. Neque etiam panem ſæculi capere poteſt, qui pane reficitur Salvatoris noſtri; Negligit panem, vel famem corporis, qui pabulo lectionis intendit: nec ventris curam habere poterit, qui alimenta verbi cœleſtis acquirit. Ipſa autem eſt refectio, quæ ſaginat animam, quæque viſcera impinguat. Unde Jeremiæ 15. dicitur: Inventi ſunt ſermones tui, comedi eos & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & & in lætitiam cordis mei. Quiſquis igitur concupiſcit ſermones Dei tanquam cibum ſpiritualem animæ, ſignum eſt, quod habeat bonam diſpoſitionem animæ; qui autem nullum ſaporem in ſermone Dei, vel ſacra Scriptura experiuntur, ſignum, quod anima eorum malis peccatorum humoribus ſit obnoxia. De quibus proinde dici poteſt illud *Pſalm.*: Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.

Notandum ſecundò quod ad hoc ut Sapientia à nobis inveniatur, debeat quæri à nobis certo loco, certo tempore, & certo modo.

Primò debet à nobis quæri *certo loco*; quia in pœnitentia: Unde Job 28. dicitur: Non invenitur in terra ſuaviter viventium: ſed in terra aſperè viventium. Et ideò inventa eſt in Daniele & ſociis ejus; qui contemnentes cibos regios, leguminibus veſcebantur; De illis dicitur Dan. 1. Pueris autem his dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam in omni libro, & Sapientia.

Secundò debet Sapientia à nobis quæri certo tempore; quia debet quæri continuè, dum vivimus. Et ideò Lucæ 11. dicitur: Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis.

Tertiò debet quæri Sapientia *certo modo*; quia debet quæri humiliter; Unde Proverb. 1. dicitur: Ubi eſt humilitas, ibi eſt Sapientia. Et Sapientiæ. 1. In ſimplicitate cordis quærite illum. Hinc rectè *S. Bernardus in ſermone* 24. ait: Si nolimus Deum fruſtra quærere, oportet ut quæramus eum veraciter, frequenter & perſeveranter; ita ut nec quæramus præ illo aliud, nec ab illo ad aliud convertamur: facilius eſt enim cœlum & terram tranſire, quàm ut ſic quærens non inveniat, ſic petens non accipiat, & ſic pulſanti non aperiatur.

Notandum tertiò Hoc ſummè admirandum eſſe, quod Deus à nobis quæri non poſſit, niſi prius inveniatur: quia nullus eum quærit, niſi prius eum aliquo modo invenerit. Undè *S. Bernardus de diligendo Deo* ſic ait: Nemo te Domine quærere valet, niſi qui prius invenerit. Vis ergo inveniri ut quæraris, vis quæri ut inveniaris. *Hæc S. Bernardus*. Audiatur quoque *S. Auguſtinus ſuper illud Pſalmi*: Lætetur cor quærentium Dominum, quærite faciem ejus ſemper; ſuper quæ verba *S. Auguſtinus* ſic loquitur: Si ſemper quæritur, quomodo invenitur? forte quando facie ad faciem videbimus eum ſicuti eſt? Adhuc quærendus erit, & ſine fine quærendus, ergo ſine fine amandus. Cauſa eſt divinæ bonitatis immenſitas, quod videri poteſt, comprehendi non poteſt: & ideò ſemper poteſt haberi, & tamen ſemper quæri. Unde idem *S. Auguſtinus ſuper Ioannem* dicit. Quæramus inveniendum, quæramus inventum. Occultus eſt ut inveniendus quæratur: ut inventus quæratur immenſus eſt. Et licet inveniri poſſit in hac vita, non tamen perfectè; cum enim hæc vita ſit mortalis, non poteſt perfectè inveniri in regione umbræ mortis; Et ideò *S. Auguſtinus* contra quærentes beatitudinem in hac vita ſic ait *Lib. 4. Confeſſ. Cap.* 12. Redite prævaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos. State cum eo, & ſtabiles requieſcite cum eo, & grati eritis. Qui itis in aſpera, quo itis? Bonum, quod amatis ab illo eſt. Sed quantum ad illum, bonum non eſt & ſuave, ſed amarum erit juſtè, quia injuſtè amatur deſerto illo, quidquid ab illo eſt. Quo vultis adhuc ambulare? Vias difficiles, & laborioſas: ibi non eſt requies. Vbi quæritis eum, quærite quod quæritis: ſed ibi non eſt, ubi quæritis; Beatam vitam quæritis in regione umbræ mortis, non eſt illic; quia nec eſt vita beata ubi non eſt vita. Hæc *S. Auguſtinus*.

LECTIO LXXXII.

TEXTUS.

Præoccupat autem, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat; qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet.

EXPLICATIO TEXTVS

IN hac Lectione oſtendit *Spiritus* ſanctus, quod Sapientia præveniat ſe amantes, & ſecundò quod aſſociet ſe pro ea vigilantibus. Dicit ergo *Præoccupat autem qui ſe concupiſcunt*. Id eſt, Deus ipſe, qui eſt Sapientia increata, præoccupat per gratiā præveniente eos, qui in effectu diligūnt illum. Oportet enim quod Deus gratiâ ſuâ nos præveniat, ad hoc, ut eliciamus aliquod opus ſupernaturale; nam ſine gratia ſolùm poſſumus elicere opera bona ordinis naturalis, non autem ordinis ſupernaturalis. Quantum autem ad gratiam habitualem acquirendam à Deo, prævenire debemus operibus noſtris, bonis, elicitis

ex

ex auxilio ſupernaturali nobis à Deo dato. Porrò quando *in Pſalm.* dicitur: Præoccupemus faciem Domini. hoc debet intelligi de venturo Judice ſupremo, cujus faciem nunc in via præoccupare debemus, per laudis ſuæ, & fraudis noſtræ, ſeu peccatorum noſtrorum confeſſionem, & expiationem. In præſenti autem *textu* loquitur Spiritus ſanctus de actu meritorio, quem ſine præveniente auxilio gratiæ divinæ elicere non poſſumus. *Præoccupat ergo Deus, qui ſe concupiſcunt, ut ſe illis prior oſtendat.* Undè *S. Bernardus* ait: O bone Jeſu, primus es in acceſſu, & ultimus in receſſu. Et ideò rectè Joannis 4. dicitur: In hoc eſt charitas Dei, non quia nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos. Et ſic patet, quod Deus præveniat per auxilium gratiæ ſuæ ſe amantes.

Secundò aſſociat ſe pro ea vigilantibus: & quantum ad hoc dicitur in textu: *Qui de luce vigilaverint ad illam, non laborabit*; id eſt; Qui de *luce* ſtatim ab ineunte ætate *vigilaverint ad illam*, id eſt, intellectu & voluntate, ſecundum principia juris naturalis, vel ſecundum principia fidei benè utuntur, & ſeſe in bonis operibus exercent, Conformiter ad illud Eccl. 39 Juſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum. Talis inquam, qui ſic vigilaverit ad Sapientiam (id eſt Deum, qui eſt Sapientia increata) *non laborabit* fruſtra, vel diu. *Vel non laborabit*, id eſt modicum, vel propemodum nihil laborabit in comparatione illius boni, quod acquirit; juxta illud Eccl. 51. Modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. *Vel non laborabit*; id eſt, non ſentiet laborem præ dulcedine domus Dei, & cæleſtis gloriæ quam exſpectat. *Aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet.* Fores, ſeu portæ, per quas anima humana habet primum ingreſſum ad Deum cognoſcendum, & ad Sapientiam veritatis indagandam, ſunt prima principia practica; puta, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: & principia ſpeculativa, ut quod duo contradictoria de eodem ſecundum idem non poſſint eſſe vera, ſed ſolum unum ex illis. Propter quod ſolet dici: Quodlibet eſt, vel non eſt. Itaque ex una parte, prima principia ſunt ſicut fores domorum, de quibus dici ſolet; in foribus quis delinquet? Quia introitus in domum facile cognoſcitur. & nihil, quod ibi ponitur, latet: ſed interiora domus latere poſſunt etiam præſentem ſcrutatorem. Ex alia vero parte Sapientia in foribus loquitur dicens. O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: intelligite parvuli aſtutiam, & inſipientes animadvertite. His ita prælibatis facile poſſunt intelligi illa verba ſcilicet *Aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet.* Hoc eſt, Sapientiam creatam, vel increatam inveniat aſſidentem *foribus ſuis*; id eſt, manifeſtè patentem in intellectu primorum principiorum: quia cognitio, *quod Deus ſit, ſeu exiſtat*, omnibus hominibus naturaliter eſt inſerta, teſte *S. Damaſceno lib. 1. cap. 3.* Et *Boetius lib. 3. de conſolatione: Proſa 2.* ait. Mentibus hominum veri bonique naturaliter eſt inſerta cupiditas. Item Tullius *lib. 1. de natura & ortu inquit.* Inſitas, vel potius innatas cognitiones habemus. Quæ enim gens aut genus hominum; quod non habeat ſine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam Epicurus vocat Prolepſim, id eſt, anteceptam animo rei quandam informationem, ſine qua nec intelligitur quidquam, nec quæri nec diſputari poteſt. Idem *Cicero lib. 2.* ait. Quid poteſt eſſe tam apertum, & tam perſpicuum, cum cœlum ſuſpicimus & cæleſtia contemplati ſumus, quam eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur.

Nec refert, quod Proverb. 8. dicitur: Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. Ex quo proinde videtur ſequi, quod Sapientia non ſtatim inveniatur aſſidens ante fores. Non, inquam, refert; quia ut dictum eſt, Sapientia ſtatim invenitur quantum ad intellectum principiorum, & quantum ad notitiam Dei generalem. Cum quo tamen ſtat, quod Sapientia non ſtatim inveniatur perfectè: quia qui aliquid novit, plus eſſe cupit. Porro fores Sapientiæ in proverbiis dicuntur eſſe Doctores, per quos habemus ingreſſum ad Sapientiam. Et ad iſtas fores ſeu Doctores oportet vigilare quotidie, juxta illud Eccl. 6. Si videris ſenſatum, evigila ad illum, & gradus oſtiorum illius exterat perpetuus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum ad vigilantiam nos movere debeant hoſtilitas crudelis, rebellationis, utilitas fidelis adminiſtrationis, & debilitas tereſtris inhabitationis.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod ad vigilantiam nos movere debeat *Hoſtilitas crudelis rebellationis.* Nam conſtat quod homines exiſtentes in bello mortali non poſſint ſomno vacare: nos autem ſumus in continuis bellis; tum quia militia eſt vita hominis ſuper terram *ut dicit Iob*; tum etiam ut dicitur *in Pſalmo*. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adeoque neceſſario debemus vigilare. Grues aves inter ſe vigilias dividunt. Et illa quæ vigilat pede uno tenet lapidem, ut ſi forte à ſomno occuparetur, lapis ex pede decidens, ſe & alias aves excitet, Si ergo avis ſic ſibi providit contra ſomnum, multò magis nos contra peccati ſomnum, nobis providere debemus. Et ideo 1. Petri 5. dicitur: Fratres ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. Benè autem ſanctus Petrus præmittit vigiliæ ſanctam ſobrietatem, quia ebrietatem ſequitur ſtatim magnus ſomnus. Novit hoc bene quidam Carthaginenſis Dux, qui (ut refert *Iulius Frontinus ſtratagematum lib. 2. c. 5.*) pugnavit contra Africanos, Carthaginenſes infeſtantes. Poſtquam autem ipſe Dux intellexit, quod Africani nimis avidi ſint ad bibendum vinum, accepit multa dolia vini quibus commiſcuit ſuccum cujuſdam herbæ mirabiliter ſomniferæ, quæ vocatur Mandragora (ut refert *Ariſtoteles de ſomno & vigilia*) poſtquam vero hæc multa vaſa vini ſucco de mandragora implevit, dimiſit illa in ſuis tentoriis, & fugit ſtudio, tentoria ſua derelinquens. Africani autem videntes quod Dux cum exercitu ſuo fugeret, irruerunt in ipſius tentoria, & reperientes ibi multum de vino, biberunt ſtrenuè, & profundiſſimo ſomno fuerunt correpti. Quod advertens ille Dux ſupervenit,

venit, & omnes ad unum uſque trucidavit. Moraliter loquendo, diabolus etiam tali ſtratagemate utitur contra homines. Nam vino (quod cæteroquin lætificat cor) commiſcuit diabolus mandragoram, id eſt, luxuriam; Mandragora autem eſt herba habens maſculum, & fœminam, & omnia lineamenta corporis humani in ſe exhibet, aptaque eſt ad generationem humanam, propter quod dixit Geneſis 30. Rachel ſorori Liæ de Jacob viro ſuo. Dormiat tecum hac nocte mandragora filii tui. Et ideo mandragora voluptatem carnis ſignificat. Quia ergo tota mundana jucunditas inter homines his diebus, procurante diabolo, eſt intoxicata per ſuccum mandragoræ, ideo homines vitioſi dormiunt in peccatis in tantum, ut ad correptionem ſuorum Prælatorum reddantur ſurdi & inſenſibiles: ita ut quivis illorum poſſit dicere illud proverb. 23. Verberaverunt me, & non dolui, traxerunt me & non ſenſi, quando evigilabo, & iterum vina reperiam? Veruntamen non ſic chariſſimi fratres oportet procedere, ſed potius ſequi debemus illud 1. Cor. 6. In omnibus exhibeamus nos ſicut miniſtros Dei, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia.

Explicatur ſecunda pars quod ad vigilantiam nos movere debeat *Utilitas fidelis adminiſtrationis*; Quia ſumus in hoc mundo ſicut ſervi vigilantes de nocte, & exſpectantes adventum de nuptiis redeuntis: nuptiæ ſunt in cælo ineffabilis gaudii de ſacroſancta unione Deitatis infinitæ ad naturam humanam. Seu nuptiæ ſunt in cælo, quia Chriſtus unitam ſibi naturam humanam tanquam ſponſam, gloria & honore decoratam, Angelis triumphantibus ad Patrem cæleſtem aſcendens deduxit in cælum; Et de his nuptiis cæleſtibus, ſeu de cælo venturus eſt, ſupremus Judex Dominus noſter Jeſus Chriſtus, deſcenſurus ad mundum totum finaliter judicandum. Et ideò Matth. 25. dicitur: Vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et Lucæ 12. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris; & vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis: ut cum venerit & pulſaverit januam, confeſtim aperiant ei. Beati ſervi illi, quos, cum venerit Dominus invenerit vigilantes. Licet autem omnes vigilare debeamus, hoc tamen maximè convenit prælatis qui ſuper gregem ſuum habere debent oculum vigilantem, die ac nocte; & ideo Chriſtus meritò præ aliis diſcipulis ſuis increpavit Petrum dicens; Simon, non potuiſti unâ horâ vigilare mecum?

Explicatur tertia pars quod ad vigilantiam nos movere debeat *Debilitas terreſtris inhabitationis*, Si quis inhabitaret domum aliquam luteam, ruinoſam, & quam inimicus ſuffodere continuò nititur, utique talis homo non poſſet ſecure dormire, ſed potius vigilaret. Certè domus animæ eſt corpus luteum, juxta illud Job 4. (Habitant domus luteas & terrenum habent fundamentum, & conſumuntur velut à tinea) hanc autem domum corporis noſtri ſuffodit mors, ut animam ex corpore expellat: quæ ſi ſit peccatis gravata aliud nihil quam pœnam horrendam exſpectare poteſt. Unde bene dicitur Matth. 24. Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique. & non ſineret perfodi domum ſuam; Sed timendum eſt, ne contingat multis ex nobis id, quod evenit pueris recenter natis; de quibus narrat Ariſtoteles *l.* 1. *de ſomno & vigilia c.* 3. quod habeant oculos clauſos, & ſemper dormiant propter conſuetudinem dormiendi in matrice; ſic etiam multi per malam conſuetudinem peccandi indormierunt, ut vix amplius evigilare poſſint.

Cavendum itaque eſt à tribus malis, quæ teſte *Ariſtotele loco citato*, nimios ſomnos cauſant, nimirum Epilepſia, Ephialte, & Lithargia. Et quidem Epilepſia eſt paſſio cerebri faciens hominem ſubito cadere in terram. Ephialtes eſt paſſio faciens in ſomno homini apparere, quod aliquis eum opprimat & nitatur ſuffocare. Unde illis qui habent hanc paſſionem videtur communiter quod illa vetula (quam germanicè ſolemus vocare Trudt) incumbat ſuper eos, & nitatur eos ſuffocare. Lithargia autem eſt infirmitas compellens hominem continuo dormire, & ita mori. Moraliter loquendo illæ tres paſſiones tria vitia generalia ſignificant, quibus involvitur totus mundus. Nam ſuperbi & ambitioſi, qui ad gradus & honores aſcendere nituntur, rectè dicuntur Epileptici, quia ſuperbia caſum parit, & habet. Unde Claudianus ait: Superbi tolluntur in altum, ut caſu graviore ruant. Lubrici verò, ſeu luxurioſi patiuntur Ephialten, quia vetula illa (germanicè Die Trudt) eſt caro corrupta per peccatum, quæ luxurioſis ſupereminet eiſque dominatur, & ita deprimit, ut non ſinat eos reſurgere. Avari verò, ſunt Lithargici, id eſt, oblivioſi: qui quantò plura à Deo percipiunt, tantò magis obliviſcuntur, tam ſui quàm Dei. Unde Gloſſa ſuper illud Pſalmi: Deus Deus ad te de luce vigilo, ſitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, inquit: Ad Deum vigilat, qui verè Dei memor eſt. & ad Deum dormit qui Dei obliviſcitur. Vos autem non ſic fratres chariſſimi, ſed potius ſequamini illud 1. ad Theſſ. 5. Non dormiamus ſicut cæteri, ſed vigilemus & ſobrii ſimus.

LECTIO LXXXIII.

TEXTUS.

Cogitare ergo de illa, ſenſus eſt conſummatus; & qui vigilaverit propter illam citò ſecurus erit: quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens, & in viis ſuis oſtendit ſe iis hilariter, & in omni providentia occurret illis.

EXPLICATIO TEXTUS

DUo ſunt quæ intendit Spiritus ſanctus principaliter in hac parte Capituli, uſque ad finem de Sapientia declarare. Primum eſt quod in acquiſitione Sapientiæ ſit facilitas: ſecundum eſt quod in ejus poſſeſſione ſit felicitas. Et de iſtis duobus agit alternatim, nunc declarando facilitatem acquirendi Sapientiam, nunc commendando felicitatem eam poſſidendi. Et quidem attendendo felicitatem poſſidendi Sapientiam (quæ in vero Dei cultu conſiſtit) ſcire oportet, quod hæc felicitas excludat ab homine quantum ad partem iraſcibilem timorem adverſitatis.

Dicit ergo ſic: *Cogitare de illa*, id eſt, de Sapientia

entia increata (quæ eſt cultus veri Dei) *eſt ſenſus conſummatus*, id eſt, ſenſus veraciter informatus ſine deceptione: in ſolis enim ſapientibus, qui ſenſualitati dominantur per rationem, eſt ſenſus conſummatus. Unde *S. Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 28.* ait, Sapiens eſt, qui regno mentis omni libidinis prævaricatione ſemota, pacatus eſt. Et Eccl. 21. Conſummatio timoris Dei Sapientia, & ſenſus. Econtra autem, peccatorum ſenſus ſemper eſt inconſummatus, quia ſtant in ſua ſenſualitate, & non vivunt ſecundum rationem. Et ideò peccatores Sapient. 4. vocantur rami inconſummati. Et rectè, quia ſincera veritas non eſt à ſenſibus expetenda, teſte *S. Auguſtino lib. 2. ſolilog.* Cum judicium ſenſus ſit imperfectum, niſi per ſententiam rationis reguletur. Decipiuntur autem ſenſus ſubindè propter indiſpoſitionem organi, u. v. g. dum lingua febricitantis dulce putat eſſe amarum; ſubindè propter indiſpoſitionem medii, ut dum oculus putat baculum ſemi in aere, & ſemi in aqua exiſtentē eſſe fractum: ſubindè per elongationem objecti, ſicut oculus judicat ſolum eſſe pedalis quantitatis, &c. & ideò judicium ſenſus debet corrigi per intellectum, quod revera facit ille, qui poſſidet Sapientiam: Et ideò ab eo, quo ad partem rationalem excluditur error falſitatis. Imò etiam Sapientia poſſeſſa excludit timorem pœnalitatis; & quantum ad hoc ſubditur in textu: *Qui vigilaverit propter illam citò ſecurus erit. Cito* ob mortem *citò* venientem, *habebis ſecuritatem* de non amittenda ſua beatitudine. Unde *S. Auguſtinus lib. 13. de Trinit.* loquens de futura beatitudine, ait: Omne quod ibi erit, & bonum erit, & ipſe ſummus Deus ſummum bonum erit; atque ad fruendum eum amantibus præſto erit, & quod eſt omnino beatiſſimum ita ſemper fore *certum erit*: quilibet ergo bonus citò ſecurus erit. Undè Apoc. 22. dicitur: Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere unicuique ſecundum opera ſua.

Oſtenſâ fœlicitate quæ habetur per acquiſitionem Sapientiæ, nunc in verbis ſequentibus oſtendit Spiritus ſanctus facilitatem acquirendi Sapientiam, & dicit ſic: *Quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens & in viis ſuis oſtendit ſe illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis.* Ex quibus verbis formatur iſte diſcurſus: Ille qui nos quærit & ſe nobis oſtendit, & qui in omni tempore nobis occurrit, is facile invenitur à nobis; ſed Sapientia increata quæ eſt Deus, ſic ſe habet ad nos: nam ipſa circuit quærens dignos ſe, & in viis ſuis, id eſt, in præceptis oſtendit ſe eis hilariter, & in omni providentia occurrit illis: Ergo facilè Sapientia invenitur.

Dicitur autem ſpecialiter in textu (*quod Sapientia dignos ſe ipſa circuit quærens*) id eſt, habet ſe adinſtar circumeuntis, & quærentis: quia ex omni tempore dat nobis Deus occaſionem eum cognoſcendi, & amandi. Undè *S. Auguſtin. l. 4. Confeſſ. c. 8.* ait: Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem: nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint excuſabiles; Item *S. Auguſtinus l. 11. Confeſſ. c. 2.* inquit: Quæſiti non quærentes, quæſiti autem ut quæramus te. Quæſivit nos in terra docendo, & in Cruce quæſivit nos moriendo; ac per inſignia paſſionis ſuæ glorioſa miſericorditer ad regna cæleſtia invitando: denique etiam quæſivit nos ad infernum deſcendendo, juxta illud (deſcendit ad inferos) ubi liberavit è limbo Patres noſtros, ac nos omnes è faucibus inferni (quem peccando promeriti ſumus) eripuit.

Et in viis ſuis oſtendit ſe illis hilariter. Viæ Chriſti ſunt præcepta Chriſti, ſemitæ vero conſilia; unde Pſalmiſta ait: Vias tuas demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Facit autem hilariter juxta illud Proverb. 16. In hilaritate vultus regis vita & clementia ejus, quaſi imber ſerotinus.

Sequitur: *Et in omni providentia occurrit illis*; id eſt, Deus ſe diligentibus in omni providentia occurrit, id eſt, gratiam tribuit, non ſolum bene ordinandi præſentia, ſed etiam providendi de futuris.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum ad perfectum regimen humanæ vitæ quadruplex providentia ſit neceſſaria; legalium ſtatutorum; temporalium theſaurorum; perſonalium meritorum: & regularium reſponſorum?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars quod ad perfectum regimen humanæ vitæ ſit neceſſaria *providentia legalium ſtatutorum*; Et hanc providentiam tenentur facere Reges, Principes, & Prælati, eorumque conſiliarii & principales miniſtri, qui debent laborare, ut inſtituantur leges juſtæ, concernentes tam divites quàm pauperes. Debet autem hæc providentia legum condendarum procedere de theſauro ſacræ Scripturæ, aliàs enim ſi leges contrarientur Scripturæ ſacræ: vel bonis moribus, nullius ſunt momenti, ſicut dicitur *in Can. diſt. 10. Non licet.* Ubi etiam citatur Fœlix Papa, qui ad quendam Imperatorem ſic ſcribit: Certum eſt hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, ut cum de cauſis Dei agitur, regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere non præferre, & ſacroſancta præcepta per eorum Præſules potius diſcere, quàm docere, Eccleſiæ formam ſequi, non verò huic humanitus ſequenda jura præfigere, neque ejus ſanctionibus velle dominari, cui Deus clementiæ tuæ piæ devotionis colla voluit ſubmittere. A theſauro itaque ſacræ Scripturæ ſumi debet providentia legalium ſtatutorum, ſine quibus impoſſibile eſt pacem inter homines conſervare. Undè 2. Mach. 4. dicitur: Videbat Onias ſine regali providentia eſſe impoſſibile pacem rebus dari.

Explicatur ſecunda pars, quod ad perfectum regimen etiam requiratur providentia *temporalium theſaurorum*, quam ſpecialiter facere tenentur Prælati Eccleſiaſtici pro pauperibus ſuſtentandis. Nam Prælati Eccleſiaſtici ſunt ſpecialiter theſaurarii, ſeu Seneſcalli Chriſti, qui de ejuſdem Chriſti Domini patrimonio tenentur familiam illius, puta pauperes, alere. Unde *S. Bernardus l. 4. c. 4. de Colloq. Simonis & Jeſu* ait: Res pauperum non pauperibus dare per ſacrilegi crimen dignoſcitur. Sanè patrimonia ſunt pauperum, facultates Eccleſiarum, & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri, & diſpenſatores ultra victum ſuſcipiunt & veſtitum. Et cap. 4. dicit ſic. Dignum eſt, ut qui altari ſervit, de altari vivat; vivat inquam de altari, non ſuperbiat, non luxurietur, non ditetur; non in clericatu dives ex paupere fiat; non ex ignobili glorioſus; non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla pa-

latia fabricet; nec loculos indè congreget; nec in vanitate, nec in ſuperfluitate diſpergat; non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos, aut nepotes. Tantum conceditur tibi, ut ſi benè vixeris, de altari vivas. Hæc S. Bernardus. Non ſolum autem Prælati, ſed etiam omnes alii habentes ſubſtantiam hujus mundi, ad aliqualem hujuſmodi providentiam pro pauperibus ſuſtentandis obligantur; hoc enim exigit charitas Chriſtiana: quia dives quiſque tenetur ſublevare Chriſtiani inopiam, eique ſuccurrere, ut ſuſtentetur.

Explicatur tertia pars, quod etiam ſit neceſſaria providentia *perſonalium meritorum*. Et ad hanc providentiam omnes homines obligantur, quamdiu ſunt in hoc mundo. Undè ad *Romanos* 12. dicitur: Nolite eſſe prudentes, apud voſmetipſos, malum pro malo reddentes; ſed providentes bona non tam coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus; Providentes, inquit, bona videlicet maxima, quæ ſunt virtutes & bona opera. Iſta enim bona habent in ſe pretioſitatem: una enim eleëmoſyna, vel unum jejunium, eſt pretioſius coram Deo, quàm omne aurum totius mundi, & omnes lapides pretioſi. Imò etiam meritum boni operis eſt durabile: quia eſt perpetuum, ſi non interrumpatur per peccatum. Fatuus eſſet, qui in nundinis ſibi ſolum de aliquo providerat, quo certo ſcit ſe ſpoliandum in ſuo receſſu à nundinis. Moraliter loquendo, vita præſens nundinæ ſunt, in quibus negotiari debemus conformiter ad illud Levit. 19. Negotiamini dum venio. Fatui ergo ſunt homines, qui ſolum ſibi provident de divitiis, quas exeundo ex nundinis hujus vitæ relinquere debent, eiſque ſunt ſpoliandi per mortem; juxta illud 1. *ad Timoth.* 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus. Et in perſona talium mundanorum divitum dicitur *Sapient.* 9. Cogitationes mortaliũ timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.

Profectò tales mundani homines ſolum congregant divitias pro ſuis filiis, vel conſanguineis, pro ſeipſis autem & futura ſua vita in altero mundo nihil ſibi provident, & ideò ſtultiſſimè agunt. Sumant quæſo tales exemplum de Jacob, qui poſtquam 14. annis ſervivit Labano ſocero ſuo, dixit ad eum: Juſtum eſt, ut provideam aliquando etiam domui meæ, & ex tunc lucro proprio vacavit, ut legitur *Geneſis* 30.

Explicatur quarta pars, quod ſit habenda providentia *Regularium reſponſorum*: & ad hanc obligatur quilibet pro ſeipſo reſponſum reddere, de factis ſuis ſupremo judici; & ideò de nobis optat Deus illud Deut. 31. Utinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent. Quia ſi iſta præviderimus, & debitè ponderaverimus, nunquam peccabimus juxta illud Eccl. 7. In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.

LECTIO LXXXIV.

TEXTUS.

Initium enim illius veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia. Cura ergo diſciplinæ dilectio eſt, & dilectio eſt cuſtodia legum illius. Cuſtoditio autem legum, conſummatio eſt incorruptionis; incorruptio autem facit proximum eſſe Deo. Concupiſcentia itaque Sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.

EXPLICATIO TEXTUS.

I*Nitium enim illius*, id eſt, Sapientiæ; *eſt veriſſima diſciplina* (quæ in fuga mali, & operatione boni ſine ulla reprehenſione conſiſtit) *concupiſcentia*. Et qui tali modo propter honorem Dei, & ſalutem animæ ſuæ quærit diſciplinam, ille ſolum veram habet diſciplinæ concupiſcentiam; non autem ille, qui quærit propter inanem gloriam ſæcularem ſcientiam: vel facit bona aliqua ut laudetur ab hominibus. Huic interpretationi facit illud Pſalmi: Initium Sapientiæ eſt timor Domini.

Vel dic quod fundamentum, & radix *remota* beatitudinis conſequendæ (quæ conſiſtit in viſione divinæ eſſentiæ) ſit naturale deſiderium quod homo habet ſciendum; quivis enim homo (teſte *Ariſtotele primo Metaph.*) naturaliter ſcire deſiderat: & illud idem naturale deſiderium ſciendi eſt initium Sapientiæ.

Dixi quod *naturale deſiderium* quod homo habet ad ſciendum ſit radix remota beatitudinis conſequendæ; quia radix magis propinqua beatitudinis eſt gratia, quæ eſt ſemen gloriæ. Hinc docent Theologi 1. *parte quæſt.* 12. *art.* 1. quod licet homo habeat appetitum naturalem inefficacem ad Viſionem beatificam (in qua ſiſtit beatitudo noſtra formalis) non tamen habet ad eandem appetitum naturalem efficacem, eo quod per vires naturæ ad beatitudinem ſupernaturalem conſequendam pertingere non poſſint.

Porrò in verbis ſequentibus ponit Spiritus ſanctus ad acquirendam Sapientiam tria media, quæ ſunt cura, dilectio, & cuſtoditio. Nam deſiderium ſciendi in homine cauſat *Curam*, id eſt diligentiam, vel ſolicitudinem addiſcendi: *Cura* vero cauſat *Dilectionem Dei*, quia homo magis ſolicitus circa cognitionem Dei, regulariter magis proficit in *dilectione ejuſdem*; *Dilectio* autem Dei cauſat *cuſtodiam* legis divinæ; juxta illud 1. *Joannis* 2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Cuſtodia autem mandatorum dat conſummationem incorruptionis, ſeu immortalitatis; quæ immortalitas eſt proprietas divina, facitque hominem proximum Deo, id eſt, ſimilem Deo: adeoque de primo uſque ad ultimum argumentando, Concupiſcentia Sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Et per hæc patet explicatio omnium verborum allegatorum ex textu: in quibus apparet pulchra figura Rhetorica nimirum Gradatio. Quali etiam figura uſus fuit *Apoſtolus ad Rom.* 8. dicens: Deus, quos prædeſtinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos & juſtificavit; & quos juſtificavit, hos & glorificavit. Gradatio autem ſecundum Tullium definitur ſic: Gradatio eſt, quando antecedens ad conſequens verbum deſcendit aliter, quàm ad ſuperius aſcenſum eſt, hoc modo: Quænam reliqua ſpes manet libertatis, ſi eis quodlibet licet, & quod licet, poſſunt; & quod poſſunt, audent; & quod audent, faciunt: & quod faciunt, nobis moleſtum non eſt.

Notandum hic, quod Sapientia ſit veluti ſapida ſcientia; undè comparatur vino in Scriptura ſacra Cant. 5. ubi dicitur: Comedi favum cum felle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Dicit autem *Beatus Albertus magnus* 4. *Meteororum tract.* 1. *cap.* 10. Quod vinum longè ductum, eſficia-

ficiatur ex motu magis ſapidum, quia per percuſſionem & motum partium, convaleſcit in eo calor naturalis, & multò ſubtilius efficietur humidum. Et hæc eadem eſt cauſa, quare pendulum vinum percuſſum & motum, melioretur & revertatur aliquantulum ad ſtatum bonitatis ſuæ priorem quem habuit. Vocat autem Beatus Albertus pendulum vinum illud, quod incipit declinare ad corruptionem, quale vinum nos germanicè ſolemus vocare, einen zachen Wein.

Applicatio moralis. Vinum longè ductum eſt doctrina ſacræ Scripturæ, quæ de cœlo ad homines per Prophetas, Patriarchas, Angelos, & ipſum Dei Filium eſt deducta ab initio, & uſque modo exagitatur, movetur, & congyratur per Expoſitorum ingenia. Et ideò hoc vinum ſacræ Scripturæ eſt multò melius, quàm vinum cujuſcunque ſcientiæ ſæcularis, quæ non defertur niſi de terra ad terram. Vinum quod creſcit in montibus, eſt delicatius & ſubtilius, quàm illud quod creſcit in vallibus. Mons altiſſimus cœlum eſt, & terra vallis lachrymarum; & ideò vinum ſcientiæ ſæcularis crudum eſt, groſſum, & inſipidum: Vinum autem ſacræ Scripturæ ſubtilius eſt, & magis ſapidum. Undè Cant. 8. dicitur: Dabo tibi poculum à vino condito, & muſtum malorum granatorum.

LECTIO LXXXV.

TEXTUS.

Si ergo delectamini in ſedibus & ſceptris, O Reges populi, diligite Sapientiam ut in perpetuum regnetis: diligite lumen Sapientiæ omnes qui præeſtis populis.

EXPLICATIO TEXTUS.

QUamvis Sapientia ſit omnibus neceſſaria, eſt tamen vel maximè neceſſaria Regibus, & Principibus, Judicibus, & Prælatis, quos proindè Spiritus ſanctus ſpecialiter alloquitur. Dicit ergo. *O Reges populi ſi delectamini in ſedibus, & ſceptris. Si*, id eſt, quia ô Reges populi delectamini in honoribus hujus vitæ, quos accipitis à populo; & tamen conſtat vobis, quod in perpetuum cum ſceptris & coronis veſtris permanere non poſſitis; ideò diligite Sapientiam, id eſt, verum cultum Dei, *ut in perpetuum regnetis*: ut pro veſtra gloria terreſtri, perpetuum regnum & æternam beatitudinem habere poſſitis, juxta illud Apoc. 5. Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, & regenerabimus ſuper terram. Et Apoc. 5. Erunt Sacerdotes Dei, ut Chriſti cives, & regnabunt cum eo mille annis. Ubi Gloſſa ait: in æternum. Ponitur enim millenarius numerus, qui eſt limes numerorum, pro æternitate.

Sequitur. *Diligite lumen Sapientiæ omnes qui præeſtis populis*; Id eſt, vos omnes Prælati & Superiores, qui eſtis Ductores ſubditorum veſtrorum, ex hac via umbræ mortis ad portum ſalutis æternæ, non ſolum bonis moribus debetis aliis prælucere, ſed vel maximè lumen Sapientiæ, & cognitionem ſacræ Scripturæ habere debetis: aliàs enim ſi lumen Sapientiæ & cognitionem Scripturæ non habueritis, cæcus cæcum ducet, & ſic ambo in foveam cadent. *Matthæi 5.*

Bonus Auriga ſi habeat unum equum cæcum, nunquam facit eum præcedere, quia ſic bigam ſubverteret, & ſocios ſequentes confunderet, ſed facit talem equum cæcum alios equos videntes ſequi, & bigam trahere. Iſto modo vult fieri Chriſtus, qui eſt currus Iſraël & Auriga ejus. 4. Regum 12. Diſplicet Chriſto, quod carentes lumine Sapientiæ præficiantur, ad trahendam bigam Eccleſiæ, ſed vult, quod Eccleſiæ ſuæ præficiantur docti, habentes notitiam fidei & ſacræ doctrinæ; de quibus dici poſſit illud Matthæi 5. Vos eſtis lux mundi.

Notandum his, quod delectari in ſceptris, ſeu Virgâ regali, & ſedibus, ſit valdè periculoſum. Sunt autem diverſæ ſedes, quas Eberhardus comprehendit his verſibus

> Rex ſolium, Doctor cathedram, Judexque tribunal
> Poſſidet: ac ſedem præſul, præcoque curulem.

In iſtis ergo ſedibus periculoſum eſt delectari. Tum quia Prælati & Judices cum magna difficultate poſſunt vitare iniquitatem in judicando; vel quia reſpicient magis carnem & ſanguinem eorum, contra quos judicare deberent, vel quia aliundè amant benevulos ſupplicantes, vel denique quia timent injuſtos comminatores, qui ſubindè Judicem à ſententia ferenda deterrent. Et ideò de percurſo Judice poteſt dici illud Apoc. 2. Scio, ubi habitas, ubi ſedes eſt Sathanæ. Helinandus *Lib.* 15. narrat, quod Cambiſes Rex adeò ſeverus fuerit, ut quendam injuſtum Judicem excoriari fecerit, inſuper mandavit, ut ſedes judiciaria pelle ejus judicis excoriata operiretur, poſtea verò in illa ſede poſuit filium illius judicis patris ſui, dicens ei: Iniquum ſemper cave judicium, ne ſimili judicio plectaris. De qua hiſtoria formantur illi Verſus.

> Sede ſedens iſtâ: Judex inflexibilis ſta,
> A manibus reſeces munus, ab aure preces,
> Sit tibi lucerna ſedes, pellisque paterna
> Qua reſides natus, pro patre ſponte datus.

Porrò iſte Cambiſes fuit filius Cyri Regis Perſarum, qui licentiavit Judæos captivos tempore Eſdræ reædificata Jeruſalem. Et iſte Cambiſes vocatur Nabuchodonoſor in hiſtoria Judith. Vocatur etiam Artaxerxes, vel Aſſuerus apud Eſther.

LECTIO LXXXVI.

TEXTUS.

Quid eſt autem Sapientia, & quemadmodum facta ſit, referam, & non abſcondam à vobis Sacramenta Dei: ſed ab initio nativitatis inveſtigabo, & ponam in lucem ſcientiam illius, & non præteribo veritatem, neque cum invidia tabeſcente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps Sapientiæ.

V 2 EXPLI-

EXPLICATIO TEXTVS.

Q*Vid eſt autem iſta Sapientia?* Iſte textus exponitur dupliciter. Primò allegoricè de Chriſto Domino, qui eſt Sapientia increata ratione ſuæ naturæ & hypoſtaſis divinæ, & de hac Sapientia increata ſubdit Spiritus ſanctus, *Referam quid, & quemadmodum facta ſit iſta Sapientia.* Id eſt qualiter ſit genita ab æterno Patre, juxta illud *Pſalmi*: Ante Luciferum genui te. Temporaliter autem eadem Sapientia humanitatis ſago induta, genita eſt à Virgine beatiſſima Matre immaculata Maria. Quamvis autem neutra illius Sapientiæ generatio ſive æterna, ſive temporalis poſſit perfectè exarari: poteſt tamen utraque ejus nativitas, quantum pro fide ſufficit, exemplariter explanari.

Unde in textu ſubditur: *Et non abſcondam à vobis Sacramenta Dei*: videlicet, nativitatem, paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem. *Sed ab initio nativitatis* (puta Chriſti) *inveſtigabo*: quia Spiritus ſanctus infra cap. 7. narrat Chriſti Domini incarnationem.

Secundo modo exponitur idem textus de Sapientia creata, quæ nihil aliud eſt, quam verus Dei cultus. *Et qualiter facta ſit referam.* Id eſt, qualiter opera Sapientiæ fiant ab hominibus, in quibus Sapientia dominatur, manifeſtabo. *Et non abſcondam à vobis Sacramenta Dei.* Id eſt, ſacra myſteria, quibus Deus colitur à devotis, in orationibus, jejuniis, & mortificationibus. *Sed ab initio nativitatis* (hominis ſcilicet, qua hora naſcitur in mundum) *inveſtigabo.* Quia Spiritus ſanctus cap. 7. etiam deſcribit nativitatem humanam.

Sequitur in textu: *Et ponam in lucem ſcientiam ejus.* Id eſt, evidenter faciam ſcientiam cognoſci; *Et non præteribo veritatem*: quia videlicet integrè & apertè eam manifeſtabo. *Neque cum invidia tabeſcente iter habebo.* Id eſt, cum invidia quæ facit tabeſcere, non habebo commercium. Tabeſcere autem idem eſt, ac putreſcere, vel langueſcere. *Quoniam talis homo* (puta invidus) tabeſcens, & languidus, *Non erit particeps Sapientiæ.* Cujus ratio eſt, quia inimici nunquam participant, nec communicant merces ſuas ſibi invicem; Sapientia autem, & invidia, inimicantur ad invicem, ſibique opponuntur & contrariantur: nam Sapientia illuminat, & invidia excæcat: adeoque homo invidus non poteſt eſſe particeps Sapientiæ. Unde de Sapientia alibi dicitur: Lætatus ſum, quoniam antecedebat me iſta Sapientia, quam ſine fictione didici, & ſine *invidia* communico. Circa illa verba: *Non præteribo veritatem,*

Notandum eſt, quod ſit triplex Veritas; nimirum, Veritas ſermonis. Veritas operationis, & Veritas intentionis. Ad Veritatem *ſermonis* requiritur, quod res ita ſe habeat, ſicut de ea aliquid dicitur, vel aſſeritur; & quod dicens, credat in re ita eſſe, uti dicit. Et de hac Veritate ſermonis loquitur *Apoſtolus ad Epheſ. 4.* dicens: Deponentes mendacium loquimini Veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo. Veritas autem *operationis* conſiſtit in conformitate operis boni ad ſermonem ſuavem ſervitia ſua alteri offerentis, & huic Veritati operationis contraria eſt fraus, dolus, & ſimulatio; per quam aliquis homo alteri ſolum dat bona verba, ſed denegat ei bona opera. Et contra tales dicitur Joan. 3. Filioli non diligamus verbô, neque linguâ, ſed opere, & veritate.

Veritas denique *Intentionis* conſiſtit in conformitate intentionis ad opus, propter gloriam Dei, non autem propter vanam gloriam; & de hac veritate dicitur Joan. 4. Veri adoratores adorabunt in ſpiritu, & veritate; id eſt, in ſancta intentione conjuncta exteriori operationis.

ARTICVLVS VNICVS.

An veritas ſit acquirenda cum ſtudio, defendenda cum odio, & præponenda ſit ſocio.

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Veritas ſit *acquirenda cum ſtudio.* Nam Eccleſ. 2. dicitur. Pius & miſericors eſt Deus, & remittit in tempore tribulationis peccata, & protector eſt omnibus inquirentibus ſe in veritate. Homo quoque ſtudens veritati aſſimilatur Chriſto, qui eſt prima veritas: quam proinde homo participare & imitari debet. Explicatur ſecunda pars, quod veritas ſit *defendenda cum odio.* Quia ſecundum Saluſtium: Veritas odium parit, obſequium autem parit amicos; Nihilominus tamen veritas ſemper finaliter prævalet; & ideò 2. *Eſdræ* 2. dicitur: Magna eſt veritas & fortior eſt omnibus; ex quo fit, quod patiens perſecutionem ratione veritatis, poſſit quidem ad tempus opprimi, finaliter tamen triumphabit.

In cujus rei figuram legimus de Jona Propheta, quod variè tribulatus fuerit, ſed finaliter ſemper fuit mirabiliter liberatus; Dicebatur autem Jonas filius *Amathi* id eſt, veritatis. Non quidem in hoc ſenſu quaſi *Amathus* fuiſſet pater ipſius Jonæ, ſed quia Elias Jonam ſuſcitavit à mortuis, & reſtituit eum matri ſuæ, quæ pro filio ſuo reſuſcitato gratias agendo dixit Eliæ: Nunc in iſto cognovi, quia vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo *verum eſt*, ut legitur 3. Reg. 17. Et ex illa hora, & deinceps ſemper vocatus fuit Jonas filius Amathi, hoc eſt veritatis. Videamus nunc quot pericula evaſerit iſte Jonas filius veritatis.

Primò enim Jonas fuit filius cujuſdam filiæ Sareptenæ, uti habetur 3. Reg. c. 17. Vbi dicitur, quod ægrotaverit Jonas filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortiſſimus in iſto filio Jona, ita ut non remaneret in eo halitus: undè in juventute ſua mortuus eſt, & poſtea reſuſcitatus ab Elia. Poſtea verò Jonas adultior exiſtens, tanquam Propheta miſſus eſt à Deo ad prædicandum Ninivitis. Deindè verò idem Jonas volens fugere in Tharſis per mare, prima ſorte cadente ſuper eum, ejectus eſt ex navi ac projectus in mare, ubi devoratus eſt à Cete, in cujus ventre manſit tribus diebus & tribus noctibus. His peractis evomitus fuit de ore Ceti in aridam ſeu terram: & tandem aduſtus eſt Jonas tanto ſolis fervore, ut petiverit animæ ſuæ, ut moreretur: dixit enim: Melius eſt mihi mori quàm vivere. Jonæ 4. Ecce quod plagas ſuſtinuit Jonas filius veritatis, in ſignum quod qui cum veritate tenet, & ad tempus patiatur, ultimatè tamen triumphabit & liberabitur à preſſuris.

Expli-

Explicatur tertia pars, quod Veritas ſit *præponenda ſocio.* Quia Amico Socrate & amica veritate ſanctum eſt præhonorare veritatem. Ambobus enim exiſtentibus amicis, ſanctum eſt præhonorare veritatem, ut dicitur *Primò Ethic.* Dicit etiam *Andronicus Peripateticus*, quod ſanctitas eſt, quæ facit fideles, & ſervantes ea, quæ ſunt ad Deum juſta. Hoc autem nihil aliud eſt, quam honorare veritatem præ amicis, atque deſtruere & familiaritatem pro ſalute veritatis. Imò virtus conſervari non poteſt, niſi homo præferat veritatem familiaribus ſuis: poſſet enim homo adducere falſa teſtimonia, & falſa media ad defenſionem amicorum ſuorum contra veritatem, quod ratio non permittit.

Quod autem magis debeamus amare veritatem, quam hominem, probatur per hoc, quod non amemus hominem, niſi propter virtutem & veritatem; Ergo magis amanda eſt veritas. Undè *Plato* reprobando ſententiam Magiſtri ſui dilecti Socratis, ait: Quod oporteat magis curare de veritate quam de aliquo alio; Chriſtus quoque volens nos veritatem amare & honorare, dicit ſe eſſe ipſam veritatem Joan. 14. Ego ſum via, veritas & vita. Et Joan. 18. dicit ſe ideò veniſſe in mundum, ut teſtimonium veritatis ferret. Ego inquit, in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam de veritate.

LECTIO LXXXVII.

TEXTUS.

Multitudo Sapientium, ſanitas orbis terrarum. Et Rex ſapiens populi ſtabilimentum eſt. Ergo accipite diſciplinam per ſermones meos, & proderit vobis.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Spiritus ſanctus, quod tranquillitas reipublicæ tanquam maximum bonum proveniat à ſapientia, per hoc quod ſuggeretur ſanum conſilium à civili multitudine, & juſtum imperium regalis celſitudinis obſervetur.

Quantum ergo ad primum dicit ſic: *Multitudo Sapientium ſanitas eſt orbis terrarum.* Vbi ly *ſanitas orbis terrarum*, eſt locutio metaphorica; nam ſanitas ſubjectivè & propriè ſolum eſt in animali, in urina autem ſolum eſt analogicè, & tanquam in ſigno. Nihilominus ſanitas optimè etiam accomodari poteſt alicui reipublicæ; eſt enim reſpublica ſicut quoddam corpus, teſte *Plutarcho*, quod divini muneris beneficio animatur. Et ſecundum *Apoſtol 1. Corinth.* 12. Omnes ſumus unum corpus in Chriſto, ſed diverſa membra. Undè ſicut aliquod corpus animale poteſt dici ſanum, vel ægrum: ita etiam ſuo modo aliqua reſpublica, tanquàm aliquod corpus politicũ poteſt dici ſana, vel ægra. Nam ſicut ſanitas alicujus corporis animalis conſiſtit in hoc, quod habeatur conveniens proportio humorum, econtra autem infirmitas cauſatur ex ſuperabundante, vel nimia contrarietate alicujus humoris, quæ ſolvit harmoniam debitam quam exigit ſanitas corporis: ita ſimiliter, quando in aliqua republica omnia officia, jura, & dignitates regontur & conſervantur, in proportione rationali: tunc inquam eſt ſanitas in tali republica. Si verò una pars abundet & alia patiatur penuriam, tunc conſurgit contrarietas humorum, quæ eſt ægritudo corporis Chriſti myſtici. Præterea ſicut finis medici eſt ſanitas corporis, ita finis quam Chriſtus intendit eſt pax, & tranquillitas humani generis, ſicut cecinit Angelus *Luc.* 2. dicens: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus. Iſte autem finis, nimirum pax & tranquillitas ſolum obtinetur per Sapientiam: & ideo dicit Spiritus ſanctus: *Multitudo Sapientium ſanitas eſt orbis terrarum.* In quibus verbis Spiritus ſanctus vult, quod ad bonum regimen non ſolum requiratur Sapientia, ſed etiam *multitudo* Sapientium; quia Deus in nullo homine ſapienta ſolo & unico poſt Chriſtum Dominum poſuit omnem perfectionem Sapientiæ. Et ideò aliquis non debet eſſe contentus unius tantum conſilio. Huc facit illud 1. Mach. 8 Vbi legimus de Romanis, quod tempore Judæ Machabæi fecerint ſibi curiam, & quotidie conſulebant trecenti & viginti viri, conſilium agentes ſemper de multitudine, ut quæ digna eſſent, gererent. Ad propoſitum pertinet illud Proverb. 8. Ego Sapientia habito in conſiliis, & eruditis interſum cogitationibus. & Proverb. 11. Vbi non eſt gubernator, corruit populus ſalus autem, ubi multa conſilia. Patet ergo, *quomodo multitudo Sapientium ſanitas ſit orbis terrarum*, dando bonum conſilium.

Secundo. Sapientia regit rempublicam juſto Imperio regalis celſitudinis; & quantum ad hoc ſubdit Spiritus ſanctus: *Et Rex ſapiens populi ſtabilimentum eſt*

Plutarchus aſſerit, quod Rex, ſeu Princeps, in populo debeat eſſe ſicut Citharædus, qui fides & chordas aberrantes corrigit, & ad dulcem harmoniam reducit. Ita etiam Princeps, nunc rigore juſtitiæ, nunc remiſſione clementiæ ſubditorum faciet harmoniam. Hoc autem certum eſt, quod tutius ſit chordas remitti, quam extendi; remiſſa namque chorda per artificium corrigitur, & debitam ſoni gratiam reddit, chorda autem ſemel rupta nullo artificio reparatur. Undè Proverb. 20. dicitur: Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiam thronus ejus. *Rex ergo ſapiens ſtabilimentum populi eſt*; quia teſte Platone:

> Regna beata forent, ſi vel contingeret eſſe
> Philoſophos Reges, vel Reges philoſophari.

Populus enim ſe habet ſicut aqua, quæ omni impulſu venti agitatur. Undè Apoc. 17. aquæ multæ populi multi. Sed Rex ſapiens eſt ſtabilimentum populi propter bonas leges, juſta imperia, & rigorem juſtitiæ: ſed ut dictum eſt, Rex eſt ſtabilimentum populi maximè per ſuam clementiam. Undè *Seneca de Clementia lib. 1. cap. 2.* ait: Nullum ex omnibus magis clementia decet quàm Regem. Et cap. 3. ait: Principum crudelitas, bellum eſt, clementia in quamcunque domum venerit, eam fœlicem & tranquillam præſtabit. Et cap. 4. ait: Si dii placabiles delicta peccantium non ſtatim fulminibus perſequuntur, quantò æquius eſt hominem hominibus prærpoſitum

ſitum

ſitum tuti animo exercere imperium. Undè *Valerius lib 5 cap. 1. de Alexandro* dicit : Alexander ſicut infinitam gloriam bellica virtute , ita præcipuum amorem clementia ſua meruit.

Addit inſuper *Seneca* quod Reges debeant eſſe ſicut medici ; quia non minus turpia ſunt Principi multa ſupplicia, quàm medico multa funera. Undè rectè dictum metricè :

> Sit piger ad pœnas Princeps , ad præmia velox ,
> Et doleat quoties cogitur eſſe ferox.

Idem *Seneca lib. 1. de Clement. cap. 4.* dat exemplum Principi, ut ſe talem civibus oſtendat, quales ſibi Deos vellet eſſe. Sic etiam docuit Æneam Anchiſes pater ſuus , ut narrat *Virgilius lib. 6.* Et illud idem allegat *S. Auguſt. 9. de Civ. Dei cap. 11.*

> Tu Regere imperio , populos Romane memento ;
> Hæ tibi erunt artes paciſque imponere mores:
> Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Hinc eſt , quod dicit *Ariſtot. 8. Eth.* quod Rex comparetur ad ſubditos ſicut pater ad filios, aut paſtor ad oves. Patet ergo , quod Rex ſapiens ſit populi ſui ſtabilimentum. Subdit Spiritus ſanctus : Ergo quia per ſapientiam habetur ſanitas orbis terrarum & ſtabilimentum populi ; juſtum eſt : *Ut accipiatis diſciplinam per ſermones meos, quæ proderit vobis* . ut explicatum eſt.

CAPITULUM SEPTIMUM.

LECTIO LXXXVIII.

TEXTUS.

Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis hominibus , & ex genere terreni illius , qui prior factus eſt.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam declaratum eſt doctrinaliter , quod ſit poſſibile hominem acquirere Sapientiam, reſtat , ut hoc declaretur in exemplis. Et ideò Salomon in hoc capite inducit exemplum de ſeipſo , qualiter ſapientiam acquiſiverit. Itaque conſiderans ſapientiſſimus Salomon ſeipſum, cognoſcit humiliter ſuæ conditionis corruptibilitatem dicens : *Sum quidem & ego mortalis homo , &c.* In qua confeſſione Salomon deſtruit tres proprietates ſuperbiæ ; videlicet negligentiam fragilitatis propriæ ; differentiam ſingularitatis diſtinctivæ ab aliis : & apparentiam alicujus generoſitatis præ cæteris. Omnes enim ſuperbi negligunt conſiderare, quales ſint , & ab aliis diſſimiles ſingulariter eſſe volunt : & plerique ſuperbi fingunt ſe generoſos præ cæteris , licet tales non ſint. Salomon vero contra hæc tria inſurgens, confitetur primò infirmitatem propriam, dum dicit ; *Sum quidem & ego mortalis homo.* Secundò confitetur conformitatem cum aliis , dum dicitur *Similis hominibus.* Et tertiò diffitetur generoſitatem, dum ſubjungit : *Et ex genere terreni illius , qui prior factus eſt.*

Dicit itaque Salomon. *Sum quidem & ego mortalis homo.* Per quæ verba inſinuat Salomon, ſe habuiſſe providentiam de morte quæ eſt principium ſapientiæ. Unde *S. Hier. ad Heliodorum* ait : Fatendum nobis eſt , omnem ſapientium vitam eſſe meditationem mortis : pauci enim ſunt, qui hoc frequenter attendunt. Dicitur de Pavone , quod videns pulchritudinem pennarum ſuarum, gloriatur & gaudet, ſed aſpiciendo turpes ſuos pedes verecundatur. Sic quivis ſapiens, qui per gratias ſibi à Deo datas ad opera virtutum volat, non debet gloriari vel ſuperbire, ſed debet cogitare pedes ſuos, id eſt, vitæ ſuæ finem, qui eſt valdè periculoſus , an benè vel malè ſuccedet , & tunc facilè ſuperbiam evitare poterit. Provenit autem ſuperbia ex eo , quod homo ignoret ſeipſum. Undè *S. Bernardus ſuper Cant. ſerm. 37.* ſic ait : De ignorantia tui ipſius venit in te ſuperbia : ſic enim tibi parit ſuperbiam ignorantia tui ; cùm meliorem quàm ſis, deceptrix cogitatio tua te eſſe mentitur. Hæc quippè eſt ſuperbia , hæc initium omnis peccati , cùm major es in oculis tuis, quàm apud Deum. Hæc *S. Bernard.* Sic ergo Salomon per verba allegata (*Sum quidem & ego mortalis homo*) profitetur infirmitatem contra primam ſuperbiæ proprietatem, quæ eſt ignorantia ſui, & neſcientia propriæ fragilitatis.

Secundò profitetur Salomon conformitatem cum aliis , dum dicit: *Similis aliis hominibus.* Per quæ verba excluditur ſecunda proprietas ſuperbiæ , quæ eſt Domina ſingularitatis. Sunt enim multi ita ſuperbi, quod in omnibus velint ſingulares videri. Et hæc eſt quarta ſpecies arrogantiæ ſecundum *Venerabilem Bedam* in Homiliis ſic dicentem : Quatuor ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur. Dum aut bonum à ſemetipſis habere ſe æſtimant; aut ſibi datum deſuper credunt , ſed pro ſuis meritis accepiſſe putant : aut certè, cum jactant ſe habere quod nō habent, aut deſpectis cæteris, ſingulares videri appetunt. Non erant tales Apoſtoli ſancti, qui divinos honores ſibi oblatos à ſimplicibus renuerunt, dicentes : Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines; Actorum 14.

Tertiò diffitetur Salomon vanam generoſitatem , & hoc contra elationem de parentibus, cum dicit : *Et ex genere terreni illius , qui prior factus eſt*, ſcilicet Adami. Dum enim Salomon dicit (*Ex genere illius terreni*) oſtendit, tam illum, quam nos de terra duxiſſe originem. Hoc facit illud Eccl. 3. Quid ſuperbis terra & cinis ? Iſtud rectè meditatus fuit Anatho Rex ſcilicet , qui dum ex figulo evaſiſſet in Regem , ſemper ſolùm voluit tractari in ſcutellis fictilibus atque ex limo formatis, ne ſuperbiret; & ſēper cogitaret ſe fuiſſe ſolum filium alicujus figuli · ut refert *Martialis coquus lib. 4. Epigram. 25.* his verbis.

> Fictilibus cœnaſſe ferunt Anathoclea Regem
> Atque abacum ſamio ſæpè oneraſſe luto.

Abacus

Abacus in his verſibus accipitur pro menſa, & ſamium vocatur lutum de Samos inſula, in qua primò vaſa fictilia formabantur.

Hoc modo Salomon in textu allegato, non de David Rege patre ſuo originem cum gloria enarravit, ſed de terra, de qua formatus eſt primus homo. Huc facit illud Eccle. 33. Omnes homines de ſolo & terra, unde creatus eſt Adam. Et Iſaiæ 64. Domine pater noſter es tu, nos verò lutum. Et Jerem. 18. Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſrael.

Porrò præfatus textus aliter poteſt exponi de Chriſto Domino hoc modo: *Sum quidem & ego mortalis homo.* Id eſt homo potens mori in natura humana, & immortalis ſimiliter in natura divina. *Similis hominibus*, in natura & paſſionibus naturam conſequentibus; unde 1. *ad Phil.* 2. dicitur: Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. *Et ex genere terreni illius, qui prior factus:* ſcilicet ipſius Adæ ſecundum carnem. Unde 1. Cor. 15. dicitur. Factus eſt primus Adam in animam viventem, noviſſimus verò Adam in ſpiritum vivificantem. Occaſione hujus

Quæres, An in Chriſto fuerit neceſſitas moriendi?

Dico cum *S. Thoma* 3. *P. Q.* 14. *art.* 2. *Et in ſcripto ſuper* 3. *ſent. diſt.* 16. *art.* 2. Quod in Chriſto fuerit neceſſitas naturalis ad moriendum, quantum eſt ex intrinſecis principiis naturæ humanæ præcisè conſideratis: cum quo tamen ſtat, quod per naturam, & hypoſtaſin divinam, Chriſtus ſe potuiſſet præſervare à morte. Unde *ſecundum S. Thomam* ſicut ſimpliciter concedimus, quod Chriſtus ſit mortuus, ita concedere poſſumus; quod Chriſtus ex ſuppoſitione quod naturam humanam aſſumpſerit, ſimpliciter habuerit neceſſitatem moriendi. Itaque intentio S. Doctoris eſt iſta, quod homo habeat neceſſitatem moriendi, ſi aliundè non præſervetur: & ſic etiam Chriſtus Dominus accepit naturam humanam corruptibilem, quæ neceſſariò mori debebat, niſi aliundè præſervaretur à morte.

Stat tamen cum iſtis, quod Chriſtus oblatus eſt, quia ipſe voluit; id eſt, liberè mortuus eſt. Tum quia liberè aſſumpſit naturam humanam paſſibilem, cùm tamen potuiſſet venire in carne impaſſibili & incorruptibili. Tum quia etiam naturam humanam ſic aſſumptam potuiſſet ratione naturæ & hypoſtaſis divinæ præſervare à morte. Tum quia licet neceſſariò ex principiis naturæ humanæ ſit mortuus, quod tamen tali tempore & hora pati voluerit, hoc fuerit ipſi liberum. Tum denique licet Chriſtus habuerit præceptum moriendi, illud tamen reſpectu Chriſti qui fuerat *Deus & homo ſimul*, non fuerat præceptum propriè dictum; vel ſi fuit præceptum rigoroſum etiam reſpectu Chriſti, potuiſſet tamen petere diſpenſationem, adeoque optimè ſalvantur, verba Scripturæ dicentis, oblatus eſt, quia ipſe voluit.

* * *

* *

LECTIO LXXXIX.

TEXTUS.

Et in ventre matris figuratus ſum caro; decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine: & ex ſemine hominis, & delectamento ſomnii convenientis.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc textu Salomon confitetur ſuæ conceptionis, & cujuſcunque puri hominis abominabilitatem. Tangit autem circa conceptionem humanam quinque circumſtantias ſatis turpes; videlicet loci qualitatem; formæ debilitatem; temporis quantitatem; materiæ fœditatem; & vitæ infirmitatem. Et quidem loci qualitatem tangit, dum dicit: *Et in ventre matris*; non in cœlo, non in Paradiſo, non in aëre, non in auro vel argento, ſed in fœtenti tugurio, & in turpi tabernaculo, atque in obſcuro ſterquilinio concipitur purus homo. Undè Eccl. 11. Quomodo ignoras, quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione conjungantur oſſa in ventre prægnantium: ſic neſcis opera Dei, qui eſt fabricator omnium. Subdit deindè formæ debilitatem, quia in hoc loco turpi inquit Salomon: *Figuratus ſum*; non ſol, non luna, non ſtellæ, non gemma, ſed *Caro infirma*; juxta illud Matth. 26. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Temporis etiam qualitatem tangit Salomon, dum inquit: *Decem menſium tempore.*

Declarat etiam materiæ fœditatem, dum dicit: *Coagulatus ſum in ſanguine & ex ſemine hominis.*

Addit quoque vitæ infirmitatem, dum ait: *Et delectamento ſomnii convenientis.* Cum verò vita hominis in ſomnum & vigiliam dividatur, ſomnus videtur eſſe ſimilior morti quàm vitæ. Circa illa verba: *Decem menſium ſpatio.* Notandum eſt *ex Ariſtot. 9. de animalibus cap.* 1. Quod omnia alia animalia habeant certum unum tempus pariendi præter hominem: Sola enim mulier habet diverſos terminos pariendi. Nam quædam mulieres pariunt ſeptimo menſe; quædam autem, & quidem communiter pariunt nono menſe; quædam autem fœtum ſuum producunt decimo menſe: & quædam menſe octavo. Proles autem quæ naſcuntur ante ſeptimum menſem, plerumque moriuntur; ſicut inquit *Guilielmus de moribus exponens Macrobium de ſomno Scipionis.* Communiter tamen fit partus octavo vel nono menſe. Qui autem naſcuntur ſeptimo menſe ordinariè ſunt valde debiles: quia ſeptimo menſe quærit infans ex utero jam videre lucem, & ita fatigatur, unde indiget octavo menſe, pro viribus recuperandis, qui ſi illi denegetur partus infælix evadit. Dicit quoque *Rabanus hic in Gloſſ.*; quod qui naſcuntur in decimo menſe, magis vitales ſunt, & perfectiores & ſaniores eſſe dicuntur. Exiſtimo tamen dicendum eſſe, quod decem menſes hic debeant accipi per ſynecdochen, ita ut ſint novem menſes completi, & aliquid de menſe decimo. Sic enim Chriſtus Dominus natus eſt poſt novem menſes & ſex dies. Undè à die conceptionis Chriſti, qui creditur fuiſſe

fuiſſe 25. Martii, uſque ad vigeſimum quintum Decembris fluxerunt 267. dies (ut docet *ſanctus Auguſtin. ſuper caput 11. Joan.* exponens illud: Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum hoc) ſi ergo iſti 267. dies dividantur in menſes, & pro quovis menſe ponantur triginta dies, tunc claré habebuntur novem menſes, & ſex dies.

Notandum ſecundò. Quod formatio corporis Chriſti fuerit perfecté in primo inſtanti ſuæ conceptionis, quantum ad omnia lineamenta membrorum; & ideò in primo inſtanti conceptionis jam fuit perfectus puer, ita ut non præcellerit aliquis embrio, qui ſolum vivit vita animalis & non hominis. Attamen quantum ad debitam corporis quantitatem, perficiebatur ſucceſſivè: ſicut corpora puerorum augmentantur à tempore figurationis uſque ad maturitatem partus.

Notandum tertiò. Quod reliqua corpora humana concepta perficiantur ſecundum iſtum mo[illegible]. Nam primis ſex diebus conceptio corporis humani habet ſimilitudinem quaſi lactis; novem verò ſequentibus diebus convertitur quaſi in ſanguinem; [illegible] duodecim diebus ſolida[illegible] carnem, & poſtea octodecim diebus formatur [illegible] perfectam lineationem corporis h[illegible] deinceps corpus humanum rectè [illegible] lineamentis creſcit uſque ad [illegible] regulariter, ubi ſolet fieri partus. [illegible] illud 2. Machab. 7. Ubi mater ad filiu[illegible] inquit: Fili mi miſerere mei, quia [illegible] menſibus in utero portavi, & lac dedi [illegible] alui te.

[illegible] quod partus regulariter fiat nono menſe: [illegible] tamen ſtat, quod nonnunquam partus etiam fiat decimo menſe, quamvis non ita ſæpè. Et ideò olim apud Romanos fuit cautum, ut mulier poſt mortem mariti decem menſibus maneat vidua, ut ſi decimo menſe pareret, proles poſſit præſumi fuiſſe præcedentis mariti. De hac re *Ovidius de faſtis libro 1.* ſic canit de Romulo qui fabricavit Romam.

Tempora digereret, dum conditor urbis in anno
Conſtituit menſes, quinque bis eſſe ſuo.

LECTIO XC.

TEXTUS.

Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram. Et primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. In involumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium: unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc Textu deſcribit Salomon hominis miſerabilem educationem. Dicit ergo: *Et ego natus accepi communem aërem.* Quaſi diceret, adeò pauper natus ſum, ut nec aërem mecum portaverim, per quem poſſem reſpirare; ſed natus accepi aërem com munem omnibus & hominibus ad reſpirandum: nec iſte pro me ſingulariter creatus eſt, ſed pro omnibus aliis hominibus, ac beſtiis.

Et ſimiliter decidi in factam terram. Quaſi diceret: Non veni in terram volans, ambulans, equitans aut navigans; ſed fui adeò debilis, ut ſine ulla fortitudine deciderim ex utero matris meæ; ubi receptus fui per manus aliorum, & reclinatus ſum ad terram; licet non immediatè, tamen mediatè, terra me ſupportante.

Et primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. Quaſi dicat: Vox mea prima fuit ploratus, & fletus; & non ſolum ego ſic feci, ſed omnes filii clamant venientes in hunc mundum: quia omnes clamant *E*, vel *A*, quotquot naſcuntur ex Eva. Nam maſculi omnes clamant *A* propter peccatum primi parentis Adami: & puellæ clamant *E*. propter peccatum Evæ. Clamant autem ideò infantes taliter tanquam conquerantur, adverſus primos parentes, quod propter eorum peccatum nunc in mundo debeant multos dolores, & miſerias pati.

In in volumentis nutritus ſum, & curis magnis. Id eſt, quia nudus egreſſus ſui ab utero matris meæ, ideò debui involvi pannis, ſoſantiæ involucris, ut corpus meum operiretur, & cuſtodirentur mollia membra mea à frigore & aliis calamitatibus. Inſuper quia ita miſer fui, ut nec potuerim ipſemet cibum mihi quærere, vel potum, & alias infirmitates paſſus fui, quas non potui oretenus exprimere, niſi tantum per vagitum: ideò indigebam curis magnis diu noctuque.

Sequitur in textu: *Nemo ex Regibus habuit aliud nativitatis initium.* Quaſi diceret: Iſta eſt communis nativitas omnium hominum, quod nudi & imbecilles egrediantur ab utero matris ſuæ; undè nec Reges Sceptro, Corona, lapidibus pretioſis, ac multitudine ſubjecti populi fulgentes, ab hoc onere ſunt liberi: & ideo rectè *S. Bernard. in quodam ſermone de paſſione Domini* inquit. Grave jugum ſuper omnes, & totos filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque ad diem ſepulturæ in matrem omnium. In ſordibus generamur; in terreniseonfovemur; in doloribus parturimur; ante exitum miſeras oneramus matres; in exitu primam vocem plorationis edimus: & merito quidem, quia vallem plorationis & miſeriæ ſumus ingreſſi. Ubi malitiæ plurimum, Sapientiæ modicum; ubi vitioſa ſunt omnia; ubi lubrica operta tenebris, & obſeſſa laqueis peccatorum; ubi periclitantur animæ; & ubi tantum eſt vanitas ac afflictio ſpiritus: Hæc S. Bernardus.

Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam & ſimilis exitus. Si autem aliqua foret diſſimilitudo, tunc illa vel maximè appareret in ingreſſu & egreſſu nobilium, cujuſmodi Reges & Principes: modò autem jam dictum eſt, quod Reges & Principes habeant ſimilem introitum, id eſt, ſimilem nativitatem ad vitam, & omnibus ſimilis ſit exitus ad mortem. Undè Eccleſ. 11. dicitur: Didici, quod unus ſit utriuſque interitus. Et ideò metricè dicitur.

Mors Dominum ſervo, mors ſceptra ligonibus æquat:
Diſſimiles ſimili conditione trahit.

Paupa-

Pauperis & Regis ſi ſcripturam bene legis:
Dat cauſam flendi communis lex moriendi.

Et idcircò hominem convenienter alloquitur *S. Bernardus in ſuis meditationibus* dicens: Quid ſuperbis pulvis & cinis? cujus conceptus culpa; naſci miſeria; vivere pœna; mori anguſtia? Cur carnem tuam pretioſis impinguas rebus, & adornas, quam poſt paucos dies vermes devoraturi ſunt in ſepulchro? Animam verò tuam non ornas bonis moribus, quæ Deo & Angelis ejus repræſentanda eſt in cœlis. Circa illa verba: *Et primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.*

Notandum primò, quod Chriſtus Dominus legatur quater fleviſſe; Primò in infantia; juxta illud *Eccliſ.*: Vagit infans inter arcta conditus præſepia; Ubi enim vagitu lachrymas effudit. Secundò in reſuſcitatione Lazari lachrymatus eſt; Tertiò flevit ſuper civitatem Jeruſalem, Luc. 19. Videns civitatem flevit ſuper illam. Et quartò flevit in Cruce; nam ut dicitur *ad Hebr. 5.* Cum clamore valido & lachrymis exauditus eſt. Flevit itaque Chriſtus in infantia, ut ſe verum hominem oſtenderet, & ut lachrymando in ſe credituros in ſui amorem accenderet. Dignum eſt ergo ut illum amemus, qui ex amore noſtri miſer as noſtras ſuſtinuit, & lachrymas fudit. Secundò flevit dulciſſimus Jeſus Salvator noſter ſuper Lazarum, ut exhiberet et officium humanitatis; item ut daret ſignum intimæ ſuæ charitatis erga illum: & denique ut compateretur amico, qui revocandus erat per ſuam reſuſcitationem ad ſtatum humanæ calamitatis. Tertiò flevit Chriſtus Dominus ſuper civitatem Jeruſalem, ut doctrinam quam prædicavit, pro perſecutoribus eſſe orandum, confirmaret, & ut fontem pietatis ſe eſſe oſtenderet: & ut Tyrannidem perſecutorum ſuorum corrigeret. Quartò Redemptor noſter pientiſſimus flevit in Cruce, ut acerbitatem mortis ſuæ exprimeret; & ut nos ad ſibi compatiendum excitaret: atque ut Patrem ſuum æternum ad miſerendum humano generi provocaret. Circa illa verba: *In involumentis nutritus ſum.*

Notandum ſecundò ex *Hugone lib. 1. in Didaſcalion*; Quod Deus, qui uſum veſtimentorum primus adinvenit (fecit enim primis parentibus noſtris poſt peccatum, agnoſcentibus ſuam nuditatem, tunicas pelliceas) eoſi deraverit, quod ſingula quæque naſcentium propria quædam habeant munimenta, quibus naturam ſuam ab incommodis defendant. Nam cortex ambit arborem, volucrem penna tegit, piſcem ſquama operit, lana ovem induit, pilus jumenta veſtit, concha teſtudinem claudit; nec tamen ſine cauſa factum eſt, quod cum ſingula animantium naturæ ſuæ arma habeant ſecum nata, ſolus homo inermis ſit natus, & nudus. Oportuit enim ut illis, qui ſibi providere neſciunt, natura conſuleret; homini autem major ex hoc occaſio experiendi præſtaretur, cum illa, quæ cæteris naturaliter data ſunt, propria ratione ſibi inveniret. De eadem re loquens *S. Chryſoſt. ſuper cap. 7 Matth.* ſic ait: Omnem creaturam ſenſibilem armatam, & munitam creavit Deus; aliquas veloci pedum curſu, alias unguibus, alias pennis, & aliquas cornibus; ſed ſolum hominem ſic diſpoſuit nudum & inermem; ut virtus ejuſdem hominis, ſit ipſemet Deus; & in eo, qui infirmiorem eum fecit, in ſeipſo Deo fortiorem eſſe voluit; ita ut homo neceſſitate infirmitatis coactus, ſemper neceſſe habeat Dominum Deum ſuum requirere.

Audiendus hic quoque eſt *S. Bernardus qui lib. 2. de Conſideratione* ſcribens ad *Eugenium Papam* ſic ait: Conſulo, ut conſideres maximè quid es; homo videlicet: quomodo & qualiter natus es: nec tantum, quod natus ſis, ſed qualiter natus ſis attendas. Undè nudum te eſſe conſideres, quia nudus egreſſus es de utero matris tuæ. Conſideranti quid ſis? occurrit tibi homo nudus & pauper; miſer & miſerabilis homo; dolens quod homo ſit; erubeſcens quod nudus ſit; plorans quod natus ſit; & murmurans quod homo natus ſit ad laborem, non ad honorem. Homo natus de muliere, & quidem cum reatu peccati originalis; homo brevi vivens tempore, ideoque cum metu; homo repletus multis miſeriis & ideò cum fletu & verecundia: & quidem homo repletus multis & multiplicibus miſeriis, quia cum miſeriis cordis, miſeriis corporis, miſeriis dum dormit, miſeriis dum vigilat, & miſeriis aliis quocunque ſe divertat. Hæc S. Bernardus.

LECTIO XCI.

TEXTUS.

Propter hoc optavi & datus eſt mihi ſenſus; & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ: & præpoſui illam Regnis & Sedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

P*Ropter hoc optavi & datus eſt mihi ſenſus.* Quaſi dicat: Ideò quia ſcio animam meam eſſe immortalem, quæ ſuam perfectionem non poteſt requirere in rei alicujus caducæ & temporalis acquiſitione: ideo inquam: *Optavi & datus eſt mihi ſenſus.* In quibus verbis Salomon redarguit jactantiam ſuperborum; quorum aliqui dicunt ſe fuiſſe adeptos Sapientiam per naturale ingenium: alii vero dicunt ſe acquiſiviſſe Sapientiam per ſtudium & induſtriam. Salomon verò humiliter confitetur ſe Sapientiam non acquiſiviſſe per induſtriam propriam, *Sed receptiſſe à Deo: Datus, inquit, eſt mihi ſenſus*, id eſt, Sapientia. Præfatos ſuperbos increpat Apoſtolus 1. Cor. 4. dicens: Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? *Et invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ.* Invocavi, id eſt, intus vocavi: non ſolum voce interiori ſed etiam corde. *Et venit in me ſpiritus Sapientiæ.* Ecce quam facilis ſit impetratio gratiæ divinæ. Optatur & datur, invocatur & venit. Nec mirum, ſi citò veniat; dicitur enim in *Pſalmo*: Propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Sic ergo in verbis allegatis oſtendit Salomon, qualiter pro Sapientia deprecabatur.

In verbis autem ſequentibus oſtendit, quantum illam deſiderando æſtimaverit, dum dicit:

Et prapoſui illam regnis: id eſt, poteſtatibus dominandi aliis in diverſis regionibus & provinciis. Inſuper *prapoſui illam ſedibus*, id eſt, honoribus terrenis.

Et Divitias nihil eſſe duxi in comparatione. Id eſt, in comparatione Sapientiæ: quæ docet rectè colere Deum. Et bene dicuntur divitiæ eſſe *nihil*; quia per illas annihilantur irritando, inſidiando, & bellando. Nam propter divitias unuſquiſque annihilate nititur alium. Secundò dicuntur divitiæ eſſe *nihil*; quia in maxima neceſſitate non juvant, ut in morte vel in judicio: quando enim homines maximè indigent auxilio, tunc divitiæ Dominum ſuum derelinquunt. Undè in *Pſalmo* dicitur: Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Et Job 29. dicitur: Dives cum dormierit nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet. Tertiò dicuntur divitiæ *nihil*: quia ſatiari animam poſſidentium, ſicut vacuum dicitur nihil. Undè Eccl. 8. dicitur: Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu. Nec mirum, quia omnia terrena ſunt vana. Et ideò Jerem. 4. dicitur: Reſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihil. Cùm ergo poteſtates temporales regnorum, & honores terreni, multis miſeriis ſint conjuncta, & divitiæ ſint velut nihilum, meritò Sapientia omnibus illis eſt præponenda.

Notandum hic, quod hoc nomen *Regnum* ſit æquivocum, poſſitque tripliciter accipi. Nam primo modo *Regnum* vocatur ipſa terra vel regio uni Regi ſubjecta; ſicut dicimus Regnum Franciæ vel Regnum Angliæ: & ſic accipitur ly *Regnum Matth. 4.* Ubi legimus, quod Diabolus aſſumpſerit Chriſtum in montem excelſum, & oſtenderit ipſi omnia Regna mundi. Secundò accipitur *Regnum*, pro poteſtate principandi ſolitariè, ſive monarchicè. Et ſic exponit S. *Chryſoſt. illud Joan.* 19. Regnum meum non eſt de hoc mundo: id eſt, poteſtas, vel authoritas mea quod ſim Rex, non habet originem ex cauſis humanis, vel per humanam electionem: ſed aliundè, quia à Deo. Tertiò etiam *Regnum* accipitur pro hominibus ſibi etiis alicui Regi; ita ut homines occupantes terram ſub Domino alicujus Monarchiæ vocentur Regnum, & ſic accipitur ly *Regnū Apoc. 5.* Feciſti nos Deo noſtro Regnū, & Sacerdotes. Sive ergo loquamur de Regno, ſeu Regnis, quæ ſunt terrarū Regiones, ſive loquamur de Regnis, quæ ſunt principatus, & poteſtates regnandi, ſemper boni & ſancti viri præponunt Sapientiam: id eſt verum Dei cultum, & piam vitam, *Regnis*. Unde ad Hæb. 11. dicitur: Sancti per fidem vicerunt Regna.

Porro vitæ ſanctitas, & morum probitas non ſolùm præponenda eſt Regnis: ſed etiam ſedibus, id eſt, honoribus mundanis: quæ facile evaneſcunt & tranſeunt. Juxta illud: Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles, ſedens ſuper equum, qui ſæpè ceſpitat, exponit ſe periculo, niſi maturè deſcendat. Honor mundanus eſt talis equus, qui hominem ad tempus ſuaviter, & cum delectatione portat, ita ut alii homines ipſum revereantur ac ſummè reſpiciant: ſed non fidas huic equo: quia ut dicitur in *Pſalmo*: Eſt fallax equus ad ſaltum, & ſæpè hominem dejicit, & ex honorabili facit inhonorabilem. Sic namque ludit honor cum hominibus, & comparatur rotæ, quæ infima ſummis & ſumma infimis mutat: ita ut ſæpè dejiciat viros honoratos eum ſuis ſedibus, & extitet econtra humiles. Unde Eccl. 10. dicitur: Sedes ſuperborum Ducum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.

LECTIO XCII.

TEXTUS.

Nec comparavi illi lapidem pretioſum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua: & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

Nec comparavi, id eſt non adæquavi (puta cultui divino, in quo conſiſtit vera Sapientia) *lapidem pretioſum.* Nec eſt mirum, quia ſumma virtus lapidis prætioſi tantum poteſt conducere ad ſalutem corporis: cultus vero Dei proficit ad ſalutem mentis. Et ideo benè poteſt dici de Sapientia illud Job 28. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonico pretioſiſſimo, vel ſapicio.

Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Per quæ verba inſinuare vult Salomon: quod ſicut arenam & lutum pedibus conculcamus, ita etiam omnem pecuniam (quæ nomine auri & argenti intelligenda eſt) vilipendere debemus in comparatione ad veram Sapientiam, ſeu cultum Dei & vitam bonam. Ita nempe ut potius in illes omne aurum & argentum, aliaſque mundi divitias perdere debeamus, quam transgredi mandata Dei. Undè rectè *Regius Pſaltes* cecinit: Dilexi mandata tua, ſuper aurum & topaz on.

Notandum hic, Quod ſicut in arena eſt ſterilitas, diſſolubilitas, & gravitas: ita etiam in mentibus hominum amandi nummorum, amor inordinatus pecuniæ cauſat ſterilitatem, diſſolubilitatem, & gravitatem. Et eundem amor inordinatus pecuniæ cauſat ſterilitatem per avaritiam, propter quam impediuntur ne faciant liberaliter fructum pœnitentiæ. Unde Eccleſ. 5. dicitur: Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Et Jerem. 22. Scribe virum iſtum, ſterilem virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur. Secundò deordinatus amor pecuniæ cauſat in homine diſſolubilitatem. Nam ſicut capilli in arena ſunt inter ſe diviſi & non conglutinati per cohærentiam, ita inter amatores pecuniæ ſemper eſt diviſio, diſcordia & litigatio. Tertiò amor inordinatus pecuniæ cauſat gravitatem, quæ eſt appetitus tendendi deorſum. Subtrahit enim mentem à cæleſtibus, & facit eam inhærere rebus caducis. Et ideo ſignanter dicitur: Proverb. 8. Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam; doctrinam magis, quàm theſaurum diligite.

* * *

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum argentum rectè comparetur luto, ratione deturpationis, tenacitatis retentivæ, & indurationis damnificativæ?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod argentum rectè comparetur *Luto ratione deturpationis*. Nam lutum eſt deturpativum cujuſcunque quod tangit propter ſuam fœditatem. Undè qui cadit in lutum, totaliter deturpatur in corpore. Iſto modo etiam qui cadit in amorem inordinatum argenti vel pecuniæ, infallibiliter maculatur. Conſtat, quod ſi quis ſtylo argenteo albiſſimo, trahat unam lineam ſuper membranam, vel pergamenum albiſſimum, tunc relinquatur una nigra linea ſuper pergamenum quamvis argenteus ſtylus fuerit albiſſimus, & pergamenum quoque candidiſſimum fuerit, ſic etiam pariformiter, licet anima ſit innocens & munda, & argentum in genere ſuo ſit res bona (quia omnis Dei creatura res bona eſt, ſi ea convenienter utamur) quando tamen argentum fortiter per inordinatum amorem imprimitur animæ, tunc ſtatim relinquit in anima lineam nigram peccati, cujus ultimum punctum eſt caſus ad infernum; juxta illud Job. 21. Ducunt in bono dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. De iſto quoque argenti luto dicitur Habacuc 2. Væ qui multiplicat non ſua, uſquequo aggrevat contra ſe denſum lutum?

Explicatur ſecunda pars. Quod argentum rectè comparetur *Luto ratione tenacitatis retentiva*. Conſtat quod homo ambulans in profundo luto, non niſi cum ſumma difficultate & grandi deſatigatione incedat, ita ut ſæpè in tantum infigatur in luto, ut propemodum ſit inde immobilis; ſed revera illud ipſum etiam contingit illi, qui ambulat in amore inordinato pecuniæ: talis enim infigitur in rebus caducis, ut non poſſit proficere in merito vitæ ſpiritualis. In cujus figuram Pharao Rex Ægypti oppreſſit filios Iſraël ſervitute luti, & lateris, ne eſſent liberi in Regno ſuo; ut patet *Ex cap. 5. Exod.* Tali modo etiam diabolus exiſtens in mundo ſatagit opprimere homines ſervitute argenti, & divitiarum; ſciens, quod nemo poſſit duobus Dominis ſervire: juxta illud Matth. 6. Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ. Qui autem inſerviunt nimio amore inordinato Mammonæ, ſeu argento & divitiis, in tantum infiguntur in luto, ut non poſſint proficere profectu ſpirituali: & ideò Regius vates Dominum exorat dicens; Eripe me de luto ut non infigat, id eſt, ut non detinear, quin mentem meam ad te dirigam.

Narrat *Ariſtot. in ſua Poetria*: Quod Poëtæ Arabici dona vocaverint compedes. Quia ſicut compedibus irretitus non poteſt procedere ſicut vellet, ſed tantum ſe movere quantum compedes permittunt; ſic etiam Judices recipientes pecunia, vel argenti dona, quamvis alias ſint viri diſcreti & Juſti, quodammodo tamen ſentiunt ſe eſſe compeditos, & quaſi reſtrictos, nec tam liberè & ex amore Juſtitiæ exerceant illa quæ Juſtitia ſuadet eſſe exercenda.

Explicatur tertia pars. Quod argentum rectè comparetur *Luto ratione indurationis damnificativa*. Conſtat quod de luto indurato fiunt lapides durabiles contra ignem. Sic etiam amatores luti, id eſt, pecuniæ, fiunt apti ut ponantur in igne infernali in perpetuum. Undè Eccl. 9. dicitur: Corda hominum replentur malitia. (Ubi *Gloſſa* addit in delectatione pecuniæ) & poſt hæc in inferna deducuntur. Verumtamen fratres chariſſimi diligenter attendite illud Prov. 22. Super aurum & argentum gratia bona.

ARTICULUS SECUNDUS.

An pecunia præjudicet Sapientiæ uſurpando ejus actus, in præcipiendo, & diſcernendo, & protegendo?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod pecunia præjudicet Sapientiæ *Uſurpando ejus actum qui eſt præcipere*. Nam pecunia præcipit magnis & parvis, divitibus & pauperibus & omnes ei obediunt ad nutum; juxta illud Eccl. 10. Pecuniæ obediunt omnia. Patetque hujus rei veritas in pluribus exemplis.

Explicatur ſecunda pars. Quod pecunia præjudicet Sapientiæ in diſcernendo & uſurpando ſibi actum Sapientiæ, *qui eſt judicare ſeu diſcernere*. Nam pecunia facit, quod omnia jura mundi allegentur *pro & contra*, dummodo poſſit habere ſuum intentum, ſedet etiam pecunia in tribunali tam Eccleſiaſtico quam civili. De quibus dicitur Michææ 3. Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabãt.

Explicatur tertia pars. Quod pecunia præjudicet Sapientiæ in *protegendo*: quia pecunia protegit tam Juſtos quam Injuſtos. Et ideò rectè Eccl. 7. dicitur: Sicut protegit Sapientia, ſic etiam protegit pecunia. Narrat author *Lapidarii cap. 4.* De Jaſpide tres proprietates. Prima eſt, quod ſi caſtè geratur, faciat portantem tutum, potentem, & ſanum. Secunda eſt, quod ſi geſtans dat falſum judicium tunc lapis perdit ſuam virtutem. Tertio eſt, quod Jaſpis non exerceat ſuam virtutem perfectè, niſi includatur in argento. Moraliter loquendo, iſte Jaſpis ſignificat Juſtitiam; hæc enim eſt talis virtus quæ ſe habentem facit tutum, ſanum, & fortem: undè de Juſtitia poteſt dici illud Prov. 12. Non contriſtabit Juſtum quidquid ei acciderit. Facit etiam Juſtititia hominem ſe habentem tutum: Nam Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, Sap. 3. Secundo iſta virtus juſtitiæ eſt talis naturæ, ut ſi ille qui eam habet, faciat falſum judicium, ſtatim perdat meritum ſuum. Undè Ezech. 18. dicitur: Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur: in prævaricatione quâ prævaricatus eſt, & in peccato ſuo quod fecit, morietur. Adeoque juſtitia perdit veritatem ſuam, id eſt, præmium ſuum debitum, ſi homo fecerit falſum judicium. Tertiò juſtitia moderno tempore non exercet virtutem ſuam, niſi involvatur argento, quantumvis ſit cauſa clara alicujus pauperis. Et ideò in his omnibus verificatur illud Michææ 3. ſupra allegatum. Prin-

cipes ejus in muneribus judicabant, cavaant verò tales; quia uti dicitur Eccl. 8. Multos perdidit aurum & argentum, & uſque ad cor Regum ſe extendit & convertit. Convertit videlicet ad iniquitatem, & vocatur mamona iniquitatis. Audiant quoque tales amatores pecuniæ illud Eccl. 10. Nihil iniquius, quàm amare pecuniam.

LECTIO XCIII.

TEXTUS.

Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus oſtendit quod Sapientia, id eſt, devota vita, & [illegible] Dei cultus [illegible] ſit præferenda [illegible] [illegible] vitiis & honoribus [illegible], quod præponi debeat bonis corporalibus, tam exterioribus, quàm [illegible]; id eſt tam ſanitati ſeu ſaluti (quæ eſt bona diſpoſitio interior) quàm ſpeciositati ſeu pulchritudini exteriori.

Dicit ergo *ſuper ſalutem* (id eſt, ſuper ſanitatem corporis) *dilexi Sapientiam*, quæ eſt ſalus animæ pretioſior corpore. Unde Eccl. 30 dicitur: *Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ.* Subdit: *Et ſuper ſpeciem*, id eſt, ſuper pulchritudinem corporis *dilexi Sapientiam*: quæ eſt immarceſſibilis [illegible] tamen forma ſeu pulchritudo corporis ſit [illegible], juxta illud Prov. 31. Fallax gratia (ſcilicet humana) & vana eſt pulchritudo. *Et propoſui pro luce habere illam*, id eſt omninò decrevi, quod in omnibus meis actionibus, & motibus velim ſequi ductum Sapientiæ tanquam lucis me præcedentis. Nam ſicut homo in nocte ambulare volens indiget luce, ut rectè dirigat greſſus ſuos, ne aberret à via & ne incidat in foveam, vel allidat [illegible], ita homo in vita coram Deo ambulare volens, indiget Sapientia tanquam luce ſe præcedente. Et merito quidem utitur homo Sapientia tanquam luce: *Quia inextinguibile eſt lumen illius.* Id eſt, quia in hac vita præbet veram lucem animæ; & poſt hanc vitam animam conjunget æternæ luci ſcilicet Deo: qui eſt lux puriſſima, quam anima glorificata per viſionem beatificam æternaliter cum ſumma delectatione conſpiciet & contemplabitur. Circa illa verba *Super ſalutem*; id eſt, ſuper ſanitatem corporis, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum infirmitas corporalis ſit veluti arcæ pretioſæ concatenatio, perſonæ ſceleroſæ incarnatio, ſocii fugientis arreſtatio, & hoſtis reſiſtentis expugnatio?

DIen quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod infirmitas corporalis cum patientia tolerata ſit veluti *Arcæ pretioſæ concatenatio.* Conſtat quando ciſta vel arca fortioribus catenis eſt colligata, & quo pluribus ſeris ferreis eſt clauſa; tantò eſt aptior ad ſervandum & cuſtodiendum theſaurum in ſe clauſum. Sic etiam, quando corpus hominis eſt infirmum, ligatur (ut ſolet dici) vinculis Dei & obſeratur ſera, quam ſolus Deus aperire poteſt; & tunc tale corpus infirmum, eſt aptum ad ſervandum pretioſum theſaurum [illegible] ſuis animæ piæ ac devotæ, in qua Deus habitare deſiderat; Unde *S. Bernardus* ait: Theſaurum ſervandum accepit, pro quo Deus meus in natura humana ſanguinem ſuum dedit. Itaque vincula infirmitatis gratanter ſunt accipienda, quando nobis Deus illa immittit. Unde rectè dicit Apoſtolus 2. Cor. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut in me habitet virtus Chriſti.

Explicatur ſecunda pars, quod infirmitas corporalis ſit (moraliter loquendo) quaſi *perſonæ ſceleroſæ incarceratio.* Quando fur aliquis multorum malorum conſcius, capitur, tam diu torquetur, donec prodat omnes ſuos complices, & ſocios. Caro noſtra (moraliter loquendo) eſt res multorum criminoſa; ſocii, ejuſque complices [illegible] ſenſus corporis, qui ſæpè hominem expoſuerunt [illegible]. [illegible] carnem noſtram tanquam [illegible] capit, & per infirmitates vinculat, & incarcerat, torquetque tam diu quouſque ſuos complices & ſocios peccati proclamat: nam dum homo ſanus eſt ſæpè per annum non confitetur; ſed quando incidit in infirmitatem ſibi à Deo miſſam ſtatim incipit confiteri & ad Deum ſe convertare juxta illud Pſal. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt.

Explicatur tertia pars, quod infirmitas corporalis ſit veluti *ſocii fugientis arreſtatio*; Contingit ſæpè, quod plures ſimul proficiſcantur, ita ut unus ſolvat pro omnibus, alii autem pro rata ſua ipſi reddunt, quæ debent: ſi autem unus ex eis fugeret, poſtquam bene tractatus eſt, juſtum eſt, quod talis arreſtetur, & ad quotæ ſuæ ſolutionem compellatur. Moraliter loquendo anima, & corpus peregrinantur ſimul in hac vita, juxta illud Cor. 2. cap. 5. Quamdiu ſumus in hoc corpore peregrinamur. Faciunt autem in hac peregrinatione anima & corpus expenſas communes; quia nec anima ſine corpore, nec corpus ſine anima in peccando delectantur: juſtum ergò eſt, ut ſicut tam anima quam corpus in peccando delectationem ſenſit, ſic etiam in pœnitendo tam anima quàm corpus pro rata ſua ſatisfaciat. Nunc autem caro noſtra vult quidem participare delectationem peccati, ſed quando agitur de facienda patientia, vult ſubterfugere: juxta illud Job 14. Fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu parmanet. Et ideò Deus tanquàm juſtus judex arreſtat carnem per infirmitatem, & compellit carnem ad ſolvendum & ſatisfaciendum per pœnam. Huc facit illud Matth 18. Miſit eum in carcerem, donec redderet univerſum debitum. Exemplum hujus habemus Iſai 36. de Rege Ezechia, qui quia Domino Deo pro obtenta glorioſa victoria (dum Angelus Domini in caſtris Sennacherib percuſſit in una nocte centum, & octuaginta duo millia virorum non compoſuit novum Canticum pro gratiarum actione ut moris erat, percuſſit eum graviſſima infirmitate, ita ut Deus ei comminatoriè

curaverit

curaverit dici per Iſaiam Prophetam: Morieris tu & non vives. Poſtquam autem Ezechias hoc intellectu ſe convertit ad parietem, & amariſſime peccatum ſuum deflevit, iterum curavit Deus illi dici per Iſaiam Prophetam: Audivi orationem tuam & vidi lachrimas tuas, & ſervavi te; die tertia aſcendes in templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Convaluit itaque Ezechias, & tertio die aſcendit in templum, & cantavit agendo gratias pro obtenta victoria illud Canticum: Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi &c. Ecce quomodo Ezechias quia non ſolverat Domino Deo quod debuit, arreſtatus fuit per infirmitatem, donec ſolveret perfectè. Antiqui etiam Patres pro victoriis ſibi conceſſis à Domino carmina regratiatoria ſolebant componere.

Explicatur quarta pars, quod infirmitas corporalis ſit *hoſtis reſiſtentis expugnatio.* Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem, ut dicitur ad Galat. 5. Et ideò debilitas carnis eſt fortitudo Spiritus. Huc facit illud Eccl. 31. Infirmitas carnis ſobriam facit animam; Undè *S. Bernardus* exponens illud Apoſtoli (*Quando infirmus ſum, tunc fortior ſum & potens*) dicit ſic. Quid mirum ſi hoſte debilitato fortior efficiaris? Niſi forte illum inſaniſſimam dicam animam, quæ non ceſſat concupiſcere adverſus ſpiritum. Hæc ille. Circa illa verba: *Supra Speciem* (id eſt, ſupra pulchritudinem) *dilexi illam*, ſic

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum ſpecies ſeu pulchritudo corporis ſit bonum defectivum, bonum infectivum, & bonum deceptivum?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod pulchritudo corporis ſit *bonum defectivum.* Nam iſta pulchritudo corporis continuò fugit, perditur, & diminuitur. Undè *Baſilius 3. de Conſolat. proſ. 8.* ſic inquit; Formæ corporalis nitor rapidus, & vernalium florum mutabilitate fugatior eſt. De hac etiam tranſitoria pulchritudine corporis canit *Ovidius lib. 2. de arte amandi* hoc modo.

> Forma bonum fragile eſt: poſtquam deſcendit ad annos,
> Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
> Nec violæ ſemper, nec florent lilia ſemper,
> Et riget abſtracta ſpina relicta roſa.
> Et tibi jam venient albi formoſe capilli:
> Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Patet ergo, quod ſpecies ſeu pulchritudo ſit bonum defectivum. Undè Eccl. 11. dicitur: Ne laudes hominem in ſpecie ſua, nec ſpernas hominem in viſu ſuo.

Explicatur ſecunda pars, quod ſpecies ſeu pulchritudo ſit *bonum infectivum*; ratò enim conjungitur pudicitia cum pulchritudine. Undè *Author Libri de Varietate carminum ad Ioannem de Nirmis* dicit ſic. Tria ſunt ſeminum genera, quæ in cultu juventutis ægro abſque comitantibus zizaniis rariſſimè convaleſcunt: nimirum elegantia pulchritudinis, vigor fortitudinis, & ſuavitas vocis. Nam pulchritudo alicujus libidinis prædam, aut prædonem efficit caſtratis. Fortitudo verò audaciam ingerit: audacia autem ad injurias committendas impellit. Illi verò qui vocis amœnitate præeminent; laſcivia modeſtis, ludicra proficuis, & jocoſa ſeriis anteponunt. Undè Helinandus teſte *Vincentio l. b. 4. cap. 199.* ait: Vidi infinitos tum viros, tum mulieres tanto eſſe vitæ pejoris, quantò ſunt vocis melioris. Patet ergo quod pulchritudo corporis ſit *bonum infectivum*; Et ideò rectè dicitur Eccleſ. 9. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem mulierũ, multi perierunt: & ex hoc cor concupiſcentia quaſi ignis exardeſcet.

Explicatur tertia pars, quod pulchritudo corporis ſit *Bonum deceptivum.* Nam pulchritudo ſæpè hominem probiſſimum ita inflat, ut perdat gratiam divinam. In hujus rei figuram legimus Matth. 6. Quod Herodes natalem ſuum celebrans in convivio durante, juſſerit occidi S. Joannem Baptiſtam; Herodes interpretatur *Glorians in pellibus*; & ſignificat vel figurat, ac repræſentat illos homines, qui tantum in pulchritudine pellis ſuæ albæ, & eximiæ gloriantur, ac ſuperbiunt. Homo ergo talis qui gloriatur ex pelle ſua, ſeu pulchritudine corporali, celebrat quaſi diem ſuum natalem cum Herode dum inaniter gloriatur de pulchritudine aliqua tam vana, & ſuperficiali. Sed quid fit? Talis ſuperbè glorians de ſua pulchritudine ſtatim occidit Ioannem id eſt, *gratiam*, deceptus per vanam gloriam. Undè rectè de tali dicitur Danielis 13. Species decepit te.

LECTIO XCIV.

TEXTUS.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa; id eſt: Deus non ſolùm mihi dedit Sapientiam, per quam eum cognovi, ſed etiam divitias & gloriam. Nam ut legitur 3. Reg. 3. dum Salomon poſt mortem patris ſui, promotus fuit ad regnum, & hoſtias Deo devotè immolavit, pro impetrando fœlici regimine: tunc nocte ſequenti apparuit ei Dominus dicens: Poſtula quod vis, ut dem tibi. Cui Salomon reſpondit, Domine Deus, ego ſum puer parvulus ignorans ingreſſum meum, & exitum, & tu elegiſti me ſuper populum tuum, qui eſt innumerabilis ſicut arena maris. Da mihi cor docile, ut diſcernere poſſim inter bonum, & malum, & ut poſſim juſtè judicare populum; Placuit iſta petitio Domino Deo: & ideò reſpondit Dominus per ſomnium dicens Salomoni: Quia poſtulaſti verba hæc & non petiviſti dies multos nec divitias, nec animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi Sapientiam ad diſcernendum judicium, ecce

Digitized by Google

feci ſecundum ſermones tuos, & conceſſi tibi cor ſapiens, & intelligens, ita ut nullus ante te ſimilis tibi fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Inſuper & quæ non petiviſti, conceſſi tibi: videlicet divitias & gloriam: & ſi in præceptis meis ambulaveris, longos faciam dies tuos. Juſtè itaque dicere poterat Salomon: *Venerunt omnia bona pariter cum illa*; id eſt, cum Sapientia. *Et innumerabilis honeſtas per manus illius.* Honeſtum nihil aliud eſt quàm virtuoſum, & honeſtas aliud non eſt quàm virtus; Dicitur autem in textu *Innumerabilis*, id eſt, perpetua & æterna: temporalis enim, quantumcunque fuerit intenſa & prolixa, ſemper manet numerabilis, cum tempus ſit numerus ſecundum prius & poſterius, ut dicitur 4. *Phyſic.* Sed honeſtas æterna, eſt innumerabilis & infinita à parte poſt. Dicit ergo Salomon quod advenerit ſibi innumerabilis honeſtas per manus Sapientiæ, id eſt, per exercitium & operationem virtutum. Circa illa verba: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa*, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An Dominus Deus conferat plus ſubinde homini de bonis temporalibus, quam ei abſtulit; plus ei det quàm petitum ſit; ac denique plus tribuat in effectu, quam expreſſerit in ſua promiſſione?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Dominus Deus ſubinde homini plus conferat de bonis temporalibus quàm ei abſtulit. Hujus exemplum clariſſimum habemus in Job, cui Deus abſtulit primo tam proles, quàm ſubſtantiam; videlicet 7. filios & 3 filias. Item 7000. ovium & 7000. Camelorum, quingenta juga boum, & 500 aſinas, ut patet *ex Job primo*. Poſtquam autem Job perfectam Domino in omnibus exhibuit patientiam, placuit hoc Deo, qui idcirco non ſolum bona ablata Jobo reſtituit, ſed inſuper duplicavit. Nam ut dicitur *Job ultimo*, addidit Dominus, quæcunque fuerant Job, duplicata, cum enim prius habuiſſet 7000. ovium, habuit in fine 14000 ovium, & 14000. Camelorũ, & 1000. juga boum & 1000 aſinas. Patet ergo, quod Dñus ſubinde plus dat quàm tollit. Dixi *ſubinde*, quia aliquando Deus permittit hominem in ſua miſeria: vel quia hoc meretur, vel quia divitiæ non eſſent pro ſalute animæ illius.

Explicatur ſecunda pars, quod Deus plus tribuat quam rogetur. Et hæc pars explicata manet ex hiſtoria ſuperius in declaratione textus poſita de Salomone *ex 3. Reg. c. 3. & 2. Paralip. cap. 3.*

Explicatur tertia pars, quod Deus plus tribuat in effectu, quàm expreſſerit in promiſſione; Et hæc pars conſtat clarè ex hiſtoria quæ ponitur Numer. 17. Vbi legimus, quod cum eſſent 12. tribus filiorum Jſraël, & Dominus Sacerdotium contuliſſet tantum tribui Levi, murmuraverint aliæ tribus contra Moyſen & Aaron, allegantes, quod rationabile foret, ſi de aliqua alia tribu, vel etiam de quavis tribu forent aliqui Sacerdotes. Dixit ergo Dominus ad Moyſen, quod acciperet 12. Virgas 12. Principum, & ſcriberet in unaquaque Virga nomen Principis, cujus erat, excepta virga tribus Levi, quia in illa virga ſcribi præcepit Dominus ſcribi nomen Aaron. Similiter juſſit Dominus, quod præter 12. iſtas virgas acciperet aliquam aliam, quæ ſit communis omnium tribuum, in qua nomina omnium tribuum ſcriberentur, ita ut eſſent in univerſo 13. Virgæ. Vlterius præcepit Dominus Moyſi, quod poſtquam ab eis ſingulas Virgas juxta formam præſcriptam accepiſſet, poneret eas coram Domino in tabernaculo una nocte: *Et promiſit*, quod Virga illius, quam elegit pro officio Sacerdotis, in craſtino *germinabit* & ſi illa Virga v. g. quæ fuit virga communis omnium tribuum, germinaverit, ſignum erit, quod de qualibet tribu erunt Sacerdotes: & ſic per tale miraculum ceſſaret murmur populi ratione Sacerdotii contra Moyſen & Aaron. Factis ergo omnibus iſtis, rediit ſequenti die ad tabernaculum Moyſes, & invenit virgam Aaron non tantum germinaſſe, ſed etiam floruiſſe, & foliis dilatatis Amygdala protuliſſe. Ecce declaratum eſt populo pro ſemper, quod tantum apud Aaron, & ſtirpem ſuam deinceps Sacerdotii dignitas permaneat. Patet ergo ex dictis, quod Deus plus protulerit in opere, quàm promiſerit verbotenus: quia Deus tantum promiſit germinationem Virgæ, in re autem ultra germinationem, etiam floritionem cum foliis & fructu.

LECTIO XCV.

TEXTVS.

Et lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta Sapientia, & ignorabam quoniam omnium bonorum mater eſt.

EXPLICATIO TEXTVS.

Et lætatus eſt in omnibus; id eſt, jucunditatem habui etiam in omnibus meis operationibus, & in omnibus aliis mihi à Deo collatis, & circa me factis lætatus fui, & exultavi. Nec mirum, quod habens veram Sapientiam *lætetur in omnibus*; quia ut ait *Apoſt. ad Romanos* 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Omnia, inquam, ſive ſint proſpera ſive adverſa. Undè etiam Prov. 2. dicitur: Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit. Item *Apoſtolus* 1. *ad Theſſ.* 2. ait: In omnibus gratias agite. Et ad Philip. 4. dicit. Scio humiliari, ſcio & abundare; ubique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati: omnia enim poſſum in eo qui me confortat. Rectè ergo dicitur in textu de Sapiente, id eſt, verum Dei cultum habente, & bonam vitam ducente, *Lætatus eſt in omnibus*.

Sed quare? Certe ſolum ideò *Quia antecedebat me iſta Sapientia*, id eſt, timor Domini: quia initium Sapientiæ timor domini: vel cultus Dei devotus, qui vocatur pietas; Undè Job 28. dicitur: Ecce timor Domini, ipſe eſt Sapientia.

Et ignoravi, quoniam omnium bonorum mater eſt. Per ly *ignoravi* Salomon deſignat, quod Sapientia auferat ignorantiam innatæ cæcitatis, *Ignora-*

Ignoravi, inquam, *quoniam omnium bonorum mater eſt.* Ipſa eſt enim, quæ dicit Eccl. 24. Ego mater pulchræ dilectionis & amoris & agnitionis & ſanctæ ſpei. Dicitur autem *Sapientia* magis *mater* quam pater, quia ſicut pater eſt cauſa principalis in generatione prolis, & mater tantum cauſa ſecundaria, quia eſt principium paſſivum: ita etiam in omni operatione meritoria Deus eſt ſicut pater, & humana induſtria ſicut mater. Et loquitur Salomon de Sapientia metaphoricè, imaginando ſibi Sapientiam tanquam aliquam perſonam fœmineam: ſicut *Boetius 2. de Conſol. et Athenienſes*, aliqui antiqui philoſophiam in ſpecie alicujus perſonæ fœmineæ deſcripſerunt. Pro quo

Notandum, quòd antiqui Athenienſes philoſophiam tripliciter deſcripſerunt. Aliqui enim deſcripſerunt philoſophiam ſicut Dominam delicatam jacentem; qui movebantur ex hoc quod dicitur 7. Phyſic. nimirum quod in quieſcendo, & ſedendo, anima ſciens fiat, & prudens. Itaque iſti depinxerunt philoſophiam, ſicut Dominam delicatam jacentem, ad denotandum, quod ſine quiete & pace in turbationibus ſæculi, & ſenſualitatis, nullus Sapientiam poſſit adipiſci. Lecticam autem philoſophiæ 4. perſonæ portabant vel potius cuſtodiebant: nimirū duo juvenes Philos, & Thopos, id eſt amor & labor: & duæ puellæ id eſt *Philomena & Agrimina*, id eſt, cura & vigilia. Secundo aliqui inter Athenienſes fuerunt, qui depinxerunt philoſophiam, ſicut Imperatricem ſtantem in omnibus foribus templorum, ſuper cujus caput ſic erat ſcriptum Uſus me genuit, memoria me peperit, odivi ſtultos & opera ignara.

Tertiò aliqui depinxerunt Philoſophiam in Prætoriis, ſicut Reginam ſedentem in Cathedra, cui ſub aſcellis ordinabantur duo venerabiles ſenes, hinc & indè, qui uno genu flexo ſugebant ipſius mammillas, ipſa verò ſuper utrumque manus quaſi conſuvendo extendit. Sic itaque philoſophia in prætorio depingebatur ad denotandum, quod ſine Sapientia veritas judicii exerceri non poſſit: & quod judices, quantumcunque ſint ſenes, & experti, ſemper indigeant novo Sapientiæ nutrimento. Huc facit illud 1. Pet. 2. Sine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in Sapientia. Et Eccl. 25. Quam ſpecioſum canitiei judicium & presbyteris cognoſcere conſilium: quam ſpecioſa veteranis Sapientia, & glorioſus intellectus, & conſilium. Circa illa verba: *Lætatus ſum in omnibus*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum juſtus in hac vita debeat gaudere de ſui Domini infinita bonitate, de conſcientiæ ſuæ puritate, & de ſui proximi proſperitate.

Reſpondeo quod ſic.

Explicatur prima pars, quod juſtus in hac vita debeat lætari de Domini ſui bonitate infinita. Propter quod in *Pſalmo* dicitur: Lætabitur juſtus in Domino, & laudabuntur omnes recti corde. Eſt autem lætitia dilatatio quædam cordis, ſicut triſtitia eſt conſtrictio cordis. Cor autem juſtorum ſic eſt diſpoſitum, quod lata cordis illorum pars ſit erga ſuperiora, nempe Deum: ſtricta autem ſeu modica pars cordis illorum eſt erga mundum. Et ideo cor juſtorum ſemper eſt lætum in Domino. Dicitur autem lætitia à latitia propter latitudinem. Unde ſicut lampas in Eccleſia, quamdiu latitudinem ſuam habet verſus cœlum, tamdiu continet lumen, & oleum, ſi autem conus lampadis ſtet ſuperius, effunditur oleum & extinguitur lumen. Sic etiam moraliter loquendo, quamdiu cor habet ſuam latitudinem verſus cœlum, & conum verſus terram, tamdiu continet lumen gratiæ & charitatis oleum: ſi autem conus ſeu cuſpis cordis ſtat verſus Deum & cœlum, & pars latior cordis ſtet verſus mundum, effunditur oleum charitatis & extinguitur lumen gratiæ. Quia ergo cor hominis ſemper debet habere latitudinem verſus Deum, ideò ſemper debet lætari in Domino, juxta illud *Pſalmi*: Jubilate Deo omnis terra, ſervite Domino in lætitia.

Explicatur ſecunda pars, quod homo juſtus in hac vita debeat delectari in conſcientiæ ſuæ puritate. Debet autem lætitia hominis juſti eſſe in monte *Syon*; juxta illud Pſalmi: Lætetur mons Syon, & exultent filiæ Judæ. *Syon* interpretatur *ſpecula*. Eſt autem *ſpecula*, locus ſublimis, ſicut v.g. eſt turris aliqua alta, ex qua poſſum videre homines, qui tranſierunt, tranſeunt & tranſibunt. Moraliter loquendo: Mons *Syon* eſt animus juſti, altus per contemptum terrenorum, & aptus ad ſpeculandum de rebus remotis per conſiderationem cœleſtium, & futurorum. In iſto ergo monte debet eſſe lætitia & quies. Scitur, quod in cacumine altiſſimorum montium non fiant turbationes ventorum nec pluviarum, ſed eſt ibidem ſemper quies, & ſerenitas. Pariformiter in mente veri juſti eſt talis quies, & ſerenitas; quia ut docet *Seneca*: Mens ſapientis eſt ſicut cœlum ſuper ſphæram lunæ, ubi non fiunt peregrinæ impreſſiones. Si autem in mente juſti contingeret turbatio aliqua per peccatum, ſtatim habet remedium Confeſſionis. Et ideò exultant *filiæ Juda*; Quaſi dicat: Non ſolum lætari debent innocentes & perfecti in ſuæ conſcientiæ puritate; ſed etiam pœnitentes ut confeſſi: *Juda* enim interpretatur *Confeſſio*.

Explicatur tertia pars, quod juſtus in hac vita debeat lætari de ſui proximi proſperitate: ſicut unum membrum lætatur de alterius membri ſanitate, & triſtatur de ejus infirmitate. Dicunt itaque boni de ſuis confratribus ſemper illud 1. Machab. 12. Sicut fas eſt & decet meminiſſe fratrum, lætamur ergò de gloria veſtra. Circa illa verba: *Quoniam antecedebat me iſta ſapientia*, ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

An impetuoſos, & accidioſos Sapientia non antecedat?

Dico quod nec impetuoſos, nec accidioſos Sapientia antecedat.

Explicatur prima pars, quod homines capitoſos, præcipites, & impetuoſos non præcedat Sapientia. Dicit enim *Seneca*, quod duo maximè ſunt contraria conſilio: nempè feſtinatio, & ira.

Et

Et ideò iracundi & impetuoſi nunquam dabunt ſapiens conſilium ; indiget enim quiete & deliberatione. Undè idem *Seneca de 4. virtutibus* ait : Prudentis proprium eſt examinare conſilia, nec citò facili credulitate ad falſa prolabi. Undè tales non præcedet Sapientia, ſed aliquando *ſubſequitur* : quia per ſuæ præſumptionis pœnam addiſcunt in poſterum cautius negotiari.

Explicatur ſecunda pars, de accidioſis quos etiam Sapientia non præcedit : quia negligentes ſunt in prævidendo, & præordinando ante tempus. Et ideò poſtquam tempus tranſivit, nimis tardè prævidere incipiunt. Et ideò dicit *Senec. de 4. virtutibus* Cardinalibus. Si prudens eſſe cupis, in futurum proſpectum intende ; & quæ poſſunt contingere, animo tuo cuncta propone, & antea totum proſpicias. Vir qui prudens eſt, non dicit, non putavi hoc fieri ; quia non dubitat, ſed exſpectat : non ſuſpicatur, ſed cavet : ex quo fit, quod turpiter errent ſerò pœnitentes & de ſalute propria diſpoſitionem facere differentes. At verò juſtos ſemper præcedit Sapientia ; juxta illud Eccleſ. 4. Sapientia filiis tuis vitam inſpirat, & ſuſcipit inquirentes ſe, & præibit in via juſtitiæ.

LECTIO XCVI.

TEXTUS.

Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.

EXPLICATIO TEXTUS.

Hic oſtendit Spiritus S. quomodo circa tria ſeſe ſpecialiter habere debeant viri ſcholaſtici, ſeu profeſſores. Nam primò debent habere zelum ſolidæ veritatis cognoſcendæ ab intellectu ; Secundò debent habere motum placidæ charitatis in affectu. Et tertiò quod debeant habere ſignum intimæ bonitatis in effectu. Et quidem ſapientes juſti debent habere veritatem in docendo ; & ideò dicit Salomon : *Et ſine invidia communico*. Et rectè ſanè ; nam Theſaurus abſconditus, & ſcientia inviſa, quæ utilitas in utriſque ? Tertiò debent habere bonitatem in vivendo ; & ideò Salomon addit : *Et honeſtatem illius* (id eſt, viam & ſanctam converſationem, & ad regulas rationes debitè compoſita vita, quæ à vera Sapientia procedit) *non abſcondo.*

ARTICULUS PRIMUS.

An devotus ſcholaris addiſcendo præponere debeat utilitatem ſubtilitati, humilitatem ſublimitati, & ſoliditatem vanitati ?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod devotus ſcholaris in addiſcendo præponere debeat, *utilitatem ſubtilitati*. Undè Chriſtus Dominus Matth. 11. non mandavit diſcipulis, quod debeant ſubtilitatibus ſtudere, ſed tantum dixit eis : Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. *Seneca* etiam in quadam *Epiſtola contra inſiſtentes ſupervacuis*, ſic ait : Quid te torques in illa quæſtione quam ſubtilius eſt contempſiſſe, quàm ſolvere. Idem *in Epiſt. 84. in libris communibus 48.* Deridet nimis inſiſtentes Logicæ uſque ad ſenium, & dicit ſic : Mus ſyllaba eſt ; mus caſeum rodit ; Ergo ſyllaba caſeum rodit. Putaſne nunc me non poſſe ſolvere ; quod mihi ex iſta inſcientia periculum imminet ? quod incommodum ? ſine dubio verendum eſt, ne aliquando in muſcipula ſyllabas capiam ; aut ne aliquando, ſi negligentior fuero, caſeum ſyllaba corrodat. *Et infra.* Si multum ſupereſſet ætatis, parcè diſpenſandum eſſet, ut ſufficeret neceſſariis. Nunc autem, quæ dementia eſt ſupervacua deferere in tanta temporis egeſtate ? *Hæc Seneca* : Ideò etiam *Ariſtoteles* declarans Philoſophiæ utilitatem. & de Logica ſimpliciter loquens dicit ſic : Hæc ſcientia eſt utilis, & eſt utilis ut ſcorpio in theriaca : qui licet ſit venenum, ſi tamen detur patienti, dolorem minuit, & præſtat remedium. Vult dicere Ariſtoteles, quod ſicut Scorpio in theriaca nihil prodeſt ſanis, ſed tantum à Scorpione percuſſis : ita etiam Logica, non valet homini, niſi dum à Sophiſtis affligitur. Et ideò ſubdit Ariſtoteles : Decet Philoſophum ſcire omnes hujuſmodi rationes, ad hoc ut ſophiſticè non fallatur ; & intelligat locos, & propoſitiones in quibus fiat ei ſophiſma. Hæc *Ariſtoteles*. Patet ergo, quod utilitas ſit præponenda ſubtilitati.

Explicatur ſecunda pars, quod *humilitas ſit præponenda ſublimitati*. Nam ſoli illi homines verè proficiunt in diſcendo, qui à nullo diſcere erubeſcunt. Undè *S. Hieron. in Ep. ad Paulinum, ſcribit de Apolonio*, qui quaſi totum mundum circuivit, ut aliquid diſceret, & ſe ſe indies magis perficeret, & melior fieret. Et ideò rectè dicit *Pſalmiſta* : Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas. Quaſi dicat : quod ſine humilitate juſtificationes divinas diſcere non poſſet.

Explicatur tertia pars, quod *ſoliditas verborum ſit præponenda vanitati*. Quia ſtudium, & doctrina commendatur homini. Undè etiam ſoliditas verborum penetrat cor ; ſpiritum rectificat ; & magis inflammat ad præcepta divina explicanda : Vanitas autem verborum ſolum parit quendam ſtrepitum in auribus, qui ſine fructu tanquam ſonus citò evaneſcit : nec uſque ad interiora cordis deſcendit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum liceat Clericis religioſis intendere. Studio Scripturarum.

Dico quod ſic.

Probatur. Omne illud eſt licitum Religioſo, quod juvat præcipuè ad obſervantiam religionis ; quia nimis fatuum foret, quod quis obliget ſe alicui ſtatui, & tamen abdicaret à ſe illa, quæ præcipuè conferunt ad talem ſtatum : ſed ſtudium Scripturarum religioſis maximè confert ad obſervantiam religionis : Ergo licet Clericis religioſis intendere ſtudio ſacrarum litterarum. Minor declaratur : & probatur. Nam ſtudium

Scrip-

Scripturarum multum confert ad continentiam, ut patet ex illo *Hieronymi ad Ruſticum Monachum* dicentis. Ama ſcientiam Scripturarum & carnis vitia non-amabis. Præterea ſtudium Scripturarum aufert laſciviam carnis, & delectationem carnalem, quia dicit Avicenna: Quandò vires naturales intenduntur in ſuis actibus, vires animales remittuntur. Et eſt juxta illud *Eccleſiaſtici*: 31. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes. Item ſtudium Scripturarum conducit ad amorem paupertatis; ſicut patet in antiquis Philoſophis, qui propter ſtudium continuum ſe pauperes fecerunt, undè rectè *Sap.* 7. dicitur: Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Denique ſtudium Scripturarum valet ad obedientiam: Unde *S. Auguſtinus*, *de operibus Monachorum ait*. Quæ perverſitas eſt Lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare? Unde ex hoc ipſo, quod vacans ſtudio diſcit obtemperare ſententiis veritatis, efficitur etiam habilior ad obediendum ſententiis ſuorum Prælatorum.

Dico Secundò. Clericis religioſis non ſolum licitum eſt vacare ſtudio Scripturarum, ſed etiam doctrinæ philoſophicæ. Probatur cui licitum eſt principale, etiam licitum eſt uti minus principali, quod cōducit ad magis principale; ſed ad defenſionem ſacræ Scripturæ contra hæreticos, & alios, ſæpè confert doctrina philoſophica, & dicta philoſophorum; Ergo licitū eſt religioſis ſtudere Philoſophiæ. Hoc tamen faciendū eſt ſecundum ordinationem prælatorum, quorum intereſt aptiores mittere ad ſtudia. Confirmatur ex *S. Auguſtino*, *lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 4.* ubi ait: Philoſophi autem qui vocantur, ſi quæ forte vera, & fidei noſtræ accommoda dixerint, & maximè Platonici; non ſolum formidandi non ſunt, ſed ab eis tanquam ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicanda: & ponit S. Auguſtinus exemplum dicens: Quod ſicut populus Ægyptius, ſeu Ægyptici, à quibus receſſerant filii Iſraël, habuerunt idola, quæ filii Iſraël deteſtabantur: habuerunt etiam vaſa & ornamenta aurea, quæ filii Iſraël mutuabant de præcepto divino, & ea in uſus proprios convertebant; ita etiam doctrinæ gentilium philoſophorum, licet quædam ſupervacua & ſuperſtitioſa ac ſalſa contineant, habent tamen etiam multa utiliſſima & conſona veritati inquirendæ. *Hæc S. Aug.* Idem habet *S. Hieronymus in epiſt. ad Palmachium Monachum.* ubi ponit figuram, & alludit ad legem *Moſaicam Deut. 21.* quæ ſic dicit. Si pugnans contra inimicos tuos viceris eos, & videris inter captivos mulierem, & placuerit tibi eam habere uxorem; radet primò cæſariem, & circumcinder ungues, & flebit parentes uno menſe, & ſic intrabis ad eam; Super quæ verba pulchrè ad noſtrum propoſitum diſcurrit *S. Hier.* Si adamaveris captivam mulierem (id eſt, ſcientiam ſæcularem) & ejus pulchritudine captus ſueris, decalva illam, atque illecebras criminum & ornamenta verborum, unà cum unguibus ſeca, & lava eam prophetali nitro: & tunc requieſces cum illa dicens: Siniſtra ejus ſit ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiva dabit, ac de Moabitide efficietur Iſraelites. *Hæc S. Hier.* Ergo ex mente *SS. Auguſtini & Hieronymi*, licitum eſt Clericis religioſis ſtudere philoſophiæ.

Dices. 1. Illud debet religioſus vitare, quod eſt ipſi occaſio ſuperbiæ; ſed ſtudium literarum ſacræ Scripturæ, vel etiam philoſophiæ eſt occaſio alicujus ſuperbiæ: Ergo oportet quod religioſus ſugiat tale ſtudium. Minor probatur ex illo. *1. Corinth. 8.* Scientia inflat, charitas autem ædificat. Item *Eccl. 1.* dicitur: In multa ſapientia multa eſt indignatio. Ergo.

Reſp. primò, quod ſi argumentum hoc aliquid convinceret, tunc probaret, quod non tantum Religioſis non ſit licitum ſtudere, ſed nec etiam ſæcularibus: cum ſuperbia non tantum religioſis, ſed etiam omnibus aliis ſit interdicta:

Reſp. ſecundò diſtinguendo minorem Quod eſt ipſi occaſio affectata ſuperbiæ C. min. occaſio non affectata, ſed tantum ex inſidiis diaboli præparata, N. minorem. Et ſimiliter diſtincta minore nego conſequentiam, ſenſus ergo ſolutionis eſt; quod ſi quis per ſcientiam affectet ſuperbire tantùm, ſic inquam, propter hunc finem non ſit licitum homini religioſo ſtudere ſcripturæ, vel philoſophiæ. Contingit tamen ſæpè, quod ob ſcientiam ſcripturæ, quam quis adipiſcitur, diabolus ſternat homini inſidias ad ſuperbiendum; ſed iſtæ inſidiæ ad ſuperbiendum non ſunt curandæ, aliàs enim homo nullam virtutem deberet amplecti: ſiquidem etiam diabolus ex tali virtute poſſet ei præbere occaſionem ſuperbiendi. Quia ergo ſuperbia inſidiatur virtutibus, ideò rectè dixit *S. Auguſtinus in ſua regula*: Cæterum quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant, ſuperbia vero etiam bonis operibus inſidiatur ut pereant. Ad illud quod additur, *ſcientia inflat*. dicendum eſt: quod ſcientia ſine charitate, & ſine directione in Deum inflat. Eodem modo explicanda eſt altera authoritas.

Dices. 2. *S. Gregorius lib. 2. Dialog. narrat de S. Benedicto*, qui ſuit præcipuus religioſorum, quod receſſerit à ſtudio literarum neſcius, & ſapienter indoctus. Item in ſua regula S. Franciſcus dicit ſic: Moneo in Domino Jeſu Chriſto, ut caveant fratres ab omni ſuperbia, & vana gloriâ, & non curent neſcientes literas, literas diſcere: ſed attendant, quod ſuper omnia debeant habere Spiritum ſanctum: Ergo ſaltem Benedictini, & Franciſcani, non debent litteris incumbere.

Reſp. quod S. Benedictus non fugerit ſtudium ſecundum ſe conſideratum: ſed potius fugit aliquos conſtudioſos, ex quorum ſocietate, & malis exemplis timebat ſeduci, & ideo ne ſeducatur ab eis, maluit eſſe ſapienter indoctus.

Ad Regulam S. Franciſci dicendum eſt, quod is non prohibuerit ſtudium, quia volebat ſuos eſſe præcones verbi Dei, quod ſine ſtudio fieri nequit; ſed ſolùm vult, quod fratres converſi, qui ordinariè neſciunt literas, ad illas diſcendas non ſint compellendi. Vel ſi ille textus etiam de clericis intelligatur, ſenſus eſt; quod non curent neſcientes literas, eaſdem addiſcere cum poſtpoſitione Dei: ſed potius attendere debent, quod fratres ſuper omnia habeant Spiritum ſanctum, per cujus gratiam duntaxat homo ſalvatur, non autem per acquiſitionem ſcientiæ cum poſtpoſitione Dei.

Dices 3. Prædicatores Chriſti debent eſſe diſſimiles prædicatoribus Antichriſti, ſed Antichriſtus habebit prædicatores doctos, Ergò prædicatores Chriſti debent eſſe indocti, & nihil ſtudere.

Confirmatur, quia Pſalmiſta ait: Quoniam non cognovi literaturam, introibo in portas Domini: Ergo ſi quis velit introire in atria Domini, debet nihil ſtudere.

Reſp. ad primum. Quod Chriſti diſcipuli ab initio fuerunt quidem ſimplices, ſed tamen poſtea fuerunt diſertiſſimi, & ſapientiſſimi, tum quia multum didicerunt à Chriſto Domino ſuo Magiſtro, tum quia per gratiam ſupervenientis Spiritus ſancti acceperunt ſcientiam infuſam omnium illorum quæ alii magno labore conquirere poſſent. Eſt tamen in hoc diſſimilitudo inter prædicatores Chriſti & Antichriſti, quod Anti Chriſtus accipiet prædicatores ſapientes quo ad ſæculum, Chriſtus autem vocavit Apoſtolos ſuos, qui erant ſimplices quo ad ſæculum, ſed ſapientes quo ad Deum, ut docet *Hier: in Epiſt. ad Paulinum*

Reſp. ad Confirmationem, quod ille textus ſit intelligendus (Quoniam non cognovi literaturam) cum aliqua dubietate de rebus fidei, nec cum aliqua ambitione, Ideo introibo in atria Domini.

ARTICVLVS TERTIVS.

An liceat Religioſis nomen, & ſtatum, & honorem magiſtralem recipere.

DIco quod ſic:

Probatur; Illud, quod eſt promotivum virtutis, quodque Apoſtoli geſſerunt, hoc etiam eſt religioſis licitum; ſed ſtatus magiſtralis eſt promotivum virtutis, nimirum ſcientiæ aliis virtutibus, & bonis moribus conjunctæ; & Apoſtoli ſtatum & nomen magiſtrale geſſerunt: Ergo etiam hoc eſt licitum religioſis. Probatur minor. Nam *S. Paulus* 1. *ad Tim.* 2. ſic dicit de ſeipſo Poſitus ſum & ego prædicator, & Apoſtolus; & veritatem dico, & non mentior: doctor gentium in fide & veritate. Et 2. *ad Tim.* 1. ſic inquit. In quo poſitus ſum & & ego Apoſtolus, & prædicator, & magiſter gentium. Ubi Paulus ſe expreſsè vocat magiſtrum & doctorem: Ergo.

Dices. 1. Chriſtus Dominus *Matth.* 23. objurgavit eos, qui volebant magiſtri fieri, & nominari: de quibus Salvator noſter ſic loquitur. Amant primos recubitus in cœnis, primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro; & vocari ab hominibus Rabbi: vos autem nolite vocari Rabbi, unus eſt enim magiſter veſter. Ergo juxta conſilium Chriſti, religioſi non ſunt creandi magiſtri, vel nominandi, ſed tantum fratres.

Reſp. quod illa verba (*Nolite vocari Rabbi*) intelligenda ſint de appetitu deordinato, & ambitioſo involventes ſuperbiam, & contemptum Chriſti. Sic enim velle vocari *Rabbi*, malum eſt, & talem appetitum deordinatum habuerunt Phariſæi, de quibus ibidem loquitur Chriſtus. Neque amare cathedras in ſcholis, vel eccleſiis, vel primos recubitus in cœnis eſt vitioſum ſecundum ſe: alias peccarent perfectiſſimi in eccleſia: ſicuti ſunt Epiſcopi, & majores prælati, qui ſuperiora loca tenere debent. Porrò iſta propoſitio Chriſti (Nolite vocari Rabbi unus eſt enim Magiſter veſter) eſt ſimilis illis verbis Chriſti Domini, loco citato dicentis: Nolite vobis vocare patrem ſuper terram, unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt: & tamen Papa vocatur pater patrum. Et antiquitus omnes religioſi vocabant ſuos ſeniores, Abbates, vel patres. Et ideo non eſt prohibitio præcepti vel conſilii, quod homines non vocentur magiſtri, vel patres; ſed eſt in illis verbis ſolum quædam *excluſio ambitionis*, in ſenioribus & majoribus, ne vanè & indebitè appetant honorari. *Similiter* per illa verba ſit excluſio adulationis *in ſubditis*, ne homines indignos honorent indebitè; puta, honorem talem aliis exhibitum non referendo ad honorem Dei, ſed finem ponendo in perſona quæ honoratur. Et ideo ſignanter dicitur in textu, *Nec vocemini magiſtri*: puta tales, quibus exhibeatur honor magiſtralis ſiſtendo in vobis, nec honorem illum ad me referendo, qui ſum unicus principalis magiſter Deus, & homo: qui non ſum alteri ſubordinatus, ſicut vos eſtis mihi ſubordinati, & juxta hoc intelligitur illud quod additur. Unus eſt enim magiſter veſter, puta Chriſtus, ad quem omnes honorem veſtrum, tanquam magiſtri ſubordinati, & parum aliquid de ſapientia Chriſti participantes, referre debetis.

Dices. 2. Honor magiſtralis cauſat in hominibus elationem; Ergo iſtum non poſſunt acceptare religioſi.

Reſp. Quod ſicut honor in hominibus vanis cauſat elationem, & vanitatem, ita è contra in hominibus religioſis, ſolidis, & in virtutibus bene exercitatis, cauſat humilitatem: quia rectè conſiderant ſe tantum propter donum Dei ſibi collatum, non autem propter merita propria ſine gratia Dei elicita honorari. Et ita tales religioſi magiſtri, promoti vident ſe ſtrictius Deo eſſe obligatos, quam ſi tales honores non perciperent. Adde quod non omnis honor ſit repudiandus, nam filii tenentur honorare parentes, & ſubditi dominos, quos tamen honores nec parentes, nec domini repudiare debent. Inſuper addo, quod talis honor magiſtralis à bonis religioſis non appetatur, ſed per obedientiam eis imponatur; quia nemo ſibi ipſi aſſumit honorem magiſterii, ſed ſolùm is, qui ad hoc à ſuis ſuperioribus vocatur. Unde præſumendum eſt, quod tales ab ambitione honoris veriſimiliter excuſentur; Denique ſi homo non poſſet ullo modo amare honores, tunc omnino periret magnanimitas, quæ attendit medium circa honores, ut dicitur 4. *Ethicorum.*

Dices. 3 Religioſus non minus tenetur ad perfectam humilitatem, quàm teneatur ad perfectam paupertatem; ſed religioſi ad paupertatem ſic tenentur, quod non poſſint ullum dominium accipere; Ergo etiam religioſi ſic tenentur ad humilitatem, ut nullum poſſint honorem magiſtralem recipere.

Reſp Quod honor non repugnet humilitati, nihil enim deperiit S. Gregorio, quamvis eſſet Papa: At verò dominium perſonale rerum temporalium, vel dominium temporale repugnat pau-

paupertati Chriſti: Honor autem non repugnat humilitati Chriſti: unde Chriſtum legimus multos honores recepiſſe, tam à diſcipulis quàm à plebe: ut patet ex Matth. 21. Nec unquam dedit Chriſtus dominus conſilium vel præceptum de honore vitando: Sed de ambitione, & inordinato appetitu honoris bene dedit præceptum.

LECTIO XCVII.

TEXTUS.

Infinitus eſt enim theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.

EXPLICATIO TEXTUS.

I*Nfinitus eſt enim theſaurus hominibus*, Quaſi dicat. Hæc eſt cauſa, cur Sapientia non ſit abscondenda, ſed communicanda liberaliter; quia eſt *theſaurus infinitus*: id eſt non deficiens, ſed proficiens: quia quanto magis communicatur tanto magis creſcit & augmentatur, Et ideo ſapientia eſt theſaurus infinitus; non quidem infinitus actu (cum infinitum in actu non detur in rebus creatis) ſed vocatur infinitus ſincategorematicè; quia ſemper eſt magis intenſibilis; ſiquidem quanto magis ſapientia communicatur ab aliquo, tanto magis augebitur, & creſcet in eodem.

Dico quo uſi ſunt; id eſt, illi qui theſauro ſapientiæ recte uſi ſunt, faciendo quoad ſeipſos, & docendo quo ad alios; ſeu quod idem eſt, illi qui fuerunt uſi theſauro ſapientiæ ſanctè vivendo, rectè docendo, & vera defendendo.

Participes facti ſunt amicitiæ Dei. Juxta illud Joan. 15. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis Et benè dicit Chriſtus (*ſi feceritis*) non enim ſufficit docere legem, ſed ulterius requiritur etiam facere legem; unde Matth. 5. Qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur.

Propter diſciplinæ dona commendati Hoc eſt, commendati ſunt, ſicut ſpeciales amici apud Deum *propter diſciplinæ* dona; quia videlicet minus doctis dederunt diſciplinam. Et de tali communicante ſuam doctrinam, & diſciplinam alteri, dicitur Eccl. 24 Videte, quia non mihi ſoli laboratis, ſed omnibus quærentibus diſciplinam.

Circa illa verba, *Infinitus eſt theſaurus*, Notandum eſt primo ex *Alano in Anticlaudiano*, ubi narrans, quomodo Froneſis, id eſt, prudentia virum virtuoſum aliis liberaliter Doctrinam ſuam communicantem, ſuis ditat muneribus; Sic canit

Aſſiſtens froneſis pluit omnia dona ſophiæ,
Non iſtas largitur opes, quæ ſæpe potentum
Excæcant animos; & majeſtatis honores
Inclinant, minuuntque leges; & vera retardant.
Sed potius donat theſauros mentis, & omnes
Divitias animi; quas qui ſemel accipit ultra
Non eget: imò ſemel ditatus ſemper abundat
Quarum rectus amor, poſſeſſio nobilis, uſus
Utilis, utilior largitio, fructus abundans,
Hæc eſt gaza poli cœlique theſaurus, inundans
Gratia, quæ doctos ditat; quæ prodiga largos
Vult poſſeſſores; & dedignatur avaros,
Clauſa perit, diffuſa redit, niſi publica fiat.
Labitur & multas vites acquirit eundo.
Non iſtas depaſcit opes rubigo, nec ignis
Devorat, aut furis minuit ſubreptio, mergit
Naufragium, tollit prædo, depauperat hoſtis.

Per iſtos verſus habetur differentia inter theſaurum divitiarum, & theſaurum Sapientiæ: quia theſaurus divitiarum excæcat mentes hominum, & maximè judicum & principum: inclinat etiam ad immunditiam vitiorum: & retardat juſtitiam legum & ſtatutorum: theſaurus autem mentis, qui habetur per ſcientiam, non eſt talis, quia ejus amor eſt rectus: ſiquidem per eam apperitur poſſeſſio nobilis: item per illam habetur uſus utilis, in benè vivendo: Largitio utilis in docendo, & fructus abundans in præmio percipiendo.

Ad propoſitum quoque *S. Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 5.* invitat homines, ad docendum liberaliter ea, quæ Deus eos ſcire conceſſit quia ſi ſcientiam ſuam aliis liberaliter communicaverint, plura ſcient. Et ad hoc demonſtrandum adducit S. Auguſtinus duas figuras de duobus feſtis, ſive miraculis, quæ fecit Chriſtus Dominus pauperibus, qui eum ſequebantur ad audiendum ſuam doctrinam. Primum miraculum ſeu feſtum fecit, quinque millibus hominum de quinque panibus, & duobus piſcibus; In quo miraculo contigit quod ſaturatis 5. millibus hominum, remanſerint 12. cophini fragmentorum: ut patet ex Matth. 14. Secundum feſtum, ſeu miraculum, fecit Chriſtus Dominus quatuor millibus hominum de 7. panibus, & paucis piſciculis, quibus ſatiatis ſuperfuerunt ſeptem ſportæ plenæ fragmentis Ad has ergo miraculoſas hiſtorias alludens S. Auguſtinus loco citato, ſic dicit: Illi quinque, & illi ſeptem erant panes antequam cœperant dari eſurientibus: quamprimum tamen diſtribui cœperunt, ſportas & cophinos, ſatiatis tot millibus hominum impleverunt. Sicut ergò ille panis, dum frangeretur accevit: ita etiam ſecundum S. Auguſtinum, quando Doctor liberaliter doctrinam ſuam, ac ſcientiam communicat docendo; tunc inquam eadem doctrina docentis augetur & multiplicatur. Pro quo

Notandum ſecundo, quod Doctoribus, populum Dei docentibus, aliqui eundem populũ paſcunt de quinque panibus, & aliqui de ſeptem panibus. Nam de quinque panibus paſcunt ſimplices fortes in fide, & devotione licet ſint minus eruditi in rebus ſubtilioribus: Et tales Doctores per quinarium paſſionis Chriſti prædicantes, ædificant ad ſufficientiam corda ſimplicium. Et in perſona talium loquitur Apoſtolus 1. ad Cor. 14. In Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut alios inſtruam: iſta autem quinque verba ſunt: Quid credendum, faciendum, timendum, cavendum, & appetendum ſit. Quid credendum? nempe 12. *Articuli fidei*. Quid faciendum? 10. *Præcepta*, Quid timendum? inferni

ſerni ſupplicia Quid cavendum? Vitia capitalia, Quid appetendum? Paradiſi gaudia.

Item autem alii ſunt, qui paſcunt populum ſeptem Doctrinæ ſuæ panibus. Septenarius numerus, eſt numerus univerſitatis, & iſti ſunt ſubtiles Doctores in univerſis inſtructi; informati libro myſtico qui eſt ſcriptus intus & foris, ſignatus ſeptem ſigillis, *Apoc. 5.* Et tam iſti qui ſeptem Doctrinæ ſuæ panibus, quam illi qui quinque ſapientiæ ſuæ panibus commiſſum ſibi gregem paſcunt, liberaliter ſcientiam ſuam communicant, amplam laborum ſuorum recepturi mercedem, ſi ea ſimul opere perficiant, quæ docent; juxta illud: Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum theſauro ſapientiæ abutantur ſuppreſſores, ſubverſores & abuſores ſapientiæ

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod ſuppreſſores ſapientiæ abutantur theſauro ſapientiæ, ſunt autem ſuppreſſores ſapientiæ illi, qui ſapientiam ſibi a Deo communicatam, pro aliorum ædificatione ſupprimunt, & ita abſcondunt, ut nullo velint communicare Et illi ſunt ſimiles illi ſervo maligno, & pigro, qui acceptum talentum fodit in terram & abſcondit pecuniam Domino ſuo. *Matth. 25.* Dum autem ſui conſervi venerunt cum ſuis lucris duplicatis ad Dominum ſuum, iſte piger ſervus cum ſuo talento acceſſit & ait: Domine ſcio, quia homo durus es, metis, ubi non ſeminaſti; & congregas ubi non ſparſiſti: & timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra, & ecce habeo quod tuum eſt. De iſto ſervo maligno loquens *S. Chryſoſtomus hom. 19 in opere imperfecto*, dicit; Quod hæc excuſatio ſit falſa, mentitusque fuit ille ſervus dum dixit Domino: Metis, ubi non ſeminaſti Mentitus eſt inquam, nam quis eſt hominum, vel gentilium, vel Judæorum, quem non ſufficienter ſpiritualibus ſenſibus Deus adornaverit? Cui non dedit ſcientiam boni & mali. Cui non dedit ſcientiam poſſe ſugere malum, & apprehendere bonum, ſi velit? ſicut enim nullus eſt homo, cui non dentur membra corporis ad uſum corporalem; Ita non eſt aliquis homo, qui non habeat ſenſum & potentiam ad intelligentiam boni & mali, & ad omne opus bonum faciendum, quodcunque voluerit. Hæc S. Chryſoſtomus per quæ verba S. Antiſtes apertè vult dicere, quod Deus nulli homini deficiat in concedendo ſibi ſcientiam neceſſariam ad ſalutem, ſi homo benè utatur gratia ſibi conceſſa à Deo, & non ponat obicem per peccatum, itaque ſunt quidam, qui ſub terra talentum ſuum abſcondunt, quia notitiam Sacræ Scripturæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ. ſub curis occupationum terrenarum abſcondunt, vel ſub deliciis & pigritia carnis ſuæ ſuppreſſam retundunt; & de unoquoque tali poteſt exponi illud Eccl ſi. 6. Si vixerit homo multis annis, & non utatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, de hoc ego pronuncio, quod melior ſit illo abortivus. Et merito ſanè: quia ſapientia abſconſa, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?

Explicatur Secunda pars, quod ſapientiæ ſubverſores abutantur theſauro ſapientiæ; quia tales, quidquid verbis ædificant, moribus impugnant. Et dato, quod forſan ædificent proximos, in nullo tamen promovent ſeipſos.

Refert *Ariſtoteles lib 4. de animalibus. cap. 5.* Quod apes poſtquam fecerunt magnam copiam mellis, in favis ſuis, ſugant de illo melle, & ſe ſe ſecreent de eodem: Et niſi hoc facerent, mel illud corrumperetur; & fierent araneæ de favis. Moraliter loquendo, quando perſona Eccleſiaſtica habet magnam copiam mellis (id eſt, ſcientiam ſacræ Scripturæ, quæ melli comparatur, juxta illud Pſalm. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo) talis inquam neceſſe habet ſe alere de melle ſua, quia ſi hoc non fecerit, mel corrumperetur ſiquidem ſcientia converteretur in pœnam, & diſplicentiam, Item ex favis fierent araneæ: Id eſt, de habitibus ſcientificis fierent venenoſæ vanæque curioſitates, conformiter ad illud Pſal. Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus. Et in alio Pſalmo dicitur; Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: vel meditabantur, ſecundum aliam litteram; Et bene dicit gloſſa meditabantur anni, non autem operabantur: quia ſinè utilitate & fructu boni operis tranſierunt. Et ideò quivis litteratus homo debet ſcientia ſua uti ad propriã devotionem, & poſtea ad aliorum inſtructionẽ, & emendationem. Unde in hunc finem dicitur Eccleſ. 11. Hanc ratus ſum partem meam, ut uterer labore meo.

Ariſtoteles aſſerit *lib. 1. l. 1 de Generatione* propè finem; quod æs & ſtannum non benè miſceantur ad invicem; ſed ſicut literæ commiſguntur in ore balbutientis, ſic etiam commiſcentur æs & ſtannum, ſicut enim in ore balbutientis una littera ſonat, & altera evaneſcit, ſic ſtannum & æs, ſi commiſceantur; fiet, quod ſtannum ſubterfugiat & evaneſcat, ſolum æs remanebit. Moraliter loquendo autem Aes (quod eſt metallum ſonorum) deſignat prædicationis eloquentiam; ſtannum autem, quod apparet tanquam argentum, & non eſt, deſignat converſationis falſam apparentiam. Porrò iſta duo, nempe prædicationis eloquentia, & falſa converſationis apparentia, malè commiſcentur in quacunque perſona, Et ideò quando ejuſmodi perſonæ in ſupremo judicio comparebunt, nihil remanebit niſi æs (ſonus nempe Doctrinæ ſine virtute & puritate mentis) At verò æs cum argento bene commiſcetur: quia vitæ claritas per argentum deſignata, & vitæ bonæ ſonoreitas delectabilem mixturam faciunt, & in hujus rei figuram legimus, Exod 3. Quod Dominus impleverit Beſeleel Spiritu ſapientiæ & omni Doctrinæ ad faciendum opus in auro, & argento & ære, in omnibus, quæ requirebantur ad ſanctuarium Tabernaculi: hoc eſt moraliter loquendo, quod perſona Eccleſiaſtica debeat ſic eſſe inſtructa, quod operari ſciat in auro devotæ contemplationis, argento honeſtæ converſationis, & ære ſonoræ prædicationis.

Explicatur Tertia pars, quod theſaurum ſapientiæ non rectè æſtiment ſapientiæ abuſores. & tales ſunt homines benè inſtructi, qui ſcientiam ſuam applicant ad nocendum: colorant falſa, excuſant mendacia, & impugnant vera verborum copia, juxta illud Eccleſi 20.

Qui

Quì multis utitur verbis lædit animam ſuam. Omnes porrò iſti male utuntur theſauro animæ ſuæ, ſicut & illi qui mendacia prædicant, & falsè authores allegant, ad propriam oſtentationem, & omnium prædicanrium diffamationem. Et talis homo, ſi quærat ab Apoſtolo. Num levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito? ut ſit apud me eſt, & non. Dico confidentet, quod talis utitur levitate, & carnalitate, & falſitate. Veruntamen non ſic ſecerunt SS. PP. qui nos præceſſerunt; ſed uſi ſunt theſauro ſapientiæ benè vivendo, rectè docendo, & vera defendendo: & tales participes ſacti ſunt amuctea Dei propter diſciplinæ dona commendati.

LECTIO XCVIII.

TEXTUS.

Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum quæ mihi dantur; quoniam ipſe ſapientium dux eſt, & ſapientum emendator. In manu enim ipſius & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia & operum ſcientia diſciplina.

EXPLICATIO TEXTUS.

M*ihi autem dedit Deus dicere ex ſententia.* Quaſi dicat. Si quis à me quærat quare doceam ſapientiam eſſe communicandam, dico ideo, quia Deus ipſe eſt dator ſapientiæ; & quia Deus gratis dat omnibus ſapientiam & ſcientiam; ideo etiam illi debent gratis aliis communicare ſuam ſapientiam & ſcientiam: Gratis enim accepiſtis, gratis date, *Math* 10. Et ideo ago gratias Domino Deo, pro ſapientia quam mihi graris ſeu gratuitè donavit. Porro hæc verba (*Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententia*) non eſt vox ſuperbiæ vel elationis, ſed devotæ gratiarum actionis. Unde *S. Aug. ſuper illud Pſal.* Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum, dicit ſic: Non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati; habete te, cognoſcere, & nihil ex te habere, ut nec ſuperbus ſis, nec ingratus: & dices Deo ſanctus ſum quoniam ſanctificaſti me, quia accepi quod non babui, quia tu dediſti, non quia ego merui. Et hoc modo dicit in præſenti Salomon *mihi autem Deus dedit dicere ex ſententia*, id eſt ex certa ſcientia. Hoc etiam modo *Joan* 3. *dicitur*. Quod ſcimus, loquimur, & quod videmus teſtamur. Vel dicere ex ſententia, idem eſt, ac dicere ſententiosè non verbosè, quia *Prov.* 14. dicitur: Ubi plurima ſunt verba, ibi frequenter egeſtas (id eſt paupertas) & egeſtas ſapientiæ. Sapientes enim utuntur verbis paucis, & ſententioſis; & ideo *Jacobi.* 1. dicitur: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. *S. Hieronymus* dicit, quod inter canes, qui infirmior eſt, magis latret; Et patet experientia, quod parvus caniculus magis latret, quam magnus; ita frequenter, qui parum habent de ſapientia & ſcientia, habent tamen plura verba.

Vel illa verba (*Mihi autem Deus dedit dicere ex ſententia*) ſic expone. Ex ſententia, id eſt, non ſubitò, nec repentè; ſed ex ſolida deliberatione: ſicut judex laturus ſententiam debet veritatem inveſtigare, maximè in proferenda ſententia definitivâ, quæ finem ponat controverſiæ: quia de re dubia non debet dari certa ſententia, ut omnes ſatentur.

Et præſumere digna horum, quæ mihi dantur: ſupple, Deus dedit præſumere, id eſt præ aliis ſumere, ad diſcendum & docendum. *Digna horum quæ mihi dantur*, id eſt, vera, & correſpondentia inſpirationis divinæ, non humanæ fictioni. Sic utitur nomine præſumptionis *Magiſter ſententiarum in prologo*, ubi dicit: Ardua ſcandere & opus ultra vires agere præſumpſimus, id eſt, motì non temeritate, ſed charitate, præ aliis ſumpſimus.

Quoniam ipſe Deus ſapientiæ dux eſt, id eſt, author ſapientiæ; *Et ſapientum emendator*, id eſt, augmentator. Et ſic recognoſcit Salomon, Deum eſſe omnis ſapientiæ largitorem.

Subditur in textu: *In manu enim illius & nos.* Id eſt in potentia gubernativa Dei ſumus nos, quo ad noſtram ſubſtantiam. Undè *Daniel* 5. Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non glorificaſti Et in *Pſal.* 94. In manu ejus ſunt omnes fines terræ.

Et ſermones noſtri. Puta quantum ad noſtram eloquentiam: Unde 2. *Corinth.* 3 dicitur: Non ſumus ſufficientes aliquid à nobis cogitare quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: quia nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto, 1 *Corinth.* 12.

Et omnis ſapientia, quantum ad ſcientias ſpeculativas: *& operum ſcientia diſciplina*, id eſt, diſciplina ſcientiæ operum quantum ad ſcientias practicas.

Hæc eſt ergo gratiarum actio devota, qua Salomon recognoſcit ſe ſcientiam recepiſſe à Deo.

Hoc modo etiam *Hermes Triſmegiſtus lib. ſuo de natura Deorum verſus finem*, quamvis eſſet gentilis Deo gratias egit pro ſcientia ſibi communicata. Ait enim ſic: Gratias tibi ſumme & ſuperaltiſſimè; tua enim gratia tantum lumen cognitionis ſumus conſecuti. Nomen ſanctum tuum eſt honorandum. Nomen tuum, quod ſolus Deus eſt benedicendus religione paterna, quoniam omnibus paternam pietatem, & religionem, & amorem, & quæcunque eſt dulcior efficacia, præbere dignaris: donans nos ſenſu, ratione, & intelligentia. *Senſu*, ut te cognoſcamus; *ratione*, ut te ſuſpicionibus indagemus; *cognitione* ut te cognoſcentes gaudeamus ac lumine tuo ſalvati gaudeamus, quodque nos in corpore ſitos, dignatus fueris conſecrare æternitati. Hæc eſt enim humana ſola glorificatio cognitio majeſtatis tuæ. Cognovimus te, & lumen maximum ſolo intellectu intelligimus te. Hæc *Hermes*

Et certè rectè pro ſcientia à Deo accepta tanquam à principio, eidem gratias agimus tanquam fini noſtro: ipſe enim eſt Alphà & Omega, principium & finis. Et ſicut omnia flumina oriuntur à mari, & ad mare finaliter revertuntur, juxta illud *Eccl.* 1. (Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant)

Ita omnes gratiæ quas habemus, à Deo procedunt per largitionem, & ad eum redire debent per gratiarum actionem.

Unde *S. Bernardus ſuper Cantica Serm.* 32. ait: Origo fontium, & fluminum eſt mare: virtutum & ſcientiarum Dominus Chriſtus. Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo, caſta conſilia, juſta judicia, ſancta deſideria ex illo manant. Si quis pollet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt: inde ſcientiæ, inde ſapientiæ, inde ſermo.

Ad locum unde exiunt flumina, revertuntur flumina gratiarum ut iterum fluant; juxta illud *Apoſtoli* (In omnibus gratias agentes) quidquid ſapientiæ, quidquid virtutis te habere confidis, Dei ſapientiæ reputa Chriſto. Si fluminum aqua ſtare cœperit, computreſcit; Si planè gratiarum ceſſet decurſus, ubi recurſus non fuerit, non modo nihil augetur ingrato, ſed etiam id quod accepit, vertetur ei in perniciem. *Hæc S. Bernardus.*

ARTICULUS UNICUS.

Utrum manus divinæ protectionis, ſeu gubernationis rectè habeat quinque digitos; videlicet, pro Pollice poteſtatem puniendi; pro Indice perſpicacitatem diſcernendi; pro medio benignitatem differendi; pro medico pietatem miſerendi; & pro auriculari facilitatem exaudiendi?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars quod manus divinæ *pollex ſit poteſtas puniendi.* Dicitur *pollex* ſecundùm *S. Iſidorum in Ethymologia Cap.* 1. eo quod inter cæteros digitos polleat virtute & poteſtate. Hujus autem pollicis divini tanta eſt poteſtas, ut cum Chriſtus advenerit ad puniendâ hominum peccata, nullus poſſit evadere. Unde *Job.* 10. dicitur: Nemo eſt qui de manu tua poſſit eruere. Et ideò dicit Apoſtolus ad *Hebr.* 10. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Et *Job.* 13. Manum tuam longe fac à me, & formido tua non terreat me.

Explicatur ſecunda pars, quod *Index* manus divinæ ſit *perſpicacitas diſcernendi.* Hoc digito oſtendet nudè & apertè omnia acta hominum, tam bona, quam mala, in die Judicii. Et de hac manu dicitur 2. *Machab.* 2. Manum Omnipotentis neque vivus, neque defunctus effugiam. Omnes enim nos manifeſtare oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque pro ut geſſit in corpore ſuo. 2. *Corinth.* 5.

Explicatur tertia pars, quod *medius* digitus manus divinæ ſit *benignitas differendi.* Iſte digitus eſt medius omnium, ſolus longior omnibus; & ideò rectè iſte digitus in manu Dei eſt benignitas judicium differens, per quam nos exſpectat, ut pœnitentiam agentes redeamus ad miſericordiam Dei. Et quia ad eum redire non poſſumus niſi per gratiam, juxta illud *Gen.* 47. (Salus noſtra in manu tua eſt:) ideò imploranda eſt gratia divina, juxta illud *Pſalmi.* Fiat miſericordia tua ut ſalvet me. Et ſicut iſto digito extenſo ſuper plano, nec Index nec pollex poſſunt illud planum contingere: ita quamdiu digitus benignitatis divinæ ad nos extenditur, nihil nobis nocere poſſunt poteſtas puniendi in pollice, nec perſpicacitas diſcernendi in indice.

Explicatur quarta pars, quod digitus *medicus* manus divinæ ſit *pietas miſerendi.* In iſto digito ſolebant veteres deponere ſuos annulos, & quidem in manu ſiniſtra. Cauſam hujus reddit *Macrobius* 3. *Saturnalium*, inventam fuiſſe ab Ægyptis, ex eo, quod ſecundum Anatomicos, nervus quidam à corde natus ad illum digitum procedat, & cum nervis illius digiti complicetur. Et ideò ordinatum fuit apud illos, quod præfatus digitus medicus tanquam corona per annulum decoretur. Iſte etiam digitus complicatus ſignificat quatuor ſecundum computum digitalem; qui numerus quaternarius eſt numerus perfectus: & ideò ille digitus meritò à nobis debuit coronari. Moraliter loquendo, apud nos omnes inter digitos Dei, digitus medicus (qui eſt pietas miſerendi) debet à nobis coronari: quia miſericordia miſeris ſapit dulcius. Et hæc pietas à vulnere cordis Chriſti emanavit, per quem digitum omnis in nobis perfectio conſummatur. Huc facit illud *Job.* 5. Increpationem Domini ne reprobes, quoniam ipſe vulnerat & medetur, percutit, & manus ejus ſalvabunt: in ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.

Explicatur quinta pars, quod digitus *auricularis* manus divinæ ſit *facilitas exaudiendi* preces noſtras. Deus namque eſt pronus ad miſerendum, & ad nos exaudiendum, tardus autem ad puniendum: Unde etiam in quâcunque hora ingemuerit peccator de peccato ſuo commiſſo, non recordabor inquit Deus iniquitatum ejus amplius. Huc facit illud *Pſal.* Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

LECTIO XCIX.

TEXTUS.

Ipſe enim dedit mihi horum quæ ſunt, ſcientiam veram: ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes, & conſummationes temporum & morum mutationes & diviſiones temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentiam virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſconſa, & improviſa didici: omniū enim artifex docuit me ſapientia.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Salomon Deo gratias generaliter egit, & ſummatim pro ſapientia & ſcientia ſibi

ſibi communicata; hic eidem regratiatur ſpecialiter, & inductivè tranſcurrendo per materias diverſarum ſcientiarum Unde dicit: *Ipſe enim* (puta Deus) *dedit mihi liberaliter horum, quæ ſunt, ſcientiam veram.* Id eſt omnium rerum creatarum veram, & non falſam, vel fictam aut apparentem ſcientiam, quemadmodum ſe jactant habere veram ſcientiam falſi experimentatores, ut ſunt Nigromantici, Alchimici, & per artem notoriam ad doctrinam dæmonum gloriantes ſe fuiſſe inſtructos, & oſtendentes ſcire, quæ neſciunt, cujusmodi ſunt præſtigiatores, divinatores, phyſonomici, pſalmiſtici, geomantici, incantatores, & magici, quorum non eſt vera ſcientia, ſed falsa, imo nulla. Et hanc ſcientiam falſam præcipuè docet vitare *Apoſtolus 1. ad Timoth. 6.* dicens: O Timothee cuſtodi depoſitum, id eſt, fidem; devitans vanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ: id eſt, quæ falſo nomine dicitur ſcientia, ut exponit *gloſſa.* Et contra talem falſam ſcientiam dicit Salomon, quod Deus ſibi dederit ſcientiam veram, & per hoc recognoſcit ſcientiæ ſuæ ſoliditatem.

In verbis autem ſequentibus oſtendit Salomon ſcientiæ ſuæ multiplicitatem cum dicit: *Ut ſciam diſpoſitiones orbis terrarum*; id eſt, diſtinctiones climatum, & diverſitatem locorum habitabilium, & non habitabilium in terra, ſecundum diſtantiam à polis mundi, & appropinquationem & elongationem à via Solis.

Et virtutes elementorum; Id eſt, tranſmutationes corporum naturalium, tam ſecundum locum, quàm ſecundum qualitates.

Initium, & conſummationes, & medietatem temporum Id eſt principium mundi, & tempus Chriſti, & diem judicii ſaltem in generali ſcivit eſſe futurum.

Morum mutationes: Id eſt diverſas conſuetudines, & leges humanas: ſecundum diverſitatem ſitus temporis, & aſſuefactionis, & complexionis.

Diviſiones temporum, id eſt, diſtinctas revolutiones planetarum. *Viciſſitudinum permutationes*, Id eſt, aëris, & terræ varias transmutationes: quibus viciſſim & ſucceſſivè, & contrariè diſponuntur, ut nunc ſit ver, nunc æſtas, nunc autumnus, nunc hyems.

Et conſummationes temporum: Id eſt, quando unumquodque iſtorum incipit & terminatur ſecundum greſſum planetarum in diverſa ſigna in Zodiaco.

Anni curſus & ſtellarum diſpoſitiones; Id eſt, computationes motuum ſolis & lunæ, & figuras, & imagines omnium ſtellarum fixarum.

Naturas animalium, quantum ad generationem. *Iras beſtiarum*, quantum ad utilitatem & domeſticationem humanam; ſicut iratus canis, & vigil conducit ad cuſtodiendam domum, ne fur audeat clam ingredi de nocte, & aliqui.d inde abripere.

Vim ventorum, id eſt, duodecim differentias ventorum; quatuor principalium, & octo collateralium.

Et cogitationes hominum, id eſt affectiones, ad quas homines ex ſua complexione, & corporum cœleſtium influentia, ac propria compoſitione ſunt diſpoſitæ.

Differentias virgultorum, quantum ad plantationes, inſertiones, translationes, & fructificationes.

Et virtutes radicum, quæ calidæ ſint, vel frigidæ, aut temperatæ; quæque conducat vel noceat homini.

Nec tantum iſta novi, ait Salomon, ſed etiam quæcunque ſunt *abſconſa & improviſa*, id eſt, quæ ſunt communiter aliis hominibus occulta.

Didici, non per inventionem, ſed per revelationem à Deo mihi factam. Unde ſubdit: *Omnium enim artifex me docuit ſapientia.* Sapientia increata videlicet, quæ Chriſtus eſt, juxta illud *1. Corinth. 3.* Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Occaſione hujus, quod dictum eſt, Salomonem habuiſſe ſcientiam de curſu anni, & diſpoſitionibus ſtellarum, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum de motibus ſtellarum poſſit eſſe ſcientia.

Dico quod de motibus ſtellarum poſſit haberi ſcientia non quidem demonſtrativa, qualiter omni tempore movebuntur, ſed demonſtrativa, qualiter omni tempore natæ ſint moveri, ſi Deus miraculosè aliter non diſponat. Probatur, & explicatur concluſio, quia ut ait *S. Auguſtinus*: Deus ita rebus creatis motus & operationes indidit, ut tamen pro libitu ſuæ voluntatis eas exerceant, vel omittant. Unde quamvis experimentaliter & ſenſibiliter videamus, quod ignis natus ſit ad comburendum: contigit tamen aliquando, quod ignis quidam approximatus quibusdam pueris, non nocuerit, & tamen alios, qui magis diſtabant, occiderit, ut patet ex *cap. 3. Danielis.* Et ideò quamvis ſciamus, qualiter res natæ ſint agere, & qualiter frequenter egerint (quia hoc vocamus naturale quod ſemper, vel frequenter contingit) qualiter tamen res certo tempore agent neſcimus, quia hoc eſt in manu Dei.

Dices. Si poſſit dari ſcientia de motibus ſtellarum, tunc etiam dari poſſet ſcientia de motibus ſolis & lunæ; ſed de iſtis non poteſt haberi ſcientia: Ergo nec de aliis. Probatur primò. Si poſſit dari ſcientia de motibus ſolis & lunæ, tunc illa maxime conſiſteret in his tribus; nimirum primò quod ſol ſit in continuo motu circulariter circa terram; ſecundò quod ſol moveatur motu firmamenti ab oriente in occidentem; & tertiò quod ſol non ecclipſetur tempore oppoſitionis ſolis & lunæ; ſed iſta tria ſunt falſa: Ergo & illud unde ſequitur. Probatur min. pro prima parte. Nam *Joſua 10.* ſtetit ſol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Ergo ſol non eſt in continuo motu circulariter.

Probatur min. pro ſecunda parte. Nam ut legitur *Iſaia 38. & 4. Regum 20.* Quando Ezechias petiit ab Iſaia ſignum ſanitatis futuræ, & ſibi à Domino per Iſaiam ſignificatæ, tunc inquam, pro ſigno ſanitatis ſuæ recuperandæ ſol reverſus eſt per decem lineas in horologio Acham.

Acham, & poſita eſt umbra ſtyli in horologio, ſicut fuit de mane ſole exiſtente in Oriente. Ergo Sol non eſt in continuo motu ab oriente in occidentem. Probatur min. pro tertia parte. Quod ſol poſſit ecclipſari luna exiſtente in oppoſitione. Nam hoc patet ex *Matth.* 27. & *Luca* 23. ubi dicitur: Tenebræ factæ ſunt in univerſa terra, uſque ad horam nonam, & obſcuratus eſt ſol. &c. Conſtat autem, quod luna tunc fuerit in oppoſita regione ad ſolem. quia Chriſtus paſſus eſt luna 15 & ſol fuit in nono gradu arietis, & luna in nono gradu libræ, in medio illius ſextæ feriæ. Ergo falſum eſt poſſe ſciri, quod ſol non ecclipſetur tempore oppoſitionis ſolis & lunæ.

Reſpondetur hæc omnia eſſe contra concluſiones, in qua dictum eſt, poſſe ſciri, qualiter ſtellæ omni tempore natæ ſunt moveri, ſi Deus miraculosè aliter non diſponat. Nunc autem in omnibus tribus caſibus allegatis regulariter per miraculum diſpoſuit.

Porrò his tribus exemplis allegatis utitur S. Dionyſius ad confutandum ſuum magiſtrum in philoſophia, nimirum *Apollophanem*. De quo dicit S. Dionyſius, quod fuerit abuſus ſua philoſophia, ſiquidem ex ea debuiſſet ad cultum veri Dei pertingere, quodque Deus relictis idolis ſit colendus. Et quidem de ſtatione Solis *Joſue* 10. *dicit* ſic: Sive dicatur, quod ſol ſteterit una cum orbibus ſuperioribus, & inferioribus (ut aliqui putant) ſive dicatur, quod ſolus Sol ſteterit, aliis orbibus ſuperioribus & inferioribus motis (ut alii arbitrantur) hoc tamen certum eſt ſolem ſtetiſſe: quod revera non poterat fieri, niſi per oppoſitionem cauſæ infinitæ, quæ eſt Deus.

Secundò de Sole, qui tempore Ezechiæ reverſus eſt per decem gradus in horologio Acham (quando unus dies *artificialis* fuit ferè triplicatus) ſciendum eſt; quod dies *artificialis* habet duodecim horas, & tres dies artificiales habent triginta ſex horas, & per conſequens fuit triplicatus ad alium diem artificialem exceptis quatuor horis: quod ſic patet. Quia ſicut in aſtrolabio ſignantur & lineantur duodecim horæ ita fuerunt lineatæ duodecim horæ in horologio Acham. Porrò in adventu Iſaiæ Prophetæ ad Regem Ezechiam, jam deſcenderat ſol per decem lineas, ita ut à nocte ſolum diſtaret per duas horas. Sol ergo reaſcendit per dictas decem lineas, & iterum per eaſdem deſcendit; Ergo complevit ſol tunc triginta horas, & adhuc reſtabant duæ ultimæ lineæ uſque ad noctem; Ergo dies illa habuit triginta duas horas. Et ideo dicit S. Dionyſius, quod dies ille fuerit triplicatus. Et hoc fuit tantum miraculum, ut rapuerit in admirationem Babylonios, qui fuerunt diligentes in conſideratione motuum cœleſtium: & hoc miraculum ſubjecit eos Regi Ezechiæ ſine pugna. Et deinceps ſacerdotes Perſarum notantes diem illum, fecerunt annuatim feſtum triplicati ſolis: & ex ſacerdotibus aliqui dicebantur triplicati, illi ſcilicet qui feſtum triplicati ſolis colebant. Et ex hoc ſigno miraculoſo, inquit Dionyſius, debuiſſet moveri Apollophanes ad verum Deum colendum.

Tertiò de illa mirabili Ecclipſi, quæ contigit tempore paſſionis Chriſti Domini, dicit S. Dionyſius, quod illam unà cum ſuo magiſtro Apollophane viderit, dum ambo ſimul ſtarent in Heliopoli civitate Ægypti, ubi ſimul ſtantes viderunt lunam innaturaliter ſupponentem ſe ſoli, cum tamen tunc non fuerit tempus conjunctionis ſed magis oppoſitionis; Et hæc Ecclipſis inquit S. Dionyſius fuit miraculoſa; quia Ecclipſis ſolis non fit, niſi conjunctione ſolis & lunæ: conjunctio autem fit per hoc, quod luna ſit velocioris motus quàm ſol, & ideo attingit ſolem. Manifeſtum ergò eſt quod luna accedens ad ſolem, tranſeat per arcum interceptum inter ſolem & occidentem; & quandocunque hoc eſt, naturaliter fit conjunctio, ſive ſit Ecclipſis, ſive non. Modò autem in paſſione Domini non venit luna ab occidente, ſed à parte orientis, quod eſt omnino contra naturam. Unde pars orientalis diametri ſolis primò ecclipſabatur, & ſic conſequenter totus diameter ſolis, quia fuit ecclipſis univerſalis; Et tunc rediit verſus Orientem, ita ut primo illuminata fuerit pars diametri occidentalis quæ ultimo ecclipſabatur: quod quidem fuit contra naturam ecclipſis, quia in omni naturali ecclipſi pars occidentalis ecclipſatur primò, & primò reilluminatur. Ex hac itaque mirabili ecclipſi debuiſſet Apollophanes moveri ad cognitionem & cultum veri Dei, ut dicit S. Dionyſius.

LECTIO C.

TEXTUS.

Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, multiplex, unicus, ſubtilis, modeſtus, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus: intelligibilis, mundus, ſubtilis.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN præſenti textu poſt factam à ſe gratiarum actionem Domino pro ſapientia ſibi collata, ponit Salomon commendationem extollentem ſapientiam, & declarat, quod ſapientia ſic ſufficiens ad conferendam ſibi totam notitiam recitatam in præcedenti lectione. Licet autem ſapientia approprietur Filio, ſicut Patri potentia, & Spiritui ſancto amor; in præſenti tamen ly *Sapientia* non ſignificat *relativè*, *ſed eſſentialiter*: ita ut ſapientia conveniat omnibus perſonis divinis. Et ideò quamvis Filius dicatur ſapientia genita, propter modum procedendi à Patre (quia gignitur ab intellectu divino per modum verbi) nihilominus tamen etiam Spiritus ſanctus dicitur ſapientia; tum quia à ſapientia Patre, & à ſapientia Filio procedit: tum quia ſapientiam in ſe devotè colentibus, efficit & cauſat. Et ideo in commendatione viri timentis Deum, dicitur *Eccl.* 10. Implebit eum ſpiritu ſapientiæ, & intellectus. Ubi loquitur de ſa-

de ſapientia quæ eſt Deus. Dicit ergo Salomon in præſenti textu: *Eſt enim in illa* (id eſt, in ſapientia, quæ eſt divina eſſentia) *Spiritus intelligentiæ*; & eſt modus loquendi ſacræ Scripturæ accipiendo *eſſe*, pro eo quod eſt *idem eſſe*. Undè ſenſus eſt; *quod illa* (id eſt, ſapientia', & ſpiritus intelligentiæ,) ſint idem: & per conſequens ſapientia eſt ſufficiens ad dandam gratiam cujuscunque ſcientiæ. Quia ut dicitur 1. *Corinth.* 12. Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem: alii quidem datur per ſpiritum ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum. Et infra: Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult. Vult ergo Salomon quod ſapientia ſibi conceſſa non ſit attribuenda humano ſtudio, vel ingenio ſed Spiritui ſancto, 'qui eſt ſapientia increata. Quod verò iſte Spiritus ſanctus ſit omnipotens ad cauſandam ſapientiam in quocunque, probat ipſum deſcribendo à 20. conditionibus. Et quidem primò, Spiritus ille divinus, vocatur ſanctus, id eſt omnia ſanctificans. *Sanctus* in Latino idem eſt quod ἅγιος in Græco. Agios autem dicitur quaſi ſine terra: ab *a*, quod eſt ſine, & *gios*, terra, quaſi ſine terra. Spiritus ergò divinus dicitur eſſe ſanctus pro tanto, quia eos quos ſanctificat, purificat ab amore terrenorum, & transfert ac conjungit ad amorem cœleſtium. Et ideo convenienter Spiritus ſanctus in ſpecie ignis deſcendit ſuper Apoſtolos, non autem in ſpecie aquæ, vel aëris: quæ elementa in diverſis partibus ſuperficiei terræ adhærent. Sed in ſpecie ignis, qui immediatè corporibus cœleſtibus contiguatur, in ſignum, quod illos quos accendit amore divino, facit terrena deſpicere. & cœleſtia penſare. Et ideò rectè vocatur Spiritus ſanctificationis, *Rom.* 1.

Secundò vocatur *multiplex* ab effectu, propter multiplicia dona quæ præſtat; juxta illud *Iſa.* 11 Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus Domini.

Tertiò dicitur *unicus* formaliter ſcilicet, & effectivè: quaſi uniens, nos fide, ſpe, & charitate erga Deum, & proximum Unde ad *Eph.* 4. dicitur: Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.

Quartò dicitur *ſubtilis*, quia Spiritus S. viros ſubtiles facit in eligendo, docendo, & faciendo per dona quibus ſanctos ſuos exornat. Huc facit illud *Ezech* 16. Induit te ſubtilibus, & ornavit te ornamento

Quintò dicitur *modeſtus*, quia facit modeſtos, juxta illud ad *Galat.* 5. Fructus autem ſpiritus eſt charitas. gaudium, pax. Et infra: Modeſtia, continentia. caſtitas.

Sextò dicitur *diſertus*, id eſt diſertos faciens: qualiter fecit Apoſtolos, qui ante ſuam converſionem rudes erant, poſt adventum Spiritus ſancti ſuper eos, facti ſunt deſerti & eloquentes; unde *Sap.* 10. dicitur: Sapientia aperuit os mutorum & linguas infantium fecit diſertas.

Septimò Spiritus ſanctus dicitur *mobilis*, id eſt movere faciens, promptè & obedienter, quamvis in ſe ipſo Spiritus ſanctus ſit immobilis: ſicut primum movens immobile eſt, ut probatur in 8. *Phyſicorum* Hoc modo Spiritus S. fecit Apoſtolos ita mobiles, ut fuerint diſperſi in omnem terram: undè etiam, In omnem terram exivit ſonus eorum. Huc facit etiam illud *Ioan.* 15. Poſui vos ut eatis, & fructum afferatis. Et illud *Prov.* 6. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum.

Octavò dicitur *incoinquinatus*. Et hoc verum eſt, tam effectivè quàm formaliter. Honeſta perſona non inhabitat loca turpia, & immunda: nec Spiritus ſanctus mentes guloſas vel libidinoſas Et ideò de Apoſtolis canimus, quod invenerit eos receptacula munda, & tribuerit eis chariſmatum dona.

Nonò Spiritus ſanctus dicitur *certus*, contra inconſtantes, mendaces & deſperantes; contra quos loquitur Apoſtolus 2. *Tim.* 1. Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare.

Decimò dicitur eſſe *ſuavis*; unde *Sap.* 12. dicitur: O quàm bonus, & ſuavis eſt ſpiritus tuus. Suaves enim & mites facit, quos inhabitare dignatur: non autem impatientes, non amaros, non turbidos, vel impetuoſos. Famuli miniſtrantes dominis facillimè accipiunt mores dominorum ſuorum: & ideò, quando ſervi alicujus ſunt bene educati, ſignum eſt, quod ſerviant alicui domino nobili. Unde metricè dicitur.

Eſt domini facies famulus: ſpeculumq́; magiſtri
Diſcipulus: monſtrat regnum moderamina Regis.

Si ergo ſuaves fuerimus adinvicem, ſignum eſt, quod ſimus de familia Spiritus ſancti. Et ideò in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in longanimitate, & ſuavitate, & Spiritu ſancto: ut dicitur 2. *Cor.* 6.

Undecimò dicitur *amans bonum actum*, facit enim homines gaudere de profectu alieno: & hoc contra invidos, qui de bonis alienis triſtantur, De juſtis autem dicitur ad *Rom.* 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Duodecimò dicitur eſſe talis, *qui nihil vetat benefacere*; imò hortatur nos ad benefaciendum: & hoc dicitur contra negligentes, & acedioſos. Unde *Prov.* 4. dicitur: Noli prohibere benefacere ei, qui poteſt.

Decimo tertiò dicitur *humanus*; tum quia homines diligit, *Prov* 8. Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum: tum quia homines humanos & benevolos facit, non autem auſteros aut beſtiales. Unde *Sap.* 12. dicitur: Docuiſti populum per talia opera, quoniam oportet juſtum eſſe, & humanum.

Decimo quartò dicitur *benignus*, id eſt bene ignit*, quia ignitos efficit, quos diſponit. Huc facit illud *Sap.* 1. Benignus eſt enim Spiritus ſapientiæ.

Decimo quintò dicitur *ſtabilis*: quia ſtabiles facit, & perſeverantes in bono. Nec obſtat, quod Spir. S. dictus ſit *mobilis*: quia utrumq; juxta diverſam conſiderationem ei competit. Nam quia Spir. S. facit proficere in bono, de virtute in virtutem, & quærere ſalutem proximi, ideo *mobilis* dicitur. Quia autem facit juſtos in bono perſeverare, ideo *ſtabilis* dicitur. Et ideo 1. *Cor.* 15 dicitur: Itaque fratres mei dilectiſſimi ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes ſemper in opere domini.

Decimo ſextò dicitur *ſecurus*: quia ſecuros nos efficit per ſpem quæ eſt certa exſpectatio futuræ beatitudinis, veniens ex gratia Dei, & meritis præcedentibus. Creditor, quando habet pignus ſufficiens à ſuo debitore, tunc jam eſt certus de ſuo. Sic etiam Deus volens nos eſſe certos de beatitudine, dedit nobis pro pignore Spiritum ſanctum. Unde ad *Epheſ.* 1. dicitur:

ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.

Decimo ſeptimo dicitur, *Omnem habens virtutem*; quia eſt Patri, & Filio coæqualis, & conſubſtantialis: unde Job 33. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis vivificavit me.

Decimo octavo dicitur: *Omnia proſpiciens.* Tum quia Spiritus eſt qui omnia ſcrutatur 1. *Corinth.* 2. Tum quia Spiritus ſanctus facit hominem prudenter proſpicere quia de præteritis dat cautelam, & de præſentibus circumſpectionem atque de futuris providentiam. Unde 1. *Corinth.* 11. *dicitur*: Spiritualis homo dijudicat omnia.

Decimo nono dicitur; quod ſit talis, *Qui capit omnes ſpiritus intelligibiles*, id eſt, cui ſubditi ſunt omnes ſpiritus Angelici, tam boni, quàm mali; quia omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus. *Heb.* 1. Vel *capit omnes ſpiritus intelligibiles*, id eſt facere capit omnia dona Spiritus ſancti, mediantibus quibus homo intelligit, quidquid eſt neceſſarium ad ſalutem. Et conformiter ad hoc dicitur *Eccl.* 39. Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit eum.

Vigeſimo, Spiritus ſanctus dicitur eſſe *Mundus.* Nec mirum, ipſe enim eſt lux vera veniens in hunc mundum: & ideò Spiritus ſanctus mundus eſt in ſe, & etiam facit mundos, quos inhabitare dignatur. Unde *Pſal.* Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ultimò dicitur: quod ſit *ſubtilis*, puta profunda penetrando, & difficillima declarando. Unde *Joan* 14 dicitur: Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.

LECTIO CI.

TEXTUS.

Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia. Attingit autem ubique propter munditiam ſuam. Vapor enim eſt virtutis Dei, & emanatio quadam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera; & ideo nihil inquinatum in illam incurrit.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc textu Salomon duo attribuit ſapientiæ omnia gubernanti; videlicet ſufficientiam celeritatis, & coëxiſtentiam præſentialitatis. Dicit ergo ſic, *omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia*: id eſt, ſapientia eſt virtuoſior in movendo omni mobili. Nec mirum, quia cum ſapientia tanqoàm donum Spiritus ſancti, ſit quodammodo infinitæ virtutis, omne autem agens infinitæ virtutis celerius quocunque alio producat ſuum effectum; ideo rectè ſapientiæ celeritas convenit in movendo.

Quod autem ſapientia etiam habeat coexiſtentiam præſentialitatis, patet ex verbis ſequentibus, dum dicitur: *Attingit autem ubique propter munditiam ſuam.* Omnia enim per ſapientiam diſponuntur & reguntur. Unde in *Pſ.* dicitur. Omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua: hoc eſt, tu es in univerſa terra. Nam ut Theologi docent, Deus eſt in omnibus rebus, per eſſentiam, potentiam & præſentiam. Eſt inquam Deus in omnibus rebus per eſſentiam; quia *eſſentia* cujuslibet rei eſt quædam participatio divini eſſe: & ſic Deus eſſentiæ cujuslibet rei, habentis aliquod eſſe participatum adeſt, ſicut cauſa adeſt ſuo effectui. Deinde etiam Deus eſt ubique per ſuam potentiam, in quantum omnia agunt virtute ipſius. Et tandem Deus ubique eſt per ſuam præſentiam, in quantum omnia immediate diſponit & regit. Attingit ergo ſapientia ubique, id eſt, in omni loco *propter ſuam munditiam*: id eſt, ſine alicujus defectus permixtione.

In verbis ſequentibus deſcribit Spiritus ſanctus per locutiones figuraticas & tropicas. Dicit ergo; *Vapor eſt enim virtutis Dei.* Vapor eſt quoddam corpus ſubtile extractum de terra, vel de aqua per virtutem Solis (ut *patet ex* 1. *Metheorum* (ſtrictè tamen & propriè loquendo vapor eſt aër humidus extractus de aqua, exhalatio autem eſt ſicca, & extrahitur de terra. Et de iſtis duobus generantur omnes aëreę impreſſiones, cujusmodi ſunt nubes, pluviæ, grandines, nix, tonitrua, ros, pruina, & plura alia. Eſt ergo ſapientia quaſi *vapor virtutis Dei*: id eſt, ſubtilis effectus divinæ virtutis cauſatus in mente rationali.

Et quadam emanatio claritatis Dei ſincera: id eſt, claritas emanans ſincerè ab omnipotente Deo; Porrò *emanare* idem eſt, ac *ſcaturire*: ſicut aqua aſcendens de terra debet emanare. *Sincerus* autem dicitur, *quaſi ſine cerá*. id eſt ſine mollitie, aut fluxibilitate, ſapientia eſt Dei effectus purus, conſtans, & mundus.

Et *ideò nihil inquinatum in illam incurrit*; Puta propter munditiam ſuæ claritatis; ſicut lux ſolis, quamvis loca turpia illuminet, nihil tamen inquinamenti vel turpitudinis contrahere poteſt. Circa illa verba, *Et quadam emanatio claritatis Dei.* ſit

ARTICULUS UNICUS.

An in Deo, tanquam in fonte aquarum; ſit perpetuitas pretioſa, ſuavitas ſaporoſa, & communitas copioſa?

DIco, quod ſic.

Explicatur prima pars, quod in Deo tanquam in fonte gratiarum ſit *Perpetuitas gratioſa.* Nam ſicut quidquid bonitatis invenitur in rivulorum emanat de fonte; ſic etiam quidquid delectabilitatis aut bonitatis eſt in creatura, totum manat de fonte bonitatis divinæ infinitæ. Unde *Eccl.* 1. dicitur: Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Ad iſtum autem fontem divinum deſiderant animæ ſanctæ, juxta illud *Pſal*: Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: ſitivit anima mea ad te Deus fontem vivum. Conſtat quod Cervus devorato ſerpente moriatur, niſi citò perveniat ad aquam, deſiderat enim naturaliter vitam ſuam prolongare: Unde ſicut dicit *gloſſa ſuper illud Pſalm.* Quemadmodum deſiderat &c. Cervus ſenio gravatus exceſcentibus capillis atque cornibus, explorato ſerpente ipſum naribus haurit, quo hauſto æſtuat veneno: & ideò fontem ad bibendum ardentiſſimè deſiderat,

quem

quem ſi non adipiſcatur, moritur, & ita vitam abbreviat, quam prolongare volebat. Moraliter loquendo, homo ſerpentem hauſit quando diaboli ſuggeſtionibus acquieſcit, & noxias ſibi delectationes incorporat per peccatum; ſed poſtquam peccati fœditatem conſiderat, æſtuat veneno: & tunc peccator fontem miſericordiæ divinæ deſiderat, quando Deo per pœnitentiam reconciliari affectat. Si enim contingat quod peccator poſt hauſtum venenum, id eſt, poſt commiſſum peccatum, non attingat fontem gratiæ, tunc certè damnum mortis perpetuæ incurrit. Fons autem gratiæ de quo putei aquarum viventium emanant, eſt Chriſtus Dominus: in cujus corpore multa vulnera quaſi putei extiterunt. Huc facit illud *Eccl.* 50. In diebus illis emanaverunt putei multi aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum; De iſtis fontibus dicitur *Iſaiæ* 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Explicatur ſecunda pars, quod in Domino tanquam fonte gratiarum ſit *ſuavitas ſaporoſa.* Sicut enim dulcior eſt aqua in fonte quam in rivulo: ita delectabilior eſt dulcedo in Chriſto quam in quavis creatura. Dulcedo enim fontis eſt de conditione terræ, de qua emanat (ſicut dicit *Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſato*) & ideò aqua currens per terram amaram & ſulphuream, & ſic emanans eſt amara naturaliter. At verò aqua emanans de terra pura & ſabuloſa eſt dulcis, pura, & clara. Chriſtus autem fons ſapientiæ emanavit de terra humili nimirum glorioſiſſima virgine Maria; in quâ nihil auſteritatis, nihil amaritudinis, nihilque lutoſæ fœditatis erat: ideòq; nihil amaritudinis in fonte, qui Chriſtus eſt, inveniri poteſt. Et ideo *Jac.* 3. dicitur: Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Et tamen ipſe Deus de ingratis hominibus, qui divina delectatione contemptâ terrenis voluptatibus immerguntur, graviter conqueritur *Jeremiæ* 31. dicens: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi diſſipatas ciſternas, quæ continere non valent aquas.

Explicatur tertia pars quod in Deo tanquam in fonte gratiarum ſit *Communitas copioſa.* Eſt enim fons omnibus communis, puta tam pauperibus quam divitibus, hominibus, & jumentis. Et iſto modo Chriſtus juſtis, & peccatoribus, omnibus clemens invenitur, & propitius. Huc facit illud. *Gen.* 11. ubi dicitur: Fons aſcendebat de terra irrigans univerſam ſuperficiem terræ.

LECTIO CII.

TEXTUS.

Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.

EXPLICATIO TEXTUS.

In hac lectione adducit Salomon tres alias loquelas tropicas ſeu figurativas ſapientiæ, motus ad hoc ex tribus prærogativis ejuſdem. Nam primò, ſapientia quæ eſt donum Dei, habet pulchritudinem venuſtatis; & quantum ad hoc dicitur: *quod ſit candor lucis æternæ.* Lux æterna autem, eſt veritas neceſſariorum, quæ candorem recipit, quando demonſtrationis evidentiam inducit. Vel etiam *lux æterna* poteſt dici veritas manifeſtiſſima fidei, quantum ad ea quæ fide tenentur. Et ab iſto candore, doctores in Eccleſia dicuntur candidi. Unde *Gen.* 40. dicitur: Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus (id eſt doctores Eccleſiæ) lacte candidiores. Doctores enim, & prælati, quorum eſt alios informare, dicuntur dentes Eccleſiæ; quia ſicut officium dentium eſt cibos frangere, dividere, conterere, & maſticare: ita officium Doctorum, & prælatorum eſt, ſacram Scripturam frangere, dividere, & exponere, juxta quod ſubditorum neceſſitas exigit. Huc etiam facit illud *Cant.* 4. ubi Eccleſiæ ſponſus dicit: Dentes tui ſicut greges tonſarum quæ aſcenderunt de lavacro. Ubi *gloſſa* addit; *dentes*, qui peccata rodunt, & ſcripturas atterunt, ſunt fortiores, & ad regendam Eccleſiam aptiores. Porro tales dicuntur eſſe *dentes ſicut greges ovium*, propter innocentiam, *tonſarum* propter voluntariam paupertatem, per quam ab ipſis omnia ſuperflua, & quandoque etiam neceſſaria auferuntur. *Quæ aſcenderunt de lavacro*: quia à Baptiſmali regeneratione continuò proficiunt, aſcendentes de virtute in virtutem. Et iſti dentes ſunt *lacte candidiores* propter ſapientiæ venuſtatem.

Secundò habet ſapientia magnitudinem puritatis; & ideo vocatur in textu: *Speculum ſine macula Dei majeſtatis.* Nam in ſacra Scriptura Dei majeſtas, et fides inſpicitur, quaſi in aliquo mundiſſimo ſpeculo, in quo nulla eſt macula falſitatis. Unde 1. *Corinth.* 13. dicitur. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. Itaque tota cognitio, quam de Deo habemus in præſenti vita, eſt ſpecularis: in quâ cognitione objectum repræſentatur non per ſe ipſum, ſed per ſuam ſimilitudinem, & non per lineam rectam ſed reflexam. At verò in futura vita videbimus Deum ſicuti eſt non per creaturas, ſed immediate per ſe ipſum; Nam in viſione beatifica non erit aliqua ſpecies impreſſa, vel expreſſa creata, ſed eſſentia divina habebit rationem ſpeciei impreſſæ & expreſſæ, ut docetur 1. *part. quæſt.* 12.

Cæterum in hoc ſpeculo ſapientiæ (quod eſt ſacra Scriptura) non ſolum videmus Deum, ſed etiam mores noſtros, quales eſſe deberemus, ſi ſecundum legem Dei viveremus. Et ideò *S. Hieronymus in Epiſtola ad Demetriadem Virginem* ſic ſcribit. Utere, inquit, lectione divinâ vice ſpeculi, fœda corripiendo, pulchra conſervando, & pulchriora faciendo: Scriptura enim ſpeculum eſt fœda oſtendens, & corrigenda ducens. Similiter *S. Gregorius lib.* 2. *moralium cap.* 1. ait ſacra Scriptura eſt quaſi ſpeculum, quod oculis mentis noſtræ opponitur, ut interna noſtra facies in ipſa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus, ibi ſentimus quantum proficimus, quantumve à profectu longe diſtamus. Sicut autem is qui habet maculam in facie horret ſe videre in ſpeculo: ita *moraliter loquendo*, vitioſi in hac vita abhorrent ſe videre in iſto Scripturæ ſacræ ſpeculo, in quo ut dictum eſt, mali ipſorum mores repræſentantur tanquam corrigendi ab iiſdem.

Narratur de quadam domicella quæ habuit faciem turpem, diſtortam & oblongam; & quia putavit ſe eſſe pulchram, ideo omnia ſpecula, quæ repræſentabant turpitudinem ſuæ faciei confregit: exiſtimavit enim iſtam turpem ſuæ faciei repræſentationem oriri ex ſolo defectu ſpeculi. *Moraliter loquendo*, vitioſi, quando in concionibus tanquàm in aliquo ſpeculo repræſentantur ipſorum mali mores, & vitia, ſtatim ex mala conſuetudine revertuntur ad malam vitam, obliviſcendo qualiter in ſpeculo concionis deſcripti fuerint. Sed de talibus dicitur *Jacobi 1.* Si quis auditor eſt verbi & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideravit enim ſe & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Et ideo bene præmittit idem Apoſtolus: Eſtote factores verbi Dei, & non auditores tantum, fallentes vosmetipſos.

Legimus *Exodi* 38. quod Moyſes fecerit ex mandato Dei quoddam lavatorium, quod ponebatur inter tabernaculum & altare; in cujus margine ſuperiori erant ſpecula, interius verò continebatur aqua, ut ſacerdotes, antequam altare accederent, poſſent inſpicere, an aliquam maculam abluendam haberent, & eam abluendo delerent antequam accederent ad altare. Iſto modo (moraliter loquendo) eſt interius in ſacra Scriptura aqua gratiæ & devotionis; & externus in verbo doctrinæ ſunt ſpecula ſinceræ informationis, ad hoc, ut omnis homo ſemetipſum poſſit, inſpicere: & quod defectuoſum fuerit, emendare: quoniam hoc eſt ſpeculum ſine macula majeſtatis Dei.

Tertiò ſapientia, quæ in ſacra Scriptura continetur, habet ſimilitudinem Deitatis; & ideò dicitur in textu: *Imago bonitatis illius, nimirum Dei.* Sicut enim per imaginem cognoſcitur id, cujus eſt imago: ita per ea quæ in ſcriptura docentur, & divina beneficia nobis exhibita, item promiſſa divina videntur.

Circa illa quæ ab initio explicationis textus dicta ſunt, quod doctores recte vocentur dentes Eccleſiæ. Notandum eſt ex Ariſtotele, quod dentes qui ſunt ſtupidi, propter alicujus fructus acerbi comeſtionem, ita ut alium cibum ſine dolore eorundem dentium maſticare non poſſint, curentur cum ſale, qui aufert à dentibus talem ſtuporem. Ita *Ariſtoteles particula 1. problemate 37.* Secundò docet idem *Ariſtoteles partic. 3. problemate 1.* quod habentes raros & & diſtantes dentes non ſint ita longævi, ſicut illi qui habent denſos & fortes. Tertiò quod dentes ſint duriores quàm carnes, & tamen plus patiantur à frigidate quam carnes. Moraliter loquendo, doctores ſunt dentes Eccleſiæ. Iſti dentes autem ſeu doctores, quando nimis occupant ſe circa mundana, contrahunt ſtuporem quendam, & fiunt inepti ad dirigendum cibum doctrinæ fidei, ad uſum ſubditorum. Et de talibus dicitur *Amos* 4. Dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis urbibus veſtris, ad indigentiam panum in omnibus locis veſtris. Veruntamen iſtum ſtuporem facillime auferre poſſunt per ſalem, id eſt, per ſtudium ſacræ Scripturæ, & ideò ad *Coloſſenſes* 4. dicitur: Sermo veſter ſemper in gratia ſit ſale conditus.

Secundo illæ Eccleſiæ in Chriſtianitate quæ habent raros dentes, id eſt, paucos doctores, & prælatos inſtructos, non ſunt ita longævæ (id eſt perſeverantes in vita gratiæ) ſicut ſunt illa loca ubi abundant Doctores morigerati, ſancti, & inſtructi.

Tertiò etiam iſti dentes ſeu Doctores Eccleſiæ magis patiuntur à frigore, id eſt majores habent perſecutiones, quàm homines mundani, & carnales, qui ſolum plus ſentiunt de proſperitate.

ARTICVLVS VNICVS.

An Chriſtus Dominus fuerit candor lucis honeſtiſſimè vivendo, ſpeculum ſine macula rectiſſimè docendo, & imago bonitatis benigniſſimè redimendo?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Chriſtus fuerit *candor lucis honeſtiſſime vivendo*. Fuit enim in Chriſto inexplicabilis amor erga Deum, & ſuam caſtiſſimam matrem: aſſidua contemplatio rerum cœleſtium, maxima humilitas, humilis pietas, pia manſuetudo, manſueta clementia clemens benignitas, benigna miſericordia, miſericors liberalitas, liberalis munificentia, munifica gratia, gratioſa affabilitas, affabilis eloquentia, eloquens prædicatio, & melioris vitæ omnibus perſuaſio. Erat Jeſus Salvator noſter pauperrimus, ita ut nec haberet, ubi caput ſuum reclinaret. Fuit item obediens parentibus, patiens in ſupportando, promptus in ſubveniendo, tardus in puniendo, beneficus in in præmiando, zeloſus pro animarum ſalute, gravis in inceſſu, compoſitus in moribus, modeſtus in oculis, circumſpectus in operibus, temperatus in alimentis, in concuſſus in injuriis, continuus in vigiliis, parcus in ſomno, frequens in orationibus, indefeſſus in laboribus, terrena deſpiciens, ſuadens æterna, languores curans, febres propulſans, cœcos illuminans, mutis loquelam, ſurdis auditum, mortuisque vitam reddens; corpus ſuum, & ſanguinem nobis pro convivio ſpirituali animæ in teſtamento ſuo relinquens, ut quod de homine recepit, totum ei relinqueret in ſalutem, donec tandem amariſſimam paſſionem & mortem crucis pro nobis ſuſtinuit; mortemque morte ſuperans januam paradiſi nobis aperuit, ut in omnium Redemptore totus mundus cœlum intraret. Ex quibus omnibus manifeſtè patet, quod Chriſtus *candor lucis* fuerit *honeſtiſſimo vivendo*.

Explicatur ſecunda pars, quod Chriſtus fuerit *ſpeculum ſine macula rectiſſimè docendo*. Fuit enim Chriſtus ſpeculum planum planè docendo; ſpeculum concavum humiliter moriendo: & ſpeculum convexum potenter reſurgendo. In ſpeculo concavo apparet imago reverſa ad ſuperius & inferius, ad dexterum & ſiniſtrum. Et ita fuit in Chriſto moriente: nam ſummus Deus à viliſſimis ribaldis torquebatur, ſumme juſtus accuſabatur, & ſummus Judex plectebatur. Porrò ſicut per ſpeculum concavum accenditur ignis, ita per contemplationem iſtius ſpeculi concavi Chriſti, ſummè in nobis accenditur ignis devotionis, & dilectionis ad Deum. Et, ſicut in ſpeculo *integro* non apparet niſi tantum

tum una imago, ſi autem confringatur, tunc quævis particula ſpeculi repræſentat ſuam imaginem: Ita etiam fuit in Chriſto Domino. Nam quamdiu corpus & anima Chriſti fuerunt ad invicem coojuncta, id eſt, quamdiu Chriſtus fuit homo vivens, una tantum imago apparuit, videlicet ſimilitudo hominis: quia à populo infideli Chriſtus ſolum fuit exiſtimatus homo purus, non autem homo & Deus ſimul. Poſtquam autem facta fuit confractio iſtius ſpeculi, & diviſio corporis ab anima: tunc inquàm, licet divinitas manſerit tam animæ quàm corpori conjuncta, ſtatim tamen mundo apparuerunt eſſe duæ imagines duarum naturarum, nimirum Dei & hominis. Nam imago hominis apparuit in corpore vulnerato, crucifixo, conclavato, & ſepulto: imago vero Dei apparuit in Sole eclipſato, terræ motu monſtrato, velo lacerato, rupium ruptione, & mortuorum reſuſcitatione, ita ut merito fateretur Centurio dicens. Verè filius Dei erat iſte *Matth. 27.* Itaque Chriſtus dicitur ſpeculum ſine macula ad differentiam hominum, qui ſpeculum quoddam dici poſſunt, ſed non ſine macula, propter fomitem concupiſcentiæ repugnantem ſpiritui continuè, dum homo vivit in carne. Unde *Job. 15.* dicitur. Quid eſt homo, ut immaculatus ſit, & ut juſtus appareat natus de muliere?

Explicatur tertia pars quod Chriſtus fuerit *imago bonitatis, per divinam perſonalitatem nos benigniſſime redimendo. Unde S. Auguſtinus 7. de Civ. Dei cap. 2. ait.* Quod homo dicatur quidem ad imaginem Dei ſecundum illud *Geneſis. 1.* Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Sed Filius Dei abſolutè dicitur *imago Patris*, & non *ad imaginem tantùm*; quia natus eſt non creatus, ſimilis & æqualis, & in nullo diſſimilis. At verò homo eſt ad imaginem, & non eſt imago, quia non adæquatur paralitate, ſed accepit ſimilitudinem. In homine tamen tanquàm in imagine plus deformitatis, quàm convenientiæ demonſtratur; licet enim ſimilitudo ſit de ratione imaginis, non tamen æqualitas, ſed tantum de ratione *perfectæ imaginis* eſt æqualitas, ſicut docet idem *S. Auguſtinus lib. octuaginta trium quæſtionum quæſt. 15.*

LECTIO CIII.

TEXTUS.

Et cum ſit una, omnia poteſt; & permanens in ſe, omnia innovat; & per nationes in animas ſanctas ſe transfert: amicos Dei & Prophetas conſtituit. Neminem enim diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat.

EXPLICATIO TEXTUS.

Et cum ſit una, videlicet unitate ſubjecti principalis quod eſt Deus: & unitate finis, qui eſt amor Dei, principaliter intentus in ſacra Scriptura. Et iſta ſapientia *cum ſit una, omnia poteſt*: *& permanens in ſe* (id eſt *omnino immutabilis* exiſtens) *omnia innovat*, puta gubernando & regendo. Et *per nationes in animas ſanctas ſe transfert*, id eſt ſapientia divina non ſolum ſeſe communicat uni, vel alteri genti, ſed pluribus ex diverſiſſimis nationibus ſeſe participandum tribuit. Cum autem Deus non ſit acceptor perſonarum (ut dicitur *Act. 10.*) ideò in omni gente is qui timet Deum, & operatur bonum, acceptus eſt illi. Unde ſapientia quæ eſt donum Dei, per nationes ſanctas hominum, videlicet ubique terrarum ſeſe transfert, inſpirando illis divinum cultum, & alia ipſis neceſſaria ad ſalutem; *& ita ſe transfert in animas ſanctas*; non ſanctitatem præſupponendo: ſed faciendo.

Subditur *amicos Dei*, id eſt, amantes Deum: & amatos à Deo, & Prophetas, qui futura prædicant conſtituit. Juxta illud *1. Corinth. 12.* Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Et infra: Alii datur prophetia, alii diſcretio ſpirituum.

Neminem enim diligit Deus (tanquam electum & de familia ſua) niſi eum, *qui cum ſapientia inhabitat*: id eſt, qui verum Dei cultum exercendo bona opera habet. Circa illa verba, *quod ſapientia amicos Dei & Prophetas conſtituat*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum ſolis amicis Dei conferatur donum prophetiæ?

Notandum ante reſolutionem, quod duplex ſit Gratia, una Gratia gratum faciens, & alia Gratia gratis data. Gratia gratum faciens, quæ hominem verè participem naturæ divinæ, & amicum Dei conſtituit, ordinatur principaliter ad ſolum bonum habentis talem gratiam. Et hæc Gratia gratum faciens eſt illa, à qua per modum proprietatis profluit charitas, atque ab illa ſpiritualiter generamur in filios Dei, juxta illud Joan. 1. Dedit Deus poteſtatem filios Dei fieri, his qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo, (puta per gratiam gratum facientem) nati ſunt. Gratia autem gratis data eſt illa, quæ ordinatur principaliter ad ſalutem aliorum, non autem ordinatur ſan[illegible] primario ad bonum illius, qui habet talem gratiam gratis datam. Hujuſmodi gratiæ gratis datæ ſunt, donum prophetiæ, poteſtas curandi, & ſigna faciendi, fides in ſuo ſenſu accepta &c. His præmiſſis

Dico primò, licet Gratia gratum faciens non poſſit eſſe in homine Dei inimico; Gratia tamen gratis data, uti eſt prophetia poteſt reperiri in hominibus tam bonis & amicis Dei, quàm etiam malis & inimicis Dei.

Probatur prima pars. Quia gratia gratum faciens facit bonum habentem, opus ejus rectum facit; item efficit talem hominem naturæ divinæ participem, & filium Dei adoptivum; ſed hæc ſtare non poſſunt cum inimicitia Dei, quam homo incurrit mortaliter peccando; Ergo Gratia gratum faciens non poteſt reperiri in homine inimico Dei. Maj. patet: & min. ſimiliter conſtat; Quia aliàs talis homo ſimul eſſet amicus & filius Dei, & ſimul eſſet inimicus Dei & filius diaboli, quod eſt impoſſibile: Ergo.

Probatur ſecunda pars. Quia gratia gratis data non facit bonum habentem, nec opus ejus rectum facit, ſed ſolùm principaliter ordinatur ad aliorum ſalutem, unde *Apoſtolus* 1. *Corinth.* 13. dicit: Si habuerim prophetiam, & noverim myſteria omnia; Et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Vult dicere Apoſtolus, quod licet haberet prophetiam, & alia dona gratis data, niſi tamen habear charitatem, per quam reddimur amici Dei, *nihil ſit*; Id eſt, in ſe ipſo juſtificatus & bonus non eſſet; Ergo poteſt ſtare donum prophetiæ cum inimicitia Dei, & ita Deus in hominibus malis donum prophetiæ conferre poteſt.

Confirmatur primò; Quia donum prophetiæ conceditur alicui ad utilitatem Eccleſiæ communiter, & non præcisè ad utilitatem illius cui datur (juxta illud 1. *Corinth.* 12. Unicuique data eſt manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem) modo autem ad utilitatem Eccleſiæ & honorem Dei pertinet, quod non ſolum à bonis, ſed etiam à malis habeat teſtimonium ſuæ ſanctitatis, cultus ſibi debiti, & aliorum mirabilium, quæ virtute divina futura ſunt; Ergo donum prophetiæ malis & inimicis Dei ſubinde confertur.

Confirmatur ſecundò, Balaam fuit Propheta (ut patet ex *Num. cap.* 24) Et tamen Balaam fuit malus homo, & cultor idolorum & dæmonum, ergo.

Confirmatur tertiò *Matthæi* 7. legitur: Quod multi dicent in judicio, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo ejecimus dæmonia, & virtutes multas fecimus? Quibus reſpondebit Dominus, nunquam novi vos, id eſt approbavi. Ergo tales fuerunt Prophetæ, & tamen fuerunt inimici Dei.

Dico ſecundò, licet prophetia compatiatur malitiam morum, ordinariè tamen non admittit malitiam quorumcunque vitiorum.

Probatur, & explicatur reſolutio. Nam quia prophetia eſt quædam ſpecialis præcognitio futurorum, ad quam requiritur e[illegible]atio mentis per contemplationem, id[illegible]lla quæ ſpeciali contemplationi repug[illegible]t, contrariantur Prophetiæ; Et ideò [illegible]ia carnalia, quæ habent vehementes [illegible]iones & occupationes terrenorum, qu[illegible]e mentis elevationem impediunt, Pro[illegible]etiæ repugnant; Et ideò legimus de ſiliis Prophetarum 4. *Regum* 4. quod ſimul habitaverint [illegible]um Eliſæo quaſi vitam ſolitariam agen[illegible] & propter quandam honeſtatem etia[illegible]a carnalibus abſtinentes. Vitia verò ſpiri[illegible]lia, quæ mentis elevationem non imped[illegible]t, Prophetiæ non repugnant; cujuſmod[illegible]nt culturæ idolorum, obſecrationes, & [illegible]mirationes, atque etiam oblationes factæ [illegible]monibus. Unde 3. *Regum* 18. dixit Elias: Congregate ad me univerſum Iſraël in monte Carmeli, & Prophetas Baal 450. Prophetas Lucorum 400. qui comedunt de menſa Jezabel. Conſtat autem quod omnes iſti fuerint dæmonum cultores, & tamen in quadam honeſtate corporali vixerint. Imò etiam Nigromantici, qui dæmones conſulunt, pro illo tempore quo Luxuriis ſe immiſcent, nihil ab iiſdem dæmonibus conſulunt, vel ſcire expetunt, ſicut ipſimet fatentur, & hoc ipſum ſufficienter ex libris eorum conſtat.

Dices primo contra primam. Secreta non ſunt revelanda niſi amicis (*juxta illud Ioan.* 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à patre, nota feci vobis: ſed Deus ſua ſecreta revelat Prophetis: Ergo Prophetæ ſunt amici Dei, & conſequenter prophetia inimicis Dei non communicatur.

Reſpondetur. Quod Deus ſtudio ſubinde revelet malis Prophetis aliqua ſecreta propter utilitatem ſuorum amicorum; Quia non indigent occultatione illius ſecreti, ſed potius publicatione illius ſecreti ſcire deſiderant per tales malitioſos Prophetas, qui exinde ſolum habent confuſionem; Amici autem Dei habent ex inde gaudium & honorem. Certum quoque eſt, quod ad honorem domini ſit, quod ſecretum, quod eſt contrarium inimico, & utile amicis, per ejuſmodi inimicum divulgetur.

Quando autem dicitur *Ioan.* 15. quod ideo Chriſtus dixerit, diſcipulos eſſe ſuos amicos, quia omnia nota fecit eis, hoc inquam exponit *S. Gregorius*; quod notitia illa quam in eis cauſavit, fuerit notitia cum amore: talis autem notitia cum amore communicatur ſolum bonis Prophetis, non autem malis.

Dices ſecundò *Matth.* 7. dicit Chriſtus: Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Ex qua authoritate formatur tale argumentum. At hoc ut quis ſit verus Propheta non debet in ſe Lupus rapax eſſe; ſed mali Prophetæ ſunt in ſe lupi rapaces: Ergo non ſunt veri Prophetæ, & conſequenter prophetia malis non communicatur.

Reſpondetur quod Prophetæ quantumvis mali, ſi mittantur à Deo propter aliorum utilitatem, tunc non utantur ſcientia prophetica ad decipiendum homines; Sed revelant revera ea, ad quæ revelanda à Deo miſſi ſunt: ut patet de Balaam & aliis. Oportet tamen cavere ab illis Prophetis, ſeu concionatoribus, qui verbis Prophetarum, & ſcientia ſua abutuntur ad ſeducendum alios. Itaque lupi rapaces in textu allegato ſunt illi, qui intendunt per malam doctrinam alios ſeducere & perdere. Si autem ſubindè dentur aliqui boni concionatores ducentes malam vitam, tunc inquàm, doctrina ipſorum amplectenda, ſed mores ipſorum fugiendi.

LECTIO CIV.

TEXTUS.

Eſt enim ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata invenitur prior. Illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia.

EXPLICATIO TEXTUS.

Tria ſunt inter corporalia, quæ æſtimantur eſſe nobiliſſima, nimirum ſol, ſtellæ, & lux. Eſt tamen his omnibus ſapientia increata,

creata, (quæ eſt Deus) ſpecioſior. Dicitur tamen ſpecialiter in textu, quod ſit *ſpecioſior ſole*; cùm tamen ſol inter omnia opera Dei inanimata ſit nobiliſſimum; Undè ſpecialiter de ſole *dicitur Eccl. 43.* Species cæli in viſione gloriæ, ſol in aſpectu, annuntians in exitu, vas admirabile, opus excelſi.

Et ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, id eſt, ſuper imagines ſtellarum fixarum, ſive ſint in Zodiaco, ſive extra. Vel *ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum*, id eſt, ſuper omnem pulchritudinem cujuſcunque ſtellæ erraticæ vel fixæ. Unde *Iob. 25* dicitur: ſtellæ non ſunt in conſpectu illius mundæ.

Et idem ſubjungitur in textu, *quod luci comparata invenitur prior*; Id eſt dignior & honorabilior. Cauſam autem cur ſapientia ſit dignior & excellentior luce, aſſignat in verbis ſequentibus dicens: *Luci enim ſuccedit nox*; Id eſt lux non habet æternam ſtabilitatem; Et vincitur lux à ſapientia in hoc, quod lux non ſemper maneat uniformiter. *Sapientiam autem* (puta increatam) *non vincit malitia*; Omnis enim nævus malitiæ procul eſt à ſapientia increata. Circa illa verba, *Eſt ſpecioſior ſole*, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum Sol rectè vocetur dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum; mens mundi; & cor cæli?

Dico quod ſic:

Explicatur prima pars quod Sol rectè vocetur *dux, princeps, & moderator luminum reliquorum.* Nam ſol vocatur dux, quia omnes ſtellas luminis majeſtate præcedit. Vocatur autem princeps, quia majoritate reliqua ſidera præcellit. Rectè quoque ſol dicitur *moderator luminum reliquorum*; quia ipſe teſte Macrobio, retrogradationem, & ſtationem in ſtellis erraticis cauſat.

Explicatur ſecunda pars, quod *ſol rectè vocetur mens mundi*, quia ſicut omne illud quod fit ab homine, convenienter ex mentis deliberatione procedit; ita omnia quæ fiunt in mundo convenienter, ab operatione ſolis exiſtunt; videlicet dies & nox, autumnus & æſtas, hyems & ver.

Explicatur tertia pars, quod Sol rectè dicatur *cor cæli*, Quia ſicut cor eſt in medio animalis, ita ſol in medio cæli ponitur ad calefaciendum totum mundum. Et ſicut motu cordis ceſſante, animalia non poſſunt vivere: Ita nec quidquam naturaliter vivere poteſt in mundo, motu ſolis ceſſante.

Et tamen ſapientia increata eſt ſpecioſior ſole. Nam quantumcunque ſol luceat, radios tamen ſuos uſque ad viſcera terræ, vel maris, ea formaliter penetrando non extendit, propter infirmitatem ſuæ lucis, ut *inquit Homerus.* At verò ſol juſtitiæ radios ſuos viſibiles per totam terram extendit, nec aliquid eum latere poteſt; Omnia enim nuda & aperta ſunt in conſpectu illius. Unde *Eccl. 23.* dicitur: Oculi Domini multò plus ſole lucidiores ſunt ſuper terram, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Ut autem magis intelligatur, quomodo illa, quæ ſunt in viſceribus terræ, participent radios ſolis.

Notandum eſt, quod participatio luminis dupliciter fiat. Primò formaliter ſecundum actum luminis, ſecundò virtualiter ſecundum aliquem effectum luminis. Itaque ſol (ut dictum eſt) *formaliter* non illuminat viſcera terræ, nec viſcera terræ *formaliter* lumen ſolis participant: at vero *virtualiter* ſecundum aliquem effectum luminis viſcera terræ lumē ſolis participant. Unde ſi qui authores ſint, qui docere videntur, quod radii ſolis etiam ſeſe extendant ad viſcera terræ; explicandi ſunt & intelligendi, quod ſol quantum ad *radios virtutis*, ſe ad illa inferiora extendat, non autem quantum ad radios luminoſos.

CAPITULUM OCTAVUM

LECTIO CV.

TEXTUS.

Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Hanc amavi, & exquiſivi eam à juventute mea, & quæſivi mihi ſponſam eam aſſumere: & amator factus ſum formæ illius.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hoc textu ponit Salomon quandam concluſionem ex præcedentibus illatam, hoc modo: Sapientia ita potens eſt, ut omnia gubernet; Et ita ſuavis eſt & benigna, ut actum bonum bene faciendi non prohibeat, ſed potius promoveat (ut patet ex Cap. præcedenti) Ergo ſapientia conformiter ad ſuam bonitatem regit hoc univerſum *fortiter* (cum potentiæ ejus nihil poſſit reſiſtere) & *ſuaviter* ſeu miſericorditer, & conformiter ad cujuſcunque naturam. Ergo *attingit à fine uſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter*; Puta concurrendo cum cauſis liberis liberè, & cum cauſis neceſſariis neceſſariò, ita ut ex parte cauſarum neceſſariarum non ſit aliqua libertas.

In verbis ſequentibus declarat Salomon quantam habuerit affectionem, & deſiderium ad acquirendam Sapientiam, & dicit ſic: *Hanc amavi & exquiſivi eam à juventute mea, & quæſivi eam mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.* In quibus verbis Salomon fatetur ſe ſapientiam deſideraſſe ſecundum quinque conditiones virtuoſas. Nam primò ipſam deſideravit frequenter & ſtudiosè, & quantum ad hoc dicit, *hanc amavi*, nimirum verè & ex corde. Secundò affectualiter & *laborioſè*; & quantum ad hoc dicit, & *exquiſivi eam.*

Nam

Nam inquirere, eſt intus quærere in voluntate, & in mente; exquirere autem eſt extra quærere in ſtudio & opere. Tertiò *perſeveranter & animosè*; Et quantum ad hoc dicit: *à juventute mea, non autem à ſenectute*; Huc facit illud *Eccl.* 25. Quæ in juventute tua non congregaſti, quomodo ea invenies in ſenectute? Nec obſtat quod cor Salomonis fuerit depravatum per mulieres, ex quo videtur ſequi, quod ſapientiam non exquiſiverit. Non inquam obſtat, quia ut *dicitur* 3. *Reg.* 11. Cum Salomon jam eſſet *ſenex*, depravatum eſt cor ejus per mulieres. Cum quo proinde ſtat, quod Salomon in ſua *juventute* bene potuerit inquirere, & exquirere ſapientiam. Porrò ex hoc exemplo, quod Salomon fuerit ita ſapiens, & tamen in fine cor ejus fuerit depravatum per mulieres, deſumitur manifeſta cauſa redarguendi cujuslibet hominis præſumptionem: ne videlicet aliquis prætextu munditiæ ſuæ juventutis ſuperbiat, dum Salomonem olim tam ſanctum, & tot privilegiis à Deo dotatum videt, tandem in ſenectute depravatum fuiſſe per mulieres. Quartò deſideravit Salomon ſapientiam utiliter, & fructuoſe. Et quantum ad hoc dicit: *Quæſivi mihi ſponſam eam aſſumere.* Sponſa enim naturaliter appetitur propter prolem, proles verò ſapientiæ, eſt opus meritorium. Et ideo, quicumque deſiderat ſapientiam ad delectationem, vel oſtentationem, ſeu in ſuam elationem; talis inquam ſibi ſapientiam non deſiderat eſſe ſponſam, ſed potius meretricem. Unde ille ſolum ſapientiam tanquam ſponſam deſiderat, vel habet, qui per illam bona opera exercet. Et ideo dicitur *Iacobi* 2. Quod fides ſine bonis operibus mortua ſit. Pulchrè ad propoſitum dicit *S. Auguſtinus Serm.* 22. verba ſequentia: Fides, inquit, appellata eſt ab eo quod *fit*; Duæ ſyllabæ ſonant cum dicitur fides: prima ſyllaba eſt à facio, & ſecunda ſyllaba eſt à dico: Interrogo itaque utrum credas? & dicis, credo: fac, quod dicis, & fides eſt.

Quintò deſideravit Salomon ſapientiam prudenter & ingenioſè. Et quantum ad hoc dicit: Et *amator factus ſum formæ illius.* In ſenſu namque ſacræ ſcripturæ continentes ſapientiam, ſenſus litteralis eſt quaſi materia, ſenſus vero ſpiritualis eſt quaſi forma. Undè rudi populo Judæorum dicitur *Deuter.* 4 Vocem verborum ejus audiſtis, & formam penitus non vidiſtis. Iſta ergo ſacra ſcriptura ita amanda eſt ut habeamus formam ſcientiæ & veritatis in lege. Unde *ad Rom.* 5. *&* *ad Rom.* 6. dicitur: Gratia autem Deo quod obediſtis ex corde in eam formam Doctrinæ, in quam traditi eſtis. Ubi *Gloſſa* addit: Doctrina Evangelii *forma eſt*, quæ imaginem Dei deformatam reſtituit; *in quam traditi eſtis*, non per homines, ſed per gratiam Jeſu Chriſti. Circa illa verba: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum omnia ſubdantur gubernationi divinæ.

Dico: Deus eſt gubernator omnium, mediantibus tamen cauſis ſecundis.

Probatur prima pars. Quia gubernare nihil aliud eſt quam nos dirigere in finem intentum; ſed Deus qui eſt principium & cauſa omnium rerum, eaſdem etiam dirigit ad ſe ipſum tanquam ad finem (omnia enim propter ſemetipſum & propter ſuum honorem operatus eſt Dominus, qui de ſe ipſo dicit, Gloriam meam alteri non dabo) ergo Deus gubernat omnia. &c.

Probatur & explicatur ſecunda pars, quod Deus mediantibus cauſis ſecundis omnia gubernet. Nam corpora groſſiora, & corruptibilia gubernat per corpora cæleſtia & incorruptibilia; Corpora autem cæleſtia gubernat per Angelos ſive per intelligentias angelicas: quia ſignum majoris bonitatis eſt, ſi ſuprema cauſa gubernans, & efficiens cauſalitatem gubernandi & efficiendi, etiam aliis ſibi ſubordinatis communicet, quam ſi omnia immediatè per ſe ipſum gubernet. Et ideo ad oſtendendam ſuam perfectionem in cauſando, & bonitatem in communicando, tribuit quibuſdam creaturis dignioribus veluti ſuis miniſtris principalibus, quod alias ſibi inferiores gubernet: ita tamen ut hæ ipſæ creaturæ digniores in gubernando, à Deo tanquam à ſupremo & primario gubernatore dependeant.

Dices primò. Si Deus omnia gubernaret, ſequeretur quod nihil mali fieret in hoc univerſo; Sed hoc eſt falſum; Ergo & id unde ſequitur. Sequela probatur: quia Deus eſt ſummè bonus, & ſummè potens. Ergo.

Reſpondetur, quod ſi Deus immediatè ſe ſolo omnia gubernaret & ageret, nihil mali fieret. Modò autem idem effectus fit quidem à Deo ſicut à cauſa primaria, ac principaliſſima, & univerſali, ſed tamen etiam fit à creatura rationali, ſicut à cauſa particulari: & ideò contingit, quod idem effectus ſit à Deo benè, & ab homine malè. Hujus rei exemplum eſt in aliquo Domino, qui dicit ſervo ſuo, trahamus iſtam cordam leniter, ita ut illam non frangamus; tunc ſi ſervus nimis trahens frangat cordam, iſta fractio ſoli ſervo non autem domino imputatur, & tractio cordæ fit tam à domino quàm à ſervo. Sic etiam Deus ſtatuit, quod creaturæ velit cooperari in ſuis operationibus, ita ut curſus naturæ maneat, quem inſtituit; ſine quo nulla res poteſt aliquid agere, nec per momentum exiſtere, niſi ipſe tem talem conſervaret. Quando ergo creatura rationalis facit contra legem ſibi poſitam à Deo, tunc inquam, & creatura rationalis à Deo gubernatur, & Deus eidem generaliter cooperatur, ſicut cooperatur igni comburendo, & ſoli lucendo: creatura rationalis tamen male facit legem Dei tranſgrediendo, non autem dominus, qui ſic facit, ſicut lex ſua ſtatuit.

Dices ſecundò. Si Deus omnia gubernaret, tunc nihil fieret à caſu; Sed hoc eſt falſum & contra experientiam, & contra *Ariſtotelem ſecundo Phyſicorum*: Ergo & illud unde ſequitur. Sequela probatur. Quia ſi Deus omnia gubernaret, nihil fieret contra ſuum propoſitum: Ergo.

Reſpondetur quod idem effectus dicatur eſſe à caſu, & præter propoſitum reſpectu unius cauſæ, & non à caſu reſpectu alterius cauſæ: ſicut ponitur exemplum de Domino qui mittit duos

duos ſamulos in ſuis negotiis, ordinans, ipſis inſciis, ut unus alteri certo loco, & tempore obvier. Iſte inquam concurſus famulorum dicitur eſſe à caſu reſpectu utriuſq; famuli, & tamen eſt per ſe intentus reſpectu Domini. Unde ſimiliter dicendum eſt in præſenti, quod nihil fiat in Univerſo à caſu, reſpectu divinæ gubernationis, nec aliquid ſibi inopinatum evenire poteſt: cum quo tamen ſtat, quod ex concurſu cauſarum particularium procedat ſubinde aliquis effectus, qui à neutra cauſa fuit intentus: & talis effectus dicitur caſualis, vel fortuitus reſpectu illarum.

Porrò caſus ſecundum *Ariſtotelem ſecundo Phyſicorum*, eſt cauſa per accidens in his, quæ fiunt propter finem, & in minori parte. Velut loquitur *Boetius*, Idem fit à caſu & tamen eſt à cauſa per ſe; ſicut per ſe cauſa inventionis theſauri eſt foſſio agri, ſed quia iſtum effectum inventionis theſauri non intendebat fodiens, ideo reſpectu illius dicitur à caſu.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Deus diſponat omnia miſericorditer?

Dico quod ſic:

Probatur & explicatur aſſertio; Nam Deus juſtos præmiat ultra condignum, & injuſtos punit citra condignum: Ergo Deus diſponit omnia miſericorditer.

Confirmatur. Deus omnia ex ſua bonitate conſervat, cum tamen omnia poſſet annihilare: Ergo omnibus impendit ſuam bonitatem, & miſericordiam, ita ut meritò dixerit vates Regius; Miſericordià Domini plena eſt terra, & miſericordia Domini ſuper omnia opera ejus.

Dices primò. Deus parvulos non baptizatos punit æternaliter propter peccatum originale; Ergo ſaltem in iſtos Deus non exercet miſericordiam.

Reſpondetur, quod Deus pro peccato originali non ſolum potuiſſet inflixiſſe carentiam viſionis beatificæ, ſed etiam poſſet eos annihilare ſi vellet. Et ideò Deus agit miſericordiam cum illis quod ſemper ſint habituri eſſe humanum ſine pœna ſenſus. Huc pertinet illud *Thren.* 3. Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.

Dices ſecundò. *Iacobi* 2. dicitur: Judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam: Ergo tales Deus non diſponit miſericorditer.

Reſpondetur quod licet immiſericordes non conſequantur miſericordiam, ipſos totaliter à pœna liberantem, conſequantur tamen miſericordiam, aliquid de pœna relaxantem, quia citra condignum punientur, ſicut alii omnes, qui pro ſuis demeritis damnabuntur.

LECTIO CVI.

TEXTUS.

Generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei: ſed & omnium Dominus dilexit eam.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc textu Salomon incipit attollere ſapientiam tanquam ſuam ſponſam, eique attribuit ſeptem prærogativas excitativas ſui amoris erga illam. Itaque prima ſapientiæ prærogativa eſt generoſitas propagationis; ſecunda celebritas bonæ opinionis; tertia curialitas bonæ educationes; quarta opulentia in divitiis; quinta experientia in artificiis; ſexta ſincerum moderamen in moralibus; ſeptima verum examen in ſcientialibus. In præſenti autem textu ſolùm deſcribam duas primas prærogativas. Porro quia nobiles ſpecialiſſimè attendunt, ne cum ignobili perſona copulentur, ideo loquendo de prima prærogativa ſapientiæ, tanquam ſuæ ſponſæ, dicit ſic: *Generoſitatem illius glorificat contubernium habens Dei.* Quaſi dicat: ſi de hujuſmodi ſponſæ ſapientiæ generoſitate fiat mentio, non ſolùm ipſa eſt generoſa, ſed inſuper etiam generoſitas ſui generis eſt ſamoſa, ſeu celebris, & toto orbe deprædicata. Multi enim ſunt nobiles, de quorum tamen nobilitate apud multos non eſt ſama: ſapientiæ vero generoſitas tantæ exiſtit notitiæ atque famæ, ut ab omnibus nobilibus habeat teſtimonium ſuæ claritatis: quia *Omnis perſona contubernium habens Dei*, glorificat generoſitatem illius. *Contubernium*, idem eſt, quod ſocietas manens ſimul per aliquod tempus, & dicitur *contubernium* quaſi *contabernium* ad taberna; quia illi qui in taberna conveniunt, ad tempus commorantur ſimul in una ſocietate: & ideo contubernalis dicitur ſocius, vel commilito, & collega, qui in eodem contubernio ſimul ad tempus cum alio manet.

Vult ergo dicere Salomon, quicunque eſt ille, qui *contubernium*, id eſt, ſocietatem habet cum Deo, *glorificat*, id eſt clarificat, & claram prædicat generoſitatem ſapientiæ, dicitur enim gloria quaſi *claria*, quia lucet, vel claret. Licèt autem nos omnes poſſimus & debeamus habere contubernium cum Deo (juxta illud 1. *Corinth.* 1. Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti: ſingulare tamen contubernium habet cum Deo natura humana in Chriſto per unionem hypoſtaticam. Huc facit illud 1. *Reg.* 14. *Viri Iſrael ſociati ſibi ſunt in die illo*; Id eſt in die annuntiationis Dominicæ: quando Filius Dei conceptus fuit in beatiſſima Virgine Maria. *Viri Iſrael*, id eſt, duo intellectus rationales (puta intellectus divinus & humanus) videntes Deum, *ſociati ſunt*, id eſt conjuncti ſunt: *in die illa*, id eſt, in die annuntiationis Dominicæ, quando Filius Dei conceptus fuit in beatiſſima Virgine Maria.

Porro, ex quo Chriſtus ſocietatem nobiſcum habere deſiderat, ideo vituperandi ſunt omnes, qui ſe ineptos reddunt ejus ſocietati, nec conformari eidem ſtudent. Unde 1. *Ioan.* 1. dicitur: Si dixerimus, quia ſocietatē habemus cum Deo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulaverimus, ſicut & Chriſtus in luce eſt, ſic ſocietatem habemus ad invicem. Ex quibus omnibus ſatis patet, quod ſapientia habeat glorioſam generoſitatem, maximè *quia omnis ſapientia à Domino Deo eſt*, *Eccl.* 1.

In verbis ſequentibus oſtendit Salomon, quod ſapientia habeat ſecundā prærogativam, *nimirum celebritatem bonæ opinionis*; & quantum ad hoc dicit ſic: *Sed & omnium Dominus dilexit eam*; Conſtat, quod ſi Princeps alicujus Regionis diligat præ cæteris aliquam puellam, hoc ipſum multum faciat *ad celebritatem bonæ opinionis*,

de illa. Unde mulro magis ſapientia habebit celebritatem boni nominis, quia non ſolum Princeps onius Regionis ſed Domious omnium (qui eſt Deus) dilexir eam. Quia in hac lectione de ingenuitate, & nobilitare tractatur, ideo ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An proles ſequi debeat conditionem patris in libertate, & ſervitute.

DIco: quod ſecundum jura civilia, Proles ſequatur conditionem ventris in ſervitute & libertare.

Ante probationem norandum eſt; Quod licet ſir commune adagium, quod patrus ſequatur ventrem; Nihilominus ſunt quædam jura localia in quibuſdam tegnis, quæ non teguntur jure imperiali, in quibus patrus ſequitur *parentem* deterioris conditionis, ſive deinde ſit pater, ſive ſit mater: Adeoque ſi tam pater quam mater ſint ſervilis conditionis, & ſint diverſi Domini, tunc fit diviſio prolis ſecundum numerum, ſi ſint plures numeri æqualis: vel ſir diviſio inter diverſos iſtos Dominos quo ad æſtimarionem, ſi ſir tantum *una proles*: Vel ſi ſint plures proles in numero inæquali; Et iſte fuit uſus in quibuſdam partibus Franciæ; Quod autem generaliter loquendo ſecundum jura civilia, partus ſequarur ventrem, hoc

Probatur primò. Quia magis poteſt conſtare de matre prolis, quàm de patre, ut dicit *Ariſtoteles 8. Ethicorum.* Et quia ſtatus libertaris debet eſſe certus, ideò ab illo principio ſtatus libertatis debet deſumi, à quo habetur major certitudo libertatis; Sed à muliere major babetur certitudo prolis: Ergo ab ea deſumenda eſt libertas prolis, ſi illa fuerit libera.

Probatur ſecundò In animalibus natis ex diverſæ ſpeciei animalibus, partus magis aſſimilatur matri, quam patri, (ut patet de mulo, qui generatur ex equa & aſino, hic enim multo magis aſſimilatur equæ quam aſino) Ergo ſimilitet ſecundum aliquam proportionẽ dicendum eſt, quod partus in humanis, quantum ad conditionem libertaris, vel ſervitutis, magis ſequatur ventrem ſeu matrem.

Probatur tertio ex illo *Exodi* 21. ubi dicitur, Quod ſi Dominus dederit uxorem alicui ſervo, quem emerit, & ille poſtmodum egrediatur liber, tunc uxor & filii debeant poſtea remanere Domino, qui dedit ſervo à ſe empto uxorem. Sciendum namq; eſt, quod quando Judæus emerat Judæum, tunc ſeptimo anno egrediebatur liber iſte Judæus emptus ſecundum legem, ſi tamẽ iſte Dominus emptor dediſſet medio tempore ſervitutis ſervo à ſe empto uxorem, ipſa uxor, poſtquam vir egreſſus eſt ad libertatem, remanebat Domino cum ſua tota prole. Cujus legis ſine dubio alia ratio non fuit, quam quia proles ſequitur ventrem: aliàs enim patre libero egrediente, ratio non fuiſſet matrem unà cum ſuis prolibus remanere Domino emptori tanquam ſervam.

In jure quoq; Canonico *Extra de natis ex libero ventre, capitulo unico* dicitur: Indeceos eſſe credimus, ut progeniti à libera ad ſervitium rerrahantur: Ergo partus ſequitur ventrem quantum ad conditionem libertatis vel ſervitutis, ſecundum textum ſcripturæ, & jus Canonicum allegatum.

Dices primò. Denominatio debet fieri à digniori; Ergo proles magis debet denominari à condirione patris quam matris. Conſequentia probatur. Quia pater eſt principium nobilius in generarione, & dat formam, mater verò ſolùm ſubminiſtrat materiam: Ergo.

Reſpondetur quod non ſemper fiat denominatio à digniori, ſed ſubinde à viliori, ſicut homo denominatur ab *humo*. Subinde etiam denominatio fit à prædominante, & evidentiori, & *certiori*; ut in probatione dictum eſt.

Dices ſecundò 15. *q. ultima, c. multa,* dicitur: Si ex deteſtando connubio alicujus conſtituti in ſacris, cum ingenuâ fuerint filii procreati, iſti illius Eccleſiæ, de cujus ſacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, erũt ſervi jure perẽni: Ergo partus ſequitur conditionem patris non matris.

Reſpondetur quod illud ſtatutum Eccleſiæ fuerit ſimpliciter editum in deteſtationem illius actus, vel conjugii. Dicit tamen *Gloſſa* ibidem, quod cum Eccleſia non ſit uſa iſto jure, ideo perdiderit iſtud jus.

Dices tertiò, In ſacra Scriptura non texitur genealogia per mulieres, ſed per viros; & tamen per genealogiam maximè attenditur nobilitas & libertas humana: Ergo nobiliras & etiam ſervitus humana, magis attẽditur ſecundũ patrem.

Reſpondetur quod ſacra Scriptura comparet genealogias non ad ſciendas conditiones ſervitutis & libertatis, ſed ad ſciendum de qua familia vel tribu perſona ſir extracta. Et quantum ad hoc, licet pater & mater de eadem tribu eſſe debetent, pater tamen principalior eſt in illa, & ideò à patribus in genealogiis denominatio fuit taxanda.

LECTIO CVII.

TEXTUS.

Doctrix eſt enim diſciplina Dei, & electrix operum illius.

IN hoc textu progreditur Salomon deſcribere tertiam ſponſæ ſuæ prærogativam, *Curialitatem bonæ educationis.*

Loquendo ergo de curialitate bonæ educationis ſponſæ, ſciendum eſt, quod educatio virtuoſa in duobus conſiſtat, videlicet in caſtigatione paſſionũ, & exercitatione bonorum operum; Unde *Seneca libro de moribus* ait: Educatio & diſciplina mores facit, & illud ſapit unuſquiſque quod didicit. Quod autem iſta ſponſa ſapientia in his duobus fuerit ſufficienter educata, affirmatur ſic: *Doctrix eſt enim diſciplina Dei,* (puta quantum ad caſtigationes paſſionum) *& electrix operum illius,* quantũ ad exercitationes operum.

Dicit ergo: *Doctrix eſt enim diſciplina Dei,* id eſt, ipſa docet nos recipere convenienter diſciplinam, quæ eſt nobis valde neceſſaria. Et *electrix operum illius,* id eſt, faciens nos eligere opera beneplacira Dei.

Notandum hic quod diſciplina accipiatur tripliciter in ſacra Scriptura Primò generaliter pro informatione ſive doctrina; & hoc modo *Proverb.* 1. accipitur, ubi dicitur: Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne derelinquas legem matris tuæ. Secundò accipitur diſciplina pro compoſitione morũ, verborum & geſtuum: & ſic ille diſciplinatus dicitur, qui ſe honeſtè in geſtu, verbis & ornatu irreprehenſibiliter habet. Unde *Hugo de inſtructione Novitiorum eorumque diſciplina* dicit ſic: Diſciplina, inquit, eſt omnium verborum motus ordinatus & diſpoſitio decens in omni

habitu

habitu & actione Et *Iacobi* 3 Sapiens, & diſciplinatus inter vos oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine. Tertiò dicitur diſciplina pro flagellatione ob cauſam caſtigationis illatam Et ita *Proverb.* 23. dicitur: Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: tu virgâ percuties eum, & animam de inferno liberabis. Et his tribus modis ſapientia eſt doctrix diſciplinæ Dei.

ARTICVLVS VNICVS.

An diſciplina Dei ſit à nobis ſuſcipienda patienter, propter caſtigantis dilectionem, peccantis correctionem, & tentantis dejectionem?

DIco quod ſic:

Explicatur prima pars, quod diſciplina Dei ſit patienter à nobis ſuſcipienda *propter caſtigantis dilectionem.* Ille enim qui diſciplinat nos, Pater noſter eſt, Amicus, & Redemptor. Unde *ad Hab.* 12. Quis eſt filius, quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes eſtis? Omnes ergo adulteri, & non filii eſtis; Quaſi diceret Apoſtolus, omnes amici Dei facti ſunt participes diſciplinæ Dei. Non eſſet magnũ ſi homo reciperet aliquem parvum ictum pro amore ſui amici, qui antea acerrimè pro ſe fuit vulneratus. Chriſtus amicus noſter pro nobis non ſolum verberatus, ſed etiam crucifixus & occiſus fuit; juxta illud *Iſaia* 50. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. *Diſciplina* pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Ergo etiam nos pro amore Chriſti, & etiam pro peccatis noſtris libenter diſciplinari debemus. Huc facit etiã illud ad *Hab.* 12. Fili mi noli negligere diſciplinã Domini, neq; fatigeris dum ab eo argueris.

Macrobrius lib. ſuo de lapidibus cap. 19. ſcribit, Quod ſi maritus ponat occultè certum aliquem lapidem ferruginei coloris ſub capite uxoris dormientis, experiri poterit an ſit ipſi fidelis, vel an ſit adultera; nam ſi ſit adultera, ſtatim cadet de lecto, ac ſi manu hominis fuiſſet expulſa: ſi verò ſit marito fidelis convertet ſe ad maritum dormiendo, illumq; amplexabitur. Unde ſic præfatus Author metricè canit.

> Nam qui ſcire cupit ſua ſit adultera conjux,
> Suppoſitum capiti lapidẽ ſtertentis adaptet,
> Mox quæ caſta manet, cupit amplexare maritum.
> Non tamen evigilans cadit omnis adultera lecto:
> Tanquàm pulſa manu, ſubitò fœtore coacta
> Quem lapis emittet, celati criminis index.

Applicatio moralis. Moraliter loquendo anima humana conjux Dei dicitur per fidem charitate informatam, juxta illud *Oſee* 2. Sponſabo te mihi in fide. Volens ergo Dominus Deus experiri, an anima humana ſit vera ſua ſponſa vel adultera, ſupponit iſtum lapidem qui eſt ferruginei coloris, & trahit ad ſe ferrum, id eſt magnam tribulacionem, quâ ferrei homines duræq; cervicis domantur, & trahuntur ad Deum. Et quid fit exinde? Certè falſæ conjuges cadunt de lecto charitatis per impatientiam, & murmurationẽ contra Deum: devotæ verò & fideles ſponſæ Chriſti convertunt ſe ad Deum, & ſunt ſub diſciplina Dei per humiliationem, orationem, & devotionem, dicentes illud *ad Rom.* 8 Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio? Et paulò poſt: Certus ſum, quod nec mors, neque vita, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei. Supponitur autem iſte lapis diſciplinæ Dei ſub capite ſponſæ Chriſti dormientis & quieſcentis. Quia quando homo aliquando ad majorem quietẽ & tranquilliorẽ converſationẽ ſe diſponit, tunc Deus ipſi diſciplinam tribulationis, & injuriæ, vel perſecutionis immittit. Huc facit illud *Iob.* 33. Quando irruit ſopor ſuper homines, & *dormiunt* in lecto, tunc aperit aures virorũ & erudiens eos inſtruit *diſciplina.* Super hunc textum *S. Gregorius* 26. *Moralium,* ſic ait: Aurẽ cordis tribulatio aperit, quã ſæpè proſperitas mundi claudit; Quæ quidem diſciplina eſt devotè ſuſtinenda, propter caſtigantis dilectionem.

Explicatur ſecunda pars. Quod diſciplina Dei ſit devotè ſuſcipienda *propter peccantis correctionem.* Unde *in Pſal.* dicitur: Diſciplina tua correxit me in finẽ, diſciplina tua ipſa me docebit. Pulchrè ad propoſitum *Petrus Ravanenſis in quadam Epiſtola,* in qua ſic ſcribit: Ideo te forſitan temporaliter punit Deus, ut æternæ mortis ardores redimat pœna temporali. Et ideò ad correctionem & commodum noſtrum ordinatur, quidquid nobis de iſta diſciplina præſtatur. Unde ad *Heb.* 12. dicitur: Omnis diſciplina in præſenti, non videtur eſſe gaudii ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimũ exercitatis reddet. Et *S. Gregorius* ait: Ideo Dominus hic quibuſdã parcit, ut eos in perpetuum feriat; Ideo autem ſubinde hic ferit non parcendo, ut in æternum parcat. Ita *S. Gregorius.*

Sicut autem pater verberans filium cum virga, facit puerum verberatum ceſſare à fletu, & ipſam virgam oſculari, cum qua fuit diſciplinatus: Ita vult Deus nobiſcum idem facere. Nam virga, qua Deus electos verberat, eſt aliquis malus homo, aſtutus, truculentus & injuſtus (qualiter *Ezech.* 1. *dicitur* floruit virga, germinavit ſuperbia, iniquitas ſurrexit in virga impietatis) & tamen non vult Deus, quod ploremus per nimiam deſolationem; Imò etiam vult Deus quod virgam noſtram oſculemur, & amemus (juxta illud *Matt.* 5. Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt) Huc oportunè pertinet illud quod dicit *Cæſarius*: Qui captivos redimere, pauperes paſcere & veſtire non prævalet, contra nullum hominem odium in corde ſervet; Et inimicis non ſolùm malum pro malo non reddat, ſed etiam diligenter pro eis orare non deſinat; Certus de promiſſione Domini ſui; ut liberâ conſcientiâ dicere poſſit ante tribunal Chriſti: da Domine quia dedi, & dimitte quia dimiſi, hæc ille. Diligamus ergo diſciplinam Dei ad correctionem, & commodum noſtrum; Stultitia enim colligata eſt in corde pueri; Et virga diſciplinæ fugabis eam. *Prov.* 22.

Explicatur tertia pars, quod diſciplina Dei ſit *devotè ſuſcipienda propter tentãtis dejectionem.* Proſternitur namq; caro, mundus, & dæmõ, quando diſciplina Dei fortiter toleratur. Unde etiã cõteret tentationes carnis, Solent ſancti ſibi ipſis dare diſciplinam, uti *S. Gregorius* 2. *Dialogorum cap.* 2. narrat de *S. Benedicto*: Qui ob aſpectũ in alicujus

Pul-

Pulchræ fœminæ, exindeq; tentationem gravem paſſus, ſe tamdiu nudum in vepribus volutavit, donec ceſſavit tentatio.

Præterea vanitas mundi contemnitur, dum factus homo perſecutionib⁹ agitatur. Sicut enim nutrix volens prolē ſuam ablactare, inungit mamillam ſuam re quadam amara: Ita Deus mundi hujus delitias voluit eſſe reſperſas multis amaritudinibus; Ne eas nimis amaremus. Et ideo *S. Auguſtinus in lib. Confeſſ.* gratias agit Deo, quod reſperſerit ſemper amaritudinib⁹ illicitas ſuas delectationes. Item *S. Auguſtinus de vera innocentia propoſitione 226.* dicit: In præſenti vita temporales deliciæ dulces ſunt, & temporales tribulationes amaræ ſunt. Si quis non bibat tribulationis poculum, metuat ignem gehennarum. Hæc *S. Auguſtinus.*

Et quis non contemnat dulcedinem ſæculi, ſi inhiare velit bonis vitæ æternæ? Sunt ergo divinæ diſciplinæ, quaſi quædam medicinæ, præſervativæ à putrefactione, & tentatione peccati.

Ariſtoteles 4. Metheorum docet, quod ſint quinq; putrefactionem impedientia. Prima cauſa eſt frigus circumſtans, & ideò mortui in frigido congelati durant per multos annos. Contra autem res in æſtate facilius putreſcunt quàm in hyeme, quia calor naturalis per frigus circumſtans exterius comprimitur & conſervatur in humido.

Secunda cauſa eſt excellentia caloris naturalis intrenſeci; Et ideo illa in quibus abundat calor igneus, ut piper & galanga, & hujuſmodi, non citò putreſcunt.

Tertia cauſa eſt coagulatio facta à frigido intrinſeco. Quarta cauſa eſt motus moderatus.

Quinta cauſa eſt magnitudo rei, quia utraq; res diviſa per partes citò putreſcit. Applicatio moralis. Nam moraliter loquendo ſunt quinque quæ putrefactionem peccati impediunt. Quando enim humidum & calidum à re extrahuntur, tunc res putreſcit. Sic etiam, quando humor gratiæ, & calor charitatis per peccatum ab homine extrahuntur, homo moraliter putreſcit juxta illud *Pſal.* 107. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Porrò hæc putrefactio peccati mortalis quinque modis impeditur. Primo modo per frigus circumſtans, id eſt, per tribulationem & perſecutionem exteriorem, Secundo modo per excellentiam caloris naturalis ignis extrinſici, id eſt, per excellentiam charitatis Spiritus ſancti. *Levit. 6.* Ignis in altari meo ſemper ardebit. Tertio modo per coagulationem factam à frigido intrinſeco, id eſt, per timorem divini judicii, & ultionis futuræ intrinſicus recogitatæ & perpenſæ. Quartò etiam per motum moderatum juxta illud:

Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ.

Motus autem moderatus eſt variatio & continuatio ſanctarum occupationum, quæ otium excludit, à quo maxime inducitur putrefactio libidinis; Juxta illud *Ovidii*:

Otia ſit tollas, periêre Cupdinis arcus.

Quinto modo impeditur putrefactio peccati per magnitudinum rei, quia res magna magis reſiſtit putrefactioni corrumpenti quam parva. Iſto modo moraliter magna dignitas & gradus ſive ſtatus perſonæ, debet eum præſervare à commiſſione peccati; Ut v. g. quando homo recogitat quod ſit Prælatus, quod habeat curam animarum, honorem à ſubditis, & alia beneficia quibus omnino indignus eſt, niſi bene vivat. Unde hæc ipſa magnitudo ſui ſtatus, dat homini ſtimulum bonæ vitæ exercendæ.

Porrò inter iſta quinque impedimenta putrefactionis, principale & primum impedimentum reſiſtens putrefactioni eſt Diſciplina, qua vita gratiæ à purtrefactione ſervatur. Unde *Prov. 6.* dicitur: Mandatum lucerna eſt, & lex lux, & vita vitæ, increpatio diſciplinæ.

LECTIO CVIII.

TEXTUS.

Et ſi divitiæ appetantur in vita, quid Sapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem ſenſus operatur, quis horum, quæ ſunt, magis quam illa artifex?

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc textu Salomon attribuit ſapientiæ tanquàm ſuæ ſponſæ tertiam & quartam prærogativam, nimirum opulentiam in divitiis, & experientiam in artificiis.

Dicit ergo *Et ſi divitiæ appetantur in hac vita, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia?* Quaſi diceret: *Nihil*; Porro hic textus intelligitur ſpecialiter de ſapientia increata, quæ eſt Chriſtus; de qua dicitur *ad Eph. 1.* Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Nec mirum videri debet, quod hic nomine ſapientiæ intelligatur ſapientia increata. Nam quia ſapientia, quę eſt virtus humana, donum eſt ſapientiæ increatę, & idem aliquando eſt commendare *donum*, & *dantem*; ideò Salomon frequenter in hoc libro ſapientiam commendando, quædam de ſapientia creata ponit, & quædā de ſapientia increata. Nihilominus etiam iſte textus poteſt de ſapientia creata & humana intelligi, quam ſi homo habeat, ſatis locuples eſt. Nam veræ divitiæ, quas ſapiētia dat hominib⁹ ſunt virtutes & bonæ operationes, quas ſignanter vocat Propheta divitias ſalutis, juxta illud *Iſ. 33.* Divitię ſalutis ſapiētiæ, & ſcientiæ Et *Pr. 10.* Benedictio Domini divites facit

Si autem ſenſus operatur, quis horum, quæ ſunt, magis quam illa artifex. Si autem ſenſus, id eſt, ars, quæ eſt circa ſenſibilia, & experimenta, commendetur ſeu laudetur ab aliquo, tunc certè ſapientia increata quæ eſt Chriſtus, artificio præcellit omnia, quia omnia creavit ex nihilo. Item ſapientia creata & humana largè loquendo prudentiam & artem comprehendit, & per conſequens nihil eſt magis artiſex quàm illa. Circa illa verba, *ſi divitiæ appetantur*, Sit

ARTICULUS PRIMUS.

An divitiæ ſint in triplici differentia, nimirum divitiæ temporales & periculoſæ, ſpirituales & virtuoſæ, æternales & glorioſæ?

DIco quod ſic. Quod divitiæ temporales ſint periculoſæ.

Explicatur prima pars; tum quia ſi homo non ſit valdè circumſpectus, facile labitur propter ſuas divitias in aliquam ſuperbiam, aut verò in tantam avaritiam, tantamque pecuniæ augendæ cupiditatem, ſit non tam dominus, quam ſervus pecuniæ fiat, dum eam ſolum cuſtodit, & ſibimetipſi nihil boni cum eadem exhibeat. Unde tales homines avari ſunt ſimiles equis, qui in ſarcinis ſæpè portant aurum abundanter in dorſo, ipſi autem fœnum comedunt. Contingit etiam

ſæpe

ſæpè quod homo habens magnas divitias, iiſdem turpiter abutatur ad vitam laſcivam, eas debacchando, ludo perdendo & venere conſumendo. Quæ omnia certè clariſſimè demonſtrant, divitias temporales ſummè eſſe periculoſas. Et ideo divitiæ ſunt *rationabiliter* parvi pendendæ; non tamen ſunt totaliter ſecundum omnem reſpectum excludendæ, ſed ſolum quatenus ſunt impedimentum virtutum. Unde *S. Aug. ſuper illud Pſal* Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere; ſic inquit: Non dicit Pſalmiſta nolite habere, ſed nolite cor apponere; non enim damnat divitias, unde mercamur cœlũ; Sed damnat cor appoſitum, i. e. ita affixum divitiis, ut Dei obliviſcamur. Unde licet *Seneca c. 18.* dicat: Nemo aliis eſt Deo dignus quàm qui opes contempſerit. *S. tamen Aug. ſuper Pſ 51* moderatius procedit dicens: Nullus divitias vel divites nimis contemnat, nec nimis de paupertate præſumat. Verba S. Præſulis ſunt iſta: Hoc attendite ne paſſim divites reprehendatis, & rurſum, ne de paupertate & egeſtate præſumatis. Si enim non eſt præſumendum de divitiis, quanto magis non eſt præſumendum de paupertate? pauper ulceroſus non habens eſcam nec veſtem, allatus eſt ab angelis in ſinum Abrahæ. Vide quo allatus eſt, lege Scripturam, & invenies Abrahamum divitem. Sublatus eſt ergo in ſinum divitis pauper, quamvis ambo fuerint divites Deo, & ambo cupiditate pauperes. *Hæc S. Auguſtinus.* Sed de his divitiis temporalibus plura dicentur articulo ſequenti.

Explicatur ſecunda pars de divitiis ſpiritualibus & virtuoſis, quæ ſunt gratiæ & operationes virtutum, & boni mores. Nam S. Gregorius *Homilia 15. ſuper illud:* Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen bonum, ſic inquit. Solæ divitiæ veræ ſunt, quæ nos virtutibus divites efficiunt. Si ergo fratres divites eſſe cupitis, veras divitias amate. Si culmen honoris quæritis, ad cœleſte regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligatis, in illa ſuperna Angelorum ſocietate adſcribi feſtinate. Unde 1. *ad Timoth. 9.* rectè ſcribit Apoſtolus: Præcipe divitibus hujus ſæculi non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum. Et infra: Bene agere, divites fieri in operibus bonis. Et ad *Epheſ. 3.* Det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ; virtutem cooperari per ſpiritum ejus in interiori homine & habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati.

Explicatur tertia pars de divitiis æternalibus & glorioſis. In iſtis enim eſt perpetuitas ſine tranſitione, ſecuritas ſine fatigatione, jucunditas ſine afflictione, & ſatietas ſine defectione. De quibus etiam in præſenti dicitur: Gloria & divitiæ in domo ejus &c. Et iterum ſpera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum divitiæ temporales intensè quæſitæ, repellant neceſſitatem à cognitione Dei ſui, & proximi; ſecuritatem ab æſtimatione; & unitatem ab affectione?

DIco, quod ſic.

Explicatur prima pars, quod divitiæ corporales intensè quæſitæ repellant veritatem à cognitione Dei. Quia *Matthei 13.* dicitur: Fallacia divitiarum ſuffocat verbum Dei, & ſine fructu efficit. In cujus rei figuram divitibus Regibus Angelus apparuit in ſomno, pauperibus autem paſtoribus ſeſe oſtendit in perfecta vigilia, ut exinde colligere poſſis, quod pauperes clariorem de Deo cognitionem conſequentur, & habeant quam divites. Unde *Luce 19.* dicitur, quod Zachæus fuerit princeps publicanorum, & *ipſe dives:* & tamen ſtatura puſillus erat, & non poterat præ turba videre Jeſum, donec in arborem aſcendiſſet. Sic divitiis conſtipati & familiis, ſunt parvi in ſtatura virtutum & comprimuntur ſollicitudinibus & preſſuris negotiorum & officiorum, ut non vacet eis cogitare de Jeſu, niſi valdè rarò, id eſt forte ſemel in anno in quadrageſima, vel in tempore Paſchali: quo arborem conſcendunt pœnitentiæ, & devotæ contemplationis invitantis Jeſum in domum ſuam per ſacram communionem.

Iſta ſocordia autem in divitibus, tam rarò invitandi Chriſtum in domum ſuam, provenit ex eo quia divitiæ ſint pulveres excæcantes oculos ſpirituales. Et ideo dicitur *Apocal. 3.* Dicis quia dives ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia miſer es, & miſerabilis & pauper, & cæcus, & nudus.

Explicatur ſecunda pars, quod divitiæ repellant ſeritatem à cognitione ſui, & hoc provenit ex duobus impedimentis. Primò propter vera dicentium raritatem, & ſecundò propter adulationis falſæ multiplicitatem. De primo impedimento dicit *Seneca:* Monſtrabo tibi quid omnia poſſidentibus deſit? Deeſt nimirum qui vera dicat. De ſecundo impedimento quoque patet, quod multi ſint adulatores divitum de familiis, de vicinis, de amicis, & de extraneis, ut proprios defectus non poſſint advertere. Huc facit illud *Eccl. 13.* Diviti decepto multi recuperatores, locutus eſt ſuperbia, & *juſtificaverunt* illum. Et infra: Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius uſque ad nubes producent.

Explicatur tertia pars, quod divitiæ repellant ſeritatem à cognitione proximi; quia divites neſciunt, quinam ſint illorum amici, vel qui ſint hoſtes. *Unde Seneca de remediis fortuitorum ait:* Iſte, quem tu dominum exiſtimas pecuniæ, multis irretitus, locupletem eum nominas, ignoras autem an avarus vel prodigus ſit; ſi prodigus? non habebit; ſi avarus? non habet. Iſte quem tu fœlicem credis, ſæpè dolet, ſæpéque ſuſpirat; & ſicut mel muſcæ ſequuntur, & lupi cadavera, & formicæ frumenta: ita divitem comitantur multæ anxietates. Et ideò bene dicit *Boëtius, ſecundo de conſolatione, proſa octava;* Quod adverſa fortuna plus prodeſt quam proſpera. Illa enim ſemper ſpem felicitatis mentitur, dum videtur eſſe blanda; hæc autem ſemper vera eſt, dum ſe inſtabilem mutatione demonſtrat. Illa fallit, hæc inſtruit. Illa mendacia, ſpem bonorum mentes fruentium ligat; hæc cognitione fragilis felicitatis abſolvit. Itaq; videas illam ventoſam fluentem, *ſuique ſemper ignaram:* hanc autem ſobriam, ſuccinctam, & ipſius adverſitatis exercitatione prudentem. Ex his proindè clarè patet, quomo-

do divitiæ temporales repellant à cognitione Dei, ſui, & proximi.

Explicatur quarta pars, quod divitiæ repellant ſecuritatem ab æſtimatione. Divites enim ſemper ſunt in timore perdendi terras, pecuniam, fabricas & theſaurum Et quia ſunt ſine ſecuritate, fit quod etiam ſint ſine intrinſeca jucunditate. Unde *S. Auguſtinus lib. 6. confeſſ.* narrat, Quod tranſiens quendam vicum viderit pauperē mendicum jocantem; & ingemiſcens ad ſocios ſeſe convertens dixit: Omnibus, inquit, conatibus, quibus laboramus, nihil aliud vellemus; niſi ad ſecuram lætitiam pervenire, quo nos iſte mendicus præceſſit; Ille enim lætatur, ego anxius, ille ſecurus, ego trepidus: *ita S. Auguſtinus.* Huc etiam facit illud quod beatiſſima Virgo Maria canit in ſuo *Cantico Luca* 18. Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Illud certè eſt inane, quod apparet eſſe repletum, & eſt vacuum. Ita etiam divites exterius videntur eſſe ſine metu & turbatione, & ſine ſollicitudine, & tamen interius ſunt pleni triſtitia & timore.

Explicatur quinta pars, quod divitiæ repellant unitatem ab affectione. Cauſant enim invidias, turbationes, bella & diſcordias amicorum. Hujus clarum exemplum habemus, *Gen.* 13. de Abraham & Loth, conſanguineo ſuo. De quibus dicitur: Erat quippe ſubſtantia eorum multa, & *non quibant* habitare communiter. Unde ſtatim ſubditur loco citato, quod facta ſit rixa inter paſtores gregum Abraham & Loth, cum & ipſi ſubſtantiis multifariis abundaverint. Ex quibus omnibus deducitur, quod divitiæ temporales ſint parvi pendendæ, ipſiſque cautè & cum grano ſalis utendum ſit: ne nimis inhærendo temporalibus, perdamus æterna, quod Deus clementiſſimè avertere dignetur.

LECTIO CIX.

TEXTUS.

Et ſi quis juſtitiam diligit: labores hujus magnas habent virtutes. Sobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem; quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc textu explicat Salomon ſextam ſapientiæ, tanquam ſuæ ſponſæ prærogativam, nimirum moderamen ſincerum in moralibus, & quo ad bonos mores. Commendat autem Salomon laudatque ſapientiam generaliter, & ſummatim à juſtitia legali: & ſecundò ſingulariter & ſigillatim à juſtitia particulari, quatenus eſt virtus cardinalis.

Porrò *juſtitia legalis* non eſt pars virtutis, ſed tota virtus & vocatur ideo juſtitia *legalis, quia per eam fit homo obſervator totius legis*, quo ad ſingulas operationes virtutum. Hæc autem juſtitia *legalis*, etiam vocatur juſtitia *generalis*; non quod ſit communis ad omnem virtutem, ſed quia eſt una virtus particularis, directiva tamen cujuscunque virtutis in finem ſibi juſtitiæ legali & generali proprio; nimirum prout expedit ad actus cujuscunq; virtutis bono communitatis ſeu bono communi. Juſtitia verè particularis eſt illa cui contrariatur avaritia, & eſt in commutationibus, quæ fiunt ad ſingulares perſonas. Et hæc juſtitia particularis eſt, quæ numeratur inter quatuor virtutes cardinales, ut ſunt: Prudentia, juſtitia, fortitudo & temperantia.

Commendando itaque ſapientiam à juſtitia legali, Salomon ſic dicit: *Et juſtitiam ſi quis diligit:* ubi ly juſtitia ſumitur pro juſtitia legali, & generali. Undè in verbis poſterioribus ponitur nomen *juſtitia*; ubi accipitur juſtitia, quatenus eſt virtus particularis. Senſus ergo allegatorum eſt; *Et juſtitiam legalem & generalem ſi quis diligis:* cupiendo actus omnium virtutum dirigere in bonum communitatis.

Labores, id eſt exercitationes, *hujus*, id eſt ſapientiæ, *magnas habent virtutes*, id eſt vires ad acquiſitionem aliorum donorum.

Vel *labores hujus magnas habent virtutes*, id eſt, per exercitationem ſapientiæ magnæ acquiruntur virtutes. Ubi ly *labores*, ponitur ad denotandum difficultatem, quæ eſt ſemper annexa homini virtuoſo: Virtus enim conſiſtit circa difficile, & ſicut dicit quidam:

Nulla eſt non ardua virtus.

Sobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutē, quibus utilius nihil eſt in vita hominis: In his verbis fit mentio & ſermo juſtitiæ particularis, & commendatur ſapientia à 4. virtutibus cardinalibus; quas tamen ſingulas propriis nominibus non vocat, ſed ſolùm prudentiam & juſtitiam vocat propriis nominibus, nomine autem Sobrietatis, intelligit *Temperantiam*, & nomine Virtutis, intelligit Fortitudinem: Sicut enim dicit Tullius, nomen virtutis fuit antiquitus ſolius fortitudinis. Porrò iſtæ 4. virtutes vocantur *cardinales*, quaſi cordiales, à Cordion græcè, quod eſt cor latinè. Et dicuntur cordiales, ad differentiam virtutum corporalium, ſicut ſunt robur & agilitas corporis. Prudentia verò, Juſtitia, Temperantia, & Fortitudo ſunt in corde, id eſt, in anima: & ideò forſitan cardinales, ſen cordiales primitùs vocabantur. Vel dic, quod præfatæ 4. virtutes vocentur *cardinales* metaphoricè: cardo enim eſt pars oſtii, poſita in quodam foramine ligneo, vel lapideo, per quod oſtium vertitur, quando clauditur, vel aperitur. Dicitur autem cardo à cordion græcè, quod eſt cor latinè: quia ſicut cor hominis corpus regit in motu, ita illa pars oſtii. quæ vocatur cardo, regit & movet januam. Quia ergo operationes humanæ reguntur determinatè ab iſtis virtutibus ſecundùm rectam rationem, ſicut janua per ſuum cardinem, ideò antiqui præfatas virtutes vocabant cardinales.

Itaque has 4. virtutes cardinales clarè docet Scriptura ſacra. Nam de Sobrietate ſeu Temperantia dicitur. 1. *Pet.* 5. Fratres ſobrii eſtote, & vigilate. De Prudentia *Matth.* 10. dicitur: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut co-

lumbæ.

lumbæ. Docet etiam ſacra Scriptura juſtitiam, & virtutem, ſeu fortitudinem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus. Ubi tamen

Notandum eſt, quod ſub his 4. virtutibus cardinalibus comprehendantur etiam virtutes theologicæ; nempe fides ſub prudentia, ſpes ſub fortitudine, & charitas ſub juſtitia. Et in hoc ſenſu verum eſt, quod illis 4. virtutibus cardinalibus nihil utilius ſit in vita hominibus.

ARTICULUS UNICUS.

An virtutes morales ſint ita connexæ, ut nullus poſſit habere unam, niſi habeat omnes?

NOtandum ante reſolutionem, quod virtus moralis poſſit conſiderari dupliciter; Primò in ſtatu perfecto, ſeu quatenus eſt perfecta: Secundò in ſtatu imperfecto, ſeu quatenus eſt imperfecta. Et quidem virtus moralis imperfecta vocatur quædam inclinatio rationalis ad virtutem, ſicut aliquis naturaliter inclinatur ad caſtitatem vel liberalitatem. Virtus autem perfecta eſt habitus inclinans ad opus quodcunque bonum bene agendum. hoc præmiſſo

Dico, quod una virtus moralis imperfecta poſſit haberi ſine alia, non tamen virtus moralis perfecta: & hæc non poteſt eſſe ſine prudentia.

Probatur, quia ad rationem perfectæ virtutis moralis requiritur, quod habeat prudentiam tanquam rectam rationem agibilium in *omnibus*; ſed recta ratio agibilium *in omnibus* non ſalvatur in vera virtute morali, cum excluſione alterius virtutis moralis: Ergo una virtus perfecta moralis non poteſt haberi ſine alia. Major patet, ex notabili præmiſſo & minor ſimiliter conſtat.

Probatur deinde concluſio ſecundò, quod virtus moralis non poteſt eſſe ſine prudentia. Nam quia bonum eſt ex integra cauſa, ideo non ſufficit ad virtutem inclinatio in bonum, ſed requiritur ut hæc inclinatio non ſit nimia, & ut fiat ſecundum rectam rationem; atqui ad hoc ut iſta inclinatio ad bonum ſit ordinata, & non nimia; requiritur moderatio rationis facta per prudentiam; Ergo virtus moralis perfecta non poteſt haberi ſine prudentia.

Minor probatur; Quia prudentia eſt illa, quæ rectè judicat de fine, eſtque recta ratio agibilium & aſſumit ſeu eligit media proportionata ad finem, ita ut in nullo fiat exceſſus, vel defectus. Ergo.

Dices 1. *S. Auguſtinus in quadam Epiſt. ad Hieron.* ait: Non eſt divina ſententia, qua dicitur, qui habet unam, habet omnes: Ergo etiam una virtus moralis perfecta poteſt haberi ſine alia.

Reſp. quod mens *S. Auguſtini* ſit dicere, quod illa ſententia non doceatur expreſſe in ſacra Scriptura.

Dices 2. Virtutes morales generantur ex exercitio actuum virtutum, ſicut patet *ex 2. Ethic.* ſed ſæpe fit quod aliquis ſeſe exerceat in actibus unius virtutis, & non in actibus alterius virtutis. Ergo talis acquirit habitum virtutis, in cujus actibus ſe exercet, & non acquiret aliam virtutem, in qua ſe non exercet. Minor probatur: Quia poteſt aliquis ſeſe exercere in actibus liberalitatis, & non in actibus continentiæ: Ergo.

Reſp. Quod is, qui ſe exercet in operibus unius virtutis, & non in operibus *omnium* virtutum, talis non habeat prudentiam, nec acquirat aliquam virtutem perfectam: Licèt autem talis acquirat aliquem habitum conformiter ad materiam, circa quam ſe exercet, ille tamen habitus non habebit rationem virtutis perfectæ propter defectum prudentiæ, quæ eſt recta agibilium non ſolùm in una materia, ſed eſt ratio omnium agibilium in quacunque materia. Itaque ad hoc ut aliqua virtus perfectè acquiratur, oportet, quod homo ſe habeat circa *omnia*, quæ in uſu vitæ obveniunt: non tamen requiritur, quod ſimul & ſemel ſeſe exerceat in actibus omnium virtutum ſed ſufficit, quod ſeſe virtuoſe exerceat in actu alicujus virtutis, ſitque ſic diſpoſitus, quod occurrente occaſione etiam actus aliarum virtutum debitè & virtuosè exercere velit: neque enim poſſibile eſt. quod ſimul & ſemel homo actus omnium virtutum exerceat, ut clarè patet. Hic tamen notandum eſt, quod ſint quædam virtutes homini convenientes ſecundùm ſtatum eminentem, ſicut ſunt magnanimitas, & magnificentia, & iſtas virtutes acquirit homo in potentia proxima, dum ſeſe exercet in actibus liberalitatis. Si enim homo ex abundantia ſumptuum & pecuniarum facit donationes mediocres frequenter, facile perveniet ad magnificentiam, donando munera magna.

Ex dictis colligitur, quod nullus poſſit eſſe verè prudens, niſi ſit virtuoſus; virtus enim facit eligere ea, quæ ſunt ad finem, & benè judicat de fine.

Sicut per oppoſitum malitia facit malè ſentire de fine, & ideo ſi non habeat rectam æſtimationem de fine, nunquam benè eliget media, quod eſt opus prudentiæ. Et corruptus habitus per vitioſos actus, habet falſam æſtimationem de fine, & conſequenter erroneè eligit; & ideò prudentia, quæ eſt recta electio, vel recta ratio agibilium, non eſt in tali.

LECTIO CX.

TEXTUS.

Etſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat; Scit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum. Signa & monſtra ſcit antequam fiant: & eventus temporum & ſæculorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione ſubjungit Salomon ſeptimam prærogativam ſapientiæ ſuæ ſponſæ, nempe examen in ſcientialibus. Et quia ſcientiæ vel ſunt de ſignis, vel de rebus, ut dicit *S. Auguſtinus lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 6.* Ideo ſcientiæ, quæ ſunt de ſignis, vocantur ſermocinales: Scientiæ verò, quæ ſunt de rebus, vocantur ſcientiæ reales. Unde Salomon ad laudandam ſapientiam ſuam ſponſam, in præſenti textu aſſerit, quod iſta habeat notitiam tam ſcientiarum natu-

naturalium, quam etiam ſermocinalium. Dicit ergo: *Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, ſcit præterita* &c. Ubi ly *ſi* ponitur pro *quia*, & ſenſus eſt: quia homo naturaliter deſiderat multitudinem ſcientiæ, noſſe debet, quod ſapientia ſponſa mea non ſolum ſit adornata virtutibus moralibus, nempe juſtitia, prudentia, fortitudine & temperantia: ſed etiam dotata eſt virtutibus intellectualibus, ita ut habeat *multitudinem ſcientiæ.*

Quia vero multitudo ſcientiæ eſt ſecundum multitudinem ſcibilium; in naturalibus autem ſunt quædam præterita, & quædam futura, quædam quæ eveniunt tarò, & quædam quæ eveniunt frequenter; Item in ſermocinalibus ſcientiis quædam ſunt plana, & facilia ad intelligendum, & quædam obſcura & perplexa, atque apta ad decipiendum; ideo Salomon aſſerit ſapientiam de his omnibus eſſe inſtructam.

Quia *inquit ſcit præterita & de futuris æſtimat*; & quia diſciplinari, eſt intellectum certiorem reddere ſecundum unumquodque genus, quantum natura rei permittit, ſicut dicitur 1. *Ethicorum*: ideo aliam certitudinem ponit de *præteritis*, & aliam de *futuris*. Nam futura annexa ſunt contingentibus, præterita autem neceſſitati ſunt ſubjecta. Et ideo ſignanter aliter loquitur de præteritis & aliter de futuris. Nam de præteritis dicit, *ſcit præterita*; de futuris autẽ aſſerit; quod ſapientia *de futuris æſtimet* duntaxat, id eſt opinetur. *Scit etiam verſutias hominum*, id eſt occultos, & ænigmaticos modos loquendi.

Scit etiam diſſolutiones argumentorum, quæ nimirum apud ſimplicem videntur ſolvi non poſſe. Alia tamen littera habet: ſcit *diſpoſitiones argumentorum*, id eſt, quatuor debitas formas arguendi: ſyllogiſticè enthimematicè, exemplariter, & inductivè; de quibus argumentandi diſpoſitionibus tractatur *in primo Priorum.*

Nec tantum iſta novit ſapientia, ſed inſuper etiam in naturalibus *ſcit ſigna & monſtra*; Signa dicuntur aliqui effectus naturales in cœlo, vel in aëre, qui eventus futuros deſignant circa ſtatum humanum; ſicut [illegible] de cometa, qui ſolet ſignificare mortem [illegible]cipis, & bella futura, ſicut patet ex 1. *metheo.* & longa experientia obſervatum fuit. Monſtra vero dicuntur illa, quæ ſiunt contra conſuetum curſum, & contra intentionem naturæ; ſunt, quando homo generatur cum ſex digitis, vel duobus capitibus &c. Et in præſenti vocantur monſtra, quæ communiter aliquid diſſuetum demonſtrant eſſe futurum. Unde quidem omne monſtrum eſt ſignum, ſed non econtra omne ſignum eſt monſtrum.

Scit eventus temporum, & ſæculorum; id eſt, ſcire facit: quia ſicut ſuperius dictum eſt, ſapientia amicos Dei facit; & prophetas conſtituit, qui futura prædicant.

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum hominibus ſit neceſſaria ſcientia ſuorum flagitiorum, quæ perpetrarunt; beneficiorum, quæ reportarunt, & ſuppliciorum, quæ meruerunt?

Dico, quod ſic.

Explicatur prima pars, quod hominibus ſit neceſſaria ſcientia ſuorum flagitiorum, quæ perpetrarunt. Et hoc ideo, ut ſeipſos diſcutiant, parvique pendant, nec ſuperbiant. Porrò argumentum demonſtrativum ad eandem iſtam ſcientiam affert nobis conſcientia noſtra murmurans, & læſa quodammodo de materia factorum noſtrorum: unde ſignanter dicitur *Jerem.* 2. Arguat te malitia tua, & averſio tua increpabit te; ſcito & vide, quia malum & amarum eſt dereliquiſſe te Dominum Deum tuum: ſed defectum hujus ſcientiæ multi habent, qui in rebus mundanis & in defectibus aliorum percipiendis ſunt prudentes, & circa ſe ipſos ſunt negligentes; ſicut oculus videt omnia præter ſe: Contra tales verò acriter invehitur *S. Bernardus in principio ſuarum meditationum*; ubi dicit ſic: Multi multa ſciunt & ſeipſos neſciunt: alios inſpiciunt, & ſeipſos deſerunt. Et ideo rectè dicitur 1. *ad Theſſ.* 4. Sciat unusquisque vas ſuum, id eſt corpus ſuum, poſſidere, vel conſcientiam ſuam poſſidere in ſanctificatione & honore.

Explicatur ſecunda pars, quod nobis hominibus ſit neceſſaria ſcientia beneficiorum quæ reportavimus. Inter quæ beneficia potiſſimum eſt redemptio noſtra, quam recepimus per paſſionem Chriſti. In hac vero paſſione Chriſtus Dominus nobis fecit argumentum demonſtrativum ſuæ maximæ dilectionis, quando pro nobis mori voluit in ligno crucis. Tria autem requiruntur ad demonſtrationem ſecundum Ariſtotelem 1. *Poſter.* nempe ſubjectum, paſſio, & definitio, quæ ſit medium ad concludendum propriam paſſionem de ſubjecto. Nunc in propoſito ſubjectum demonſtrationis fuit Filius Dei; quia licet fuerit æqualis Patri ſecundum divinitatem, multipliciter tamen ſeipſum pro nobis exinanivit, & ſubjecit, factus obediens uſque ad mortem 1. *Cor.* 15. Filius erat ſubjectus ei, qui ſibi ſubjecit omnia. Paſſio concluſa ex hoc ſubjecto, fuit paſſio mortis Chriſti, ad *Heb.* 2. Vidimus Jeſum propter paſſionem coronatum. Medium verò ad concludendum hanc paſſionem de hoc ſubjecto, fuit definitio ſubjecti, id eſt, præordinatio Filii Dei: qui tradidit ſeipſum pro nobis. Unde *Luc.* 22. dicitur: Illius quidem hominis, ſicut definitum eſt, vadit. Itaque hæc demonſtratio facta fuit pro nobis in figura crucis, quæ cauſavit in nobis tam ſuavem conſcientiam, ut in comparatione illius omnis alia ſcientia contemnatur, & vilipendatur. Unde S. Paulus ſcribit 1. *Corinth.* 2. Non enim me judicavi ſcire aliquid inter vos, niſi Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum.

Explicatur tertia pars, quod nobis hominibus ſit neceſſaria ſcientia ſuppliciorum, quæ meruimus. Et hanc ſcientiam habemus per demonſtrationem pœnarum infernalium, quæ ſunt diverſis SS. PP. revelatæ, & comprehenduntur his verſibus:

Sitis, & eſuries, frigus, & ignis, fœtor, & horror,
Deſperans tenebræ, vincli, vermesque radentes,

Et de iſta ſcientia dicitur in *Pſalmis*: Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviſcuntur Deum. Et paulò poſt. Sciant gentes quoniam homines ſunt, mortales videlicet & puniendi, ſi delinquant, legem

Dei

Dei deſerant, & ſine rubore in peccatis perſeverent.

LECTIO CXI.

TEXTUS.

Propoſui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: Sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tadii mei.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon oſtenderat ſapientiam, tanquam ſuam ſponſam, eſſe ſummè amabilem, & gratioſam, propter 7. prærogativas in præcedentibus explicatas: hic oſtendit dotem cum ea recipiendam fore ſummè deſiderabilem, & pretioſam.

Dicit ergo: *Propoſui hanc adducere ad convivendum.* Nec mirum, proprium eſt enim amicorum, & maximè viri & uxoris, convivere, qui ex jure matrimonii cohabitare tenentur. Alia littera legit: *ad convivandum.* Unde gloſſa illum textum exponens de ſapientia increata dicit ſic: Populus Dei communionem ſapientiæ, id eſt Chriſti, gaudet ſe habere, & in amplexu ejus delectatur qui ait: Si quis apparuerit, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum *Apocalypſ. 3.* Si autem textus ille intelligendus ſit de ſapientia creata, quæ eſt donum Dei, ſenſus eſt: *Propoſui hanc adducere mibi ad convivandum*: Quaſi diceret, ut faciam eis convivium, ut invicem epulemur. Solent autem in nuptiis ſponſus, & ſponſa ſimul epulari; & ideo *Matth. 22.* dicitur: Eccè prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata ſunt, venite ad nuptias.

Scio enim quod mecum communicabit de bonis, quæ dotis loco mihi affert. Juſtum enim eſt, quod viro & uxoti ſint omnia communia, cum ſint duo in carne una *Geneſ. 2.* Ait bene de bonis abſolutè, non autem de prædiis tantum, auro & argento, quæ tranſitoria ſunt: ſed ſcio, quod mecum communicabit de veris bonis, puta virtutibus, gratiis, & præmiis, quæ perenniter permanebunt. Huc facit illud *Luc. 11.* Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe? *Exodi quoque 33.* dicitur: Ego oſtendam tibi omne bonum. Super quem locum *ſanctus Auguſtinus libro 2. de libero arbitrio. cap. 31.* ait: Virtutes, quibus rectè vivitur, magna bona ſunt.

Species autem quorumlibet corporum, ſine quibus rectè vivitur, minima bona ſunt. Potentiæ vero animæ, ſine quibus rectè vivi non poteſt, media bona ſunt: virtutibus nemo male utitur; Cæteris autem bonis, id eſt, mediis & minimis, non ſolum benè, ſed etiam malè quiſque uti poteſt.

Ita *S. Auguſtinus.*

Sed certè moderno tempore ſæpè non ita contingit, quod uxores bona ſua communicent viris ſuis; ſunt enim multæ, quæ ſolum dolores & tædia communicant ſuis maritis; & bona, ſi quæ ſunt. ſibi & ſuis adulteris reſervant; verba verò amara & convitia viris ſuis communicant; ſuntque tales fœminæ tigride pejores in domo. Huc facit illud *Eccleſ. 26.* In muliere Zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans. Et *Proverbior. 30.* Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit: non ſum operata malum. Patet ergo, quod malæ uxores de bonis ſuis nihil communicent viris ſuis, ſed potius in vita & poſt mortem mariti conantur ſibi appropriare quæcunque poſſunt. Unde narratur de quodam ruſtico, quod condens teſtamentum mandaverit uxori; ut venderet unum bovem, & pecuniam pro eo acceptam, applicaret pro ſua anima faciendo eleemoſynas. Aſtuta mulier poſt mortem viri adduxit ad forum bovem, & poſuit Cattam ſupra illum, dixitque, ſe unum animal ſine altero vendere nolle, velle tamen ſe vendere Cattam pro una marcha argenti, tanquam ſibi pretioſam, ſed bovem ſe velle vendere pro uno obolo, quod & factum eſt. Unde pecuniam pro Catta acceptam ſibi retinuit, ſed obolum pro bove acceptum expendit pro Eleemoſyna pro anima ſui viri defuncti. Sed væ uxori tali peſſimæ in altero mundo, non enim evadet ex ſtagno ignis, donec reddiderit ultimum obolum. Contrarium facit uxor fidelis & grata marito; hæc enim de bonis ſuis communicat Viro tam in vita, quàm in morte. Ad *Hebr. 13.* Beneficentiæ & communionis nolite oblíviſci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus:

Itaque primum emolumentum, quod Salomon de ſua ſapientia, tanquam de ſua ſponſa conſequitur, eſt quod habeat ab eadem communicationem ſuorum bonorum.

Secundò habebit per ſuam ſponſam alleviationem tædiorum; & ideo dicit Salomon in textu citato: *Erit allocutio cogitationis meæ & tædii mei.* Allocutio, id eſt, alleviatio, vel conſolatio: magnum eſt enim ſolatium homini haberi aliquam perſonam, cui revelet ſua arcana, & oculta tædia cordis ſui; ſuarúmque cogitationum Unde *Seneca in epiſt. 2. ait*: Omnes curas cum amico, & omnes cogitationes tuas miſce; fidelem

ſi putaveris facies. Porrò iſta allocutione carebunt mali in extremo judicio, quia non habebunt ſpem, nec in die agnitionis alleviationem; Circa illa verba, *Propoſui hanc mihi adducere ad convivendum, vel ad convivandum*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An Diabolus homines invitet ad convivium, apponendo ipſis tria fercula, nimirum perdices injuſtitiæ, venationes iracundiæ, & pavones ſuperbiæ.

Dico, quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Diabolus invitet ad convivium, & pro primo ſuo ferculo apponat perdices injuſtitiæ; Ad hujus rei explanationem deſervit illud, quod legitur 2. *Reg.* 13. ubi legitur quod Abſolon fecerit grande convivium, quaſi convivium Regis. Abſolon interpretatur patris mei amaricatio, & figurat Diabolum, qui quantum in ſe eſt, patrem ſuum amaricare nititur per peccatum. Iſte facit convivium, quaſi convivium regis, propter nobilitatem ferculorum, & ſocietatem invitatorum. *Iob.* 41. Ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ. Veruntamen ad illud convivium non debet homo comparere, quia non fit cauſa affectionis, ſed cauſa perditionis; Undè Abſolon illud grande convivium facit, ut in eo poſſet occidere Ammon fratrem ſuum. Sic etiam diabolus nos ad convivium invitat, ut per peccatum intoxicatos occidat, qui ſumus quodammodo fratres Angelorum. In cujus rei figuram *Iob* 1. legitur; quod filii Job, dum convivarentur in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens iruit à regione deſerti, & concuſſis angulis domûs omnes oppreſſit. Sic etiam diabolus, ſi acceſſerimus ejus convivium, conſentiendo ipſius ſuggeſtionibus, noſquè vino inebriaverimus, occidet noſtram animam, & ſæpe etiam corpus per caſum repentinum, quem præparat. Dixi autem, quod diabolus pro prima ſua portione ſeu ferculo apponat perdicem injuſtitiæ; nam ſicut perdix ſecundum Plinium, ſi ova propria perdat, furatur aliena ova, ut numerum ovorum ſuorum reſtauret; ita mali domini, poſtquàm bona ſua conſumpſerunt inutiliter, auferunt bona pauperum per injuſtas extorſiones. Et ideò diabolus pro primo ſuo ferculo perdices apponit fraudulentiæ; quia omnes, quos dæmon paſcit, docet dolos injuſtitiæ.

Explicatur ſecunda pars; quod Diabolus pro ſecundo ferculo apponat doctrinam ſeu venationem iracundiæ. Vult enim diabolus, quod frater fratrem ſuum venetur in mortem, ſicuti patuit in illo convivio *Micha.* 7. Vir fratrem ſuum venebatur uſque ad mortem.

Explicatur tertia pars, quod diabolus pro tertio ferculo apponat pavones ſuperbiæ. Refert *ſanctus Auguſtinus lib.* 21. *de Civitat. Dei. Cap* 2. quod caro pavonis bene cocta poſt multum temporis iterum fiat cruda, ſicut ipſe fuit expertus in uno pavone bene cocto poſt tranſactum unum annum; Sic moraliter ſuperbia, quantumcunque vincatur, ſemper recrudeſcit, & recreſcit, quia etiam quandoquè de bonis operibus naſcitur; Unde *S. Auguſtinus de natura & gratia* ait: Cætera vitia in male factis valent, ſuperbia autem etiam in bonis factis eſt cavenda.

ARTICULUS SECUNDUS.

An mundus etiam homines invitet ad convivium, apponendo pro tribus ferculis, delicias, divitias, & honores?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, de mundi periculoſo convivio, ejuſque primo ferculo, nempe deliciis; Hæ certè infectæ ſunt veneno mortifero, quia venenum aſpidum inſanabile, admiſcetur unà cum deliciis, quod moraliter reddit homines ſurdos & induratos ad vocem incantantis ſapienter, id eſt, ad vocem prædicantis verbum Dei.

Explicatur ſecunda pars, de ſecundo mundi ferculo, nempe divitiis. Hæ profectò non ſunt animæ ſanus cibus, & ideò mundi convivium perniciosum eſt. Si aliquis ſciret, menſam ſibi eſſe ſtratam, & ornatam talibus cibariis, quæ ſi comedat homo, ſtatim etiam debeat ejicere in exitu ſuo à tali menſâ vel convivio, utique prudenter loquendo, talis homo nihil guſtaret de illis cibis. Tale autem eſt convivium mundi quantum ad ſuum ſecundum ferculum, nempe, quantum ad divitias. Huc facit illud *Job.* 20. Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahit illas Deus:

Explicatur tertia pars, de tertio mundi ferculo, nempe de honoribus: Sanè hoc ferculum honoris eſt inflativum, quod diſrumpet comedentes per ſuperbiam, & vanam gloriam, ſeu inanem jactantiam ſermonum. Unde dixit ille pompoſus *Eliu Iob* 32. Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus ventris mei. Venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas novas dirumpet. Et ideo de iſto convivio bene dicitur *Eccleſ.* 7. Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.

ARTICULUS TERTIUS.

An Chriſtus etiam nobis faciat convivium?

Dico, quod Chriſtus nobis facit convivium de ſeipſo, in quo ſunt tria fercula delicatiſſima, nempe caro mundiſſima, anima ſanctiſſima, & Deitas infinita.

Explicatur breviter; Figura hujus convivii ſpiritualis à Chriſto nobis præparati, fuit illud convivium Aſſveri, de quo legitur *Eſther primo*; Aſſverus fecit grande convivium cunctis Principibus, & pueris ſuis, &c. Similiter hoc ſpirituale Chriſti convivium vocatur Cœna magna, *Luc.* 14. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos; De hoc Chriſti Sanctiſſimo corpore, quod Chriſtus manducandum apponit in ſuo convivio, dictum eſt à S. Auguſtino: Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me; Factus eſt enim Deus propter hominem homo, ut homines faceret deos.

ARTICULUS QUARTUS.

An Deus etiam exigat ab homine convivium, & qualia fercula ab homine ſibi præparari deſideret?

Dico, quod Deus exigat ab homine convivium ſpirituale, velitque ut homo præparet tria fercula. nempe contritionem, confesſionem, & ſatisfactionem.

Explicatur aſſertio; Nam ut dicit *S. Gregorius lib. 31. Moralium*; Dei refectio eſt converſio peccatoris; ad hoc autem, ut peccator perfectè & completè convertatur ad Deum, requiritur contritio, confeſſio & ſatisfactio, quæ ſi adſint, jam homo paravit Deo convivium lautum; Huc facit illud quod *Luc.* 5. narratur de Matthæo publicano, qui fecit convivium magnum in domo ſua. Dici etiam poteſt, quod primum ferculum, quod Chriſtus in convivio ſpirituali ab homine exigit, ſit contritio peccatorum; in qua debet eſſe mortificatio *carnis*. In quo ſenſu accipitur illud *Tobiæ* 7. Raguel præcepit occidi arietem (animal inclinatum ad delectationes carnales) & parari convivium;

Secundum ferculum eſt ſupportatio proximorum; unde *Luc.* 14. Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, & claudos.

Tertium ferculum eſt contemplatio divinorum cum ſecuritate ea conſequendi; unde *Prov.* 15. Secura mens quaſi juge convivium.

LECTIO CXII.

TEXTUS.

Habebo propter hanc claritatem ad turbas; & honorem apud ſeniores. Juvenis, & acutus inveniar in judicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me. Tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam Salomon in præcedenti lectione explicuit duas dotes ſapientiæ ſuæ ſponſæ, nempe communicationem ſuorum bonorum, & alleviationem tædiorum. nunc in hac lectione declarat tres alias dotes, nempe quod per ſapientiam ſuam ſponſam habeat in populis venerationem, in judiciis diſcretionem, & inter nobiles admirationem.

Dicit ergo; *Habebo propter hanc*, id eſt, ſapientiam, *claritatem*, id eſt bonam famam, *apud turbas*, ſeu minoris conditionis homines in populo, *& honorem apud ſeniores*, ſeu majores, atque in majori dignitate conſtitutos in populo. Ex bona fama autem generatur veneratio in populo ut advertit *S. Auguſtinus*. Eccè tertia dos ſapientiæ, nempe veneratio in populis. *Juvenis, & acutus inveniar in judicio*; *Juvenis*, id eſt fortis, *Joan.* 2. Scribo vobis juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum. Et *acutus*, id eſt, ſubtilis in judicio diſcernendo nocentem ab innocente. Et tale acumen judicii dedit Sapientia Danieli, *Danielis* 13. Ubi dixit Daniel: Revertimini ad judicium, quia falſum teſtimonium tulerunt contra eam. Iſtud autem idem acumen judicii, Salomon à Sapientia percepit. 3. *Reg* 3. ubi dicitur: Audivit itaque omnis Iſraël judicium, quod judicaſſet Rex, & timuerunt regem videntes ſapientiam Dei eſſe in eo. Ecce quartum emolumentum ſapientiæ, nempe, diſcretio in judiciis.

Quintum autem emolumentum proveniens à ſapientia eſt, quod conferat homini inter nobiles admirationem. Nobiles, Principes, & potentes maximè indigent conſilio ſapientum. Unde propter ſapientiam, fiunt etiam pauperes regum ductores; & ideò bene dicitur in textu: *In conſpectu potentum admirabilis ero.*

Hæc litera poteſt ſpiritualiter exponi de Chriſto Domino, in quo manſit perſonaliter ſapientia increata. Unde dicitur de Chriſto *Luc.* 4. Omnes illi dabant teſtimonium, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.

Et facies Principum mirabuntur eum; imo ut dicitur *Iſai.* 52. Super eum continebunt Reges os ſuum.

Porrò tria ſunt, quæ dant Potentes ſapientibus ratione doctrinæ. nempe exſpectationem cum reverentia, conſiderationem cum diligentia, & auſcultationem cum patientia Et ideò quantum ad hæc tria, ſubjungitur in textu.

Tacentem me ſuſtinebunt, id eſt, exſpectabunt. *Job.* 29. Exſpectabant me ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum. Ecce exſpectatio cum reverentia. *Et loquentem me reſpicient*, ſicut homines intenti ad verba alicujus, reſpiciunt eum in faciem; *Job.* 29. Intenti tacebunt ad conſilium meum, ecce conſideratio cum diligentia.

Et ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent, quia non valebunt reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui qui loquetur. *Act.* 7. Ecce auſcultatio cum patientia. Huc facit illud *Job* 29. Videbant me juvenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant, Principes ceſſabant loqui, & digitum ſupponebant ori ſuo. Circa illa verba: *Inveniar in judicio*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

An Juvenes cavere debeant ſomnum torpentis otioſitatis, viſcum inficientis ſocietatis, & æſtum præſumentis tumiditatis?

DIco quod ſic:

Explicatur prima pars, quod Juvenes cavere debeant ſomnum torpentis otioſitatis. Plinius docet quod Accipiter pullos ſuos cum apti fuerint ad volandum, projiciat extra nidum, & verberet eos alis ſuis; cavetque ne in tenera ætate pingueſcant, ne dedant ſe otio, & ſolvantur delitiis. Applicatur hæc doctrina Plinii de Accipitre, juvenibus. Nam primò juvenes extra nidum propriæ voluntatis, de erroribus ejici & caſtigari debent, ut ad capiendam prædam ſuam ſtatim aſſueſcant. Et quidem ſi ſint juvenes Clerici, eorum præda debet eſſe intelligentia Scripturarum, debentque compelli ad libros ſacros legendos. Si autem ſint juvenes *milites*, eorum præda debet eſſe ſtrenuitas, & victoria pugnarum, debentque exerceri in rebus bellicis. Si verò ſint juvenes mercatores, ipſorum præda debet eſſe lucrum honeſtum, debentque exerceri in mundanis, ita ut nullus omninò juvenis otio vacet.

Nec ſufficit, quod juvenis aliquis in initio inceperit bene laborare, & paulò poſt velit fugere labores: nam talis, ſi labores ſemel benè cœptos poſtea intermittat, non poteſt effugere turpitudinis notam. Dicitur *in libro de naturis rerum*, quod pullus aſini quantò eſt ſenior, tantò ſit turpior. Et *Ariſtoteles* 5. *de animalibus*, aſſerit de capris, quod fœtus, qui primo generatur, ſit melior & fortior: fœtus autem, qui poſtea generatur, ſit turpior, & pejor. Tales revera etiam moraliter loquendo inter juvenes inveniuntur, qui in principio ſunt devoti, virtuoſi, & boni, ſed quantò magis adoleſcunt, tantò magis vitiis ſe immiſcent, fiuntque turpiores: hujuſmodi ſunt quidam juvenes pauperes devoti, qui dum fiunt divites, ſunt aridiſſimi, avariſſimi, & ſuperbi.

Explicatur ſecunda pars, quod Juvenes fugere debeant viſcum infectivæ ſocietatis: Sicut enim pueri facile inficiuntur leprâ corporali, ita facillimè inficiuntur familiaritatibus vitioſis, & præcipuè cum mulieribus, quarum blanditiæ etiam fortes juvenes, aut emolliunt, aut enervant. Unde *Prov.* 7. De feneſtra domus meæ perſpexi juvenem. Et infra: Conſidero vecordem juvenem, qui tranſit per plateas, & ecce mulier occurrit in ornatu meretricio præparata ad capiendas animas, & apprehenſum deoſculabatur juvenem. Et paulò poſt ſubditur; ſtatim eam ſequitur tanquàm bos ductus ad victimam.

Explicatur tertia pars, quod juvenes præcavere debeant æſtum præſumentis tumiditatis. Habent juvenes ſanguinem calidum & fervidum, ſuntque adhuc in rebus agendis inexperti & ita præſumptuoſi plura tentant, quàm poſſint bene præſtare. Et hæc eſt cauſa quare juvenes non debeant fieri duces bellorum; ſic dicitur 3. *Topicor.*; Quia conſtat juvenes non eſſe ſatis prudentes & expertos. Agendum proinde eſt cautè & circumſpectè juveni; qui etiam debet attendere ad illud quod dicitur *Eccleſ.* 11. Lætare juvenis in adoleſcentiâ tuâ, & in bono ſit cor tuum, in diebus juventutis tuæ; In bono videlicet humilitatis; quia ſicut dicit *S. Greg. in quadam homilia*: Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in vento pulveres portat. Item *S. Ambroſ. ſupra Pſalm.* (Beati immaculati) inquit: Non eſt mirabilis humilitas in ſenectute, quia eſt viribus debilitata, factutis trita & doloribus repleta, & ipſa vivendi mœſta faſtidio, oblita eſt jactantiæ. At verò in juvenibus rara eſt humilitas, adeoque miranda, dum viget ætas, dum vires ſunt ſolidæ, dum ſanguis æſtuat, dum ſolicitudo neſcitur, dum lætitia frequentatur. Ita *S. Ambroſius*.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Juvenibus ſit imponenda promptitudo obedientiæ, teneritudo conſcientiæ, & ſollicitudo continentiæ?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Juvenibus ſit imponenda promptitudo obedientiæ, quia juventus ſine obedientia abuſio eſt, teſte *S. Auguſtino*. Unde ſicut docet *Ariſtoteles* 8. *Ethic.* Amicitia inter ſenes & juvenes utriſque eſt neceſſaria. Senibus quidem ut eis à juvenibus ſerviatur, & juvenibus ut impeccabiles fiant, id eſt, ut per ſeniores à peccati occaſionibus præſerventur: Timore enim ſeniorum & reverentiâ, ſolent juvenes ſe à ſuis inſolentiis refrænare. *Iob.* 29. Videbant me juvenes & abſcondebantur. De iſtâ obedientiâ juvenum ad ſeniores dicit *Valerius lib.* 2. *cap.* 1. Quod apud antiquos ſenectuti juventus generaliter immenſum honorem reddebat, tanquam ſeniores communes patres eſſent omnium juniorum. *Iudicum* 2. Sic enim juvenes facere conſueverant; & benè dicitur, *conſueverant*, quia jam olim eſt promptitudo hæc obrogata. Unde *Iſaiæ* 3. dicitur: Tumultuabitur puer contra ſenes.

Explicatur ſecunda pars quod Juvenibus ſit imponenda teneritudo conſcientiæ, ut diſcant ſua peccata cum circumſtantiis rectè diſcuſſa, integraliter, & rectè exprimere: quia ſi fuerit conſcientia larga in juventute, ampliabitur ſine menſura in ſenectute. *Ecclſ.* 6. Fili mi à juventute

tute tua excipe doctrinam & uſque ad canos invenies ſapientiam. *Et Ecclef. 25.* Quæ in juventute tua non congregaſti, quomodo invenies ea in ſenectute tua? quaſi dicat, nullo modo invenies. Et ideò meritò dolorem hominis plangentis conſumptionem ſuæ juventutis in otio, & inſolentiâ, Salomon ſic deſcribit. *Prov. 5.* Cur deteſtatus ſum diſciplinam & increpationibus non acquievit cor meum; nec audivi voces docentium me, & magiſtris non inclinavi aurem meam? Et certè meritò plangere poteſt talis, qui male conſumpſit ſuam juventutem: quare metricè dicitur:

Damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum:
Quiſq; poteſt rebus ſuccurrere, nemo diebus.

Explicatur tertia pars. quod ſolicitudo continentiæ ſit imponenda juvenibus, quia continentes eſſe non poſſunt ſine ſumma cuſtodia, propter carnis ſuæ impugnationes. Et ideò in *Pſalmo* dicitur: Sæpe expugnaverunt me à juventute mea. Unde rectè orat David: Delicta juventutis meæ ne memineris Domine.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Juvenibus prædicenda ſit debilitas corporalis virtutis, labilitas temporalis juventutis, & deformitas hyemalis ſenectutis?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod juvenibus prædicenda ſit debilitas corporalis virtutis. Quia juvenes ſolent nimis gloriari in ſua virtute, non advertentes illud *Iſai 40.* Juvenes in infirmitate cadent.

Explicatur ſecunda pars, quod Juvenibus ſit prædicenda labilitas temporalis juventutis: quia forma corporis, quaecumcunque magna, facile tranſit. Unde *Ovidius lib. 2. de arte amandi*, ait

Forma bonum fragile eſt dum lentè accedit ad annos
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo,
Nec violæ ſemper, nec lilia candida florent
Et riget amiſſa, ſpina relicta, roſa.
Tunc albi venient tibi, mi formoſe, capilli:
Et venient rugæ, quæ tibi corpus arant.

Item *Virgilius in Bucolicis Eleg. 2.* ſic canit:

O formoſe puer, nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Explicatur tertia pars, quod Juvenibus prædicenda ſit deformitas hyemalis ſenectutis. De qua idem *Ovidius lib. 3. de arte amandi* ſic ſcribit:

Venturæ memores jam nunc eſtote ſenectæ:
Sic nullum tempus vobis abibit iners.
Utendum eſt ætate, cito pede labitur ætas;
Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.
Quàm citò me miſerum laxantur corpora rugis:
Et perit in nitido qui fuit ore color.

Et ideò ſignanter dicitur: *Ecclef. 12.* Memento creatoris tui in die juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis; & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent

LECTIO CXIII.

TEXTUS.

Præterea habebo per hanc immortalitatem: & memoriam æternam in his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſt explicatas quinque dotes, ſeu quinque emolumenta, quæ ſapientia confert, nunc explicat Salomon, ſextam, & principalem dotem, nimirum Immortalitatem, perpetuitatem bonæ vitæ, quam Spiritus ſanctus confert ſolis ſapientibus, id eſt, Deum verè colentibus. Et quia iſta immortalitas poteſt dupliciter percipi, nempe realiter in æterna gloria, & ſecundò temporaliter in hominum memoria, ideo de utraque immortalitate in præſenti textu facit Salomon mentionem.

Et quidem de reali immortalitate dicit ſic: *Propterea per hanc*, id eſt per ſapientiam hoc eſt per cultum Dei ſincerum, qui à bona voluntate dependet, *habebo immortalitatem*, verè videlicet & realiter: juxta illud *Sapientiæ primo.* Juſtitia perpetua eſt immortalis. In hujus autem rei figuram, quod nimirum immortalitas habeatur per Sapientiam, apud Poëtas Dea ſapientiæ dicebatur *Minerva, à Min.* quod ſignificat *non*, & *Erva* quod ſignificat mortalis. Et ideò *Minerva* eſt quaſi immortalis.

Vocatur autem Sapientia alio nomine *Pallas* id eſt, Nova, quia ſapientia nullum ſenium nullamque ſentit vetuſtatem. Hæc etiam eſt Dea bellorum, quia bellis plus confert ſapientia, quàm fortitudo; Et ideo *Sapient. 5.* dicitur: Melior eſt ſapientia quam vires, & vir prudens, quam vir fortis. Dicit ergo Salomon. *Habebo per hanc immortalitatem*, & inſuper etiam *memoriam æternam in his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam.* Huc facit illud, quod dicit Seneca. Ad pauca natus eſt, qui tantum de ſuo tempore cogitat; omnis enim virtuoſus, & ad bonam vitam tenetur, & ad bonam famam: ut per vitam ipſe ſalvetur, & per famam proximus ædificetur. Proximus inquam non ſolùm qui nunc eſt, ſed etiam qui futurus eſt. Undè bonum copioſe eſt ſui communicativum; bonus enim homo quaſi infinitis hominibus prodeſſe poteſt per bonum exemplum. Et hoc modo ille venerabilis ſenex Eleazarus Judæus, cum interficeretur, eo quod contra legem Dei nollet comedere carnes porcinas, elegit magis nobilem mortem, quam odibilem vitam, & dixit: Senectute quidem dignus apparebo, adoleſcentibus autem forte exemplum relinquam. Et ideò dicitur in *Pſalmo*: In memoria æterna erunt juſti. Et *Proverb. 10.* Memoria juſti cum laudibus.

ARTICVLVS VNICVS.

An memoria beneficiorum ſit continuò poſſidenda, memoria bonorum exemplorum aliis exhibenda, & memoria damnorum aliis relinquenda?

DIco quod ſic:

Explicatur prima pars, quod memoria beneficiorum ſit continuò poſſidenda: debemus enim habere memoriam divinorum beneficiorum *Iſai* 43. Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor: reduc me in memoriam, & judicemur ſimul. Reduc me in memoriam, id eſt, bona, quæ tibi feci (ſecundum *Gloſſam*) creando, redimendo, & præparando beatitudinem.

Iſtam tamen memoriam beneficiorum exhibitorum, tria impediunt, videlicet proſperitas, curioſitas, & voluptas; nam proſperitas facit homines ingratos, obliviſci amicorum, qui eos in anguſtiis advenerunt: Unde *Geneſ* 40. legimus, quod præpoſitus pincernarum Pharaonis, qui prius fuit incarceratus cum Joſepho, & per ipſum de ſua liberatione prophetice informatus, ſuccedente proſperitate oblitus fuerit interpretis atque prophetæ ſui Joſephi. Sic etiam fit in multis, qui quando afflictionibus, perſecutionibus, vel infirmitatibus tribulantur, habent Deum in memoria, ſed quando ſunt in tranquillitate, ſanitate, vel proſperitate, obliviſcuntur Dei. *Deut.* 32. Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Dei Creatoris tui.

Narrat *Vincentius in ſpeculo hiſtoriarum*; quod ſemel in Æthiopia ex putrefactione, & fœtore cadaverum interfectorum in bello, fuerit exorta tanta peſtilentia memoriarum, ut homines obliti fuerint nominum patrum ſuorum, filiorum ſuorum, & nominum propriorum. Moraliter loquendo tanta eſt his diebus in hominibus, in parte memorativa peſtilentia, ut nec recordentur nominis Dei Patris cœleſtis, qui eſt Pater omnium, nec grati ſint amicis, nec animabus defunctis, nec denique ſint prudentes ad ſeipſos. *Eccleſ.* 9. Oblivioni tradita eſt memoria eorum.

Seneca lib. 2. *de beneficiis*, comparat legem gratitudinis & mutuæ beneficentiæ ludo pilæ, quando enim homines ludunt cum pila & eam alternatim in ſe recipiunt, tamdiu durat & continuatur ludus inter eos, quamdiu convenienter recipitur & jactatur: Si verò unus recipiat, & retineat, vel inconvenienter repercutiat, deſinit ludus, qui deſinere non poteſt (*teſte Seneca*) niſi vel mittentis, vel recipientis pilam defectu. Iſto modo imaginatur ſibi Seneca, quod debeat eſſe de beneficentia mutua inter amicos; ſi enim à te beneficium recipio, & poſtea illud tibi proportionabiliter retribuo, juxta leges gratitudinis, juſtè ludo; ſi verò beneficium receptum oblivioni trado, nec tibi reciprocè pro beneficio accepto aliquid grati rependo, facio finem ludi, & beneficentiæ ludum ſolvo. Et ideo ſignanter dicitur ad *Heb.* 13. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliviſci. Porrò ſi nos oporteat eſſe reciprocè gratos erga homines, multò magis nos oportebit eſſe gratos erga Deum pro acceptis beneficiis. Unde *Hugo de Clauſtro animæ* ait: Sicut nullum eſt momentum, quo homo non utitur, & fruitur de bonitate, & miſericordia Dei, ita nullum debet eſſe momentum, quo beneficiorum Dei non habeatur memoria. *Threnorum* 3. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.

Secundò etiam memoriam beneficiorum impedit curioſitas, & nimia ſollicitudo circa mundum; unde dicitur communiter:

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Hoc modo dicitur *in Pſalm.* Obliti ſunt beneficiorum ejus, & miſericordiarum, quas oſtendit eis.

Tertiò iſtam memoriam beneficiorum impedit, & tollit voluptas carnis. Unde Boëtius 3. *de Conſolat. metro.* 3. vocat corpus, ſecundum imaginationem Platonicorum, molem obliviosam. Fuit enim opinio Platonis, ut notat *Ariſtoteles* 1. *poſter.* quod anima habeat notitiam omnium rerum à principio ſibi concreatam, & ſpecies omnium rerum ſibi inditas à Deo, eadem tamen anima ſtatim ac infunditur corpori terreno, tradit oblivioni omnem illam notitiam ſibi datam, nec ea poteſt uti, donec per ſenſus excitetur. Et ideò poſuit Plato, quod addiſcere, non ſit, niſi recordari. Applicatio moralis. Certè moraliter loquendo corpus eſt moles obllivioſa, id eſt, oblivionem Dei inducens: undè anima immerſa voluptatibus & deliciis carnis perdit memoriam Dei ſui. Et contradicit homo ſibi ipſi juxta illud: Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: & hæc eſt memoria continuè poſſidenda, videlicet recordari beneficiorum acceptorum.

Explicatur ſecunda pars, quod memoria bonorum exemplorum ſit proximis exhibenda, per odorem bonæ famæ, & honeſtæ converſationis; Opera enim ſtrenuitatis, & victoriæ, ſolent haberi in memoria; & ideò vincentes mundum per paupertatem, carnem per caſtitatem, & ſenſum proprium per humilitatem, faciunt ſeipſos dignos memoriâ, juxta illud *Eccleſ* 45. Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt.

Narrat *Magiſter ſententiarum in hiſtoria ſuper Exodum*, quod Moyſes duxerit in uxorem filiam Regis Æthiopiæ, & cum in patriam ſuam redire voluiſſet, impedire eum nitebatur uxor ſua. Moyſes ergo tanquàm vir peritus aſtrorum, ſculpſit in duabus gemmis duas imagines, hujus efficaciæ, ut una memoriam, altera verò oblivionem conferret. Poſtquam autem has duas gemmas Moyſes, duobus paribus annulis inſeruiſſet, præbuit oblivionis annulum uxori, & memoriæ annulum ſecum tulit. Cœpit ergò mulier obliviſci viri ſui, & ſic Moyſes liberè in patriam ſuam eſt ingreſſus. Applicatio. Moraliter loquendo, animus humanus natione cœleſtis, cum carne humana (quæ per Æthiopiſſam deſignatur) conjugium contrahit, quando corpori infunditur. Porrò animus rationalis ſapienter deſiderat beatitudinem, vultque reverti in cœlum. Sed iſta animæ uxor, nimirum caro, eam impedit, & ideò utendum eſt cautela Moyſis, ut duos annulos cum gemmis

facia-

faciamus, & annulum oblivionis carni tradamus: Annulus autem oblivionis eſt cogitatio mortis, quia mors oblivioni tradit hominem, juxta illud *Pſalmi*: Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde. Annulus verò memoriæ, eſt recordatio vitæ æternæ: unde in memoria æterna erit juſtus. Et tunc liberè anima in cœleſtem patriam reverti poterit.

Explicatio tertiæ partis, quod memoria damnorum ſit aliis relinquenda: Et hæc eſt memoria damnorum & injuriarum nobis illatarum à proximis. *Levit.* 19. Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Dicit *S. Baſilius*, quod camelus habeat mirabilem memoriam de verberibus: unde ſi aliquis eum percuſſerit, diſſimulat percuſſionem ad tempus, ſed infallibiliter nacta opportunitate quærit ultionem. Sic ſunt multi, qui injurias diſſimulant, nec remittunt, & abſcondunt, ſed non obliviſcantur; quamvis Seneca dicat: Memoria beneficiorum tuorum debet eſſe tenax, & injuriarum facilis. Et in proverbiis ſuis idem Seneca dicit: Injuriæ remedium oblivio. Talis verò, qui injuriarum virtuosè obliviſcitur, poteſt confidenter Deo dicere illud *Tobiæ* 3. Nunc Domine memor eſto mei, neque vindictam ſumas de peccatis meis. Et ipſe Dominus juſtis reſpondebit per illud *Iſaiæ* 65. Non erunt in memoria priora, neque aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis & exultabitis uſque in ſempiternum.

LECTIO CXIV.

TEXTUS.

Diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubjectæ. Timebunt me audientes Reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.

EXPLICATIO TEXTUS.

NUnc Salomon adducit ſeptimum emolumentum ſapientiæ, quod eſt dignitas regiminis in præſidendo. Per ſapientiam enim homo efficitur aptus ad regendum & diſcernendum: Sicut ipſa ſapientia de ſe aſſerit *Proverb.* 8. Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.

Ad bonum autem regimen requiruntur quinque, quæ in præſenti lectione tanguntur, nimirum ordinatio ſtatutorum, obtemperatio ſubjectorum, divulgatio triumphorum, reconciliatio tranſgreſſorum, & expugnatio inimicorum. Unde Rex vel Princeps qui iſta quinque habet, benè regit populum ſibi ſubditum. Quantum ergò ad primum dicit ſic: *Diſponam populos* (videlicet per ſapientiam) ſtatuta juſta & utilia ordinando. *Eccleſ.* 14. In omni ſapientia diſpoſitio legis. Itaque idoneitas regiminis ad alios gubernandum fit primò, & principaliter juſta ſtatuta ordinando; & quantum ad hoc promittit Salomon in textu; *Diſponam populos*. Undè de bonis prælatis dicitur *Sapientiæ* 13. Juſtitiæ legem & concordiam diſpoſuerunt.

Secundò ad bonum regimen requiritur obtemperatio ſubditorum; & quantum ad hoc dicit: *Et nationes mihi erunt ſubjectæ*; videlicet per voluntariam & admirabilem obedientiam: Reges enim & Principes non potentia propria ſtabiliuntur, ſed benevolentia ſubditorum. Undè *Tullius, Philippica* 2. *ait*: Falſum armatorum eſt præſidium, charitate & benevolentia civium oportet eſſe ſeptum, non armis.

Tertiò requiritur ad bonum regimen Divulgatio triumphorum. Illud enim ſingulariter magnificat Principem & terribilem reddit hoſtibus & regibus circumſtantibus. Undè legimus *Joſ.* 2. quod habitatores *Jericho* ad rumores triumphorum, quos filii Iſrael de duobus Regibus Amorræorum habuerunt, ex ſolo timore cor & audaciam perdiderint. Et quantum ad hoc, ſubjungit Salomon: *Et timebunt me audientes Reges horrendi.*

Quartò, ad bonitatem regiminis requiritur reconciliatio tranſgreſſorum, ita ut Princeps, ſeu Prælatus clementia & benignitate reſplendeat, tranſgreſſoribus pro loco & tempore leniter indulgendo. Et quantum ad hoc dicit, *In multitudine videbor bonus*, id eſt benignus, clemens, ſeu propitius. Qualis autem debeat eſſe Prælatus, ſeu Princeps, ad hoc ut in multitudine bonus appareat, rectè deſcribit *Alexander Nequam*, *in ſermone quodam*, commendans Cardinalem Ottonem legatum ad Henricum IV. Regem Angliæ, qui Londini Concilium celebravit: & ponitur etiam *in lib. de conſideratione ad Eugenium Papam*. Dicit ergo Alexander ſic de præfato Ottone Cardinale. Hic eſt, qui pœnitentibus exhibet ſe Joannem, Ægyptiis Moyſen, fornicatoribus Phinees; Eliam Idololatris; Eliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum; qui populum non ſpernit, ſed docet; divites non palpat, ſed terret; pauperes non gravat, ſed fovet; qui Eccleſias non ſpoliat, ſed emendat; qui marſupia non exhaurit, ſed corda reficit, & crimina corrigit; qui famæ providet ſuæ, nec invidet alienæ; qui orandi ſtudium gerit & uſum habet de omni re bona; qui orationi plus fidit, quàm ſuæ induſtriæ: cujus ingreſſus eſt pacificus, modeſtus exitus; cujus ſermo ædificatio; cujus vita juſtitia; cujus præſentia gratia; cujus memoria in benedictione erit; qui ſe amabilem præbet non verbo, ſed opere reverendum exhibet, non faſtu ſed actu. Qui humilis eſt cum humilibus, cum innocentibus innocens, duros durè redarguit, malignantes coërcet, & reddit retributionem ſuperbis. Qui non de dote viduæ, & de patrimonio crucifixi ditare ſe feſtinat, gratis dans, quod gratis accepit, gratis faciens Judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Hæc ibi. In quibus verbis bonus Princeps, vel Prælatus benè deſcribitur.

Quintò requiritur ad bonum regimen expugnatio inimicorum; & quantum ad hoc ſubjungitur in textu: *Videbor in bello fortis.* Talis fuit David, qui interpretatur manu fortis. 2. *Reg.* 23. Quia hic agitur de expugnatione inimicorum & de bello, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum Bellum poſſit eſſe licitum Chriſtiano?

DIco quod bellum ſit juſtum & licitum, ſi adſit primò juſta cauſa; ſecundò, ſi adſit recta intentio ad promovendum bonum, & malum impediendum; & tertiò, ſi accedat authoritas Eccleſiæ, vel Principis Ita *S. Thom.* 22. *Q.* 4. *art.* 1. Probatur, & explicatur aſſertio. Dicit namque *S. Thomas loco citato*, quod requiratur juſta cauſa; quia videlicet illi, qui impugnantur, ex juſta culpa, hoc meruerunt. Secundò requiritur recta intentio ad promovendum bonum commune, & malum amovendum. Ut autem intentio ſit recta, requiritur habilitas perſonæ, & neceſſitas vel ſumma utilitas pro bono communi, rei repetendæ Et tertiò requiritur authoritas Eccleſiæ, vel Principis, quia omnis privata perſona poteſt jus ſuum proſequi, & obtinere in curia ſui ſuperioris, hoc autem Princeps non poteſt. Deindè ſi quivis privatus ſine authoritate Principis bellum facere poſſet, darentur bella infinita, quod concedi non debet

Antiqui tamen Doctores requirebant quinque ad juſtum bellum, nimirum primò ut ſit perſona ſæcularis cui licet profundere ſanguinem, non autem perſona Eccleſiaſtica, cui non licet profundere ſanguinem, niſi in caſu inevitabili.

Secundò ut res per bellum repetenda ſit pro bono patriæ. Ubi nomine rerum etiam graves injuriæ comprehenduntur, undè licitum eſt graves injurias Principibus factas vindicare.

Tertiò requiritur ut pugnetur ex cauſa neceſſitatis, & ut pax habeatur.

Quartò requiritur animus rectus, ut nimirum non pugnetur ex odio, vel cupiditate ſolius lucri.

Quintò requiritur ut bellum fiat, authoritate Eccleſiæ vel Principis. Veruntamen iſta quinque reduci poſſunt ad illa tria aſſignata à *S. Thoma.* Ut autem ſtatim ſcias quando bellum ſit juſtum, nota ſequentes verſus:

Cum de jure poteſt indicens bella jubere.
Cum bonus eſt bellans, & quem decet arma movere.
Cum patiens cauſam reprobam videatur habere:
Non ſic bella queunt dici crudelia verè.

Dices prima bella contrariantur divino præcepto *Matth.* 5. Ego dico vobis non reſiſtere malo. *Et ad Rom.* 12. Non vosmetipſos defendentes Chariſſimi, ſed date locum iræ.

Reſp. hæc loca intelligenda eſſe de inordinata defenſione, vel ubi deſunt aliquæ conditiones ad juſtam defenſionem, vel juſtum bellum. Licet autem ſubindè ſit laudabile pro Chriſto contumeliam pati, nec ſe defendere, dum quis percutitur in una maxilla, vel dum auffertur ab eo tunica, ſubindè tamen bonum commune exigit quod hoſtis abigatur & victoriis dometur.

Dices 2. *Matth* 26. dicitur: Qui acceperit gladium, gladio peribit; ſed bellantes gerunt gladium, eoque utuntur: Ergò per modum pœnæ gladio peribunt, & conſequenter cum pœna non detur, niſi propter peccatum, clarè ſequitur quod milites adhibentes in bello gladium, peccent.

Reſp. cum *S. Auguſtin.* 2. *contra Fauſtum*, quod ille dicatur accipere gladium, qui nulla ſuperiori, ac legitima authoritate jubente, vel concedente, ad ſanguinem alicujus profundendum progreditur, aliumque vulnerando interimit, talis enim gladio peribit, id eſt, pœna infernali plectetur niſi pœniteat. Unde in *Pſalmo* dicitur. Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, id eſt, pœnæ inferni.

Patet ergo, quod bellum cum præmiſſis conditionibus factum, ſit licitum. Et hoc idem aſſeritur in jure 23. *Q.* 13. ubi dicitur: Juſtum eſt bellum quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulſandorum hoſtium cauſa.

LECTIO CXV.

TEXTUS.

Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa; non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.

EXPLICATIO TEXTVS.

OCtavum emolumentum quod Salomon dicit ſe habiturum cum ſua ſponſa ſapientia, eſt jucunditas conſolationis in conſcientia. Unde dicit ſic. *Intrans in domum meam. conquieſcam cum illa* Quaſi dicat. Ecce quantum mihi emolumentum accreſcit, ſi mihi Sapientiam, id eſt, cultum Dei deſponſavero. Nam, ſi nihil aliud cum hac ſponſa pro dote reciperem, hoc unicum mihi deberet ſufficere, quod *Intrans in domum meam*, ideſt, in conſcientiam meam, *conquieſcam*, id eſt, quietem inveniam *cum illa*, id eſt, ſapientia. Nec mirum, nam nulla conſcientia poteſt delectari, quamdiu conſcientia habet aliquid, unde poſſit remurmurare. Certè bona conſcientia eſt illa domus, quam ſancti poſt tædia hujus ſæculi repetunt & requirunt. Hæc eſt domus, quam Deo dedicare debemus per bonam converſationem. Unde in Pſalmo dicitur: Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum.

De hac ſecuritate, & tranquillitate conſcientiæ, loquens *S. Gregor. ſuper Ezech hom.* 9. dicit ſic: In omni, quod Dei eſt, ſemper tacitè concurrere debemus ad mentem interiorem, teſtem & Judicem inquirere. Quid enim prodeſt, ſi omnes laudent, & conſcientia accuſet? Aut quid poterit obeſſe ſi omnes derogent, & ſola conſcientia defendat?

Item *Hugo de S. Victore l.* 2. *c.* 6. *de anima* tali modo

modo deſcribit conſcientiam bonam. Tranquilla conſcientia eſt, quæ omnibus eſt dulcior, nulli gravis, itens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, & quibus poteſt ad beneficentiam. Cui Deus nec ſua peccata imputat, quia non fecit; nec aliena, quia non approbavit; nec negligentiam, quia non tacuit; nec ſuperbiam, quia in humilitate permanſit. Hæc Hugo.

Cum ergo bona conſcientia ſit illa domus in qua ſapiens cum ſapientia quieſcit, mirum non eſt, quod ibi permaneat ſine turbatione: *Siquidem non habet amaritudinem converſatio illius; nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium*; Et ideo rectè ſapientia vocatur à *ſapore*, quaſi ſapida ſcientia; Econtra autem aliæ ſcientiæ ſæculares & maximè ſcientia Juridica amaritudinem & tædium in convictu ſuo & converſatione affert, redditque hominem præſumptuoſum ſæpè in ſeipſo, & injurioſum contra proximum.

Item bona exteriora, ut delitiæ, divitiæ, & honores, vel habent amaritudines, vel ad minus generant tædium, & faſtidium, & ſatietatem, ita ut homo illud idem, quod prius optavit, poſtea faſtidiat & contemnat. Unde *S. Gregorius in quadam hom.* ſic dicit: Corporales deliciæ, cum non habentur, grave in ſe deſiderium accendunt, cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium vertunt. At verò econtra ſpiritales deliciæ, cum non habentur, in faſtidio ſunt, cum verò habentur, in deſiderio ſunt. In illis appetitus ſaturitatem, ſatietas faſtidium generat. In iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parat. Augent autem ſpiritales delitiæ deſiderium in mente, dum ſatiant; & quanto magis earum ſapor percipitur, eo amplius agnoſcitur, quod avidius ametur. *Hæc S. Greg.*

ARTICVLVS VNICVS.

An dómus bonæ conſcientiæ debeat habere fundamentum ſolidæ doctrinæ; ornamentum virtutum, & exemplorum SS. PP.; tegumentum honeſtæ converſationis; & frequens expurgamentum per confeſſionem.

Dico quod ſic:

Explicatur prima pars, quod domus bonæ conſcientiæ debeat habere fundamentum ſolidæ doctrinæ Chriſti. Unde ipſe dixit *Matt.* 7. Omnis, qui audit verba hæc & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Petra eſt doctrina Chriſti. *Matth.* 16. Et ſuper hanc petram ſanæ doctrinæ debet cujuslibet conſcientia fundari, & ædificari. Unde ſumme cavendum eſt, ne iſta domus ſit erroneè ædificata, vel nimis *larga*, vel nimis *ſtricta*, quia omne, quod fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, ut habetur in *gloſſa ad Rom.* 14.

Contingit autem ſæpe, quod iſtam domum conſcientiæ, quidam fundent ſuper aquas voluptatis, quidam verò ſuper arenam cupiditatis; & ideò talium conſcientiæ ſtare non poſſunt, eo quod careant ſolido fundamento; Et ideò dicitur *Matth* 7. Quod vir ſtultus ædificavit domum ſuam ſuper arenam, & deſcendit pluvia, & flaverunt venti, & cecidit domus.

Explicatur ſecunda pars, quod domus conſcientiæ debeat habere honeſtum ornamentum, ut ſit picta imaginibus virtutum & ſanctorum virorum exemplis, qui nos præceſſerunt. Narrat *S. Auguſtinus lib. 5. cont. Iulian. & lib. 2. retract. c. 62.* Quod rex quidam Cypri deformis ſpecie, thalamum ſuum ſive cubiculum curaverit pulcherrimis imaginibus depingi, ut per earum aſpectum ſua uxor pulchram pareret prolem: Applicatio. Rex eſt ratio, cubiculum eſt memoria, vel conſcientia, ſenſualitas autem eſt uxor, & ideo ſi pulchram prolem, id eſt, virtuoſas operationes habere velimus, debemus ſtudere domum conſcientiæ noſtræ depingere pulchris imaginibus patrum noſtrorum dicentes cum *Pſalmiſta*; Domine dilexi decorem domus tuæ. Sicut autem in domo non habitata oriuntur ſordes & vermes omnia corrodentes, ita fit in hominibus negligentibus propriam conſcientiam; in quâ certè ſolum reperiuntur ſordes & vermes peccatorum, qui anxiam reddunt conſcientiam; & niſi expurgantur per confeſſionem, hominem deducunt ad infernum, juxta illud *Prov.* 2. Inclinata eſt ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ipſius.

Explicatur tertia pars, quod domus conſcientiæ debeat habere tegumentum honeſtæ converſationis: Unde viri boni, quod didicerunt interius, præferunt exterius, & lux eorum lucet coram hominibus, ut videant opera eorum bona, & glorificent Patrem qui in cœlis eſt. Huc facit illud *Matth.* 10. Quod in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta, id eſt, per bonam converſationem aliis narrate.

Explicatur quarta pars, quod domus conſcientiæ debeat habere frequens expurgamentum per ſcopam confeſſionis; nam niſi à conſcientia peccatum expellatur, nunquàm poterit homo eſſe quietus, nec poteſt effugere maculam peccati commiſſi niſi pœniteat. Unde *S. Auguſt. ſup. Ioan. homil.* 41. ait: Servus peccati quo fugit, ſecum ſe trahit; quocunque fugerit, non fugit ſeipſam mala conſcientia. Porrò quando diabolus videt hominem eſſe irretitum peccatis, præparat ipſi per diverſas vias timoris, pudoris, vel deſperationis quendam labyrinthum; ita, ut homo, ſi non maturè ſe ex tali peccato per confeſſionem exſoluat, differendo pœnitentiam, vix aut ne vix quidem ſe exſoluet. Probus autem homo libenter & clarè confitetur omnia peccata domus conſcientiæ ſuæ. Huc facit illud 2. *Reg.* 2. Omnia quæ ſunt in domo meâ, viderunt, nihil eſt quod non monſtraverim eis, in theſauris meis.

LECTIO CXVI.

TEXTUS.

Hæc cogitans apud me, & memorans in corde meo; quoniam immortalis eſt in cogitatione ſapientia, & in amicitia illius delectatio bona; & in operibus manuum illius honeſtas ſine defectione,

& in certamine loquelæ illius ſapientia, & præclaritas in communicatione ſermonum ipſius: circuibam quærens, ut mihi illam aſſumerem.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Salomon enumeravit 8. prærogativas ſapientiæ ſuæ ſponſæ; hic recapitulando, ponit dictorum ſuorum in genere recitationem. Solent enim amantes illius rei, quam amant, ſæpius facere commemorationem, ita ut ſub diverſis terminis ſemper idem dicant, ad magis inculcandum aliis amorem rei amatæ.

Dicit ergo ſic: *Hæc cogitans apud me*, id eſt, hæc privilegia & prærogativas ſapientiæ occultè apud me perpendi; *Et memorans in corde meo*, id eſt, repetitam memoriam ſæpius feci in corde meo, nobilitatis ſapientiæ, quæ eſt verus Dei cultus. In verbis ſequentibus Salomon inſinuat 5. perfectiones, quas ſapientia adfert ſapienti.

Et quidem, prima perfectio, quam ſapientia affert ſapienti, eſt cognitio veritatis quo ad intellectum, & quantum ad hoc dicit, *Cogitans de ſapientia animadverti, quoniam immortalis eſt ſapientia in cogitatione*; immortalis inquam, quia vera ſapientia eſt de æternis, & neceſſariis.

Secunda perfectio, quam adfert ſapientia, eſt delectatio jucunditatis: quantum ad affectum; & ratione hujus dicitur in textu: *Et in amicitia illius eſt delectatio bona.* Delectatio enim in ſapientia eſt magna, quia quantò magis amatur, tanto ſuavior invenitur. *Eccleſ.* 24. Qui edunt me, adhuc eſurient.

Tertia perfectio, quam ſapientia affert ſapienti. eſt converſatio honeſtatis quantum ad effectum; & quantum ad hoc ſubdit; *Et in operibus manuum illius honeſtas ſine defectione.* Undè de ſapientia dictum eſt *Sapient.* 7. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.

Quarta perfectio, quam ſapientia adfert ſapienti. eſt diſcretio ambiguitatis in diſputando, & quantum ad hoc dicit; *Et in certamine loquelæ illius ſapientia.*

Quinta perfectio, quam ſapientia adfert ſapienti, eſt declaratio difficultatis in prædicando, vel informando; & quantum ad hoc dicit; *Et præclaritas in communicatione ſermonum illius*: doctrina enim obſcura non juvat auditorem. Unde *Hugo in Didaſcalon c.* 5. ait: Duo decet doctorem vitare in docendo, nimirum obſcuritatem & perplexitatem. Nam lectio duobus modis animo faſtidium ingerere ſolet, & affligere ſpiritum; nimirum *qualitate*, ſi obſcurior fuerit, & *quantitate*, ſi extiterit prolixior; in quo utroque magno moderamine opus, ne id quod ad refectionem quæſitum eſt, ſumatur ad ſuffocationem.

Conſideratis ergo à Salomone his omnibus dotibus, gratiis, & perfectionibus, quæ habentur à ſapientia, *Circuibam*, inquit, *quærens ut illam mihi aſſumerem.* Circuibam inſpiciendo creaturas, diſcutiendo ſcripturas, & audiendo lecturas. Circuivi, ergò dicit Salomon, ut eam *mihi*, id eſt, ad fructum commodum & utilitatem meam primariò & principaliter, ſecundariò autem ad utilitatem aliorum aſſumerem. *Prov.* 9. Si ſapiens fueris, tibi ipſi eris. Circa illa verba, *Et in amicitia illius delectatio bona.*

Notandum breviter, quod delectatio homini interna prodat in certa ipſius inclinationem quod amet; Sic qui delectatur in operibus virtuoſis, ſignum eſt, quod ſit internè virtuoſus; qui delectatur rebus juſtis, ſignum eſt, quod ſit juſtus; qui delectatur rebus venereis, utique venereus eſt; qui delectatur pecuniâ, ſine dubio etiam eſt cupidus pecuniæ: Undè amans pecuniæ applicabit ſe mercaturæ, vel alteri officio; ex quo facile poſſit lucrari pecuniam; amans venerem frequentabit aulam, & ſimilia loca, ubi datur pro rebus venereis occaſio; amans ſtrenuitatem applicabit ſeſe bello, ſicut ergo fumus patefacit ignem latentem in furno, vel fornace, ita delectatio cuivis propria patefacit qualiter internè ſit conſtitutus. Cavete autem chariſſimi, ne delectemini mundo nec eis, quæ in mundo ſunt; ſed delectari nem capite, in his quæ ſunt Jeſu Chriſti, & perducunt ad regna cœleſtia.

ARTICVLVS VNICVS.

An delectatio ſit triplex, nimirum naturalis, beſtialis, & rationalis.

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars, de Delectatione naturali; Nam hæc delectatio naturalis eſt, ſine qua natura humana eſſe non poteſt, ſicut eſt illa delectatio, quam homo habet in cibo & potu, & ſomno ſibi convenienre; & hæc delectatio non eſt peccatum, ſi non excedat regulam rationis. Undè *Ariſt.* 7. *Eth.* dicit, delectationum quædam ſunt neceſſariæ, quædam voluntariæ & ex electione. Neceſſariæ delectationes ſunt, quæ habentur ex cibo, & potu ad conſervationem individui, & venereorum ad conſervationem ſpeciei. Voluntariæ autem delectationes ſunt v. g. Victoria, honor, & divitię. In hoc autem delectationis genere, non poteſt homo continuè delectari, ſecundum *Ariſtotelem* 10. *Eth. cap.* 5. Tum quia anima non poteſt continuò operari, nulla autem delectatio eſt ſine operatione. Tum quia delectatio continuata circa unum, generat faſtidium: Si autem delectatio ſit circa diverſa, tunc nullum illorum eſt perfectum. Unde docet *Ariſtoteles*, quod quando delectamur in uno *vehementer*, pro tunc non attendamus alio, & ſubdit: quod amantes fiſtulas non attendant ſermonibus, qui ipſis dicuntur: unum enim magis delectabile repellit alterum, quod eſt minus delectabile. Si autem remiſsè in aliquo delectemur, tunc poſſumus ſimul attendere ad alia. Talis porrò delectatio non eſt naturalis homini, quia homo appetit continuò & perpetuò delectari, qualis delectatio nunquàm habebitur, niſi in viſione clara Dei, quando tota anima ſimul & ſemper adimplebitur gaudio *juxta illud Pſ.* Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectabis in dextera tua uſque in finem.

Expli-

Explicatur ſecunda pars, de Delectatione beſtiali, quæ eſt turpiſſima & abominabilis ſicut dicit *Ariſtoteles 3. Eth. cap. 5.* Porrò homines tali delectatione non utuntur qua homines, ſed potius ut animalia bruta, & ut beſtiæ. ſicut narrat ibi de quodam, qui optavit ſibi habere collum longum ſicut collum gruis, ut dulcedinem vini defluentis poſſit diutius ſentire. In hac re autem certum eſt, quod delectationes circa tactum venereum maximè inducant beſtialitatem faciantque hominem brutalem, quia nimii tactus venerei non ſunt hominis ut homo eſt, ſed proveniunt vel ex corruptio e complexionis, vel ex mala aſſuefactione vivendi. Hnc facit illud *Prov.* 4. Ne delecteris in ſemita impiorum, neque tibi placeat malorum via.

Explicatur tertia pars, de Delectatione rationali, quæ conſiſtit in contemplacione veritatis. Illa itaque delectatio bona hominis ut homo eſt, quam bonus & virtuoſus ſecundùm rectam rationem judicacquo ad objectum, & circumſtantias eſſe bonam. Sicut ille cibus eſt dulcis, quem palatus ſanus judicat eſſe dulcem; non autem is, quem palatus infirmus judicat, qui ſæpe dulce cenſet eſſe amarum, & amarum dulce. Itaque illi, qui delectationes inordinatas admiſerint, attendant id illud *Iſ. 66.* ubi dicitur: In abominationibus anima eorum delectata eſt. Ilii verò, qui tanquàm virtuoſi in rebus divinis delectantur dicere poſſunt cum Davide: In via mandatorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.

LECTIO CXVII.

TEXTVS.

Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Et cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatū & vidi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det. Et hoc ipſum erat ſumma Sapientia, ſcire cujus eſſet hoc donum. Adii Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquàm Salomon oſtendit ſapientiæ tanquàm ſponſæ ſuæ gratioſam amabilitatem, ejuſque dotes acquirendas cum eadem. Nunc etiam oſtendit Salomon ſui propriam conditionem eſſe ſpectabilem, & virtuoſam, & tali pulchræ ſponſæ proportionatam. Secundò oſtendit parentem, ſeu datorem hujus puellæ, ſeu ſponſæ ſapientiæ, habere nobilitatem venerabilem, & glorioſam: à quo proindè hæc puella, ſeu ſponſa amicabiliter petenda eſt.

Dicit ergo Salomon ſic, de ſeipſo: *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.* Ubi Salomon oſtendic ſe eſſe commendabilem ex tribus, nimirum à corporali munditia (*puer eram*) ab intellectuali peritiâ (*ingenioſus*) & à ſupernaturali juſtitia (*& ſortitus ſum animam bonam*) Anima enim non eſt perfectè bona, niſi per gratiā & veritatem, qua debito modo ordinatur in Deum. Unde *S. Bern. de lib. arbit.* inquit: Bona eſt anima in univerſitate, melior in ſuo genere, & optima in ſua ordinatione. Hæc autem ordinatio nihil eſt aliud, quàm omnimoda converſio voluntatis in Deum, & ex ſe tota voluntaria, devotaque ſubjectio. Ideò autem dicit Salomon (ſortitus ſum animam bonam) non quod à caſu ad bonitatem devenerit, ſed quia primam gratiam nullus poteſt promereri: quia principium meriti non poteſt cadere ſub merito.

Et cum eſſem magis bonus (ſupple quàm *ingenioſus*) id eſt, quo magis in me præemineret bonitas moralis virtutum, quam bonitas naturalis ingenii.

Veni continuò præ cæteris proficiendo, *ad corpus incoinquinatum*. id eſt, attigi ad tantam perfectionem virtutum moralium, ut corpus meum ſervaverim incoinquinatum à paſſionibus vitiorum; Et certè in juventute ſua habuit Salomon corpus incoinquinatum; Unde 3. *Reg.* 3. dicitur: Dilexit Dominum Salomon, ambulans in præceptis patris ſui David.

In verbis ſequentibus ponit Salomon modum, quo petiit iſtam gratioſam puellam ſibi dari in uxorem à Deo, conformiter ad illud *Iacob.* 1. Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet eam à Domino Deo, qui dat omnia hominibus, & non improperat.

Dicit ergo Salomon ſic: *Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det.* In quibus verbis ſapiens ſpecialiter tangit bonum continentiæ, quia ipſa eſt recta via ad ſapientiam. *Iacob.* 3. Sapientia, quæ de ſurſum eſt, primum quidem pudica eſt. *Et hoc ipſum erat ſumma Sapientia, videlicet ſcire, cujus eſſet donum hoc: Adii ad Dominum, & deprecatus ſum pro ipſa obtinenda, & dixi ex totis præcordiis meis*, id eſt, ex profundo cordis mei, & non ſolum ex ſummitate labiorum. *In Pſal.* De profundis clamavi ad te Domine. Præcordia ſecundum Papiam ſunt loca vicina cordi, eo quod ibi ſit principium motus, & cogitationis. Huc facit illud *S. Iſid. lib. 1. de ſummo Bono* ubi ait: Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, ubi cor eſt motum. Sicut enim vox ſine modulamine eſt quaſi vox porcorum, ita oratio ſine devotione eſt quaſi mugitus bòum. Melius eſt cum ſilentio orare in corde ſine ſono vocis: quàm ſolo verbo ſine intuitu mentis. *Ioan.* 3. Veri adoratores adorabunt in ſpiritu, & veritate.

Notandum hic, quod multi appetunt ſegniter caſtitatem, & non ex totis præcordiis, ſicut de ſe ipſo miſerabiliter confitetur *S. Auguſtinus lib. 8. Conf. c.* 7. dicens: Ego adoleſcens miſer in exordio adoleſcentiæ, petiveram à te caſtitatem & dixi: Da mihi caſtitatem & continentiam; ſed noli modo; timebam enim ne citò exaudires & ſanares à morbo concupiſcentiæ; quam malebam expleri potius, quàm extingui; Hæc *S. Auguſtinus.* Circa illa verba; *Puer eram ingenioſus*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

An hæc tria: Memoria, Intelligentia, & Voluntas, moraliter conſtituant bonum ingenium.

Dico, quod ſic.

Explicatur aſſertio. Nam ſic expreſsè docet *S. Auguſtinus* 10. *de Civit. c.* 22. ubi ait: In his tribus inſpici ſolent etiam ingenia parvulorum, cujus præferant indolem; Nam quantò tenacius faciliuſque puer meminit, quantoque acutius intelligit, ac ſtudet ardentius, tantò etiam eſt laudabilioris ingenii. Ita S. Doctor; Unde illa ingenia quæ ſtudioſè ſe non applicant, & fortaſſis ſunt acuta, laudabilia tamen non ſunt, teſte eodem *S. Auguſt.* Eſt enim ſtudium, ſicut dicit *Hugo lib.* 3. *Didaſcal*, animi aſſidua eſt vehemens applicatio ad aliquid agendum, & cum ſumma voluntate occupatio. Quomodo autem ſtudere debeat bonum ingenium, docet bene *Macrobius lib* 1. *Satur. in principio.* Ubi declarat, quod ſicut apes colligunt de diverſis floribus cibum ſuum & in mel proprio labore convertunt: ita ſtudens circa illud, in quo ſtudet, aliquam operationem habere debet, vel abbreviare, vel aliter ordinare, quia aliàs non tranſibit in ingenium, ſeu in memoriam. Hic quoque audiendus eſt *Seneca Ep.* 8. ita loquens. Cogito, inquit, quam multi corpora exerceant, ingenia quam pauci; quantum ad ſpectaculum luſoris fiat concurſus, quanta ſit circa bonas artes ſolicitudo, quam imbecilli animo ſunt, quos laceratos humeros miramur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum is cenſeatur habere bonum ingenium, qui novit eligere veritatem, abiicere vanitatem, & parvipendere loquacitatem.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, de ſigno boni ingenii per electionem veritatis. Nam de illo loquitur *Ariſtoteles* 8. *Ethic.* Bonum inquit, ingenium ſecundum veritatem eſt bene poſſe eligere verum, & fugere falſum. Hoc autem ſi ſit verum in ſpeculativis, multò magis erit verum in moralibus: Undè illa ſunt bona ingenia, quæ mundum falſum & fallaciis plenum fugiunt, & præeligunt viam Chriſti *In Pſal.* Viam veritatis elegi.

Explicatur ſecunda pars, quod ſignum boni ingenii ſit abiicere vanitatem. Non enim omne ſubtile ingenium eſt bonum, ſed ſolidum ingenium eſt bonum: econtra autem nihil magis infructuoſum eſt, quàm ſubtilitas, quando ſola eſt Unde *Petrus Ravennenſis* in ſuis ſermonibus ait: Odibilius nihil eſt ſubtilitate, ubi ſola eſt ſubtilitas. Quid enim prodeſt in illis expendere dies ſuos, quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in clauſtro, nec in curia, nec in Eccleſia, nec alicui proſunt, niſi duntaxat ſpeculationes privatas habendo? Ad propoſitum etiam recte loquitur *Seneca ad Lucillum* Quid inquit eſt acutius ariſta, & in quo eſt utilis? Tale eſt inquit ingenium, quod ſola ſubtilitate laſciviens, nullâ in ſe reſidet gravitate.

Explicatur tertia pars, quod ſignum boni ingenii ſit parvipendere loquacitatem, & copiam exceſſivam verborum; Unde *S. Auguſt. in ſumma Proſperi. c.* 166. ait: Bonorum ingeniorum clara eſt indoles: in verbis diligentium, verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus, non poteſt. Aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus, niſi aperire quod clauſum eſt.

ARTICVLVS TERTIVS.

Utrum nimia levitas, perverſa voluntas, & laſciva voluptas, ingenium corrumpant.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod nimia levitas ingenium corrumpat. Levitas enim animi, & diſſolutio ſpectaculorum, & ludorum ſæcularium, corrumpunt ingenium, ſicut dicit *S. Auguſt.* 6. *Confeſſ. c.* 7.

Explicatur ſecunda pars, quod bonum ingenium corrumpat perverſa voluntas. Unde dicit *S. Aug. lib.* 2. *de morib. Eccl. ad Manich cap.* 3. Scio quosdam eſſe, qui quanquam bono ingenio, utcunque iſta videant, mala tamen voluntate, ipſum quoque bonum ingenium ſint amiſſuri.

Explicatur tertia pars, quod bonum ingenium corrũpat laſciva voluptas Unde *Seneca in prolog. lib.* 1. *declam.* ait Nihil magis mortiferum ingeniis eſt, quam luxuria. Quantum enim ingenia hominum corrumpantur laſcivia, & torpore, ibidem plangendo declarat, dicens: Torpent ingenia deſidioſæ juventutis, nec unius honeſtæ rei labore vigilatur. Somnus languorque ac ſomno, & labore torpor, malarum rerum induſtria invaſit animos, cantandi ſaltandiq; obſcæna ſtudia effœminatos tenent; capillum frangere, & ad muliebres blanditias extenuare vocem; mollitie corporis certare cum fœminis, & immunditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Cavete proindè juvenes has laſcivas voluptates, quia ſcriptum eſt: Quantum ſe magnificavit, quantumque habuit de deliciis, tantum date ei de tormentis Et rurſum, qui mala in tempore fecerunt, mala in æternum, id eſt, ſine fine patientur.

CAPITULUM NONUM
LECTIO CXVIII.

TEXTUS.

Deus Patrum noſtrorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientiâ tuâ conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ tuæ, quæ à te facta

facta eſt, ut diſponat orbem terrarum in aequitate, & juſtitia, & in directione cordis judicium judicet.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Salomon declaravit, quod ſponſam ſuam ſapientiam, quæ in vero Dei cultu conſiſtit, non poſſit habere, niſi humiliter petendo eam à Domino Deo, ideo formam ſupplicationis ſuæ proponit in hoc capitulo. Incipit autem à captivatione divinæ benevolentiæ, & deinde proponit ſuam petitionem, ut poſtea explicabitur. In textu itaque allegato ad captivandam benevolentiam divinæ Majeſtatis, Salomon extollit divinam Majeſtatem in tribus, nimirum in ſua clementia, potentia, & ſapientia, ut patet ex littera.

Dicit proinde in textu allegato ſic: *Deus Patrum noſtrorum*, id eſt, Domine Deus, ex intuitu meritorum, quæ fecerunt patres mei, ex quibus deſcendi, nimirum Abraham, Iſaac, Jacob, & David; & *Domine miſericordiæ*, id eſt, qui liberaliter das miſericordiam; *qui feciſti omnia verbo tuo*, id eſt Filio tuo (*Ioan* 1. Omnia per ipſum facta ſunt) vel *verbo tuo*, id eſt, ita faciliter feciſti omnia ſicut homo loquitur verbum ſuum (in *Pſalm*. ipſe dixit & facta ſunt) *qui & ſapientia tua conſtituiſti hominem*; Quaſi dicat; licet omnia creaveris ſapienter, quia omnia in magna ſapientia feciſti, nihilominus in creatione hominis maximè elucet ſapientia tua; in quo imaginem tuam poſuiſti (*Gen*. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram) imo in quo homine etiam quodammodo totius mundi reperitur imago, unde & parvus mundus ſeu Microcoſmus vocatur; Iſtum autem hominem Dominus Deus creavit ob tria, videlicet ad dominandum per potentiam, ad ordinandum per ſapientiam, & ad judicandum per clementiam, ut ſic in iſtis tribus imago Dei, quæ eſt homo, correſpondeat ipſi Deo, tanquam ſuo exemplari, qui per potentiam, ſapientiam & clementiam cuncta gubernat.

Dicit ergo: *Sapientiâ tuâ conſtituiſti hominem ut dominaretur creaturæ tuæ, quæ à te facta eſt* (*Eccleſ*. 17.) Poſuit timorem illius, id eſt, hominis, ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium. Et *Gen*. 1. Creſcite & multiplicamini, & replete terram & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram. Secundò conſtituit Deus hominem ad ordinandum per ſapientiam, quia ſapientis eſt ordinare; & ideo ſubditur in textu: *Vt diſponat orbem terrarum, in aequitate, & juſtitia. Orbem terrarum*, id eſt homines, qui orbem terræ inhabitant. In *Pſalm*: Domini eſt terra, & plenitudo eius. Itaque non ſolum collatum eſt naturæ humanæ, ut dominetur ſuper creaturas reliquas per potentiam, ſed etiam ut diſponat humanam civilitatem ſecundum rectam rationem, juſtis legibus & ſtatutis. Tertiò conſtituit Deus hominem ad judicandum per clementiam; Clementia enim debet eſſe in judice, ut odiat culpam, & ut diligat perſonam. Et quantum ad hoc dicit: *Conſtituiſti hominem in directione cordis, ut judicium judicet*, id eſt, faciat judicium. *In directione*, inquit, *cordis*, non per calumnias, vel cavillationes aut cauteloſas circumventiones. Per oppoſitum autem dicitur *Prov*. 28 Dux indigens prudentia, multos opprimit per calumniam. Circa illa verba, *Domine miſericordiæ*, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An in Chriſto Domino ſit magnitudo miſericordiæ ex naturali proprietate, generali poteſtate, & experimentali hominum neceſſitate?

DIco quod ſic:

Explicatur prima pars, quod in Chriſto Domino ſit magnitudo miſericordiæ ex naturali proprietate. Nam ſicut igni proprium eſt calefacere, & Soli lucere, & illuminare, ita Chriſto naturale eſt & proprium miſereri. Unde canit Eccleſia: Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Et ideò dicunt Sancti, quod Deus quaſi invitus puniat & coactè, & tardè: & ſicut homo illud tardè facit, quod invitus facit, ita Chriſtus tardus eſt in puniendo, & velox in miſerendo. Et ſicut ignis tardè deſcendit & cum violentia, naturaliter autem, & citò aſcendit, ita Chriſtus velociſſimè miſeretur, & tardè & cum magna exſpectatione punit. Et ideo dicitur *in Pſalm*. quod Deus ſit longanimis & miſericors. Undè ſicut nulla res poteſt perdere ſuam propriam operationem totaliter, quamdiu manet, licet valeat ſua operatio impediri, vel retardari ad tempus: ita etiam nullo modo poteſt miſericordiam, quæ eſt propria ſua operatio, perdere; nec ullo modo obliviſcetur miſereri. Deus nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Imò cum iratus fuerit miſericordiæ recordabitur *Abac* 3. De hac mixtura miſericordiæ, & iræ Dei, *S. Gregor ſuper Ezech. hom*. 1. pulchrè diſcurrit quomodo Deus quando iraſcitur, non omninò iraſcatur, ſed ineffabili modo, dum ille culpas perſequitur, adhuc tamen protegat peccatores. Ad quod explicandum adducit *S. Gregor*. duas hiſtorias. Una eſt de captivitate 10. tribuum, quam captivitatem licèt Deus ordinaverit, ad correctionem populi ſui, ſimul tamen etiam eidem ſuo populo corrigendo providit de Sanctis & Prophetis, qui eos in captivitate conſolarentur. Unde dicit ſic *S. Gregor*. Niſi Deus iratus eſſet, populum in captivitate minimè tradidiſſet; & ſi omnino iratus eſſet, non emitteret electos ſuos cum illo populo in captivitatem.

Aliam hiſtoriam adducit idem *S. Greg*. de populo Iſrael, quando miſſis 12 exploratoribus, & eis redeuntibus, populum ad murmurandum contra Dominum provocaverunt in tantum, ut di-

ut dicerent ſe fuiſſe ſeductos. Dominus ergo iratus dixit, quod nullus eorum intraret terram promiſſionis. Quo audito ſtatim lachrymando ſuerunt compuncti & armis accincti paraverunt ſe contra populum præliari, ut poſt lachrymas terram promiſſionis acquirerent. Quibus Moyſes in perſona Domini dixit: Nolite aſcendere, neque pugnetis, non enim ſum vobiſcum, ne cadatis coram inimicis veſtris. Qua in re dicit *S. Greg.* penſandum eſt, ſi cum ipſis non erat, cur ergo dixit ad eos ne aſcenderent? Si autem cum ipſis erat, quid eſt, quod ait, non enim ſum vobiſcum? Et reſpondet *S. Greg.* Mira inquit diſpoſitione diſciplinæ, & miſericordiæ geſtum eſt, ut cum ipſis fuerit, & cum ipſis non fuerit: nam cum ipſis non erat, ut vincerent, ſed cum ipſis erat, ne ab hoſtibus perirent. O ineffabilia viſcera pietatis! culpas inſequitur, & tamen peccantes protegit; & iratum ſe indicat, & tamen ab hoſtibus defendit eoſdem. Sic plerumque parvulo filio delinquenti iraſcitur mater, reprehendit, increpat & verberat, ſi autem videat cadendo filium eſſe in mortis periculo ut pereat, mox extendit manum, eumque capit, & à caſu retinet. Unde mater filium irata ſic verberat, ac ſi non diligeret, & ſic diligendo filium eundem à caſu retinet, ac ſi irata non verberaſſet. *Hæc S. Gregor.* Si autem quæras, quis compellat Deum punire, & cur Deus præſtando miſericordiam, hominem non totaliter liberet à pœna propter noxam? reſpondit *S. Chryſ.* Tu inquit, peccator, qui miſericordiam non deſideras. Sicut enim qui deſideranti miſericordiam, eam denegat, crudelis eſt: ita qui non deſideranti miſericordiam, illam præſtat, injuſtus eſt. *Ita S. Chryſ.* Et ſi quæras, quis eſt homo, qui non deſiderat miſericordiam, reſpondet idem *S. Chryſ.* Tu qui permanes in peccatis. Deſiderare namque miſericordiam Dei, eſt converti ad Deum; Ille ergo deſiderat miſericordiam Dei, qui timet iram Dei: qui autem iram non timet, non deſiderat miſericordiam, ſed contemnit.

Explicatur ſecunda pars, quod Deus ſit miſericors ex generali poteſtate. Quantò enim homo, vel beſtia, naturaliter eſt potentia major, tantò eſt ad clementiam promptior. Sicut patet de Leone, qui cum ſit animalium fortiſſimus, eſt tamen in proſtratos miſericordiſſimus. Homini enim vel animali ante ſe proſtrato naturaliter miſeretur, & parcit, juxta illud

Parcere proſtratis ſcit nobilis ira leonis.

Si etiam catulus mordeat leonem, leo ſe non vindicat de catulo: Sed ſi catulus mordeat catulum, ſtatim remordetur ab eo, & lacerant ſeſe invicem ad mutuam ultionem. Similiter mulieres quia ſunt naturaliter debiles, crudeliſſimè ſe vindicant, quando poſſunt. Dominus autem eſt infinitus in potentia, quia eſt omnipotens, & ideò omnium miſeretur. Et hæc cauſa miſericordiæ divinæ aſſignatur infra *Cap. 11.* ubi dicitur. Miſereris omnium, quia omnia potes. Et ideo canit Eccleſia; Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerendo manifeſtas, multiplica miſericordiam tuam.

Explicatur tertia pars, quod Deus ſit miſericors, propter experimentalem hominum neceſſitatem. Gravitatem alicujus infirmitatis poteſt ſcire medicus tripliciter; nimirum primò per ſpeculationem in libro, ſecundò per examinationem in ſigno. & tertiò per experientiam in corpore proprio. Ille ergò medicus, qui morbum infirmi conſiderat ſpeculativè, etiam probabiliter ei compatitur: magis autem ille, qui ſigna, accidentia, & circumſtantias infirmitatis practicando examinat Iſte tamen maximè infirmo compatitur, qui morbum conſimilem in corpore ſuo portavit, aut expertus fuit. Applicatio. Chriſtus ante Incarnationem infirmitates noſtras agnovit ſpeculativè in libro ſapientiæ æternæ: & ideo fuit miſericors. *In Pſalmo*: Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum. Poſt Incarnationem autem cognovit Chriſtus infirmitates noſtras in ſua quotidiana nobiſcum converſatione, quando factus eſt medicus practicans ſanando infirmos ubique, & tunc habuit majorem compaſſionem, & miſericordiam nobiſcum. Tandem quando tentatus eſt, eſurivit, ſitivit, flagellatus eſt, occiſus eſt, tunc inquam Chriſtus didicit infirmitates noſtras per experientiam, & ideò tunc maximè miſericors fuit effectus. Certum eſt, quod illa res diceretur magna ſecundum longitudinem, cujus una extremitas cœlum attingeret, & altera deſcenderet uſq; in infernum. Similiter ſi latitudo ejus tanta foret, ut totam terram impleret, atque in æternum duraret, talis utique res diceretur magna. Talis eſt miſericordia Dei, qui à cœlis incipiens filium non ſolùm miſit in mundum, ſed etiam uſque in infernum, ut inde tolleret animas Patrum antiquorum. *In Pſalm.* Miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Secundò etiam miſericordia Dei totam terram implet: quia omnem hominem, cujuscunque fuerit nationis, ſi ad eum voluerit converti, recipit. *In Pſalm.* Miſericordia Domini plena eſt terra. Tertiò hæc miſericordia ſemper durat, ſemperque fuit: Miſericordia Domini ab æterno uſque in æternum ſuper timentes eum. Et ideo Apoſtolus vocat miſericordiam Dei charitatem nimiam *ad Epheſ. 2.* Deus inquit, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccato, convivificavit nos in Chriſto, cui ſit honor & gloria in æternum, Amen.

LECTIO CXIX.

TEXTUS.

Da mihi ſedium tuarum Domine aſſiſtricem ſapientiam & noli me reprobare à pueris tuis; quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo

infir.

infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum. Et ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon deprecaturus Dominum Deum pro ſapientia impetranda, captavit benevolentiam divinam; & nunc proponit devotæ ſuæ petitionis ſententiam; in qua petit duo: Primò divinam informationem, ac ſufficientiam notitiæ pertinentem ad intellectum: Secundò divinam approbationem pertinentem ad voluntatem, & affectum, utque habeat complacentiam bonæ vitæ. Dicit ergo ſic: *Da mihi*, quia nec poſſum emere, vel violenter auferre. *Proverb.* 17. Quid prodeſt divitias habere ſtulto, cum Sapientiam emere non poſſit. *Da igitur mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam*, id eſt, ſapientiam ſanctorum Angelorum, in quibus ſedes, juxta illud *Pſal.* Qui ſedes ſuper Cherubin; *aſſiſtricem ſapientiam*, id eſt, ſapientiam, quæ tuæ Majeſtati ſemper aſſiſtit. Non ergo petivit Salomon ſapientiam hujus mundi, quæ ſedibus Principum, & Magnatum aſſiſtit, quia illa ſtultitia eſt apud Deum, juxta illud 1. *Cor.* 3. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non hujus ſæculi, ſed loquimur Dei ſapientiam in miſterio abſconditâ quam prædeſtinavit Deus. Itaque Salomon non quæſivit ſapientiam hujus ſæculi, ſed ſapientiam quæ aſſiſtit ſedibus Dei, ut explicatum eſt. Vel etiam ſedes Dei dici poſſunt animæ devotæ, in quibus Chriſtus quieſcit; juxta illud *Sapient.* 7. In animas ſanctas ſe transfert. *Et noli me reprobare à pueris tuis*, hoc eſt dignare me inter pueros tuos acceptare. Et noli permittere, ut propter aliqua demerita ſim à pueris, id eſt, electis tuis, vel à conſortio electorum tuorum, humilium, & parvulorum in oculis tuis propriis ſeparandus *Luc.* 18. Sinite parvulos venire ad me, quoniam talium eſt regnum cœlorum. Hæc eſt ergo forma ſupplicationis.

In ſequentibus verbis adducit Salomon cauſas, cur Deus debeat ipſum exaudire. Dicit ergo, *Quoniam ego ſervus tuus ſum*, id eſt per fidem, & devotionem. Servos autem ſuos fideles Domini ordinariè ſolent exaudire *Joelis* 2. Super ſervos meos, & ancillas meas in diebus illis effundam ſpiritum meum. *Et quidem ſum ſervus tuus*, non conductitius, vel emptitius, ſed ab origine mea, & ab uberibus matris meæ, ad hoc educatus: quia filius ancillæ tuæ, id eſt Berſabeæ, quæ fuerat mater Salomonis. Et hæc Domine Deus ſpecialis familiaritas (vult dicere Salomon) eſt primum motivum, quare ſim dignus exaudiri à te.

Secundum autem motivum, quod magis provocat ad compaſſionem & ad dandum mihi per modum beneficii, & miſericordiæ, id quod peto, eſt mea naturalis imbecillitas, propter quam ſum impotens ad faciendum quod debeo.

Adducit autem Salomon duplicem imbecillitatem, unam ſe tenentem ex parte corporis, & alteram ſe tenentem ex parte animæ. Et quidem ad explicandum imbecillitatem corporis dicit ſic: *quia homo*, (cujus origo ſumitur ab humo) *infirmus ſum*, id eſt, fragilis, & pluribus moleſtiis, & infirmitatibus ſubjectus. *Et exigui temporis*, ſciens, quod breves ſint dies vitæ quæ ſicut umbra prætereunt.

Poſt imbecillitatem corporis adfert etiam Salomon imbecillitatem animæ ſuæ ratione ignorantiæ. unde dicit ſic: *Et minor* (ſupple ſum;) *ad intellectum judicii & legum*, quæ aliquis Rex & judex tenetur ſcire. *Levit.* 18. Cuſtodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis.

Ultimò allegat Salomon impotentiam ſuam, ex defectu gratiæ, quia quantumcunque homo ſit perfectus in ſcientiis, quas poteſt acquirere per naturam, ſine tamen gratia non poteſt facere ullum opus meritorium vitæ æternæ. Et ideo dicit Salomon. *Etenim ſi inter filios hominum aliquis fuerit conſummatus*, id eſt perfectus quantum homo poteſt per naturam: *ſi tamen ab illo fugerit ſapientia tua*. id eſt notitia veræ fidei, tendentis in te per dilectionem, *in nihilum computabitur*, id eſt, peribit. Circa illa verba, *Noli me reprobari à pueris tuis*, attendendi ſunt duo verſus, qui exprimunt ſeptem qualitates puerorum.

Sunt pueri puri, parvi, parviſque cibantur
Currunt, lætantur, citò dant, citò pacantur.

Occaſione horum verſuum, & textus allegati, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An ſancti, & devoti homines rectè comparentur pueris ratione parvitatis, puritatis, ſobrietatis, conformitatis, jucunditatis, liberalitatis, & tranquillitatis?

DIco quòd ſic. Nam Sancti ſunt parvi contra tumorem ſuperbiæ; puri contra fœtorem luxuriæ; ſobrii contra fervorem gulæ; conformes contra livorem invidiæ; jucundi contra torporem acediæ; liberales contra rigorem avaritiæ; & tranquilli contra fervorem iracundiæ.

Explicatur prima pars, quod Sancti ſint parvi per humilitatem contra tumorem ſuperbiæ. Cum enim porta cœleſtis ſit parva & anguſta, oportet ibi volentes intrare parvos fieri. Unde dicitur *Matth.* 18 Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Et *Luc.* 18. Quicunque non acceperit regnum Dei, ſicut puer, non intrabit in illud.

Notum eſt, quod pretioſa jocalia ſolent cooperiri chryſtallo; tum ut tem à pulvere homines cuſtodiant; tum ut viſui per cryſtallum res purior & major appareat. Iſto modo moraliter loquendo. qui vult virtutes ſuas cuſtodire à pulvere vanæ gloriæ, debet eas cooperire cryſtallo: & tunc virtutes non ſolùm puræ, ſed etiam majores eſſe videbuntur, ſi conjungantur

cryſtallo

Digitized by Google

cryſtallo humilitatis. Hoc optimè novit beatiſſima Virgo Maria, quæ licet omnibus virtutibus fuerit ornata, ſimpliciter tamen amavit humilitatem, quam poſtea reſpexit Deus juxta illud *Cantici Mariani Luc.* 1. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Audiendus hic eſt *S. Bern. de 12. gradibus humilitatis* loquens, ubi ait: Glorioſa res eſt humilitas, qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit. Unde de Rege Saule legitur 1. *Reg.* 15. Cum eſſes parvus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es. Idem autem Saul propter humilitatem fuit electus in regem, & propter ſuperbiam dejectus.

Explicatur ſecunda pars, quod Sancti habeant puritatem contra fœtorem luxuriæ. Notum eſt, quod quantò Dominus eſt major, tantò etiam majorem honeſtatem & veſtem magis ornatam requirit in ſervo ſibi ſervientes. Deus autem eſt maximus Dominus, & ideò vult miniſtros ſuos eſſe valde mundos, & honeſtos. In cujus rei figuram legimus, 1. *Reg.* 21. quod cum David veniſſet cum ſociis ad Abimelech Sacerdotem, & fames eos valde urgeret, peteretque David ab Abimelech panem, pro ſe & ſuis in tanta neceſſitate poſitis. Reſpondit Abimelech, ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus, manducent. Quaſi diceret, ſi immundi eſſent, nullo modo darem eis panem

Fœtet autem luxuria non tantum in conſpectu Dei & bonorum Angelorum, ſed etiam in conſpectu quorundam dæmonum, qui ſunt nobilis naturæ. Unde quidem Nigromanticus, cum dæmonem more ſolito invocaſſet, poſt longam exſpectationem, & carminum ſuorum recitationem, tandem apparuit ſtans à longe, veſtibus tegens nares ſuas: à quo cum conjurator quæreret, cur tam tardè veniſſet, & cur ita ſtet à longe: reſpondit dæmon; Fœtor luxuriæ tuæ non permittit me propiùs ad te accedere. Cognoverat enim meretricem ſuam Nigromanticus ille parum antecedenter. Et de talibus verificatur illud *Iſai.* 34. De cadaveribus eorum aſcendit fœtor.

Explicatur tertia pars, quod Sancti habere debeant ſobrietatem pueri contra fervorem gulæ; Nam puer, quando indiget, comedit, & bibit, & menſuram naturalem non excedit. Sic ſancti viri in hoc pueros imitantes, quantum naturæ ſufficit capiunt, & ita tam ſanitatem, quam ſumptus ſalvabunt. In cujus rei figuram legimus *Danielis* 1. Quod Daniel & ſocii ſui pueri, qui nolebant comedere de cibis regis Nabuchdonoſor, nec bibere de vino ejus, ſed comederunt legumina & biberunt aquam; honeſtiores fuerint cæteris pueris Chaldæorum. Unde dicitur loco citato: Poſt 10. dies inventi ſunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio. Imò pueris illis Deus dedit ſcientiam & diſciplinam in omni ſcientia.

Porrò meritò comparatur ſobrietas Amethiſto, de quo ſcribitur in *Lapidario c.* 16. quod hic facile ſculpi poſſit, ſit autem contrarius ebrietati, eſſetque iſte lapis carus, ſi rarius inveniretur. Dicitur quoque de iſto lapide quod præſervet equum geſtantis à ceſpitatione, & infirmitate. Iſto modo moraliter loquendo, ſobrietas eſt facilis eſt ad ſculpendum, quia ſobrii faciliſſime docentur, & caſtigantur. Similiter anima viri ſancti eſt ſicut eques, caro verò eſt ſicut equus, *Iſai.* 3. Equi eorum caro. Porrò anima iſtum equum debet regere, & refrænare, & interdum urgere calcaribus. Si verò eques, id eſt, anima iſtam gemmam ſobrietatis portaverit, tunc equus, id eſt caro, non perdet ſenſum, nec ceſpitabit in via morum, nec cadet ſuper peccatum, imò corporalem infirmitatem evadet. Huc in favorem ſobriorum facit illud, quod *Seneca* 10. *declamatione* dicit; quod ideo tam ſubitò moriamur, quia de diverſis animalibus mortuis vivimus. Quidquid avium volat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus. De hac materia loquens *Innocentius de vilitate conditionis humanæ*, ſic diſcurrit: Initium, inquit, vitæ hominis, panis & aqua. Guloſis autem non ſufficiunt fructus arborum; non grana leguminum; non radices herbarum; non piſces maris; non beſtiæ terræ; non aves cœli; ſed quæruntur pigmenta, parantur aromata, capiuntur obeſa, quæ ſtudioſiſſimè coquuntur, & lautè parantur officio miniſtrorum; nam alius contundit, & colit, & alius confundit & conficit; ſubſtantiam vertit in accidens, naturam mutat in artem; ut ſaturitas tranſeat in eſuriem; revocetque appetitum ad irritandam gulam; non ad ſuſtentandam naturam: non ad neceſſitatem ſupplendam, ſed ad cupiditatem explendam. Hæc ille

Explicatur quarta pars. Quod Sancti habeant puerorum conformitatem contra livorem invidiæ. Conſtat, quod ſi puer videat nutricem flere ſtatim etiam fleat, & ſi videat eam ridere, mox arridet. Hoc modo vult Deus quod ſancti in vita præſenti compatiantur tribulatis, & cum proficientibus gaudeant; juxta doctrinam *Apoſtoli ad Rom* 12. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, ut ſint omnibus conformes & conjuncti per charitatem. Iſti figurantur per pueros clamantes in templo, Oſanna Chriſto Domino *Matth.* 21. Soli pueri carentes invidia digni ſunt Deum laudare.

Explicatur quinta pars. Quod Sancti habeant puerorum jucunditatē, contra torporem acediæ. Jucunditas puerorū facit eos ita mobiles, ut currant & diſcurrant, ludant & nunquam ſint otioſi. Sic Sancti in præſenti, debent eſſe laborioſi, ſolliciti, & ſemper in aliquo utili occupati, juxta illud: Sic fac quod nulla ſine fructu tranſeat hora. Itaque Sancti debent eſſe laborioſi, nunc prædicando, nunc infirmos, non ſolum corpore, ſed etiam debiles in fide informando, ungentes oleo lætitiæ fidei ſalutaris. Horum figuram habuit *Samuel, de quo* 1. *Reg.* 1. & 2. dicitur: Puer Samuel ſerviebat Domino ſtatim ac fuerat ablactatus.

Explicatur ſexta pars, Quod Sancti habeant liberalitatem puerorum contra rigorem avaritiæ. Puer libenter dat quæcunque habet. Iſto modo viri ſancti debent eſſe liberales per Eleemoſynarum largitionem. Hos porrò figurabat puer habens quinque panes hordeaceos, & duos piſces, de quibus Chriſtus ſaturavit quinque millia hominum *Joan.* 6. Et Tobias qui cum eſſet junior omnibus de tribu ſua in captivitate nihil tamen puerile geſſit in opere, ſed

omnia, quæ habere poterat, concaptivis fratribus, qui erant ex ſuo genere, largitus eſt. *Tobiæ* 1.

Explicatur ſeptima pars: Quod Sancti habeant puerorum tranquillitatem contra furorem iracundiæ. Puer enim non lædit, etſi ipſe offendatur vel lædatur, ſtatim dimittit: Undè pro uno pomo reconciliatur, licet fuerit valdè offenſus. Iſto modo Sancti reconciliantur facile eis, à quibus ſunt offenſi.

Ariſtoteles 9. Ethic. l. 13. diſtinguit tres ſpecies iracundorum; nam quidam ſunt acuti, quidam amari, & quidam difficiles. Acuti dicuntur, qui velociter iraſcuntur, & velociter quieſcunt; & iſtud eſt optimum quod habent, quod non retineant iram in corde celando, ſed ſtatim iram ſuam aliquo ſigno manifeſtant propter velocitatem motus iræ. Et ad hanc ſpeciem iræ maximè diſpoſiti ſunt colerici propter ſubtilitatem coleræ.

Iracundi amari dicuntur, quorum ira diu perſeverat, & eam nunquam oſtendunt, ſed occultant: & ideò ſunt amariſſimi in ſeipſis, & etiam ad alios, & indigent multo tempore ad hoc ut iram ſuam digerant. Et ad hanc iram ſunt maximè diſpoſiti melancholici propter groſſitiem humoris melancholici.

Iracundi difficiles ſunt, qui nunquam ceſſant ab ira concepta donec ſe vindicaverint.

Iſtas tres ſpecies iracundiæ debet vincere homo ſanctus per manſuetudinem, & moderantiam rationis; ita ut iram acutam vincat per modeſtiam, iram amaram ſuperet per patientiam, & tandem iram difficilem à ſe propulſet per pietatem. Et tali modo ſanctus efficietur puer moraliter Deo gratus, juxta illud *Oſee*: Puer Iſrael, & elegi eum.

LECTIO CXX.

TEXTUS.

Tu autem elegiſti me Regem populo tuo, & Judicem filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio; & tecum ſapientia tua, quæ novit opera tua, & quæ adfuit tunc, cum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid placitum eſſet oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.

EXPLICATIO TEXTUS.

Hic Salomon pro ſibi danda ſapientia, adducit ipſammet bonitatem divinam, ad quam recurrit Salomon ex iſta ratione. Nam decet bonitatem divinam perfectè illa conſummare, quæ propoſuit & incepit; ſed tu Domine Deus propoſuiſti per electionem mei, quod forem rex, & judex populi, & ædificator templi, quæ ſine ſapientia conſummari non poſſunt. Ergo decet te Deum mihi dare ſapientiam, per quam iſta, quæ tu propoſuiſti fieri, valeant conſummare.

Dicit ergo ſic: *Tu elegiſti me Regem* quaſi dicat; Nec ingeſſi me per præſumptionem, nec intruſi me per violentam occupationem, ſed tu me elegiſti, non ſuper unam civitatem vel inſulam, ſed ut Rex ſim populo tuo. Unde 2. Paralip. 1. ubi ponitur hiſtoria de ſupplicatione Salomonis, dicitur: Quis poteſt hunc populum tuum, qui tam grandis eſt, dignè judicare? Non ſolum elegiſti Regem populo tuo, ſed voluiſti me eſſe judicem immediatum filiorum tuorum, & filiarum tuarum, id eſt, tam majorum, quam minorum. Subjungit Salomon, non ſolum me elegiſti Regem & Judicem, ſed etiam in artificem, & ædificatorem: *Unde dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo 2. Reg.* 7. Dixit Dominus ad David: Suſcitabo ſemen tuum poſt te, & ipſe ædificabit templum nomini meo; Et 1. *Par.* 28. Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & altaria mea, ipſum enim elegi mihi in filium meum, & ego ero ei in patrem.

Templum in monte ſancto tuo. Iſte mons, ſicut dicunt Hæbræi, fuit ille mons, in quo Abraham voluit immolare filium ſuum Iſaac *Gen.* 22. Et ibi erexit altare, & in eodem loco fuit poſtea altare templi, de quo hic ſubditur; *Et in civitate habitationis tuæ altare.* Hæc civitas fuit Jeruſalem, de qua in *Pſalm* dicitur, Jeruſalem quæ ædificatur ut civitas.

Altare habens ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui ab initio; id eſt, tale Altare juſſiſti me facere, quale fuit altare tabernaculi Moyſis, *ab initio*, id eſt, ab antiquo.

Hæc tu Deus Pater ordinaſti de me. Et *tecum ſapientia tua*, id eſt, filius tuus; qui filius, ſeu ſapientia, novit opera tuæ creationis, recreationis, & glorificationis. De quibus *Habac.* 3. Conſideravi opera tua, & expavi. *Quæ quidem ſapientia adfuit tunc, cum orbem terræ faceres*, creando ex nihilo.

Et ſciebat, nimirum iſta ſapientia, *quid placitum eſſet in oculis tuis*, puta circa genus humanum: *& quod directum in præceptis tuis*; in quibus præceptis voluiſti hominem dirigere in teipſum tanquam in ſuum finem. Circa illa verba, *Elegiſti me Regem populo tuo, ut ſim judex filiorum tuorum & filiarum tuarum.* Sit

ARTICULUS PRIMUS.

An electores Prælatorum teneantur eligere meliorem?

Notandum ante reſolutionem, quod dupliciter aliquis ſit, poſſitque dici melior: Primò poteſt aliquis dici melior abſolutè, & ſimpliciter, & eſt ille, qui habet majorem charitatem: Charitas enim eſt illa quæ facit hominem ſimpliciter & abſolute bonum, & major charitas facit & hominem ſimpliciter & abſolute meliorem altero, qui tantam charitatem non habet. Secundò poteſt aliquis dici melior reſpectivè, in ordine ad talem ſtatum prælaturæ. His præmiſſis.

Dico quod electores non teneantur eligere illum qui eſt melior abſolutè & ſimpliciter per charitatem, ſed illum, qui eſt melior in ordine ad talem ſtatum prælaturæ.

Probatur prima pars, quia licet habens majorem charitatem ſit melior ſimpliciter, & abſolutè in ſe, in ordine tamen ad prælationem fortè deficient ipſi alia neceſſaria, ut ſunt ſcientia, bona ſanitas, experientia bonæ œconomiæ: ergò talem electores non tenentur eligere.

Probatur ſecunda pars, quia electores tenentur in conſcientia attendere ad bonum commune promovendum; ſed hoc ſit in eo, qui licèt non habeat tantam charitatem & gratiam ſicut alter, habet tamen charitatem & gratiam ſufficientem, & inſuper majorem ſcientiam & experientiam in œconomicis; item majorem ſanitatem, & majorem reſpectum apud alios, quæ omnia faciunt talem meliorem reſpectivè, ſeu in ordine ad prælationem; Ergo electores tanquam partes communitatis, tenentur pro bono communitatis promovendo talem eligere. Et juxta hoc intelligitur illud *4. Reg.* 10. Eligite meliorem de filiis domini noſtri, & ponite ſuper ſolium patris veſtri.

Cum his tamen ſtat, quod ſi is, qui habet majorem charitatem & gratiam in ſe, ſimul etiam cum reſpectu ad prælationem habeat meliores qualitates, tales omnino eligendus ſit.

Quando autem Decretalis dicit, quod ſufficiat eligere bonum, nec ſit neceſſe eligere meliorem, tunc inquam illa Decretalis non informat ſcientiam electorum, ſed judicium publicum, in hoc quod ad evitandas lites ſufficiat, quod confirmator confirmet illum, quem judicat eſſe bonum, pro eo munere, pro quo fuit electus. De hac re plura dicta ſunt in ſuperioribus; unde ad illa lector debet recurrere, ne idem bis repetatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Princeps, vel Prælatus, attendere debeat, quod non ſit immiſſus per intruſionem, non remiſſus per diſſimulationem, non neglector culparum, & ut non ſit acceptor perſonarum?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Prælatus vel Princeps attendere debeat, quod non ſit immiſſus per intruſionem, ſed verè poſſit dicere alteri, vel aliis: Tu me eligiſti, vel, vos me eligiſtis.

Forma autem eligendorum ad prælaturam eſt ipſe Chriſtus in tribus; nimirum in ſua conceptione, in ſua nativitate, & in ſua converſatione. Fuit enim Chriſtus conceptus per cooperationem Spiritus ſancti, natus ſine matris corruptione, & converſatus in mundo ſine ambitione, & peccati operatione. Quando verò populus eum elegit in Regem, fugit, & noluit venire, nec fieri rex, *Joann. 6.* Hoc modo etiam is, qui debet intrare ad ſtatum prælaturæ, debet concipi in mentibus electorum per Spiritus ſancti inſpirationem, non autem per diſſolutorum conſpirationem. Item debet naſci de matre, quæ eſt congregatio ſive capitulum; cui debet præeſſe ſine corruptione, ita ut electio non ſit corrupta prece vel pretio, vel minis potentum. Debet ergo ſic electus ducere ſuum ſtatum ſine ambitione, ut velit, ſi poſſit, ex corde fugere, & devotus obedire, ut Deus tali poſſit dicere illud *Iſai. 44.* Noli timere ſerve meus Jacob, & rectiſſimè quem elegi.

Sed certè moderno tempore aliqui eliguntur propter partiales affectus; quidam propter amplas mundi poſſeſſiones; & nonnulli propter curiales interpoſitiones. Et hoc fit ideo; quia electores moderni temporis ſæpe conſiderant non quis melior vitâ, clarior ſcientiâ & famâ celebrior ſit: Sed perpendunt ſolum, quis velit eſſe in beneficiis, & ſubventionibus utilior, ſeu quis velit minus vitam ſuam emendare, aut quis velit crimina magis diſſimulare. Conſiderant alii, quis ſit futurus in rebus locupletior, in verbis pinguior, in expenſis profuſior, in conviviis lautior, atque in otioſa familia multiplicior. Alii mentem perluſtrant, quis ſit Regi, & Magnatibus gratior & acceptior; quis parentum generoſitate nobilior; vel quis mundanæ vanitati habeatur habilior: Sed certè iſti omnes non eligunt ex inſtinctu, & cooperatione Spiritus ſancti; ſed potius per ſpiritum nequam: contra quos omnes adduci poteſt illud 4. *Reg.* 10. Eligite meliorem, & eum qui vobis placeat de filiis domini veſtri, & ponite eum ſuper ſolium patris veſtri. Ubi

Notandum eſt, quod in hoc textu ſignanter præmittat *Eligite meliorem*, & poſtea primum ſubjungat, *& eum* qui vobis placuerit de filiis domini veſtri; in ſignum quod bonitas gratiarum, & non acceptio perſonarum debeat eſſe cauſa, quare quis placeat.

Explicatur ſecunda pars, quod Rex vel Prælatus debeat conſiderare ut non ſit remiſſus per diſſimulationem, dum electus eſt in Regem, Principem vel Prælatum. Rex enim à regendo dicitur; & eſt nomen tam honoris, quam oneris: tenetur enim aliis præbere exemplum bonitatis moralis, ut poſſit dicere cum Gedeone *Jud. 6* Quod me videritis facere, hoc facite. Plus enim movent egregia facta Principis, quam imperia; & juxta hoc bene legitur de Julio Cæſare, quod nunquam dixerit militibus ſuis: Ite, ſed Venite: ſubintellige, unà mecum. Conformiter ad hoc dicitur 1. *Reg.* 12. Conſtitui vobis Regem, & Rex graditur ante vos. Narrat *Sextus Julius lib. 9. ſtratagem. cap. 5.* de quodam duce, qui vocabatur Peſticorus, quod cum interrogatus eſſet à militibus, quid imperaret? Reſpondit, ut ſe imitarentur, & nihil aliud. Hæc reſponſio deberet eſſe cujuslibet Prælati, ut dicere poſſit cum Apoſtolo ad *Philip. 3.* Imitatores mei eſtote, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.

Explicatur tertia pars, quod Prælatus ſeu Princeps debeat conſiderare, ne ſit neglector culparum in inquirendo, diſcutiendo, & puniendo. Quia Prælatus, vel Princeps eſt electus in judicem juxta textum allatum Tu autem elegiſti me in judicem. *Ariſtoteles dicit 1. Ethic.* quod unusquiſque ſit bonus Judex eorum, quæ cognoſcit; & ideò ad bonum judicium dandum requiritur inquiſitio & cognitio, ne homo procedat ex incertis ſuſpicionibus ex una parte; & ex alia parte debet homo inquirere, ne mala

ſcu-

ſtapant, & augeantur per defectum corruptionis. Poſtquam autem crimina ſunt cognita, oportet ea, quantum fieri poteſt, corrigi per judicem; & ideo populus accedit ad judicem, ſicut ad juſtitiam animatam, ut in omnibus reddat, quod juſtum eſt: unde *Eccleſ.* 7. dicitur: Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.

Notandum hic ex *Hugone de S. Victore*, quod ſint tres ſpecies vel modi negligentium Prælatorum Quidam enim ſunt qui benè vivunt, & ſubditos male vivere permittunt; alii ſunt qui male vivunt, & ſubditos ſuos bene vivere cogunt; alii deniq; ſunt, qui male vivunt, & ſubditos ſuos male vivere permittunt. Primi generis Prælati, qui benè vivunt, & ſubditos ſuos male vivere permittunt, hi inquam exemplo quidem præcedunt, ſed delinquunt in increpando: licet enim bene in ſeipſis vivant, neceſſe tamen eſt, ut de grege ſibi commiſſo Domino gregis rationem reddant. Illi verò, qui male vivunt, & ſubditos ſuos benè vivere cogunt; errantes quidem revocant à mala via, ſed rectos & fortes occidunt: revocant inquam verbis, ſed occidunt exemplis. De tertia ſpecie non oportet facere mentionem. Hæc Hugo

Explicatur quarta pars, quod Prælatus vel Princeps debeat attendere ne ſit acceptor perſonarum. Unde rectè dicitur in textu allegato; *Electus ſum in regem & judicem, tam majorum ſcilicet, quàm minorum, & ſimplicium, quàm perfectorum & eruditorum.* Additur autem in textu ly *Filiorum tuorum Iudex*, id eſt, electus ſum, ut judicem populum tuum, non ſicut ſervos meos vel ruſticos, ſed ſicut filios gubernando, ut ſim eis loco tui pater, non tyrannus. Unde *S. Bernard. ſuper Cantica* ait: Diſcite ſubditorum matres eſſe vos debere, non dominos; ſtudete magis amari, quam metui. Et ſi interdum ſeveritate opus ſit, paterna ſit, non tyrannica: matres fovendo, & patres corrigendo vos exhibeatis. Suſpendite verbera, producite ubera, pectora lacte pingueſcant, non typo ſuperbiæ turgeſcant. Hæc S. Bernardus.

LECTIO CXXI.

TEXTVS.

Mitte eam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret; ut ſciam quid acceptum ſit coram te.

EXPLICATIO TEXTVS.

CONtinuando Salomon ſupplicationem ſuam pro impetranda ſapientia, dicit ſic: *Mitte illam*, id eſt, *ſapientiam*, quæ eſt fides infuſa operans per dilectionem *De cælis ſanctis tuis*, id eſt, de cœlo empyreo, quod inhabitare principaliter Dominus Deus dicitur, licet Deus ſit præſens in omnibus locis. *Et à ſede* magnitudinis tuæ. In his verbis loquitur Salomon modo humano, & figurativè: quia Deus eſt ſine quantitate magnus, & ſine qualitate bonus, & ſine ſitu præſidens, ut ait *S. Auguſtinus 5. de Trinitat. cap.* 4. Per ſedem magnitudinis nihil aliud intelligitur, quàm quies vel tranquillitas Dei omnipotentis, qui univerſa diſponit. *Sapient.* 12. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas.

Vt mecum ſit, puta in regendo, & *mecum laboret* in agendo & cognoſcendo. Unde ſubditur; *Vt ſciam, quod acceptum ſit coram te*, & me deinde huic bonæ cognitioni operando conformem.

Notandum hic quod ſi Adam in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet, tunc omnes ejus poſteri in operando nullum laborem ſenſiſſent; perfecta enim fuiſſet obedientia carnis ad ſpiritum. Unde ſicut cœlum movetur ſine ulla fatigatione, & labore, quia ſuo motori non reſiſtit; ità corpus ab anima tunc fuiſſet motum abſque labore. Poſt peccatum verò primi parentis, nec cogitare, nec loqui, nec agere aliquid poſſumus ſine corporis fatigatione, juxta *illud Pſalmi*: Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me. Et ideò licet, ſi peccatum non eſſet, fuiſſemus ſine labore, poſt illud tamen quaſi ſumus nati ad laborem Unde *Iob* 5. dicitur: Homo ad laborem naſcitur, & avis ad volandum. Quod adeò verum eſt, ut homo ſive ſit dives, ſive ſit pauper, ſentiat laborem; nam de divite dicitur *Eccleſ.* 31. Laborabit dives in congregatione ſubſtantiæ. De paupere autem ſtatim ibidem ſubditur: Laborabit pauper in diminutione victus. Et iſta pœnitentia laboris fuit toti humano generi poſt peccatum injuncta. *Geneſ.* 3. Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.

ARTICVLVS VNICVS.

An in vita præſenti laborare debeamus propter convenientiam permiſſi temporis: propter pœnitentiam commiſſi ſceleris: & propter vehementiam permiſſi muneris?

DIco quod ſic:

Explicatur prima pars, quod in præſenti vita laborare debeamus propter convenientiam permiſſi temporis Tempus enim in quo nunc vivimus, & æternitas futuræ vitæ ſic comparantur ad invicem, ſicut vigilia præcedens, & feſtum ſubſequens. In vigiliis enim ſolemnitatum, ſolent homines laborare ferventer & diu; undè in talibus vigiliis faciunt agricolæ altam noctem. In diebus verò feſtivis indulgere ſolent quieti, & ſolatio. Iſto modo moraliter loquendo, nunc eſt vigilia in qua jejuniis & laboribus nos dare oportet; juxta illud 1. *Petr.* 3. Sobrii eſtote, & vigilate. Et 2. *Cor.* 6. In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in laboribus, vigiliis, & jejuniis multis. Sed cras in vita futura erit feſtum & ſolemnitas ſempiterna. Et ideo tunc vacabimus gaudio, lætitia, & quiete; juxta illud *Apoc.* 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur, à modo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis. Unde *S. Hier. in quad. Epiſt.* ait. Nullus labor durus, nullum tempus videri

debet longum, quo gloria æternitatis acquiritur. Huc facit illud *Pſalmi*: Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.

Explicatur ſecunda pars, quod in hac vita debeamus laboribus virtuoſis inſiſtere propter pœnitentiam commiſſi ſceleris. Si ruſtico pro labore unius diei Dominus remitteret perpetuam ſervitutem; utique ſtrenuè illo die deberet ruſticus laborare; & fatuus eſſet, ſi non bene laboraret. Applicatio. Omnis peccator ratione peccati ſubjicitur perpetuæ ſervituti; unde *Joan.* 8. dicitur: Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Et propter hoc peccatum deberet laborare in perpetuis flammis, niſi in hac vita tanquàm in vigilia ſtrenuè laboret, agendo pœnitentiam de peccato commiſſo, exemplo Davidis, qui ait: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. *Ariſtoteles part.* 13. *problematum, probl.* 23. dicit, quod lachrymæ emiſſæ ex amore, & condolentia verà, ſint calidæ: lachrymæ autem decurrentes ex oculo infirmo ſint frigidæ. Sic etiam moraliter loquendo; lachrymæ ex vero amore erga Deum à ſe per peccatum offenſum, in peccatore ortæ, ſunt verè calidæ, abluentes peccatum; quales fuerunt lachrymæ S. Petri, *Matth.* 21. & S. Mariæ Magdalenæ *Luc.* 7. Unde etiam ambo veniam peccatorum ſuorum merebantur. At verò pœnitentes tantum ex timore gehennæ, vel ex deſperatione, fundunt lachrymas frigidas. Sic pœnituit frigidè Antiochus, de quo legitur 2. *Machab* 9. Orabat ſceleſtus Dominum à quo non erat miſericordiam conſecuturus, quia ſcilicet non verè dolebat. Sic etiam Judas Iſcariotes infructuoſè pœnituit *Matth.* 27. quando dixit: Peccavi vendendo ſanguinem juſtum. De talibus autem malè laborantibus, & indebitè pœnitentibus, dici poteſt illud *Luc.* 5. Per totam noctem laborantes nihil cœpimus.

Explicatur tertia pars, quod in hac vita laborare debeamus exercendo bona opera propter vehementiam promiſſi muneris; conſideratio enim mercedis accendit amorem laboris. *Boëtius* 4. *de Conſol metro ultimo*, inducit exemplum trium virorum illuſtrium qui labores maximos pro gloria temporali ſuſtinuerunt; viri autem illi glorioſi erant Agamemnon, Ulyſſes, & Hercules; quorum primus bello decennali, inter ſumma pericula Troam devaſtavit. Secundus autem Poliphemum Gigantem monoculum, qui omnes ſocios devoraverat, ſumma cum audacia interemit: ac denique tertius Hercules, magnos labores pugnando ſuſtinuit; de quo dicitur:

Herculem duri celebrant labores,
Ille Centauros domuit ſuperbos.

Et poſt pauca

Ultimus cœlum facili labore
ſuſtulit collo. &c.

His enarratis alios animat ad ſimiles ſtrenuos labores abhibendos, & dicit: Superata tellus ſidera donat. Quorum verborum ſenſus eſt: Sic vos ſtrenuè habeatis pugnando in terra, ut poſt acceptam victoriam ſuper ſidera ſit veſtra merces in cœlo. Applicatio: Si pro gloria temporali, homines tot labores impendunt, ubi tamen gloria eſt tranſitoria, quantum laborem impendere nos debebimus, qui ſcimus, quod gloria & merces noſtra ſit menſura in perpetuum? Unde *Sap.* 3. dicitur: Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Et in *Pſalm.* Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. De hac autem beatitudine loquitur *Bern. in quodam ſermone*, ubi ait: O beata regio paradiſi, O beata regio deliciarum, ad quam ſuſpiro de valle lachrymarum! ubi ſapientia ſine ignorantia; ubi memoria ſine oblivione; ubi intellectus ſine errore; ubi ratio ſine obſcuritate fulgebit; beati qui ibi habitant dicentes cum *Pſalmiſta*: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

LECTIO CXXII.

TEXTUS.

Scit enim omnia illa, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia. Et erunt accepta opera mea; & diſponam populum tuum juſte; & ero dignus ſedium patris mei.

EXPLICATIO TEXTUS.

HIc declarat Salomon, quomodo per ſapientiam fiat perfectè virtuoſus; & hujus aſſignat hanc rationem, Quia illud poteſt hominem perfectè facere virtuoſum, quod confert homini ſcientiam, prudentiam, & potentiam, & etiam facit Deo acceptum & ſibi ſubjectis proficuum; ſed talis eſt ſapientia, quam ego Salomon peto à Deo: Ergo per ipſam potero me regere virtuoſè in omnibus. Minorem declarat in quinque particulis, aſſerens de ſapientia, quod ipſa ſit *doctrix* per ſcientiam; *ductrix* per prudentiam; *defenſatrix* per potentiam; mediatrix per *amicitiam*; & moderatrix per *juſtitiam*.

Itaque quantum ad primum dicit ſic: *Scit enim illa*, ideſt, ſapientia, *omnia & intelligit*. Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, demonſtrativè deducendo concluſionem; intellectus autem, eſt primorum principiorum, quæ non demonſtrantur, ut ait *Ariſtoteles*. Sapientia vero, quam petit Salomon, tam ad principia, quam ad concluſiones demonſtratas ſe extendit: & ideò *ſcit, & intelligit omnia Sap.* 6. Doctrix eſt enim diſciplinæ Dei, & ductrix operum illius.

Secundò, ſapientia eſt Ductrix per prudentiam, *quæ eſt recta ratio agibilium*. Unde ad prudentiam pertinet benè conſiliari circa totam vitam hominis, & bene eligere: quia ſine prudentia nullus poteſt habere virtutem moralem perfecte, ſicut docet *Ariſtoteles*, 6. *Ethic.* Et quantum ad hoc dicit Salomon: *Deducet me in operibus meis ſobriè*; id eſt, ſecundum menſuram rectæ rationis.

Tertiò, ſapientia eſt Diſpenſatrix per prudentiam; & quantum ad hoc ſubdit; *Et cuſtodiet me in ſua potentia ab omni adverſitate*, ne videlicet vitioſè ſuccumbam. *In Pſalm.* Dominus cuſtodit me ab omni malo.

Quar-

Quarto ſapientia eſt Mediatrix per amicitiã, & quantum ad hoc ſubdit; *Et erunt accepta opera mea.* Et iſtud homini proprie præſtat Chriſtus Dominus, qui eſt ſapientia Dei patris; nam per merita Chriſti omnia opera noſtra bona fiunt accepta Deo. Unde ad *Titum.* 2. dicitur: Dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.

Quinto ſapientia eſt Moderatrix per juſtitiam: facit enim hominem juſte regere ſibi ſubjectos. Et quantum ad hoc dicit; *Diſponam populum tuum juſtè.* Populum tuum, id eſt, populum tibi bene ſervientem, & à te atque ex gratia tuâ mihi ad cuſtodiendũ, & regendum datum.

Et ero dignus ſedium patris mei. Quaſi dicat, ſi taliter ſapientiam impetravero, & ita virtuoſus in omnibus efficiar; ero dignus regio ſolio Patris mei, quod habuit in terris, & conſimilis ejuſdem ſedis per remunerationem in regno cœleſti. Et ideò ſignanter poſuit Salomon, *ſedium*; id eſt, tam ſedis terreſtris quàm cœleſtis Patris mei Davidis; Circa illa verba. *Deducet me in operibus meis ſobriè*, aliquid dicendum eſt de triplici ſobrietate. Sit ergo

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum virtuoſus debeat habere ſcientiã ſine præſumptione in parte intellectiva, continentiam ſine diſſolutione in parte ſenſitiva; & abſtinentiam ſine ingurgitatione in parte nutritiva?

Dico quod ſic:

Explicatur prima pars, quod virtuoſus debeat habere ſcientiam ſine præſumptione in parte intellectiva; Unde *Apoſtolus ad Rom.* 12. ait: Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Et *Seneca in Ep.* 125. *ad Lucillum* ait: Plus ſcire velle, quam ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt.

Hujus autem ſobrietatis contrarium facit ebrietas præſumptionis, qua aliquis ſententiam ſui proprii ſenſus nimis approbat, & eam aliis ſententiis melioribus, ſeu aliorum virorum doctiorum præponit. Porrò talis hominis præſumptuoſi ſigna docet *S. Bern. lib. de* 12 *gradibus humilitatis*; Ubi loquens de quodam Monacho præſumptuoſo dicit ſic. Primus in conventu reſidet, in conſiliis primus reſpondet; non vocatus accedit, non juſſus ſe intromittit; reordinat ordinata, reficit facta: quidquid ipſe non fecit aut ordinavit, non rectè factum, nec pulchrè æſtimat ordinatum; Judicat judicantes, præjudicat judicaturos. Hæc *S. Bernard*: Tales quoque nimium ſcire velle & aliorum ſeniorum, ac doctiorum dicta corrigere volentes, vocat *Ariſtoteles 7. Ethic. cap.* 12. Audaces, indiſciplinatos, & agreſtes. Ut autem fugias talem præſumptionem, audias *Saluſtium apud B. Albertum Magnum. 4. polit.* Hos verſus tibi dicentem:

Conſulo quiſquis eris, qui pacis fœdera quæris,
Conſonus eſto lupis, cum quibus eſſe cupis.

Explicatur ſecunda pars, quod virtuoſus debeat habere continentiam ſine diſſolutione in parte ſenſitiva. Et iſta ſobrietas eſt ordinata modeſtia ſenſuum exteriorum, ita ut nihil vagæ vel libidinoſæ mentis appareat, ſed undique ſit compoſitio religioſa. Hujus autem contrarium facit ebrietas diſſolutionis, quæ eſt inſolentia geſtus, & ornatus in homine exteriore. Porrò ſobrietatem in geſtu morum ſic inculcat *Apoſt.* 1 *ad Timoth.* 2. Volo, inquit, viros orare in omni loco, levantes manus puras ſine ira & diſceptatione: ſimiliter & mulieres in habitu ornato cum verecundia & ſobrietate. Et de hac ſobrietate dicit *S. Aug. in ſua regula.* In omnibus moribus veſtris, nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Et *S. Ambr. lib. 4. de officiis* ſic dicit: Sermones proferamus ſibi à juſtitiæ examinatos, ita ut ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus, & in verbis modus. Temperantia cordis habeat animi munditiem; Juſtitia miſericordiam, prudentia pacem, & fortitudo manſuetudinem. *Hæc Ambr.* Hac tamen ſobrietate carent juvenes inſolentes propter corporis caliditatem, & animi levitatem, nec ab hac reſi xantur, niſi per magnam infirmitatem juxta illud *Eccleſ.* 31. Infirmitas gravis ſobriam facit animam.

Explicatur tertia pars, quod virtuoſus debeat habere abſtinentiam ſine ingurgitatione in parte nutritiva; & ſic de eâ loquitur *Apoſt. ad Titum.* 2. Sobriè & piè & juſtè vivamus in hoc ſæculo; id eſt, ſobrie ad noſmetipſos, iuſte ad proximos & piè ad Deum & Sanctos. De hac ſobrietate *S. Greg. hom.* 37. ait: Sobrietas omnium virtutum mater eſt, & econtra ebrietas mater omnium vitiorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum ebrietas ſit denudatrix omnium ſecretorum; infatuatrix ſenſatorum; alligatrix robuſtorum; & imperatrix flagitiorum?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod ebrietas ſit denudatrix omnium ſecretorũ Unde *Seneca ad Lucillum Ep.* 84. ait: Quemadmodum muſto ipſa dolia rumpuntur; & omne, quod in imo jacet, in ſummam partem vaſis vi caloris eructat: ſic etiam vino æſtuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Et hæc eſt una cauſa, quare ſpecialiter Regibus prohibetur copia vini, quorum eſt celare conſilia; nihil enim eſt ita periculoſum reipublicæ, ſicut ebrietas in Rege. A tali namque Principe ultiones indebitæ, & præcipites irrogantur; conſultationes acceptæ in injuriam aliorum incautè revelantur: ordinationes conceſſæ & utiles reipublicæ retractantur. Et ideo ſignanter dicitur *Prov.* 1. *& ultimo.* Noli regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas.

Narrat Valerius Maximus *lib. 6. c.* 2. Quod mulier quædam innocens damnata fuerit à Philippo Rege Macedonum temulento, quæ tamen propriæ innocentiæ conſcia clamavit: *Appellarẽ* inquit *à Rege Philippo ebrio ad eundem ſobrium, ſi eſſet* Quo audito mulier excuſſit Regi ebrietatem, qui cauſam ſobrius diligenter inſpexit, & poſtea mulierem liberam dimiſit.

In ſignum verò, quod ebrietas ſit denudatrix ſecretorum, legimus *Gen.* 9. quod Noë primò plantaverit vineam, & bibens vinum inebriatus fuerit: poſtquam autem bene potus dormivit, jacuit denudatus, & à filio proprio deriſus eſt.

Expli-

Explicatur ſecunda pars, quod ebrietas ſit infatuatrix inſenſatorum. Unde *S. Aug. in lib. ad ſacras virgines* ait: In ebriis nulla ratio, nullum gerendæ vitæ conſilium, non geſtorum aut lectionum memoria, nec ulla artium aut induſtriæ providentia. Et ideò nullus confidat de ſua ſcientia, ſi ebrietati ſuccumbat. *Iſai.* 28. Sacerdos & Propheta neſcierunt, præ ebrietate abſorpti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate. Recte proinde in antiqua lege ſacerdotibus fuit prohibitum ne biberent vinum, quando ingreſſuti erant tabernaculum ad miniſtrandum. *Levit.* 10. Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis, tu, & filii tui, quando intrabitis tabernaculum teſtimonii.

Explicatur tertia pars, quod Ebrietas ſit alligatrix fortium & robuſtorum. Facit enim de homine beſtiam, & de robuſto infirmum & de prudente inſanum. Exemplum eſt de Holoferne fortiſſimo, quem nimia ebrietate ſopitum, Judith vidua proprio gladio interfecit. *Iudith.* 31. Item exemplum habemus de Alexandro, de quo dicit *Seneca Ep.* 84. quod in tot præliis eum invictum, ſola intemperantia bibendi devicerit. Ideo antiqui Philoſophi vinum vocabant venenum, teſte *Papis.*

Explicatur quarta pars, quod Ebrietas ſit imperatrix flagitiorum diverſorum. Exemplum luxuriæ habemus *de Loth. Gen.* 21. Qui præ ebrietate cum utraque filia commiſit inceſtum. Exemplum verò iræ, habemus in Alexandro Magno, qui amicum ſibi chariſſimum, & fideliſſimum inter epulas cultello transfodit: intellecto autem facinore à ſe commiſſo poſtquam ſobrius factus eſt, voluit ſeipſum occidere, niſi ab amicis ſuis fuiſſet detentus, & præventus.

Narratur hiſtoria de quodam ruſtico, quod ſemel fuerit totus ebrius reverſus domum, ita ut omnia ipſi apparuerint duplicata; Unde quia habuit duos filios, putavit ſe videre quatuor filios, & advocans uxorem incuſavit eam, quod haberet quatuor filios; & unde ergò proveniunt, inquit, iſti alii duo, cùm mihi non conſtet de pluribus, quam de duobus filiis? dum autem uxor negaret ſe habere plures filios quam duos, eia inquit ruſticus, ad probandam tuam innocentiam affer mihi iſtum ignitum vomerem: tunc mulier aſtuta reſpondit, ego non accipiam illum ignitum vomerem, niſi tu mihi prius illum tradas. Cum ergo ruſticus totus ebrius vomerem ignitum apprehendiſſet, ſeſe in manu horrendè combuſſit, & ita ad ſe rediens errorem ſuum agnovit. Et ideo ſignanter dicitur de talibus Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos facies quaſi ebrios. *Iob.* 12.

LECTIO CXXIII.

TEXTUS.

Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timida, & incerta providentia noſtra. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.

EXPLICATIO TEXTUS.

Pergit Salomon ſupplicare pro ſapientia, allegans ignorantiam humanam in agendis rebus ſupernaturalibus juxta illud 2. *Par.* 10. Cum ignoramus, quod agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.

Dicit ergo: Quis enim hominum poterit ſcire Conſilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Quaſi dicat: Ad hoc ut homo conſequatur beatitudinem, quæ eſt vita animæ, & viſio ſupernaturalis divinæ eſſentiæ, oportet hominem tranſire per meritum adimplendo divinam voluntatem in præceptis, & conſiliis ſuis. Quid autem Dominus conſulat, vel præcipiat, hoc non poteſt conſtare homini, niſi per revelationem fidei de credendis & agendis: adeoque hæc revelatio, quæ eſt vera ſapientia, eſt homini neceſſaria, adeo, ut nullus homo ex ſua naturali cognitione poſſit ſcire conſilium Dei, aut quid Deus velit. Ubi tamen

Notandum, quod conſilium diverſimodè accipiatur. *Primo* enim accipitur conſilium prout eſt conſultatio *unius* vel plurium, in rebus dubiis; in quo ſenſu locutus eſt Tobias filio ſuo: Conſilium ſemper à ſapiente perquire *Tob.* 4.

Secundo modo vocatur Conſilium ſententia declarativa illius, quod expedit fieri; in quo ſenſu dixit *Apoſt.* 1. *Cor.* 7. De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. *Tertio modo* vocatur Conſilium perſuaſio quædam ad aliquid agendum, vel faciendum, aut omittendum. *Quarto modo* vocatur Conſilium quodvis arcanum alteri revelatum. Primo modo ſolum metaphoricè poſſumus Deo tribuere conſilium; non enim conſiliator Deus; quia ignorantiæ eſt conſiliari ut ait; *S. Damaſcenus lib.* 1. *cap.* 22. Secundo modo Deo maximè convenit conſilium, quia ille tanquam omnium rerum tam præteritarum, quàm præſentium, & futurarum notitiam habens, nos in rebus dubiis certificare poteſt. Tertio & quarto modo etiam poteſt eſſe conſilium in Deo; quia Deus ſæpe per ſuos prædicatores conſulit hominibus agere pœnitentiam de peccatis; & viris ſanctis, ut prophetis & aliis ſeſe deligentibus arcana ſua ſæpe revelat.

Sequitur in textu. *Cogitationes enim mortalium timidæ;* Quia ſæpe in operibus noſtris contrarium videmus accidere quam cogitabamus, aut ordinabamus; & ideò non ſolum ſunt infirmæ cogitationes noſtræ in ſpeculativis, ſed etiam *incerta providentia noſtra* in practicis. Et ideo docuit nos *S. Iacobus cap.* 5. Quod locuturi de futuris ſemper ſub conditione loqui debeamus, dicendo: Si Dominus voluerit facere hoc vel illud.

Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam; Id eſt, corpus infectum fomite concupiſcentiæ corrumpit affectum animæ & facit animam ad cognoſcenda & amplectenda ſpiritualia de Deo, vel neceſſariis ad ſalutem gravem. Et quia ſolicitudo circa neceſſaria corporis, vel alia temporalia deprimit ſenſum hominis multa cogitantis, ita ut reddat eum diſtractum in ſtudio, & ſcientia acquirenda, ideo ſubditur in textu.

Et

Et deprimit terrena inhabitatio. Id eſt occupatio circa terrena corpori neceſſaria; *ſenſum*, id eſt intellectum, *multa cogitantem.* Circa illa verba; *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam,* ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An poſt peccatum anima habeat corpus ſibi conjunctum ſicut inſtrumentum & adjutoriũ ad ſerviendum;& ſicut indumentum ad ſe tegendum; & ſicut afflictorium ſui ad puniendum.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod anima habeat corpus ſibi conjunctum tanquam inſtrumentum, & adjutorium ad ſerviendum. Unde *Ariſtoteles 1. polit.* ait: Animal conſtat ex anima & corpore; quorum hæc (nimirum anima) principalior eſt à natura, corpus autem eſt ſubjectũ. In homine autem bene diſpoſito, corpus eſt ſicut ſervus, anima vero eſt dominatrix: at verò in homine vitioſo corpus dominatur, animâ famulante.

Porrò anima corpori dominatur principatu deſpotico; quia corpus non poteſt reſiſtere; at verò intellectus dominatur appetitui ſenſitivo principatu politico, quia appetitus poteſt reſiſtere. Cum ergò corpus ſit ſervilis plane conditionis, oportet attendere, ne ſervus iſte delicatè tractetur; aliàs inſurget contra Dominum, juxta illud *Prov. 29.* Qui delicatè a pueritia nutrit ſervum ſuum, ſentiet eum poſtea contumacẽ. Hoc ipſum beneadvertit *Apoſt. 1. Cor. 9.* dicens: Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

Quis verò ſit modus tractandi ſervum, dicitur *Eccl. 33.* Panis & diſciplina & opus ſervo. Tria enim corpori conveniunt, nimirum educatio, quia *Panis*: caſtigatio, quia *diſciplina*: & occupatio, quia *operans.* Specialiter tamen attendendũ eſt, quod educatio debeatur corpori talis temperamenti, ne ſuperbiat, & ne ſuccumbat; Unde *S. Greg. parte 2. hom. 7.* dicit: Si plus corpori, quam debemus, tribuimus, hoſtem nutrimus; & ſi neceſſitati ejus, quæ debemus, non reddim⁹, ipſum noſtrum concivem necamus. Hæc ille

Explicatur ſecunda pars, quod corpus ſit datum animæ ſicut indumentum vel coopertoriũ ad tegendum; Unde *Iob. 10.* dicitur: Pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me: De hac re ait *Seneca Ep. 4.* Corpus naturaliter, ut quandam veſtem animo circumdedit, & velamentum eſt ejus. Quis autem prudens propter ſola veſtimenta æſtimavit aliquem? Certè nec bonum nec malum gladium vagina facit: ita nec bona corporis, bonum hominem faciunt. Hæc Seneca.

Conſtat, quod Domini annuatim dent famulis ſuis duplicem liberiam, unam pro hyeme ex panno groſſiori, & alteram pro æſtate de materia leviori. Sic etiam moraliter loquendo, totum tempus noſtrum dividitur in hyemem, & æſtatẽ. Hyems eſt vita præſens, æſtas autem eſt vita futura: Dominus Deus autem noſter, dat nobis duplicem liberiam, unam pro hyeme hujus vitæ, & ideò de groſſo panno; corpus enim noſtrum (ut conſtat) de rudi & turpi materia eſt factum, & tamen ſufficit pro hyeme hujus vitæ. Ad *Hebræ. 10.* Corpus autem aptaſti mihi, id eſt, conveniens mihi dediſti pro hyeme hujus vitæ. At vero liberia, quam habebimus in paſchate futuræ vitæ, in reſurrectione generali, eſt de panno ſubtili; erit enim corpus noſtrum tunc ſubtile contra groſſitiem. clarum contra opacitatem, agile contra gravitatem & impaſſibile contra mortalitatem: *1 Cor. 15.* Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Dat ergo Dominus Deus noſter imprimis nobis duplicem liberiam.

Cæterum videmus in iſtorum dominorum familiis, quod boni ſervi veſtibus ſuis hyemalibus non parcant, ſed potius per labores diverſos eos lacerant in pluviis, nivibus, & aliis locis inviis, ubicunque Domino ſuo placuerit: & hoc faciunt famuli ideo, quia ad paſcha ſciunt ſe habituros novam liberiam. Similiter etiam moraliter loquendo boni Chriſtiani, huic corpori ſuo tanquàm veſti hyemali pro hac vita non debent parcere, ſed injuriis, pœnitentiis, & flagellis lacerare corpus. Certi autem tales erunt, quod accipient in paſchate reſurrectionis univerſalis novas veſtes, nimirum glorioſa corpora; ad *Philipp. 3.* Salvatorem exſpèctamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.

Notandum quoq; eſt, quod inter indumenta quædam ſint veſtes & arma, & quædam ſint veſtes tantum & non arma: in veſtibus autem & armis fiunt quædam ſigna de picturis, & coloribus. Porrò Reges, & Principes juvenes conſueverunt militare in ludis militaribus, in armis non notis, nec in armis, quæ poſtea debent deferri; ſed in armis ignotis juxta voluntatem eorum Poſtquam autem tales Principes exercitiũ armorum in talibus ludis jam finiverunt, tunc ſolent dare alicui ſuo armigero illa arma, conſecrantq; illum in ſtatu militari, & hoc totum cedit in magnum honorem talis armigeri, quod poſſit arma portare Domini ſui, quibus uſus fuit in ſua militia juvenili. Applicàtio moralis. Chriſtus Dominus noſter. Dei Filius militavit in ſancta cruce, arma habuit de albiſſimo argento carnis ſuæ, quinque roſis rubeis diſtincta, quæ ſunt quinq; vulnera corpori illi ſacro impreſſa; Princeps itaque noſter Chriſtus ludum talium armorum finivit, & in ſuâ glorioſâ reſurrectione dimiſit; quia Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur. mors illi ultra non dominabitur. *Rom. 6.* Et ideo Chriſtus homini. tanquam armigero ſuo dilecto contulit illa arma, fecitq; ipſum nobilem militem, juxta illud *1. ad Thim. 2.* Labora ſicut bonus miles Chriſti Et revera honorificum valde debet eſſe homini recogitando ſe fuiſſe à Chriſto Domino electum pro milite ſuo; adeoque talis homo conformiter ad exemplum ducis ſui, & Magiſtri Chriſti patienter debet ſuſtinere afflictiones corporis: & tunc benè dicitur portare arma Chriſti. Et de his armis bene gloriatus eſt Apoſtolus ad *Gal. 6.* dicens; Stigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti in corpore meo porto. Et ideo dicitur. *1. Cor. 6.* Empti eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro

Explicatur tertia pars, quod corpus ſit datũ animæ ſicut detrimentum, & afflictoriũ animæ ad puniendũ. Quod omninò verum eſt, ſecundũ

tempus

tempus naturæ lapſæ. Poſtquam enim ratio mentis ſubtraxit ſe ab obedientia Deo debita, ſubtracta etiam fuit illa obedientia, quam corpus debebat præſtare animæ, & cœperunt paſſiones mortis & corruptionis affligere animam in corpore habitantem, adeo, ut exclamarit *Apoſt. Rom.* 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Unde *Seneca in Ep.* 101. ait: Corpus hoc, animæ pondus eſt, & pœna, premente illo urgetur, & in vinculis eſt; Item idem *Ep.* 44. ait: Admiror dementiam noſtram, quod tanto tempore amemus rem viliſſimam, nempe corpus noſtrum, timeamusque, ne quando moriamur, cum omne momentum mors ſit prioris halitus. Vis tu timere, ne ſemel fiat, quod quotidie fit? Et ideo ſignanter dicitur in hoc textu: *Corpus quod corrumpitur*, non quod *corrumpetur*. Corrupta eſt infantia, corrupta eſt pueritia, corrupta eſt adoleſcentia. 2. *Reg.* 14. Omnes morimur & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.

LECTIO CXXIV.

TEXTUS.

Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis ſunt, quis inveſtigabit? ſenſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam tuam, & miſeris ſpiritum tuum de altiſſimis. Et ſic correctæ ſunt ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerunt homines. Nam per ſapientiam ſancti ſunt, quicunque tibi placuerunt à principio.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon cauſam ſapientiæ deſideratæ aſſignavit, ignorantiam humanæ imbecillitatis; nunc aſſignat neceſſitatem ejuſdem ſapientiæ, ob altitudinem rerum ſcibilium.

Dicit ergo. *Et difficile*, id eſt, difficulter, *æſtimamus*, id eſt, ad quandam non omnino certam cognitionem devenimus: Ly enim *æſtimare* non importat omnimodam certitudinem. Itaq; *difficile æſtimamus quæ in terra ſunt*, cujuſmodi ſunt quantitas terræ, immobilitas terræ; imò generaliter cum difficultate ſcire poſſumus, quomodo herbæ, arbores, ac plantæ generentur, augmententur & fructificent in terra. *Eccl.* 1. Cunctæ res difficiles, nec poteſt homo eas explicare ſermone.

Et quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore, id eſt, etiam prima principia cum aliquali labore; cum enim à ſenſu, & experimento dependeant, nec aliquid ſine paſſione ſentire poſſimus, ideo etiam prima principia cum labore cognoſcimus *aliquali*. Cum quo tamen ſtat, quod cognitio principiorum ſit facilis, reſpectu cognitionis concluſionum deductarum ex principiis.

Quæ autem in cælis (puta ſtellifero, vel empyreo) *ſunt, quis inveſtigabit?* Id eſt, ſi cum labore cognoſcamus illa, quæ in terris ſunt, quomodo inveſtigabimus illa, quæ in cœlis ſunt, ut v. g. qualis ſit quantitas ſolis, ſtellarum, & totius firmamenti?

Senſum autem tuum quis ſciet? niſi tu dederis ſapientiam tuam & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis. Senſum autem tuum, id eſt, conſilium præſcientiæ tuæ, & ordinationis futuræ, quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam tuam revelando, quæ tibi placent per nos fieri in hac vita. *Et miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis*, ad inclinandum voluntates noſtras, & ſuggerendum nobis facere quod tu præcipis. *Joan.* 14. Ille vos docebit omnia de altiſſimis. Altum eſt cœlum planetarum, altius eſt cœlum ſtellarum fixarum, altiſſimum eſt cœlum empyreum, quod dicitur cœlum ſanctiſſimæ Trinitatis. In *Pſalmo.* Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.

Ut autem Salomon oſtendat, quod nunquam fuerit alia via ſalutis hominibus poſſibilis, niſi per revelationem certi cultus, quem Deus exigit ab hominibus per fidem, ſpem, & charitatem, ideo ſubjungit: *Et ſic correctæ ſunt ſemitæ eorum, quæ ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerunt omnes. Nam per ſapientiam ſancti ſunt, quicunque placuerunt tibi à principio Domine.* Id eſt miſſo Spiritu ſancto tuo de altiſſimis, & ſapientiâ tuâ datâ hominibus, *correctæ ſunt ſemitæ*, id eſt perfecti dati ſunt modi vivendi & obſervandi mandata tua. *In Pſalm:* Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum. *Et ſemitæ* inquam eorum, *quæ ſunt in terris*, id eſt horum terrenorum, *Et ſic per iſtum modum didicerunt homines, quæ tibi placent.* Nam didicerunt Incarnationem Filii, & miſſionem Spiritus ſancti. Nam per iſtam ſapientiam fidei in Chriſtum, ſanati ſunt à morbo peccati, *quicunque placuerunt tibi Domine à principio. Matth.* 21. Qui *præcedebant*, & qui *ſequebantur* clamabant hoſanna filio David. Ubi dicit gloſſa, quod nemo ſalvandus fuerit, niſi in fide incarnationis explicita vel implicita. Circa illa verba, *Et miſeris Spiritum ſanctum tuum*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An Spiritus ſanctus venerit, ſicut lachrymantium conſolator; ſicut ignorantium informator; & ſicut vacillantium confirmator?

DIco quod ſic:

Explicatur prima pars, quod Spiritus ſanctus venerit, tanquam lachrymantium conſolator, Conſtat quod quando nutrix recedit à puero, tunc puer incipit triſtari & plorare: & licet nutrix promittat ſe ſtatim eſſe rediturum, tamen ſemper plorat, quouſque puero mamillam in os porrigat. Iſto modo Chriſtus moraliter loquendo nutritius fuit Apoſtolorum ſuorum, quos tanquàm filios juvenes & teneros diligebat, & fovebat. *Oſee* 11. Ego tanquam nutritius Ephraim, portavi eos in brachiis meis. Ephraim *frugifer* interpretatur, &

figurat

figurat Apoſtolos, qui fruges doctrinæ ferebant, quibus totus mundus poſtea fuit ſaturatus. Porrò iſte nutritius, nempè Chriſtus Dominus, accepit licentiam valedicens Apoſtolis, his verbis *Ioan.* 14. Non turbetur cor veſtrum neque formidet, vado & venio ad vos. Iterum modicum & videbitis me, & multa alia dixit; & tamen Apoſtoli non poterant à triſtitia ſe cohibere. *Ioan.* 16 Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. Et ideo Chriſtus volens Apoſtolos perfectè conſolari, mamillam ſuæ dilectionis, & dulcedinis, nempe Spiritum ſanctum, poſuit in os eorum. *Iſaia* 60. Lac gentium ſuges, & mamillâ Regum lactaberis. Mamillâ Regum, id eſt, Spiritu ſancto, qui eſt mamilla dulcedinis, clementiæ, & ſuavitatis totius Trinitatis. Iſta mamilla habuit in ſe lac dulciſſimi nutrimenti; omnia enim dulcia nutriunt teſte Philoſopho. De ſpiritu ſancto autem ſcribitur *Eccl.* 24. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis.

Porrò inter ſugentes hanc mamillam magna eſt differentia; cùm quidam ſicut pueri diſſoluti, poſtquam ſuxerunt illam, mordent eandem dentibus; alii poſtquam ſuxerunt eam repellunt; & alii eam unguibus lacerant. Hi omnes ſunt ingrati Chriſtiani, qui poſtquam acceperunt Spiritum ſanctum per Sacramentum pœnitentiæ, redeunt ad ingratitudinem per peccatum. Quorum quidam mordent per detractionem, & lædunt Charitatem quæ eſt Spiritus ſanctus *ad Gal.* 6. Si invicem mordetis & comedetis, videte ne ab invicem conſumamini. Quidam etiam repellunt hanc Spiritus ſancti mamillam per rebellionem, qui Eccleſiæ reſiſtunt & doctrinæ verbi Dei, *Act.* 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicaſtis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Aliqui denique lacerant unguibus hanc mamillam Spiritus ſancti, & ſunt raptores & prædones, qui bona Eccleſiæ rapiunt & deprædantur. Et iſti ſunt mali milites, qui per illam beſtiam deſignantur, de qua *Dan.* 7. dicitur: Quod fuerit terribilis nimis, dentes & ungues ejus ferrei comedebat & comminuebat, & reliqua pedibus ſuis conculcabat. Et de iſtis tribus ingratis, & malis pueris dicitur *Act.* 7. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.

Explicatur ſecunda pars, quod Spiritus ſanctus fuerit miſſus, ſicut ignorantium informator. Chriſtus enim Dei filius prædicaverat Judæis verba ſuæ ſapientiæ in tantum, ut faſſi fuerint *Ioan* 7. Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo *loquitur*. Item fecerat Chriſtus inter eos opera pœnitentiæ ſuæ. *Ioan.* 15. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo hominum fecit, peccatum non haberent. Præterea Chriſtus dederat eis exempla ſanctæ vitæ. *Matt.* 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: Et tamen his non obſtantibus, perditi Judæi verba ſapientiæ dicebant eſſe falſa. *Ioan.* 8. Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, & teſtimonium tuum non eſt verum. Undè etiam dicebant Judæi, quod miracula à Chriſto patrata facta ſunt virtute diabolica. *Matth.* 12. Hic non ejicit Dæmonia, niſi in Belzebub principe Dæmoniorum. Exempla vero ſuæ ſanctitatis, dicebant eſſe facta hominis peccatoris. *Ioan.* 9. Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. Iſtis ergo vilis poterant Apoſtoli reſpondere, quando Chriſtus ab eis aſcendens in cœlum dixit: Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ, Domine quomodo nos relinquis, & ad Judæos tranſmittis; ſi verba tua falſa dixerunt; ſi miracula tua Dœmonibus adſcripſerunt; ſi tuæ ſanctitatis claram apparentiam in ſcandalum perverterunt; quid inter eos facere poterimus nos ignari; qui habemus parvam ſcientiam; nos infirmi, qui habemus parvam potentiam? Similia, inquam, potuiſſent dicere Apoſtoli: ſed ad iſta præcavenda miſit Chriſtus Apoſtolis ſuis Spiritum ſanctum, ſicut ignorantium informatorem *Ioan.* 14. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Unde in hujus rei figuram miſſus eſt Spiritus ſanctus in triplici ſpecie, ignis, linguæ & columbæ; ita ut in igne fuerit relucentia claritatis; in lingua eloquentia veritatis: & in columba patientia ſuavitatis. *Sap.* 12. O quàm bonus, & ſuavis eſt Domine, Spiritus tuus in nobis.

Præterea per ignem denotatur potentia; quia inter omnia elementa ratione caloris nullum eſt activius igne. Per ſplendorem quoque ignis denotatur ſapientia; in lingua vero deſignatur eloquentia per vocis reſonantiam. Itaque cum Apoſtoli debuerint prædicare Principibus, qui fidem impugnabant per potentiam; Philoſophis, qui eam impugnabant per ſapientiam; & gentibus diverſis, quæ Apoſtolos propter idiomatum varietatem intelligere non poterant; ideo inquam, dedit Apoſtolis Chriſtus Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ, ut vincerent per patientiam; in ſpecie ignis, ut vincerent per Chriſti potentiam; & in ſpecie linguæ, ut inſtruerent per ſapientiam & ut haberent omnium idiomatum differentiam ſeu notitiam. Unde *Act.* 2. dicitur. Cœperunt loqui variis linguis Apoſtoli, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.

Explicatur tertia pars, quod Spiritus ſanctus fuerit miſſus ſicut vacillantium confirmator. *Ioan.* 4. Vacillantes confirmaverunt ſermones tui, & genua trementia confortata ſunt. Vas luteum, quando eſt recens, non habet aliam qualitatem quam luti, ceditque omni tactui & omni impulſui. Sic Apoſtoli & omnis homo, qui eſt vas luteum per naturam (*Iob.* 10. Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me) nullo modo poteſt perfectè reſiſtere tentationibus ſæculi ex ſuâ propriâ qualitate. Sed ſi vas illud deſiccetur, & præparetur in fornace, ſic inquam, fit vas ſolidum, durum, & ſonorum. Hoc itaque modo ſe habebant Apoſtoli, & alii viri ſancti in Eccleſia, qui quando accenduntur igne Spiritus ſancti, fiunt fortes contra omnes tribulationes mundi. *Act.* 1. Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes.

In teſte (ſecundum Iſidorum) tria conſiderantur, ſcilicet natura, conditio & vita. *Natura*, ut ſit vir, & non fœmina, quia ſexus fœmineus ſolet habere annexam inſtabilitatem.

Conditio, ut ſit liber, & non ſervus, quia ſervus ex metu Dominorum faciliter ſolet à veritate abduci. Denique etiam conſideratur vita teſtis, ut videlicet non ſit infamis in ſe, qui de aliis debet teſtimonium perhibere. Et propter hoc Prælati Eccleſiæ, qui vel ſunt effœminati libidinosè vivendo; vel ſervilis conditionis mundo & Mammonæ ſerviendo; vel ſunt læſi in bonâ opinione publicè delinquendo; non ſunt convenientes teſtes Chriſti, niſi ſint Spiritu ſancto confirmati. At verò Apoſtoli erant viriles per cordis conſtantiam; liberi & ſine timore per veritatis abundantiam. Unde de eis dicitur. *Act.* 4. Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri. Et iſta tria tangit *S. Auguſtinus* his verbis: Talis eſt inquit gratia Spiritus ſancti, quod ſi triſtitiam invenit, eam diſſoluit; ſi deſiderium perniciosum reperiat, illud conſumit; ſi trepidationem adeſſe advertat, eam propulſat. In hoc ergo, quod gratia Spiritus ſancti diſolvat triſtitiam, dat cordis firmitatem; in hoc, quod deſiderium pernicioſum conſumit; dat vitæ ſanctitatem; & in hoc denique quod trepidationem propulſat, dat conſtantiam, & libertatem. Unde pulchrè *S. Greg. lib.* 4. *ſuper Ezechielem* ſic ait: Conſidero Patres novi & veteris Teſtamenti: David, Danielem, Amos, Petrum, Paulum, & Matthæum, & apertis oculis intueor, eos gratiâ Spiritus ſancti fuiſſe illuſtratos, implet namque Spiritus ſancti gratia puerum cytharædum, & Pſalmiſtam facit; implet abſtinentem puerum & judicem ſenem facit; implet paſtorem armamentorū & Prophetam facit; implet piſcatorem & principem Apoſtolorum conſtituit; implet perſecutorem, & Doctorem gentium efficit; implet denique publicanum, & primum Evangeliſtam creat. Hæc Greg.

Conſiderate Petrum, dum erat vas luteum adhuc tempore paſſionis; nam hic erat tam mollis adhuc & trepidus: Unde ad vocem unius ancillæ oſtiariæ ſtatim negavit ſe cognoſcere Chriſtum. Quando autem Petrus, ſeu hoc vas Petri luteum fuerat excoctum per ignem ſupervenientis Spiritus ſancti, tunc fortiter, & conſtanter coram Nerone, & aliis Principibus prædicavit Chriſtum eſſe redemptorem mundi. Et ideo ſignanter *Pſalmiſta* à Deo petivit *Pſal.* 50. Spiritu principali confirma me: & tunc conſtanter docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

Et hæc pro prima parte Phœnicis Redivivæ, ſeu Expoſitionis libri Sapientiæ, ad gloriam Dei, Deiparæque Virginis Mariæ, & S. Patris Dominici dicta ſufficiant.

F I N I S

PRIMÆ PARTIS

PHOENICIS REDIVIVÆ.

AD LECTOREM BENEVOLUM.

TRiplicem indicem tibi promiſſum abundantius, & exactius ponam poſt ſecundam partem hujus Operis, lege interim bene, & perlege, volve & revolve ſingula, quæ in hac prima parte ſunt poſita, & invenies plurima, notatu digniſſima, quæ ſi te lætificabunt & ædificabunt, rogabo Deum meum & Deum tuum, Patrem meum cæleſtem & Patrem tuum, ut gratiam tuam adaugeat, teque cum jubilo perpetuo triumphaturum corones in cælis.

PHOENIX REDIVIVA EX RELICTA FACUNDIA HOLKOTIANA,

SEU

POSTILLA SUPER LIBRUM SAPIENTIAE SALOMONIS,

SUMMA CUM LAUDE OLIM ELABORATA

AB

ADMODUM REVERENDO ET EXIMIO

P. ROBERTO HOLKOT

ORDINIS PRÆDICATORUM SS. THEOLOGIÆ MAGISTRO, ET SACRÆ PAGINÆ, AC MORALIUM PROFESSORE SAPIENTISSIMO:

NUNC AUTEM

Pro utilitate tam ſacræ paginæ Profeſſorum, quam verbi Dei præconum, omniumq; veræ ſapientiæ amatorum, ad gratam breviratem, doctrinæ claritarem, & dubiorum expeditam elucidationem redacta.

ATQUE

Quadruplici Indice, videlicet Primo rerum memorabilium, in hoc toto opere contentarum; Secundo indice textuum explicatorum, & omnium articulorum ſub textibus contentorum; Tertio indice concionatorio pro omnibus diebus Dominicis ac feſtivis totius anni, & Quarto denique indice deſerviente omnibus monaſteriorum Superioribus, pro capitulis, ſeu exhortationibus ad ſuos religioſos faciendis, ornata.

AB

ADMODUM REVERENDO ET EXIMIO

P. RAYMUNDO ORTZ

ORDINIS PRÆDICATORUM SS. THEOLOGIÆ MAGISTRO, EJUSDEMQUE IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE VIENNENSI Doctore & in Conventu ac ſtudio generali Viennenſi Profeſſore emerito.

PARS SECUNDA

EXPOSITIONIS SUPER LIBRUM SAPIENTIÆ SALOMONIS à Capitulo. 10. uſque ad finem totius Libri.

IN QUA

Declarantur effectus particulares à ſapientia exhibiti Adamo, Noë, Abraham, Loth, Iacob, Ioſeph, & populo Iſraëlitico.

PARS SECUNDA

PHOENICIS REDIVIVAE,

Seu

Expoſitionis ſuper librum Sapientiæ Salomonis, à *Cap. 10.* uſque ad finem totius Libri.

In qua

Declarantur effectus particulares à Sapientia exhibiti Adamo, Noë, Abraham, Loth, Iacob, Ioſeph, & populo Iſraëlitico.

Ad Lectorem Benevolum.

Legiſti, & relegiſti, volviſti & revolviſti, ut opinor, nec non cum exoptato fructu animique oblectamento, primam Phœnicis meæ redivivæ partem, oculorum mentiſque acie percurriſti *Amice Lector.* Inveniſti utique in illa claritatem, quam deſideraſti; expeditam dubiorum reſolutionem, quam tanto fervore quæſiviſti; moderatam brevitatem, quam deſideraſti; & ſtyli moderni novitatem, ad quam anhelaſti: atque exinde utique ab intellectu tuo multæ dubietatis profligatæ ſunt tenebræ; mens item tua ſapientiæ theſauro ditata, diſcendi aviditas recreata, & novitatis perquiſitio eſt tranquillata. Inveniſti item plurima in hac prima parte, quæ te ad inveſtigandam ſapientiam ſtimulare, & ad vitam ſine labe inſtituendam excitare valent. Reperiſti quoque multa alia, quæ te Deo ſoli, non autem rebus caducis inhærere; juſtitiam & judicium rectum ſectari; erga proximum tuum irreprehenſibilem eſſe; & te pro deſponſanda tibi ſapientia normam & formam ſuavi facundia docuerunt. Et ut verbo dicam, intellexiſti ſatis, quomodo exuendo veterem hominem cum actibus ſuis, novum, & qui ſecundum Deum creatus eſt, induere poſſis; Videlicet, ut ſit tibi pro anima pietas, pro intellectu ſapientia, pro voluntate charitas, pro reſpiratione manſuetudo, pro corpore ſanctitas, pro oculo judicium, pro lingua eloquentia, pro brachiis fortitudo, pro manibus liberalitas, pro pedibus conſtantia, pro corde juſtitia, pro pectore magnanimitas, pro motu clementia, pro affabilitate facundia, pro ſtimulo timor, pro defenſoribus ſuperi, & pro beatitudine tua Deus: In quo eſt ſumma & unica fœlicitas, fœlix perpetuitas, perpetua tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda perennitas, perennis ſanctitas, ſancta opulentia, opulenta immenſitas, & immenſa omnium delectabilium, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt; in conſpectu trium Perſonarum in una eſſentia & unius eſſentiæ in tribus Perſonis, mirabilis & amabilis ſatietas. Ita eſt; ſi ea, quæ in prima parte Phœnicis hujus redivivæ legiſti, exacte obſervaveris; Deo Ter Optimo Maximo potieris, ſine quo ne quidem quærere attentes deſiderii tui complimentum in rebus terrenis: Inquietum enim eſt cor noſtrum, donec revertatur ad te, inquit *S. Antiſtes Auguſtinus.* Annuis ut adverto omnibus, quæ tibi propoſui; ſed ut planiorem tibi viam ſternas ad currendum in via Domini, exigis & requiris à me cum pluribus aliis à me, ut ſecundamquoque partem Phœnicis meæ redivivæ, typis evulgem. Et ecce, ut ſapientiæ & ſcientiæ, virtutis ac innocentiæ, capeſcere valeas incrementum, utque deſiderio tuo ſimul & meæ promiſſioni ſatisfaciam, prodit nunc pars altera Phœnicis meæ redivivæ unà cum quadruplici Indice tibi promiſſo. Porro quia hæc ſecunda pars ſolum eſt continuatio Expoſitionis ſuper Librum Sapientiæ Salomonis, ideò Capitula & Lectiones pro continuatione ſervanda manebunt quo ad numerum in ſuo ordine. Vale, & pro me Deum Deiparámque Virginem exora.

CONTINUATIO EXPOSITIONIS SVPER LIBRVM SAPIENTIÆ

CAPITVLVM DECIMVM.

LECTIO CXXV.

TEXTUS.

Hæc illum, qui primò formatus eſt à Deo, pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit: & eduxit illum à delicto ſuo, & eduxit illum de limo terræ, & dedit illi virtutem continendi omnia.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Salomon variè, & multipliciter, declaravit ſapientiæ nobilitatem, aſſignando ipſius effectus generales; nunc ab hoc Capitulo uſque ad finem totius libri declarat aliquos effectus particulares ſex perſonis, nimirum Adamo, Noë, Abraham, Loth, Jacobo & Joſepho per ſapientiam exhibitos: poſtmodum verò etiam recenſet effectus aliquos ſpeciales, quos toti populo Iſraëlitico ſapientia contulit. In hac ergo Lectione fit ſermo de Adamo, cui Sapientia 5. prærogativas & gratias ſpeciales præſtitit, videlicet Primò paternalem præeminentiam ad genus humanum propagandum; Secundò originalem innocentiam ad ſemetipſum conſervandum; Tertiò ſitualem excellentiam ad jucundè inhabitandum; Quartò rationalem magnificentiam ad creaturas gubernandum. & Quintò finalem indulgentiam ad Deum poſt peccatum reconciliandum. Et quidē ad declarandam paternalem præeminentiam pro genere humano propagando, dicit ſic: Hæc id eſt, ſapientia increata, *illum*, id eſt, Adamum, *qui primò formatus eſt à Deo pater orbis terrarum*, id eſt, qui præordinatus fuit à Deo principium, & radix totius generis humani, quod nunc diſperſum eſt in toto orbe; generaſſet enim Adam in ſtatu innocentiæ, homines ſine fervore, ſine dolore, & ſine pudore.

Secundò ad declarandam originalem innocentiam Adami ad ſeipſum conſervandum (quam innocentiam, ſeu juſtitiam originalem, etiam naturaliter in filios transfudiſſet, ſicut modo parentes transfundunt peccatum originale) dicit ſic: *Hæc* vero *illum*, id eſt Adamum, *cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit* id eſt originalem innocentiam ipſi dedit, qua ſemper ſe & ſuos cuſtodire potuiſſet. Habuit enim anima Adami in ſtatu innocentiæ perfectum dominium ſupra corpus, adeo ut nunquam ſenſiſſet aliquam infirmitatem ab intrinſeco, imo nec læſionem aliquam ab extrinſeco, ſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet.

Tertiò contulit Sapientia Adamo finalem indulgentiam ad placandum Deum poſt commiſſum peccatum. Dedit enim Adamo gratiam pœnitentiæ pro peccato ſuo, & remiſſionem ejusdem peccati; & quantum ad hoc dicitur in textu: *Et eduxit illum à delicto ſuo.* Hoc autem factum fuit incompletè per ipſius Adæ contritionem. Perfectè autem & completè per Chriſti Domini paſſionem. Porrò hoc beneficium propter ſuam magnitudinem ponitur ante alia duo quæ ſequuntur, & poſt iſta duo quæ ſequuntur, Adamo fuerit collatum.

Quartò dedit Sapientia increata Adamo ſitualem vel localem excellentiam ad jucundè inhabitandum. Nam homo fuit creatus in agro Damaſceno, & inde translatus in paradiſum, qui eſt locus ſummarum deliciarum, ubi nunc moratur *Enoch & Elias*, ubi vitam ſuam per eſum ligni vitæ & aliorum, quæ in paradiſo reperiuntur, continuant. Et quantum ad hoc dicitur in textu; *Et eduxit illum de limo terræ.* Id eſt, de agro Damaſceno, in quo ex limo ejusdem terræ Adam fuit formatus, tranſtulit in locum amœniſſimum paradiſi; unde *Gen.* 2. dicitur: Plantaverat autem Deus paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem quem formaverat.

Quintò, dedit Sapientia Adamo rationalem magnificentiam ad gubernandum creaturas; & quantum ad hoc ſubditur in textu: *Et dedit illi virtutem continendi omnia.* Id eſt, dedit Adamo debitam cognitionem & intellectum, ut rectè poſſit dominari omnibus inferioribus creaturis. Et ideò *Gen*, 1. dicitur: Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram. Circa illa verba, *Cum ſolus eſſet, cuſtodivit illum.* Sit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum in ſtatu Innocentiæ fuerit ſufficienter cuſtoditus à Domino Deo?

NOtandum primò *ex S. Dionyſis cap.* 4. *de divin. nominibus.* Quod providentia Dei non ſit naturæ corruptiva, ſed ſalvativa: Undè ad providentiam Dei pertinet rerum naturas adminiſtrare, ſicut condecet bonum univerſale ſeu bonum commune totius.

Notandum ſecundò, quod bonum totius ſemper præponderet bono particulari: qua ratione videmus, quod aqua contra inclinationem ſuam particularem aſcendat ſurſum ad replendum vacuum. Ac proindè ſi aliquid ſimul eſſet melius parti, & non toti, tunc pars ſine dubio deberet cedere toti, ne huic fiat aliquid in præjudicium. Et ideò bonus & univerſalis gubernator, prudenter tale commodum ſubtrahit parti, ut ſalvetur perfectio totius. Licet enim melius eſſet perdere pedes quam caput, multo tamen melius & conformius eſt, quod homo habeat unum caput & duos pedes, quam ſi haberet duo capita & unum pedem. His præmiſſis

Dico, quod Deus Adamum in ſtatu innocentiæ ſufficienter & verè cuſtodierit. Probatur. Quia Deus Adamo in ſtatu innocentiæ dedit juſtitiam originalem & gratiam, per quam ſe potuiſſet cuſtodire à peccato, ſi voluiſſet: ex quo

ſor-

formatur talis ratio. Ille verè & ſufficienter dicitur alterum cuſtodire, qui dat ei omnia neceſſaria ad vincendum, ita ut nihil ipſi deſit, niſi propria voluntas applicans talia arma ad vincendum: ſed Deus Adamo in ſtatu innocentiæ dedit omnia arma neceſſaria ad vincendum, nimirum Juſtitiam originalem, ita ut nihil ei defuerit, niſi propria voluntas applicans hæc arma. Ergo Deus verè cuſtodivit Adamum. Major conſtat, quia ſi quis habeat omnia neceſſaria ad vincendum, & eis non velit uti, dicetur ipſi, perditio tua ex te. Minor ſimiliter conſtat, quia dum Adam habuit Juſtitiam originalem, quantumvis tentatus fuerit, potuiſſet tamen ſe ſtatim per actum amoris ſupernaturalis convertere ad Deum: ſed ſi Adam ſe voluiſſet convertere per actum amoris ſupernaturalis ad Deum, potuiſſet ſine dubio vincere inimicum: Ergo Adam cum armis ſibi datis à Deo, & cum Juſtitia originali potuit facillimè vincere adverſarium ſi voluiſſet.

Dices primò, Deus potuiſſet etiam iſtam tentationem auferre, ergo non ſufficienter cuſtodivit.

Reſpondetur quod Deus dando Juſtitiam originalem Adam, ſufficienter cuſtodierit illum ab intrinſeco, ita ut habuerit ſufficientiſſimas vires ad vincendum tentationem extrinſecè ſupervenientem à Diabolo. Nec Deus tenebatur hanc tentationem extrinſecam ab Adamo tollere, ſed potius præbuit occaſionem Adamo vincendo tentationem, ut majorem gloriam mereretur apud Deum. Homo enim factus eſt, ut per victoriam ad beatitudinem perveniret: victoriam autem habere non poteſt, niſi per pugnam. Præſervare autem hominem à pugna eſſet eum impedire à victoriis, ad quas obtinendas fuit ordinatus.

Itaque homo fuit ordinatus ad beatitudinem taliter, ut eam mereatur declinando à malo, & faciendo bonum: quia via *communis* homini conceſſa eſt per victoriam tentationum. Unde falſum eſt, quod ſtante hac ordinatione divina de beatitudine ab homine conſequendâ per victoriam homo ita convenienter poſſit attingere beatitudinem, ſine tentatione, quàm cum tentatione. In cujus ſignum ipſemet Chriſtus Dominus tentationes ſuſtinuit ab extrinſeco, tum à dæmonibus, tum à malis hominibus.

Dices ſecundò; potuiſſet Deus Adamum creare cum gratiis naturalibus, & infuſis, adeò ut fuiſſet immutabilis ad malum, ſicut erit homo in beatitudinem; Ergo cum Deus dando juſtitiam originalem Adamo non fecerit eum immutabilem ad malum, non ſufficienter eum cuſtodivit.

Reſp. Negando conſequentiam. Nam ut dictum eſt, Adam cum juſtitia ſua originali habuit omnia neceſſaria ad vincendum, dummodo voluiſſet; tentatio autem fuit ei ſolum permiſſa, ad hoc ut vinceret. Quia autem ex propriâ voluntate convertendo ſe per actum amoris ad Deum vincere noluit, ſibimetipſi debet adſcribere lapſum. Adde, quod quæſtio in præſenti ſolum ſit de homine, prout à Deo creatus fuit ad beatitudinem conſequendam per victoriam; quæ victoria ſine pugnâ? nec pugna ſine tentatione eſſe poteſt. Non autem procedit quæſtio, quid Deus de abſoluta ſuâ potentia facere potuerit, nam hoc modo Deus de abſoluta ſua potentia ſine dubio potuiſſet creare hominem gratiis ita dotatum, ut eſſet immobilis in bono, & inconvertibilis ad malum: hoc tamen Deus facere noluit, ſed reliquit hominem in manu conſilii ſui.

Dices tertiò. Ad bonum cuſtodem pertinet removere omnia præjudicabilia ab illo, quod eſt ſuæ cuſtodiæ commiſſum: Ergo cum Deus ab Adamo non removerit tentationem, ſignum eſt quod non ſufficienter eum cuſtodiverit.

Reſp. Quod tentatio non fuerit Adamo periculoſa, niſi voluiſſet vinci; nam ut dictum eſt, tentatio homini ſolum eſt data ut glorioſè vinceret; & ideò tentatio à bono cuſtode permitti potuit. Unde *S. Auguſtinus ſuper Pſal.* 60. ait. Vita noſtra in hac peregrinatione, & profectus noſter per tentationem fit; nullus ſibi innoteſcit, niſi tentatus; nec poteſt coronari, niſi vicerit; nec poteſt vincere, niſi certaverit; nec poteſt certare niſi inimicum & tentationes habuerit. Sanctus etiam *Ambr. in quadam Ep. ait*: Deus omnium ipſe rector & Dominus, cum omnium Angelorum militia certamen tuum exſpectat, tibique contra Diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. Sed

Dices, Deus prævidit, quod Adam huic tentationi ſuccumberet: Ergo non debuiſſet permittere ut tentaretur.

Reſp. Quod quidem prævidit eum ex propria voluntate, & culpa eſſe tentationi conſenſurum: ſed etiam ſcivit, quod cum ſua juſtitia originali poſſet vincere, dummodo velit. Cur autem permiſerit Adam labi, non eſt hujus loci inveſtigare. Et quis audet Deum interrogare de hoc, vel quis conſiliarius ejus fuit? Dicamus pro nunc cum Apoſtolo. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ illius. Dicamus, & illud cum Eccleſia: O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem! nam ubi ſuperabundavit delictum; modo ſuperabundavit & gratia, quam nobis ſemper concedat omnipotens Dominus.

LECTIO CXXVI.

TEXTUS.

Ab hac, ut receſſit injuſtus in ira ſua per iram homicidii fraternitas deperiit; propter quod, cum aqua deleret terram, ſanavit iterum Sapientia per contemptibile lignum juſtum gubernans.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus oſtendit gubernationem utilem & mirabilem ipſius Adami, quem in agro Damaſceno creavit; deinde verò in paradiſum tranſtulit; ac tandem à peccato liberavit; nunc in iſta Lectione proſequitur deſcribere quomodo Sapientia mirabiliter protexerit *Noe* cum uxore ſua, ac tribus filiis ſuis *Sem*, *Cham*, *& Japhet*, uxoribusque eorundem à diluvio. Quia autem cauſa diluvii fuit multiplex malitia *Chami*, & ſeminis ſui, ideò incipit

Digitized by Google

pit Spiritus ſanctus in hac Lectione à primo peccato *Cain*, qui à primo ſuo homicidii peccato continuavit malitiam per deſperationem, & aliorum peccatorum multiplicationem, tam in ſe, quàm in filiis ſuis, donec per diluvium tota illa cognatio ex integro deperiit, præter octo perſonas, ut dictum eſt.

Dicit ergo ſic. *Abhac* (id eſt à Sapientia) *poſtquam receſsit injuſtus in ira ſua*, id eſt, *Cain* per iram homicidii: *fraternitas deperiit*, id eſt, ceſſavit eſſe fraternitas; quia deſtructo uno relativorum, deſtruitur & alterum. Vel per iram homicidii fraternitas deperiit, id eſt, amor & gratitudo, quæ inter fratres debent inveniri.

Bene autem & ſignanter dicitur in textu, quod Cain incurrerit homicidium ex eo, quia receſſit à ſapientia. Nam prius in inſtanti naturæ homo dimittit Deum, & recedit ab eo, quàm Deus recedat ab eo per gratiam. Prius enim ordine naturæ homo peccat, quàm privetur gratia, licet iſta ſimul ſint in eodem inſtanti reali temporis. Undè *S. Bernardus* inquit, Dulcis JEſus primus eſt in acceſſu, & ultimus in receſſu. *Iob* etiam 21. dicitur de peccatoribus: Dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.

Subditur in textu, *propter quod* ſcilicet peccatum Cain continuatum per ſuos poſteros (juxta illud *Gen* 6 Corrupta eſt terra coram Domino, & repleta eſt iniquitate) *cum aqua deleret terram*, id eſt, cum Deus per aquam diluvii deleret homines, & beſtias in terra habitantes, Iterum *Sapientia*, quæ Deus eſt, *ſanavit genus humanum, gubernans juſtum* (videlicet Noëmum, qui, ut dicitur, *Gen.* 6. Erat vir juſtus atque perfectus in generationibus ſuis) *per contemptibile lignum*, id eſt, per arcam de lignis fabricatam. *Gen* 6. Fac tibi arcam de lignis lævigatis, id eſt politis. Dicitur autem arca *contemptibile lignum*, quia forte judicio nautarum figura Arcæ fuit valde rudis.

Dixi in explicatione textus, quod cauſa diluvii ad puniendum commovens fuerit peccatum *Caini*, & poſterorum ſuorum. Nunc videndum eſt, qualiter peccata creverint, & malitia poſterorum *Caini* multiplicata fuerit ſuper terram. De hac re diſcurrit exactè *Methodius*, dicens. Quod quingenteſimo anno primæ cicladis, id eſt primi millenarii ipſius mundi, filii Cain abuſi fuerint nimis uxoribus fratrum ſuorum. Anno verò ſexcenteſimo primæ cicladis mulieres in veſaniam verſæ ſupergreſſæ viris abuſæ ſunt. Anno autem quingenteſimo ſecundæ cicladis inarſerunt homines in alterutrum coëuntes. Anno vero ſeptingenteſimo ſecundæ cicladis, filii Seth concupierunt filias Cain; & ab eis orti ſunt Gigantes: quamvis etiam ante hos Gigantes fuerint, teſte *S. Auguſtino* 15. *de Civit. Dei*.

Porrò Adam prohibuerat *Seth* & filiis ſuis, ut non cohabitarent, nec matrimonio jungerentur cum ſtirpe *Cain*; & ideò filii *Cain* habitarunt in oriente in monte *Corban*: Filii verò *Seth* habitaverunt circa Damaſcum. Iſta autem Adami prohibitio ſervabatur, quamdiu Adam vixit; quo mortuo, filii *Seth* contra prohibitionem patris conjunxerunt ſe filiabus *Cain* propter earum pulchritudinem, & ſeſe totaliter libidini mancipartunt; propter quod diluvium univerſale contigit.

Hoc vero diluvium duraverat per unum annum; nam uno anno terminato eodem die, quo Noë ingreſſus fuit Arcam, etiam ex illa fuerat egreſſus.

Arca denique fuit in fundo quadrangularis formæ, ſed non fuit totaliter quadrata, cum una pars fuerit longior altera parte. Itaque longitudo Arcæ fuit 300. cubitorum, latitudo 40, altitudo 30. & fundus ab angulis in arcum aſcendebat, & ſummitas ejus in cubito conſummabatur. In latere vero juxta fundum habuit oſtium, per quod homines & animalia ingrediebantur, & cum ingreſſi eſſent, Dominus clauſit illud à foris. Et verſus ſummitatem habet feneſtram, quam Hebræi dicunt fuiſſe chryſtallinam.

In ipſa verò arca fuerunt quinque diſtinctiones ſecundum *Strabum*, & ſecundum *S. Auguſtinum* Dicit enim hic Doctor, quod Arca immediate ſupra fundum habuerit quoddam ſpatium vacuum, ſicut contingit in navibus, quod ſpatium dicitur ſeotina; & ſupra illud fuit unum tabulatum; ſuper hoc vero fuit iterum tabulatum ſecundum, & poſtea ſuper illud tectum. Spatium ergo immediatum ſub tecto poſitum, diviſit *S. Auguſtinus* in tres partes, at vero ſpatium ſub illo poſitum diviſit in duas partes. Et ſic ſecundum *S. Auguſtinum* arca 5. cameras habuit, tres ſuperiores, & duas inferiores. Ex tribus cameris ſuperioribus media camera erat pro hominibus, aliæ duæ collaterales erant pro animalibus; de duabus vero cameris inferioribus altera fuit Apothecaria, in qua ponebantur cibaria ad eſum hominum & animalium; altera verò dicebatur ſtercoraria.

Alii verò ſunt, qui iſtas 5. cameras in altitudine diſponunt, dicentes infimam eſſe ſentinam; ſecundam Apothecariam; tertiam mitium animalium; quartam verſus immitium animalium, & quintam hominum. Circa illa verba textus *Receſsit injuſtus in ira ſua*. ſit

ARTICULUS UNICUS.

An ira faciat injuriam Deo, proximo, & ſubjecto proprio?

Dico quod Ira ſubtrahat Deo effectum ſuæ potentiæ, proximo affectum debitæ benevolentiæ; & proprio ſubjecto aſpectum rationis, & intelligentiæ.

Explicatur prima pars, quod ira ſubtrahat Deo effectum ſuæ potentiæ. Nam Deo convenit ratione ſuæ potentiæ culpas judicialiter vindicare; bonos ſpecialiter inhabitare, & eis liberaliter ſua bona legare: at verò contra iſta tria Iracundus Deo injuriatur. Siquidem primò à Deo aufert vindictam, quia ira eſt deordinatus appetitus vindictæ. Et Deus dicit: Mihi vindictam & ego retribuam. Deus enim duo ſibi retinuit, gloriam videlicet & vindictam: ex quibus gloriam Deo ſuperbus aufert, & vindictam iracundus. *Iſai.* 44. Gloriam meam alteri non dabo.

Secundò Iracundus Deo injuriatur, quia expellit eum à quiete ſuæ habitationis. *In Pſ* Et factus eſt in pace locus ejus. Ira autem pacem turbat, & deſtruit. *Prov.* 15. Vir iracundus provocat rixas. Et domum quæ tota die moveretur, & tremeret, nullus magnus dominus inhabitaret,

Ter-

Tertiò Iracundus Deo injuriatur impediendo, ne legatum Dei poſſit ſtare. Legavit enim Deus pacem hominibus *Joan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et ideo Iracundus eſt vitandus tanquam excommunicatus. *Prov.* 22. Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo.

Explicatur ſecunda pars, quod ira ſubtrahat proximo affectum debitæ benevolentiæ. Tenetur enim quivis ſui proximi ſalvare ſubſtantiam, famam, & perſonam. At verò contra iſta tria compellit ira ad nocendum proximo; videlicet in ſubſtantiam deprædando; in fama diffamando; & in perſona trucidando. *Eccleſ.* 27. Ira & furor utraque execrabilia; quia (*Eccleſ.* 28.) Objurgatio, & ira annihilabunt ſubſtantiam. Dicit *Ariſtoteles lib.* 3. *de animalibus* quod apis ejiciendo aculeum moreatur Sic etiam moraliter eſt de Iracundo, dum enim exercet malitiam ſuam contra proximum verbo, vel opere, lædendo in ſubſtantia, perſona, vel ſama proximi, interficit ſpiritualiter ſeipſum. *Job.* 5. Virum ſtultum interficit iracundia.

Explicatur tertia pars, quod ira proprio ſubjecto ſubtrahat tria bona; primò enim deſtruit honeſtatem naturalis diſpoſitionis; ſecundò impedit poteſtatem naturalis rationis; & tertiò minuit quantitatem vitalis durationis.

Primo itaque deſtruit honeſtatem naturalis diſpoſitionis; quantumcunque enim perſona ſit pulchra, ita tamen invertit oculos, genæ fiunt rubicundæ vel pallidæ; geſtus eſt tremulus, lingua ceſpitat; rugatur frons: & totus homo dehoneſtatur. *Seneca de ira* ait: Nulla facies feræ eſt ita turpis, ſicut facies homini iracundi

Secundò impedit ira poteſtatem naturalis rationis, juxta hunc verſum:

Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

Et ideò Diabolus facit ſicut aſtutus piſcator. Hic quando vult decipere piſces, turbat aquam; tuncque ſecurus eſt, quod non poſſint piſces videre ſuum rete. Eodem modo facit Diabolus in quacunque congregatione, immittit enim in aliqua hominum communitate turbationem per aliquem iracundum, & tunc ducit eos ad peccata, & malitias excogitandas, ſicut ſibi placet, & ſic totam congregationem reddit turbatam. Dicit *Ariſtoteles Elench* 1. quod ira ſit ſpeciale ſtratagema ſophiſtæ, videlicet ut ſocium contra quem argumentatur, provocet ad iram: quia impedit ita animum, ne poſſit cernere verum, ut dictum eſt. Iſte ſophiſta eſt Diabolus. *Eccleſ.* 37. Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt. Præterea docet *Ariſtoteles lib.* 1. *de animalibus*, quod iſta tria conjungantur, ira, inſipientia & indocebilitas: & ponit exemplum de apro agreſti. Et certè talis eſt iracundus, nimirum inſipiens, & indocilis, *Eccleſ* 7. Ne velox ſis ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.

Tertiò ira minuit quantitatem vitalis durationis. Notum eſt, quod animalia, quæ ſunt naturæ cholericæ, ſint etiam brevioris vitæ, ſicut maximè patet de cane. Et hoc eſt, quod dicitur *Eccleſ.* 30. Zelus, & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectutem adducunt. Undè antiqui dixerunt: Iram brevem inſaniam.

Hæc ergo Ira eſt præcipuè cavenda, quæ fecit Cainum injuſtum. imò quemlibet à ſe invaſum facit injuſtum. Juxta illud *Jacob.* 1. Ira viri juſtitiam Dei non operatur. Et ideò Ira meritò comparatur gemmæ cuidam Onix, cui malæ proprietates tribuuntur in Lapidario. Nam hæc gemma ſuſpenſa in collo in ægritudine,

In ſomno lemures, & triſtitia cuncta figurat:
Multiplicat lites, & commovet undique rixas.

Hæc gemma venit ex India, & Arabia, & nullam bonam virtutem, vel paucas habet. Unde merito Onix deſignat iracundiam, quæ nihil valet; ſed tantum ſæpe facit lemures, id eſt diabolicas imaginationes: quando irruit in hominem, turbatque cerebrum & commovet rixas. *Prov.* 27. Grave eſt ſaxum, & oneroſa eſt, arena, ſed ira ſtulti utrâque gravior. Unde *Seneca tertio de ira*, aſſimilat iram peſtilentiæ, ut dicit: Quod ſicut contra peſtilentiam nulla bona diſpoſitio valet, ita nec contra iram aliqua diſpoſitio morum, ſed tam bonos quam malos mores laceſſit, nihilominùs dicitur in Lapidario, quod contra malitiam prædictæ gemmæ inveniatur virtus alterius gemmæ quæ vocatur Sardis, in cujus præſentia non poteſt Onix nocere. Moraliter iſta ſecunda gemma deſignat patientiam. *Prov.* 15. Reſponſio mollis frangit iram.

LECTIO CXXVII.

TEXTUS.

Hac & in conſeſſu ſuperbia, cum ſe nationes extuliſſent, ſcivit juſtum, & conſervavit ſine querela Deo: & in filiis miſericordiam fortem cuſtodivit.

EXPLICATIO TEXTUS.

NUnc in hac lectione ponit Salomon ſpecialem commendationem ſapientiæ, ex gubernatione Abrahæ, & benedictione filiorum ſuorum; prius tamen tangit mirabilem ſuperbiam aliquorum, qui volebant ædificare turrim Babylonicam pertingentem uſque ad cœlum, ad hoc, ut ſe ſalvare poſſint contra diluvium, ſi forte Deus iterum vellet mundum perinundationem aquarum punire. Narrat autem *Philo in lib. quæſtion. ſuper Geneſim.* de tribus filiis Noë, nimirum *Sem*, *Cham*, & *Japhet*, quod poſt diluvium adhuc ipſo *Noë* vivente nata ſint viginti quatuor millia hominum, & centum, præter mulieres & parvulos: & habuerunt ſuper ſe tres duces, videlicet *Nemroth* ſuper filios Cham; *Ibetram* ſuper filios Sem, & *Aſcne* ſuper filios Japhet. Hic ergo poſt mortem *Noë* metuerunt ſe ab Oriente, & venerunt in campum *Senaar*, qui nunc *Babylon* vocatur, ubi cœperunt ædificare turrim, volebantque, ut ſummitas illius cœlum tangeret, id eſt, mediam regionem aëris; aër enim ſæpè cœlum vocatur; & ita vocamus volucres cœli, qui tamen non ſunt in cœlo, ſed in aëre. Iſtam autem turrim, ut dictum eſt, volebant facere tam al-

tam, ad defendendum ſe contra diluvium altiores. Sed Dominus Deus confudit linguas ipſorum, ita ut ibidem certæ fuerint ſeptuaginta duæ linguæ diverſiſſimæ: juxta quarum numerum Chriſtus etiam poſtea ſibi elegit 72. Diſcipulos. Ex quibus linguis treſtant principalea, nimirum Hebraica, Græca, & Latina; Et ideo etiam titulus Chriſti Domini ſuper Crucem ſcriptus fuit his tribus linguis. Porro homines illi, juxta quod acceperunt idioma ſeſe diviſerunt; & ita homines linguæ Hebraicæ in certam terram; & homines linguæ Græcæ in aliam terram ſeſe contulerunt & ſic de aliis. Locus autem in quo volebant ædificare hanc turrim, vocatus eſt *Babel*, quod interpretatur *Confuſio*; quia ibi fuit confuſum labium univerſæ terræ. Gen. 11.

Iſtam ergo mirabilem præſumptionem præfatorum hominum tangit Salomon in præ en i, & dicit: *Hac* (id eſt Sapientia) *in confeſſu ſuperbia* (id eſt, in confeſſu ſuperborum) *cum ſe nationes extuliſſent* (quando dixerunt: Venite, faciamus civitatem & turrim, cujus cacumen pertingat uſque ad cœlum) *ſcivit juſtum*, id eſt *præſcivit* juſtum, id eſt, Abrahamum eſſe futurum, quem etiam elegit tanquam reparatorem, & zelatorem cultûs divini. Præſcivit inquam, & providit Abrahamum eſſe futurum, quia Abraham tempore diviſionia linguarum necdum exſtiterat.

Et conſervavit eum ſine querela à Deo (id eſt ad honorem & voluntatem Dei) conſervavit autem Deus Abrahamum quando eduxit eum de terra Chaldæorum, in terram Chanaan. *Gen.* 12. Et inde in terram Ægypti, ubi ex timore dixit: Saram, quæ fuerat uxor ſua, eſſe ſuam ſororem. Idem reſpondit Regi. *Gen.* 20. Præterea etiam idem Abraham Aram, qui erat ſuus frater, dixit eſſe patrem ſuum, quia Aram erat frater ſenior: Hebræi autē fratres ſuos ſeniores vocarunt patres. Sara vero, quæ fuerat filia Aram, & ita cognata Abrahami, vocavit Abraham ſub hoc titulo cognationis ſuam ſororem, juxta conſuetudinem loquendi inter Hebræos qui cognatos vocant fratres & cognatas vocant ſorores. Et ita Abraham non fuit mentitus: *quia Sapientia conſervavit eum immunem à culpa.*

Et in filijs miſericordiam fortem cuſtodivit. Quod verificatum fuit, quando Deus Abrahamo centenario dedit filium. *Gen.* 17. Et quando Deus cum ipſo fecit fœdus Circumciſionis loco citato. Statuam, inquit, pactum meum inter me & ſemen tuum poſt te in generationibus tuis fœdere ſempiterno.

Narrat autem *Magiſter in Hiſtorijs*, quod quando Abraham tempore famis fuerat in Ægypto, tunc Ægyptios docuerit Arithmeticam & Aſtrologiam antea eis ignotam. Ab his deinde illa ſcientia devenit ad Græcos, & à Græcia ad Latinos Circa illa verba: *Miſericordiam fortem cuſtodivit.* Sit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum miſericordia Dei erga homines ſit fortis intenſivè, extenſivè, & durativè?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod miſericordia Dei ſit fortis intenſivè. Quia parcit homini in peccato exiſtenti, pro quo homo non poteſt ſatisfacere. Et ideo inquit Venerabilis *Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 6.* Deus eſt miſericorditer incarnatus, ut pro homine ſatisfaceret factus homo. Unde etiam *Apoſt. ad Tit. 3.* inquit: Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit. Conſtat, quod illa potentia activa, cui non eſt aſſignabilis aliquis finis, ita ut dato quocunque non exhauriatur, ſed ſemper poſſit aliquid melius & melius facere, dicatur infinita. Talis autem eſt miſericordia Dei dimittentis peccata, quia dato quocunque peccato, & qualitercunque multiplicato, Deus ſtatim illud condonat, dummodo homo illud corde contrito confiteatur: adeoque merito miſericordia Dei fortis intenſivè, & infinita dici poteſt. Narrat *Ambroſius* de Theodoſio Imperatore, quod homini petenti veniam ob aliquod peccatum, ſtatim benevole veniam dederit; quidni ergo faciet Deus, qui eſt infinitè bonus?

Explicatur ſecunda pars, quod miſericordia Dei in homines ſit fortis *extenſivè*. Nam Deus Pater dedit Filium ſuum unigenitum pro toto mundo omnibusque hominibus, etiamſi infiniti eſſent redimendis. Et ipſemet Chriſtus ex caſtiſſima ſua matre, & Virgine Maria incarnatus, nihil aliud per 33. annos operatus eſt, quàm ſalutem & miſericordiam in populo ſuo, dum ignorantes inſtruxit; cœcos illuminavit; ſurdis auditum, claudis greſſum, & mortuis vitam reſtituit: ac tandem, quando ipſemet in benedicta ſua paſſione per coronationem, & flagellationem ſuam tot nobis miſericordiæ fontes aperuit, ut unuſquiſque ex illis haurire poſſit abundanter aquam miſericordiæ. Et de hoc fonte Chriſti loquens *S. Ambr.* ait. Si vulnus ſanare deſideras, medicina eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi iniquâ ſententiâ premeris, juſtitia eſt; ſi gravatis iniquitate, miſericordia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt.

Explicatur tertia pars, quod miſericordia Dei in homines ſit fortis *duratione*. Quia quantumvis homo diu perſeveret in peccato, quamdiu tamen vivit, non debet deſperare de ſua ſalute: ſed ſi corde contrito redierit ad Deum, *certè* veniam impetrabit. Exemplū eſt in bono *latrone*, cui tardiſſimè ſed verè pœnitenti dictum eſt. Hodie mecum eris in Paradiſo. *Luc.* 23. Unde *S. Bernard. ſuper cantica* ait: Omnino propter manſuetudinem quæ in te prædicatur, currimus poſt te Domine Jeſu Chriſte; audientes quod non ſpernas pauperem, nec peccatorem abhorreas: non enim horruiſti Latronem confitentem, nec lachrymantem peccatricem; non Chananæam ſupplicantem; non deprehenſam in adulterio; non ſedentem in telonio; non ſupplicantem Publicanum; non negantem diſcipulum; non diſcipulorum perſecutorem; non ipſos crucifixores tuos: Hæc *S. Bernard.* Itaque miſericordia Domini eſt fortis *durativè*: quoniam miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum. *in Pſalm.*

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

An miſericordia hominis erga hominem plerumque ſit debilis intenſivè, extenſivè, & durativè?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars, de miſericordia *intenſiva* hominis erga hominem, Quia vix aliquis movetur ad compatiendum cuicunque, & ita nunc impletur illud *Apoſt. ad Timoth. 3.* Erunt homines ſeipſos amantes.

Explicatur ſecunda pars, de miſericordia *extenſiva* hominis ad hominem. Quia moderno tempore ſi ſit compaſſio unius hominis ad alium, erit forte erga conſanguineum, ſed non ad extraneum; vel erit ad amicum ſpecialem, ſed non ultra & ideo ſignanter dicitur *Eccleſ.* 18. Miſeratio hominis circa proximum ſuum, miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem.

Explicatur tertia pars, quod miſericordia hominis erga hominem ſit debilis *duratione*. Quia hoc tempore miſericordia hominis erga alterum non durat diutina, quàm homo cernitur oculis: ſicut porcus compatitur porco, quamdiu ipſum audit grunire; Oſeæ 6. Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens. Verumtamen ſic docuit Tobias filium ſuum. Quomodo, inquit, potueris, ita eſto miſericors. *Tobiæ* 2. Et Apoſtolus *ad Coloſſ.* 3. inquit. Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ. Vbi Apoſtolus non dicit, verba miſericordiæ, ſed viſcera; multi enim ſermonibus tantum compatiuntur, ſed operibus valde pauci: & tamen de operibus tantum fiet computatio in Judicio generali. Unde Petrus Ravanenſis in quodam ſermone dicit ſic: In regno cœli coram omnibus Angelis in conventu reſurgentium, quod Abel paſſus ſit, quod mundum ſalvavit Noë, quod Abraham fidem ſervaverit, quod Moyſes legem dederit, quod Petrus crucem reſupinus conſcenderit, Deus tacet; at verò clamabit quod quaſi pauper comederit, dicens: Eſurivi, & vos dediſtis mihi manducare; ſitivi & vos dediſtis mihi bibere. Qui miſericors eſt, miſericordia dignus eſt. Hæc Petrus Ravanenſis.

LECTIO CXXVIII.

TEXTUS.

Hæc juſtum à pereuntibus impiis liberavit fugientē, deſcendēte igne in Pentapolin, quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hoc textu deſcribitur mirabilis liberatio *Loth* ab exuſtione Sodumæ & Gomorrhæ ad declarandum quantum valeat colere Deum: cultus enim Dei vocatur Sapientia ut ſæpius ſupra dixi. Unde, quæ dicta ſunt, vel quæ dicentur de Sapientia, indifferenter exponi poſſunt, vel de Sapientia increata, quæ eſt Deus, vel de Sapientia creata, quæ eſt pietas ac verus Dei cultus ita poſſumus dicere, quod Sapientia creata quæ eſt verus Dei cultus liberaverit, & gubernaverit electos, & ſanctos diſpoſitivè & meritoriè, ex eo quia fecit eos dignos ſpeciali gubernatione divina; Antequam autem textus explicetur, ſciendum eſt, quod (ſicut narratur *Gen.* 18. & 19.) fuerint quinque civitates in regione juxta Jordanem ubi nunc eſt Mare mortuum inter Judæam & Arabiam. Et dicebatur aliquando illa regio Vallis illuſtris. Nomina autem illarum quinque civitatum ſunt hæ; videlicet Sodoma & Gomorrha, Adama, Schoim, & Segor. Iſtæ autem quinque civitates vocantur *Pentapolis*, à Penta, quod ſignificat quinque, & *polis* quod ſignificat civitas. Itaque in illis quinque civitatibus homines vacantes otio, & abundantia victualium ſeſe farcientes, exarſerunt in omni genere libidinis: ita ut naturalem uſum exceſſerint, quem Deus propagando genere humano inſtituit, inter virum & mulierem, & ideo maſculi in maſculos, & fœminæ in fœminas luxuriam exercuerunt.

Dum itaque Deus voluit hoc ſcelus punire, miſit tres Angelus ad Abrahamum non procul à Sodoma habitantem, qui eidem nuntiarunt Sodomam & reliquas quatuor civitates eſſe à Deo ſubvertendas. Porrò Abraham conſiderans, quod Loth eſſet vir bonus & juſtus ſuæ uxoris, oravit Dominum Deum, ut parceret iis propter bonos, ſi reperirentur 50. boni in Sodoma. annuit Deus petitioni. Sed inſtitit Abraham, & dixit. quid ſi eſſent quadraginta quinque Juſti? & rurſus paulatim numerum minorando dixit; ſi eſſent quadraginta? quod ſi triginta? quod ſi 20.? quid ſi tandem decem tantum Juſti reperirentur in Sodoma? reſpondit Dominus, quod etiam propter 10. Juſtus, ſi ibi reperirentur in Sodoma, velit parcere toti civitati. Poſtquam verò in tanta multitudine hominum, nec decem Juſti fuerunt inventi in Sodoma, receſſerunt duo Angeli ab Abrahamo, & inierunt Sodomam. Loth verò habitans in Sodoma, cùm fuerit ſemper hoſpitaliſſimus; videns hos duos Angelos humana ſpecie indutos, putans illos eſſe veros homines, invitavit eos in domum ſuam, fecitque eis convivium; Angeli autem præmonuerunt Loth, quod Sodoma eſſet ſubvertenda ob hominum peſſimorum delicta: & denique mane facto, cùm Loth diſſimularet exire ex domo & civitate, apprehenderunt eum Angeli cum uxore ſua, & duabus filiabus ſuis, & ſtatuerunt eum extra civitatem, dicentes illis, quod fugerent in montem & non reſpicerent retrò. Poſt hæc ſtatim pluit Dominus ſuper illas civitates ſulphur & ignem, & ſubvertit ſtatim quatuor civitates ex eis. *Segor* autem civitati pepercerunt aliquantiſper propter Loth, qui petiit & rogavit, ut ibi poſſet ad tempus morari. Uxor verò Loth ex curioſitate fœminea inducta, reſpexit retrò ſe, & verſa fuit in ſtatuam ſalis. Poſt hæc egreſſus fuit Loth de *Segor*, & ſtatim quoque ſubverſa eſt illa civitas, ſicut quatuor aliæ civitates.

Porrò tota illa regio, quæ (ut dictum eſt, quondam vocabatur vallis illuſtris) verſa eſt in lacum ſalſum & ſterilem, quin deinceps eſt vocatus mare mortuum, quia nec piſces in eo vivunt: imò ſi aliquod vivum in illud projectũ, vel in eodem ſubmerſum fuerit, ſtatim exilit, & ſupernatat. Undè narrat *Ioſephus Iudæus*, quod Veſpaſianus juſſerit quoſdam junctos poſt tergum ligatis manibus projici in illum lacum, ſeu mare mortuum, & ſubmergi, qui tamen omnes quaſi viventes repulſi ſunt ad ſuperficiem, & deſuper natabant. Similiter lucerna ardens intus poſita ſupernatat, extincta verò ſubmergitur. Item lacus ille glebas fœtidas in diverſis locis evomit, & poma in arboribus propè litus creſcentia habent quidem colorem, ſed dum aperiuntur, nihil aliud intus reperitur, quam cinis & favillæ. Et hæc pro notitia hiſtoriæ præmiſſa ſunto. Nunc ad explicationem Textus procedamus.

Hæc (id eſt, Sapientia) *liberavit juſtum fugientem* (videlicet Loth) *à pereuntibus impiis* (nimirum à Sodomitis) *deſcendente igne in Pentapolim* (id eſt, in regionem quinque prædictarum civitatum) *quibus* (id eſt impiis) *in teſtimonium nequitiæ conſtat terra deſerta* (id eſt deſtructa, & combuſta) & adhuc *fumigabunda* (id eſt, adhuc emittens fumum fœtidum) in ſignũ fœtidi peccati, quod antiqui incolæ commiſerant. Sunt etiam ibidem in teſtimonium nequitiæ eorum arbores parturientes fructus intus ſolo cinere repletos: & *alia incerto tempore fructus habentes arbores* ut innaturalitati peccati contra naturam commiſſi, correſpondeat innaturalis fructus arborum. Et denique conſtat in teſtimonium nequitiæ commiſſæ *incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis*; puta illa ſtatua ſalis, in quam fuit converſa uxor Loth: quæ ſtatua eſt memoriale quoddam *incredibilis animæ*, id eſt, fœminæ non credentis Angelo, ne reſpiceret à tergo, ut videret veritatem. Circa illa verba: *Liberavit fugientem*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum diabolo reſiſtere; carnem autem & mundum tanquam hoſtes noſtros fugere debeamus?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Nam de diabolo dicit *Petrus*, cui reſiſtite fortes in fide. Item Jacob. 4. dicitur: Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis. Undè etiam de reſiſtentia, quâ reſiſtitur diabolo dicitur metricè.

Hoſtis non lædit, niſi cùm tentatus obedit:
Eſt Leo ſi cedit, ſi non, quaſi muſca recedit.

Arma autem, quibus reſiſtere debeamus diabolo ſunt ſobrietas & vigilia; juxta illud *Petri*: Fratres ſobrii eſtote, & vigilate. Vigilia autem debet eſſe talis, qualem deſcribit Chriſtus loquens ad ſuos diſcipulos: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Præterea arma noſtra, quibus diabolo reſiſtamus, ſunt *amor Dei*, quo ſancti Martyres deriſerunt tormenta tyrannorum: & *humilitas*, quâ ſe vinci à SS. Patribus ſæpè ſæpius diabolus confeſſus fuit.

Explicatur ſecunda pars de carne & carnali ſocietate fugienda. Nam carnalis ſocietas generat ignem libidinis inter quaſcunque perſonas, nec eſt facilè eas declinare ſine fuga. Nullus ergo confidat de ſenectute, & nullus de ſuæ religionis virtute. Ferrum & ſilex ſunt duo corpora frigida, & tamen ex eis minima percuſſione elicitur ignis. Undè Iſai. 48. dicitur: Egredimini à Babylone, fugite Chaldæos. *Babylon* interpretatur confuſio, *Chaldæi* autem adoraverunt ignem: & figurant homines libidinoſos, qui per ardorem ignis ducunt ſe communiter in confuſionem ignominiæ. Et ideò pro ultimo remedio dicit *Apoſtolus* 1. *Cor.* 6. Fugite fornicationem. Metricè quoque dicitur:

Si fugias Veneris prælia, tutus eris:

Explicatur tertia pars, quod nempè mundus tanquam hoſtis noſter ſit fugiendus; idque exemplo Chriſti Domini: qui propoſitâ ſibi mundi vanitate, quando ipſum regem facere volebant, fugit in montem Joan. 6. Et meritò fugiendus eſt mundus, quia in eo nihil eſt, niſi concupiſcentia oculorum, luxuria carnis, & ſuperbia vitæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum fœmina ſit fugienda velut venenum Colubri?

Dico quod ſic.

Explicatur aſſertio. Res cunctis manifeſta eſt, quod nullus libenter dormiat, vel quieſcat in aliquo loco, ubi ſerpentes vel colubri communiter habitant, & diſcurrunt: & hoc ideò, quia quivis timet, ne ab ipſis animalibus inficiatur per eorundem venenum. Moraliter loquendo mulieres facilius intoxicant mentem, quam Coluber carnem; nullum enim venenum inficit carnem, niſi prius commiſceatur ſanguini illius, qui eſt inficiendus: at verò ſpecies mulieris à longè etiam ſine tactu per ſolam immutationem occultam oculorum inficit, & allicit mentem, quia qui ſolum viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matth. 5. Undè etiam rectè de fœmina, quæ eſt radix peccati, exponi poteſt illud Eccleſ. 17. Quaſi à facie Colubri fuge peccatum. *Coluber* dicitur, quaſi *colens umbras*: ſic etiam mulieres communiter angulos, & umbras, & loca non patentia diligunt. Juxta illud Eccl. 21. Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris. Et paulò ante dicitur: quod omnis malitia nequitia mulieris.

De hac re pulchrè diſſerit *Petrus Bleſenſis ad Henricum Regem Angliæ in expoſ. quadam ſuper Iob.* Ubi cùm expoſuiſſet, quare diabolus Jobum omnibus ſuis bonis ſpoliavit, auferendo ab eo non ſolum ſuam ſubſtantiam, ſed etiam filios & filias, ſolâ uxore eidem relicta; hoc inquit non fuit ad ſolatium viri, ſed ad conſummationem ſuæ malitiæ; ut per fœminam vinceret, quem alia perſecutione vincere non poterat: quod verberibus efficere nequit, verbis peſſimis inſultantis fœminæ præſtare nitebatur.

tur. Per fœminam (pergit *Petrus Bleſenſis*) Juſeph incarceratus eſt; Naboth occiſus; Samſon vinculatus; Isboſeth interſectus; David adulter & homicida; Salomon Apoſtata; Siſara clavis confoſſus: Præcurſor Chriſti Joannes decollatus. Per fœminam mors in orbem terrarum intravit; & cum per Filium Dei ordinata eſſet noſtra redemptio, præſentiens hoſtis quod in morte Chriſti diſpenſatio noſtræ redemptionis impleretur, ſalutem totius generis humani machinatus eſt per fœminam impedire. In uxorem namque Pilati viſiones deceptorias & phantaſticas illuſiones immiſit; in tantum, ut Pilato mortem Chriſti diſſuadendo dixerit: Nihil tibi: & Juſto illi, multa enim per viſum paſſa ſum propter illum. Hæc *Petrus Bleſenſis.*

Dum Chriſtus Dominus ſolus locutus fuerat cum quadam muliere, mirabantur diſcipuli *Ioannis* 4. Quid ergo mirum ſi homines infirmi, hominem infirmum, ſæpè confabulantem cum fœminis videant, & judicent ſiniſtrè? Vis ſiniſtrè non judicari, fugias fœminarum conſortium neceſsè eſt. Legitur Gen. 2. quod propter mulierem formandam coſta fuerit aſſumpta de viro. Sed quid Deus Adamo loco illius coſtæ repoſuit? Certè ſicut ibi dicitur: Deus replevit carnem pro illa coſta ab Adamo excerpta, in ſignum, quod quantumcunque homo fuerit mulieri familiaris, & quantumcunque eam ad bonos mores, & vitæ rectitudinem (quæ eſt quaſi os quoddam ſolidum) promoveat, nihil tamen ab ea vice verſa rejicit quam carnem id eſt, carnales affectiones. Et ideo ille caſtiſſimus Joſeph allectus, & invitatus ab uxore Domini ſui, pallium reliquit. Hanc fugam *S Auguſtinus* de cohabitatione Clericorum, & mulierum deſcribit his verbis. Gravem inimicum ſortita es caſtitas, cui non ſolum reſiſtendum eſt, ſed dimiſſo etiam freno longius fugiendum. Nec eo minus cavendæ ſunt fœminæ quæ religioſæ dicuntur: quia quantò religioſiores tantò citius alliciunt, & ſub prætextu pietatis latet viſcus libidinis. Experto crede (dicit S. Auguſtinus Epiſcopus) loquor coram Deo non mentior. Cedros libani, & duces gregum, ſub hac peſte cecidiſſe reperi: de quorum caſu non magis ſuſpicabar quam Ambroſii vel Hieronymi. Hæc S. Auguſt. Hic quoque audiendus eſt *Ambroſius, Lib.* 1. *de officiis* ita dicens: Fœminarum cum clericis nullo modo permittitur converſatio, janua Diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nocivum genus eſt fœmina; cum proximat ſtimulat & ignem accendit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Utrum Fœmina ſenſibiliter lædat virum, voce, viſu, & tactu?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod fœmina lædat voce ſua virum. Vox enim mulieris frangit naturaliter virilem animum ſuavitate mirabili, periculoſa tamen. Unde *S. Auguſtinus* de ſingularitate Monachorum, *Cap.* 8. ait: Mulier ſe nunc in riſum diſſolvit, nunc blanditias exhibet, & quod eſt veneneſius, ſuper cuncta pſallere delectatur, cujus cantu tolerabilius eſt audire Baſiliſcum. Hæc *S. Auguſt.*.

Explicatur Secunda pars, quod mulier virum lædat viſu ſi videatur. aſpectus enim fœminæ occulta parat aſpicienti, nectitque retia; quibus ipſum in lubricum rapiat amorem, vinctumque teneat; Undè metricè dicitur:

Fœmina fax Sathanæ, fœtens roſa, dulce venenum
Semper prona rei, quæ prohibetur ei.
Vrit enim veſtu, viſu, riſu, cute, cultu;
Hujus ab inſultu, quantum potes eſto procul tu.

Explicatur Tertia pars, quod fœmina tactu lædat virum. Unde *S. Auguſtinus Lib.* 1. *Soliloquiorum Cap.* 5. Sic ait: Nihil eſſe ſentio, quod ex arce contemplationis animum virilem dejicit, quam blandimenta fœminæ tactusque corporum. Unde *Ioan.* 20. Noli me tangere mulier, dixit Chriſtus Mariæ Magdalenæ cum ſola eſſet. Et 1. *ad Timoth.* 6. dicitur: Tu vero homo Dei hæc fuge. Et iterum: Bonum eſt mulierem non tangere.

Conſtat quod illi, qui fugiunt fluviorum inundationes, aſcendant montana. morali er loquendo. Mons eſt ſacra religio, ad quam confugere dèbent, qui carnis delitias & fœminarum conſortia perfectè evitare volunt: exemplo iſtius *Loth*, de quo in hac lectione fuit ſermo, cuique dictum eſt ab Angelo: Ne ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac. Omnis ſtatus in mundo eſt quaſi circa regionem voluptatis carnalis cum fœminis, ſed ſolus mons religionis eſt locus ſecurus. *Luca* 21. Qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes *Iudæa* interpretatur cōfeſſio, & ſignificat veram pœnitentiam veteris vitæ carnalis: quam veram pœnitentiam, quicunque habere voluerit, ad montem religionis accedat, qui modò rectè ſolitudo propter raritatem accedentium eſſe reputatur. *In Pſal.* Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.

LECTIO CXXIX.

TEXTUS.

Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapſi ſunt, ut ignorarēt bona; ſed & inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriā, ut in his quæ peccaverunt, nec latere potuiſſent. Sapientia autem hos qui ſe obſervant, à doloribus liberavit.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hac lectione oſtendit Spiritus ſanctus, juſtam & publicam pœnam Sodomitarum ob inveteratum ipſorum & publicum peccatum. Deinde autem oſtendit, quod Sapientia miſericorditer ſalvaverit bonos. Ante explicationem autem textus

Sciendum eſt ex *Ariſtotele* 7. *Ethic.* quod intemperans, & incontinens differāt in hoc, quod incontinens peccet ex aliqua paſſione, ſciens quidem, quod id, quod operatur, ſit peccatum, ſed tamen victus à paſſione illud facit: & ideò incontinens poſtquam peccavit, & paſſio ceſſavit, facilè & citò pœnitet. At verò intemperans non peccat ex paſſione, ſed ex mala con-

ſuetudine & malitia, ita, ut judicet id, quod cæteroquin eſt peccatum, ſibi eſſe licitum: & ideo talis habet intellectum jam obcæcatum, nec pœnitet facilè de peccato commiſſo, ſed eſt propemodum inſanabilis, hoc eſt, vix ſanabilis, & ad bonam frugem reducibilis, propter inveteratam, & quaſi radicatam conſuetudinem peccandi, ratione cujus libertimè peccat. Nec mirum, quia peccator, cum in profundum venerit, contemnit, id eſt, nihil curat peccare: nec bonas aſpirationes admittit, ſed eas ſtatim à ſe repellit. Et tales intemperantes fuerunt Sodomitæ, qui abſque rubore ullo palam Sodomiam ad invicem commiſerunt, ideoquè publicum eorum peccatum etiam merebatur publicam pœnitentiam.

Dicit itaquè Spiritus ſanctus in textu allegato ſic; *Sapientiam enim* (id eſt, timorem & cultum Dei) *prætereuntes* (videlicet Sodomitæ in otio, gula, & luxuria viventes) *non tantum in hoc lapſi ſunt* (putà à judicio recto rationis, dum enim illud, quod erat magnum peccatum, judicarunt ſibi eſſe licitum) *ut ignorarent bona* (Id eſt Sodomitæ in tantam ignorantiam inciderunt, ut neſcirent bona & commendabilia in genere morum) *ſed etiam inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam* (id eſt, Sodomitæ inſipientiæ ſuæ tam liberè peccando perpetuam aliis hominibus reliquerunt memoriam, per hoc, quod peccatum ipſorum tam acriter & publicè per conflagrationem fuerit punitum à Deo, quatenus alii à talibus peccatis caveant) quamvis autem Sapientia juſtè, & dignè damnat malos, nihilominus tamen per oppoſitum ſalvat Juſtos; & ideò ſubditur in textu: *Sapientia autem* (id eſt debitus Dei cultus) *liberabit à doloribus hos, qui ſe* (id eſt, per verum Dei cultum) *obſervant*, & ſecundùm illum vivunt. Et hoc modo juſtum Loth Deus miſericorditer ſalvavit, ne unà cum aliis fuerit exuſtus, ut in lectione præcedenti dictum eſt. De hac hiſtoria quoque qualiter Sodomitæ ſunt puniti, & Loth miſericorditer liberatus, fit mentio Exod. 24. Memento, quod fuerim Sodomæ & Gomorrhæ, &c. *Et 2. Pet. 2.* Civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens ſubverſione damnavit.

Teſtatur quoque *Boëtius de Vitis 12. Cæſarum*, quod Nero vitio Sodomiæ fuerit deditus, undè & quendam puerum Sporum nomine caſtravit, & habitu fœmineo indutum ſolemniſſimis nuptiis ſibi in uxorem duxit. Undè *Boëtius* alloquendo Neronem, eique illudendo tanquam Tyránno, & crudeliſſimo hominum mactatori: O quam benè, inquit, actum fuiſſet, ſi pater tuus Domitianus, talem habuiſſet uxorem, tunc enim nunquam talis Tyrannus, ſicut fuit Nero, natus fuiſſet.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum Sodomitæ habuerint undecim incentiva ſuæ libidinis?

Dico quod ſic: continenturque hæ undecim incentiva libidinis his verſibus:

Otia, ſegnities, ſomnus, caro, fœmina, vinum,
Proſperitas, ludus, carmina, forma, puer.

Explicantur ſic Verſus, & *Primò* quidem occurrit *Otium*; quia juxta Ovidium.

Otia ſi tollas, periêre Cupidinis artes.

Secundò ponitur *Segnities*, id eſt, deſidia ſeu pigritia, juxta illud:

Quæritur, Ægiſtus qualiter ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt; deſidioſus erat.

Tertiò Somnus exceſſivus nutrit carnalia vitia: undè *Cato* inquit

Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto;
Nam diuturna quies, vitiis alimenta miniſtrat.

Quartò ponitur *Caro*; quia eſus carnium carnem facit petulantem: & quo melius caro tractatur, eo petulantius aſſurgit contra ſpiritum.

Quintò ponitur *Fœmina*, id eſt, conſortium fœminarum; undè *Num. 31.* dicitur: Cur fœminas reſervaſti, nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël?

Sextò ponitur *Vinum*; quia luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas *Proverb. 20.*

Septimo ponitur *Proſperitas.* Et eſt exemplum de Davide; qui quando in bellis fuit fatigatus, caſtus erat; quando autem in pace & proſperitate fuit, incidit in adulterium: *2. Reg. 11.* Undè Poëta cavit hos Verſus:

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis,
Nec facilè eſt æquâ commoda mente ſequi.

Octavò ponitur *Ludus*; quia ludus diſſolvit mentis Sollicitudinem. Undè notanter Sara dixit: Nunquam cum ludentibus miſcui me, *Tob. 3.*

Nonò ponuntur *Carmina*, id eſt harmonia diſſoluta & laſciva.

Decimò ponitur *Forma*; de qua dicitur *Proverb. 31.* Vana eſt gratia, & vana eſt pulchritudo

Undecimo ponitur *Puer.* De quo dicit Helinardus, quod idem faciat ætas in puero quod ſexus in fœmina. Circa illa verba (*Sapientia à doloribus liberavit*) ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Chriſtus liberaverit homines ſicut medicus liberat ægrotantes, & à morbis oppreſſos; & ſicut Princeps liberat milites dimicantes & in caſtris obſeſſos; & ſicut Judex liberat allegantes ſe fuiſſe injuſta perpeſſos?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Chriſtus liberaverit homines ſicut medicus liberat ægrotantes, & à morbis obſeſſos. Conſtat, quod medicus non ſtatim curet hominem, quando materia infirmitatis eſt magna, ſed paulatim & lentè juvat naturam per medicinam, ut per hanc eadem natura adjuta purget ſeipſam, ac tandem purior, & vegetior convaleſcat. Licet infirmus ploret & roget, ut citò liberetur à ſuo morbo, prudens tamen medicus pro bono infirmi pergit ſolum ſucceſſivè purgare corpus, quatenus

ſuus

ſpus petiens ſanitati meliori reſtituatur. Moraliter loquendo, infirmitas humana, pro qua ſananda Chriſtus advenit, fuit peccatum; juxte illud *Davidis*: Ego dixi Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi. Porrò iſtam infirmitatem nos homines, contrahimus à nature propter fomitem & concupiſcentiam originalem, qui fomes in corpore noſtro manet ſemper inclinans ad peccatum. Et iſte fomes à S. Aug. vocatur languor naturæ: & in hec vita minui quidem poteſt, ſed tamen non extinguitur, quamdiu vivimus. Medicus autem noſter Chriſtus noluit nos citò curare, ſed per moram aliquam temporis: & ideò nobis reliquit electualia, unctiones, & cibaria collativa ſanitatis: Id eſt Sacramenta Eeeleſiæ: Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, &c. ſed perfectè curabimur in generali reſurrectione corporum, ubi ceſſabit omnis infirmitas & pronitas ad peccandum: & ideò in præſenti vita ſemper infirmi ſumus. & indigemus clamare eum *Pſalmiſta*: Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Dilationem verò hujus ſanitatis perſectæ, quodammodo moleſtè ferunt Sancti & Electi Dei; undè dicit Apoſtolus *Rom.* 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? ſed conſolando ſeipſum idem *Apoſtolus* reſpondet ad *Rom.* 8. dicens: Quod brevi conſequetur ſanitatem perfectam. & nunc ingemiſcat exſpectans. Ipſa, inquit, creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quod erit quando natura humana glorificabitur, & omninò erit ſanate ab omni infirmitete peccati. *Iob.* 5. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.

Explicatur ſecunda pars. Quod Chriſtus homines liberet ſicut Princeps ſuos milites in caſtris obſeſſos. Narrat *Sextus Iulius lib.* 3 *cap.* 6. de quodã Principe nomine *Cleonino*, cujus populus in quadã civitate claudebatur obſeſſus. Hic itaq; Princeps mandavit alicui fideli ſuo militi; ut ſimularet ſe transfugere ad hoſtem, & ut in expugnatione civitatis illius adjuvaret hoſtem, ſic tamen ut erga ſuos milites obſeſſos nullas alias ſagittas circularetur, quam illas quas ipſi dabit. Erat autem in quavis ſagitta vel lancea, quam huic militi ſuo fideli dederat, artificialiter ſcriptum, conſortamini & eſtote fideles, ego *Cleoninus* obſidionem iſtam venio vobis celeriter removere. Fecit miles, ut ſibi fuerat imperetum, & dum ſeſe victo modo obſidentibus immiſcuit, ſolum tales ſagittas verſus obſeſſos intre civitatem injecit; obſeſſi vero, quando has ſagittas aeceperunt, & verba in præfatis ſagittis eſformata legerunt, fuerunt conſortati & ita ſervaverunt civitatem Principi ſuo *Cleonino*. Applicatio moralis. Princeps ipſe Chriſtus eſt, civitas vero eſt Eeeleſia militans in qua ſumus. Hæc civitas eſt obſeſſa per circuitum à dæmonibus, & malis hominibus, quam edverſarius noſter diabolus circuit tanquam Leo rugiens, quærens quem devoret, 1. *Petri* 5. Et *in Pſalmis.* In circuitu impii ambulant. Quid fit! Princeps noſter volens nos liberare & ſalvare. & conſortare, mittit nobis militem fidelem cum lanceis, ſagittis, & telis, hoc eſt Prælatum, vel Prædicatorem Verbi Dei, cujus ſunt ſagittæ potentis acutæ. Iſte porrò Prælatus, vel Prædicator ſpecietenus non videtur eſſe adjutor, ſed adverſarius: undè capitulat, objurgat, & reprehendit Eccleſiam militantem, ſeu potius homines in Eccleſia militante degentes, eiſque diverſos defectus demonſtrat. Et ſic talis Prædicator eſt apparenter adverſarius, ſed tamen in rei veritate eſt amicus; de quo *Matth.* 5. dicitur: Eſto conſentiens citò adverſario tuo, dum es in via cum eo, Videas ergo diligenter, quid in ſagittis increpationum iſtius boni Prædicatoris ſit ſcriptum, & invenies, quod ipſe miſſus ſit à Principe tuo Chriſto, non ad te finaliter expugnandum, ſed ut te ab obſidione diaboli, vel malorum hominum prudenter liberet. Eccl. 9. Civitas parva, & pauci in ea viri; venitque contra eam Rex magnus, & vallavit eam, exſtruxitque munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio. Inventus eſt autem in ea vir pauper & ſapiens (puta Prædicator verbi Dei) & liberavit urbem per Sapientiam ſuam.

Explicatur tertia pars, quod Chriſtus liberet homines, ſicut Judex liberat allegantes ſe injuſta fuiſſe perpeſſos. Diabolus enim ut notum eſt, ſeduxerat & induxerat hominem ad peccandum, & ideo ſub ſervitute diaboli homo erat detentus; juſtè quidam ex parte hominis peccantis, ſed injuſtè ex parte diaboli, ut declarat *S. Anſelmus Lib.* 1. *cur Deus homo Cap.* 7. Homo inquit meruerat ut puniretur, nec ab ullo convenientius quam ab illo cui conſenſerat ut peccaret. Diabolo verò nullum erat meritum ut puniret; imo diabolus hoc tanto faciebat injuſtius, quanto non amore Juſtitiæ ad hoc fuit tractus, ſed inſtinctu malitiæ diabolicæ impulſus. Hæc *Anſelmus.*

Porrò ab iſta injuſta ſervitute diaboli, liberavit nos Chriſtus morte ſua, quia ipſe ſolus hoc facere potuit. *Iacobi* 4. Unus eſt Legiſlator & Judex, qui poteſt perdere & liberare; qui judicando propter æquitatem rei, perſonam non reſpicit: nec ad munera propter juſtitiæ rigiditatem cujuſquam placatus intuetur.

Narrat *Valerius Lib* 5. *Cap.* 4. *de Codro* Rege Athenienſium, quod cum regio ſua, & civitas, ingenti hoſtium bello fuiſſet debilitata, deſtitutus humano conſilio, Codrus confugit ad oraculum Apollinis, & indè ſciſcitatus eſt quomodo tam grave bellũ diſcuti poſſit? Reſpondit Apollo, quod finis erit hujus belli ſi ipſemet Codrus ab hoſtibus fuerit occiſus. Quod cũ in ad caſtra hoſtium perveniſſet, conſpirarunt inter ſeſe ut nullus Regem Athenienſium occideret. Videns ergo Codrus, quod civitas ſua Athenienſis nullo modo pacem habere poſſet, niſi ipſemet occumberet manu hoſtili, depoſuit regia inſignia, & habitum pauperis induit, & ita caſtra hoſtium ingreſſus, poſtquam aliquem ex eis provocavit ad pugnam, interfectus eſt, ſicque patriam liberavit, & ideò à ſuis inter Deos collocatus fuit. Applicatio moralis. Chriſtus eſt Rex Eccleſiæ militantis, adverſarii autem ſunt ex dæmonibus & malis hominibus congregati: at verò, quia prophetatum, & à Deo præordinatum fuit, quod Eccleſia, id eſt, electi de genere humano, aliter non poſſint pacem habere, niſi Rex eorum interficeretur, ideoque inquam Chriſtus Dei Filius, hoc videns (qui

cum

cùm in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit ſe, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: & ſic nos à ſervitute diaboli liberavit ad Gal. 4. Itaque non ſumus Ancillæ filii, ſed Liberæ, quâ libertate Chriſtus nos liberavit.

LECTIO CXXX.

TEXTUS.

Hæc autem profugum iræ fratris, juſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei; & dedit illi ſcientiam Sanctorum, & honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius: in fraude circumvenientium illi adfuit, & honeſtum fecit illum.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione deſcribitur mirabilis profectio, & liberatio Patriarchæ Jacob. Ante explicationem autem textus,

Sciendum eſt ex *Geneſ.* 28. & 29. *cap.* quod Iſaac habuerit geminos duos filios, nempè *Eſau & Iacob.* Qui cùm adoleviſſent, *Eſau* invidus erat *Iacobo*, eidemque minas mortis intentavit. *Iacob* ergo ex conſilio matris ſuæ Rebeccæ fugit de Berſabee per Chanaan in Meſopotamiam ad Laban avunculum ſuum, id eſt, ad fratrem matris ſuæ. Porrò in hoc itinere dormiens Jacob vidit ſcalam erectam uſque ad cœlum, & Angelos aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Terram hanc tibi dabo, & ſemini tuo. Poſtquam ergo Jacob venit ad Laban, gratanter ab eo acceptus fuit; & deindè cum eodem convenit, ut paſceret gregem ſuarum ovium & caprarum per ſeptem annos, tali pacto, ut ſibi Jacobo daret Rachelem filiam ſuam in uxorem. Veruntamen Laban in craſtino ſe excuſavit, quod non ſit conſuetudo illius patriæ, primò dare in uxorem filiam juniorem. Deindè verò Jacob pro acquirenda Rachel non ſolum ſeptem annis, ſed quatuordecim annis ſervivit, ut refert Hieronymus. Narratur quoque loco citato *Geneſeos*, quod Jacob fecerit pactum cum Laban, ut oves quæ ſunt ejuſdem coloris, ſint ipſius Laban, econtra autem oves, quæ ſunt diverſi coloris, ſint ipſius Jacob. Hic autem fuit uſus hac ſubtilitate, & erexit virgas amygdalinas ex parte decorticatas, & ita ovibus pertranſeuntibus poſuit virgas illas varii coloris ante conſpectum, ut ita oves ex imaginatione præconcepta diverſi coloris virgarum etiam conciperent fœtus, quorum vellera eſſent etiam diverſi coloris. Habet enim vis imaginativa magnum effectum circa prolis conditionem; undè cum quædam Matrona Æthiopem pariens accuſata fuiſſet de adulterio, defendit eam *Quintilianus*, aſſignãdo cauſam cur Æthiopem peperiſſet: quia videlicet in camera in qua illa Domina conceperat, Æthiopem depictum habuit, ut narrat S. *Hieronymus.* Conſimilis caſus narratur de *Hypocrate*, qui aliam Dominam defendit, quæ genuit pulcherrimum filium Patri & Matri diſſimilem, qui tamen puer ſimilis erat pulcherrimo puero picto in Camera, in qua illa Domina concepit. Sic etiam narrat S. *Auguſtinus libro 2. Retract. cap. 62.* de quodam Rege Cypro, qui fuerat turpiſſimus, & tamen quia curavit ſibi in cubiculo pingi pulcherrimas imagines, ex imaginatione earundem genuit pulcherrimas proles. Sic ergo etiam Laban prælatâ cautelâ erigendo virgas diverſi coloris uſus fuit. Et exindè factum fuit, quod plures oves genitæ fuerint cum vellere maculato in favorem ipſius Jacobi. Imò poſtquam Laban mutavit pactum, ut nempè oves habentes vellera maculata eſſent ſuæ, oves autem unius coloris eſſent Jacobi. Factum eſt tamen quod plurimi fœtus ſolum fuerint unius coloris: idque in favorem Jacobi, qui tam in eundo ad Laban, quam cum eo commorando, ac tandem etiam ab illo recedendo, ſemper gratioſè directus fuit à Sapientia. Hoc præmiſſo ad explicationem textus procedamus.

Dicit ergo ſic: *Hæc ergo*: id eſt Sapientia (*deduxit Iuſtum*) id eſt Jacob (*profugum iræ fratris*) id eſt, fugientem iratum fratre ſuo Eſau (*deduxit per vias rectas*) id eſt, de Berſabee in Chanaan, & indè in Meſopotamiam, ſive ad Laban avunculum ſuum: Et in iſto itinere, *oſtendit illi regnum Dei* in viſione Angelorum aſcendentium & deſcendentium per ſcalam erectam à terra uſque in cœlum, *Gen.* 28. (*Et dedit illi ſcientiam Sanctorum*) quia ſcientia Sanctorum eſt, ſcire benè converſari in medio gentis perverſæ (vel dedit ipſi prophetiam) quæ eſt ſcientia Sanctorum. *Sap.* 7. Per nationes in animas ſanctas ſe transfert amicus Dei, & Prophetas cõſtituit. Evigilans enim Iacob de ſomno prophetavit de lege, de templo, de paſſione, quæ in terra illa futura erant, dicens: Terribilis eſt locus iſte, verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli, *Gen.* 28. Terribilia enim fuit lex, domus Dei, templum; & paſſio Chriſti fuit apertio portæ cœli. Sic ergò Deus direxit Iacob in itinere, fugientem iram fratris ſui Eſau.

Porrò cùm Jacob veniſſet ad Laban, cui viginti annis ſervivit, inſtruxit eum Sapientia, quomodo lucraretur ſibi divitias: & ſecundò, quomodo Laban & filiorum ſuorum vitaret fraudulentiam. Quantum ergo ad primum dicit ſic: *Honeſtavit illum in laboribus ſuis*: id eſt, ditavit illum per labores fideles, quos ſuſtinuit ſerviendo Laban viginti annis Gen. 21. *Die* noctuque urebar æſtu & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis. Iſtum modum loquendi de honeſtare habet ſacra Scriptura, Eccl. 11. Facilè eſt in oculis Domini ſubitò honeſtare pauperem. *Et complevit labores illius*, dando ipſi nempè Jacobo perſeverantiam, patientiam, & mercedem condignam, Gen. 30. Ditatus eſt homo ultra modum.

Et in fraude circumvenientium illi adfuit, & honeſtum fecit illum. Id eſt, docuit illum obviare fraudulentiis, & falſitatibus ipſius Laban, qui nitebatur diminuere mercedem ipſius Jacob, per mutationẽ ipſius pacti, modo ſibi tribuendo fœtus unius coloris, modo diverſi coloris, ut patet ex Gen. 31. Dixit Jacob uxoribus ſuis, Laban, pater veſter circumvenit me, & mutavit mercedem meam decẽ vicibus, id eſt multoties: & tamen Deus non permiſit, ut mihi noceret.

Et honeſtum fecit illum (id eſt, divitem ſicut prius expoſitum eſt) vel *fecit eum honeſtum*, id eſt, juſtum & morigerum ad alios quamvis malos. *ad Theſſalonicenſes* 4. Honeſtè ambuletis ad eos qui foris ſunt,

ARTI-

ARTICVLVS VNICVS.

An rectè deſignetur per duos gemellos Eſau & Jacob, Caro & Spiritus?

DIco: Quod moraliter per *Eſau* deſignatur Caro, & per *Iacob* Spiritus.

Explicatur aſſertio pro prima parte. Nam *Eſau* piloſus ſignificat carnem, quæ eſt plena ſuperfluis deſideriis: Pili enim terrena deſideria deſignant. In cujus rei ſignũ clerici habent crines raſos in ſummitate capitis, & attonſos in circuitu, ad denorandum, quod nullum terrenum deſiderium debeat mediare inter mentem eorum, & Deum: & quod non debeant habere nimias affectiones erga corpus ſuum. Unde in hujus rei ſignum pili, qua parte tendunt ad corpus inferius, abſcinduntur. *Eſau* ergo piloſus eſt caro.

Explicatur ſecunda pars, quod *Iacob* (qui fuit totus lenis) moraliter deſignet Spiritum ad *Gal.* 5. Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hominem in Spiritu lenitatis.

Notum eſt quod illi duo gemelli *Eſau & Iacob* in utero Matris inceperint pugnare, poſtea vero *Eſau* factus adoleſcens, perſecutus eſt Fratrem ſuum, & intentavit ei mortem. Applicatio. Profectò etiam in utero Matris caro inficit Spiritum per peccatum originale. *Pſal.* 50. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concipit me Mater mea. Et ideò, quid mirum eſt, quod continuò caro concupiſcat adverſus Spiritum. & econtra? Hæc enim ſibi invicem adverſantur. Ad *Gal* 5. *Eſau* eſt ſenior, & *Iacob* junior: quia ad litteram primo concipitur caro, & poſtea animatur per Spiritum. Unde *Ariſtoteles* 16. *de animalibus* ait. Embrio primò vivit vitâ animalis, quàm vita hominis Hinc facit etiam *illud* 1. *Cor.* 15. Non prius, quod Spirituale, ſed prius, quod animale, deinde quod Spirituale. *Et Sap.* 7. In ventre Matris meæ figuratus ſum caro. Iſte tamen ſenior debuiſſet ſervire juniori, id eſt, caro Spiritui, ut in actibus hominum non caro, ſed Spiritus dominetur. Ad *Gal.* 5. Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.

Similiter etiam *Eſau* ſervivit *Iacob* in hoc, quod perſecutus fuerit illum. Hoc tamen ſervitium per accidens fuit, in quantum nimirum *Eſau* perſequendo, fuerat *Iacobo* occaſio merendi per patientiam. Et hoc modo etiam rebellis carnis poteſt eſſe ſervitium impenſum Spiritui, quo Spiritus ſtimulatur ad pugnam glorioſè tranſigendam, ut coronam victoriæ debitam reportet.

Iacob ergo id eſt Spiritus, ſub Fratris ſui, id eſt carnis, perſecutione exiſtens, fugere debet in Meſopotamiam. *Meſopotamia* autem interpretatur elevatio cujuſdam vocationis; & ſignificat cœleſtem Patriam, ad quam elevabimur, & ad quam vocati ſumus.

Porrò in hac fuga *Iacob* poſitus in itinere, dormit; quia Spiritus à ſtrepitu mundi ſe ſubtrahit, & in ſanctis ſtudiis & contemplationibus conquieſcit. Item *Iacob*, id eſt, Spiritus, ſic dormiens, ſupponit ſuo capiti Petram; quia fundamentum totius vitæ ſuæ ponit Chriſtum; 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Chriſtus. *Et* 1. *Cor.* 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.

Dormiendo ergo *Iacob* ſeu Spiritus, in ſanctâ contemplatione, vidit ſcalam erectam in cœlum. Iſta ſcala eſt pœnitentia, quæ ſtat in terra, quia in hac vita incipit, ſed attingit ad cœlum, quia facit hominem in morte ad cœlum appropinquare. *Matth* 4. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.

Porrò iſta ſcala pœnitentiæ habet ſex gradus, per quos oportet aſcendere; nimirum contritionem, confeſſionem, orationem, jejunia, vigilias & Eleemoſynas, quæ ſunt partes ſatisfactionis. Et hæc figurantur per ſex gradus, quibus aſcendebatur ad ſolium Salomonis. 2. *Paralip.* 9.

Duo vero latera iſtius ſcalæ, ſunt timor & ſpes. Debet enim peccatur timere, non præſumere. *Eccl.* 5. De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu. Debet etiam peccator ſperare, & non deſperare; & ſic inter ſpem & timorem quaſi inter duo latera pœnitentialis ſcalæ aſcendere; quia ſicut metricè dicitur:

Si timor eſt ſine ſpe, tunc deſperatio lædit;
Et niſi ſpes timeat, ſtatim præſumptio fiet:
Ergo timor ſine ſpe, nec ſpes valet abſque timore.

Angeli autem aſcendentes & deſcendentes ſunt cogitationes noſtræ, quibus interdum gaudia paradiſi cogitamus; & cogitationes aſcendunt *Luc.* 14. Cogitationes aſcendunt in corda veſtra. Aliquando verò conſideramus miſerias hujus vitæ, vel pœnas inferni ad præcavendum; & tunc cogitationes noſtræ deſcendunt. *In Pſ.* Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos.

Præterea huic ſcalæ Dominus eſt innixus; quia pœnitentes exſpectat & vocat dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Matth.* 11. Anima vero devota, quæ ſic dormit, audit Dominum ſibi dicentem: Terram, in quâ dormis, dabo tibi & ſemini tuo (id eſt, terram viventium, quæ eſt patria, in quâ nunc dormis per piam contemplationem:) dabo tibi poſtea ut requieſcas in ea per ſempiternam poſſeſſionem. *In Pſ.* Credo videre bona Domini in terra viventium. Sed hic

Notandum eſt, quod *Laban* cui *Iacob* ſervivit, habuerit duas filias, *Liam* videlicet & *Rachel*. Et quidem *Lia* erat lippis oculis, *Rachel* verò erat decora & venuſta aſpectu. Servivit autem *Iacob* pro *Rachel* ſeptem annis, & tamen poſtea *Iacob* neceſſe habuit prius accipere *Liam*, antequam haberet *Rachel*; eò quod non eſſet conſuetudo in illa patria prius tradere juniores ad nuptias. Sic etiam moraliter, Pater noſter cœleſtis, cui ſervimus, habet duas filias, id eſt duas vitas, puta præſentem & futuram. Et quidem præſens vita eſt *Lia* lippis oculis Nec mirum, quia manet in hac lachrymarum valle plena miſeriis. Futura verò vita eſt quaſi *Rachel* decora, amabilis, pulchra, & plena delitiis. *Tren.* 2. Urbs perfecti decoris gaudium univerſæ terræ. Et pro iſtâ filia decora oportet nos ſervire ſeptem annis, univerſo & toto præſenti tempore; ſeptenarius enim numerus, eſt numerus univerſitatis. Et tamen

contingit de bonis & ſanctis viris frequenter, quod ſervierint Deo diu, & vellent libenter habere illam decoram *Rachael*, id eſt, vitam æternam, quia ſine majori difficultate vellent ire ad cœlum. Sed certè tunc datur eis *Lia*, quia Deus ſic ordinavit, ut exponantur vitæ activæ forte in ſtatu Prælaturæ, ubi opprimuntur afflictionibus pro ſalute proximorum. Si autem quæratur à Chriſto Domino, quare hoc fiat? Reſpondet, quia non eſt conſuetudo cœleſtis Patriæ, juniorem illam & decoram *Rachaelem*, id eſt, beatutudinem cœleſtem dare ante laborem præſentis vitæ: & ideo oportet prius accipere *Liam* lippam, ut poſtea habemus *Rachaelem* pulchram & venuſtam. Sic autem dat Deus coronam pro cinere, oleum gaudii pro fletu, & pallium laudis dabit pro ſpiritu mœroris *Iſaia* 61.

LECTIO CXXXI.

TEXTUS.

Cuſtodivit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi ut vinceret, & ſciret; quoniam omnium potentior eſt ſapientia.

EXPLICATIO TEXTUS.

Hic oſtendit Spiritus ſanctus quomodo ſapientia (id eſt verus Dei cultus) gubernaverit, & protexerit Jacobum redeuntem in ſuam Patriam. Indiguit autem Jacob protectione ſapientiæ in omni loco; qui habuit *Jacob* fratrem ſuum *Eſau* perſecutorem; Avunculum ſuum *Laban* ſeductorem: & Angelum colluctatorem. Ab iſtis autem tribus ſapientia eum cuſtodivit, ſicut pro eo fuerat expediens. Nam fratrem ſuum *Eſau* reconciliavit, avunculum ſuum ratione placavit, & denique ab Angelo benedictionem impetravit. Ante explicationem autem Textus

Sciendum eſt, quod Jacob in Patriam ſuam redeundo cum duabus ſuis uxoribus *Lia & Rachaële*, item cum liberis ſuis, gregibus, & armentis, tres ſuſtinuerit difficultates. Prima fuit, quod cum fugiſſet clam à *Laban* cum omnibus, quæ acquiſivit ſub ejus ſervitio, *Laban* indignatus ſit contra ipſum, eo quod non acceptâ licentiâ, & inſalutato hoſpite receſſerit cum gregibus & filiabus ſuis, & ideo *Laban* inſecutus eſt cum magna comitiva Jacobum, uti legitur *Gen.* 31. Ut ſeptimo die eundem Jacobum repererit. Sed Dominus nocte præcedente Labano apparuit dicens: Cave ne quidquam loquaris aſperè contra Iacob. Quâ increpatione correptus *Laban*, nihil niſi rationabile & manſuetum dixit Ia[illegible]o. Et tandem ibi *Laban* & Iacob pactum [illegible]cerunt, & titulum lapidis erexerunt in ſignum, quod neuter unquam contra alium procedere deberet.

Secunda difficultas, quam Iacob habuit remeando in Patriam, erat timor de fratre ſuo *Eſau*, quem audivit ſibi velle occurrere cum quadringentis viris. Sed contra hunc timorem Deus conſortavit Jacobum antè, oſtendens ei multitudinem Angelorum, *Gen.* 32. In loco, qui dicitur *Manaym*, id eſt *caſtra*. Vocavit autem Jacob illum locum, *Caſtra*. quia ibi vidit Angelos Dei, de quibus ait: Caſtra Dei ſunt hæc.

Tertia difficultas, quam Jacob in repatriando habuit, fuit illa mirabilis lucta cum Angelo *Gen.* 32. ubi dicitur: Quod vir luctabatur cum eo uſq; manè. Sed finaliter vir ille benedixit Jacobo, & prædixit ei, quod prævalebit contra Eſau fratrẽ ſuum, & ita liberandus ſit ab ira illius Hanc igitur liberationem Jacobi deſcribens Spiritus ſanctus in hoc textu dicit ſic: *Cuſtodivit illum ab inimicis*, videlicet à fratre ſuo Eſau eum perſequente. antequam fugeret à Patria ſua, & à Laban eum inſequente, cum vellet redire in patriam ſuam. *Proverb.* 16. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos ejus convertet ad pacem.

Et à ſeductoribus tutavit illum, hoc eſt, à fraudibus Laban eum perſequente, & à fraudibus filiorum ſuorum, quando Jacob adhuc morabatur in Meſopotamia.

Et certamen forte dedit illi, ut vinceret. Quando cum Angelo luctabatur & victoriam obtinuit; non quidem per violentiam, ſed per devotionem, Angelo volente ſibi dare ſignum: Quia ſicut fuit luctatus cum eo, & tamen habuit finalem victoriam, ita finaliter tandem ſit habiturus victoriam contra fratrem ſuum Eſau, ut ita experimentaliter ſciret: *Quoniam omnium potentior eſt ſapientia* quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. *Sap.* 8. Circa illa verba: *Cuſtodivit illum ab inimicis*, oportet plura in præſenti dicere; quia ſæpè fit, quod aliqui putantur eſſe inimici, qui revera ſunt amici, ut ſunt zeloſi defectuum noſtrarum correctores. Alii autem putantur ſæpè eſſe amici, & ſunt revera inimici, uti ſunt blandi adulatores & mali conſiliarii. Alii deniq; ſunt veri inimici, ut detractores perſequentes. Pro quorum omnium majori explicatione, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Quomodo homo ſe habere debeat erga quadruplices inimicos; videlicet erga blandos adulatores; falſos conſiliatores; detractores perſequentes; & corripientes ſeu correctores?

Dico: Quod homo primò, blandos adulatores debeat à ſe repellere agnoſcendo ſuam propriam debilitatem; ſecundò falſos conſiliatores debet repudiare per prudentiam; tertiò detractores perſequentes ſunt ſuſtinendi per patientiam, & quartò zeloſi noſtrorum defectuum correctores ſunt audiendi cum benevolentia.

Explicatur prima pars. Quod homo blandos ſuos adulatores debeat à ſe repellere agnoſcendo propriam debilitatem & miſeriam. Si quis vellet te blandè radere in collo, & amputet tibi guttur; vel ſi quis blandè tibi radere vellat genam ut excutiat oculum; talis utique eſſet inimicus tuus dicendus. Et quid eſt aliud adulator, cujus lingua eſt novacula acuta & doloſa? Quia iſte tibi tantum blanditur, ut te decipiat, & oculum diſcretionis tibi eruat *Eccl*, 12. In labiis ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, ut ſubvertat te in foveam. In oculis tuis lachrimabitur inimicus, & ſi invenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine. Si incurrerint tibi mala, tunc invenies eum illic priorem, &

quaſi

quaſi adiuvans ſuffodiet plantas tuas. Decipitur ergo homo plurimum ab iſtis adulatoribus, quos putat eſſe optimos, cum tamen ſint peſſimi. Et ideo *Plato* dixit: Quod homines ex veris & realibus inimicis magis proficiant, quam ex amicis apparentibus: Quia dum inimici eis errores ſuos improperant, corriguntur. Amici verò fucati errores alterius, cui blandiuntur, non manifeſtant, ſed occultant. *Michea* 7. Inimici hominis domeſtici ejus. *Et Iſ.* 3. Popule meus qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, & vias greſſuum tuorum diſſipant. Hos vero inimicos & adulatores homo facilè à ſe repellet agnoſcendo proprios defectus, & propriam ſuam miſeriam. Et hoc modo *Seneca Epiſtola ultima* adducit exemplum de Alexandro Magno, qui cum ſagittâ eſſet vulneratus, vehementer dolens exclamavit ad alios milites: Vos vocatis me Jovis filium, ſed vulnus hoc hominem me eſſe clamat

De tali occulto inimico, & adulatore exponi poteſt illud *Eccl.* 12. Ubi dicitur. Ne credas inimico tuo (nimirum adulatori) in æternum. Nocivior enim omnium non eſt peſtis, quam ſit familiaris inimicus. Qui dum verbis bonis ſaltem apparentibus, laudem exprimere nititur, intus ſub complacentiæ typo viſcus fraudis, atque doloris ſeminatur

Explicatur ſecunda pars, quod falſi conſiliatores ſint repudiandi per prudentiam. Et tales utpotè ſummè nocivi toti communitati, vel Reipublicæ, ſunt repudiandi, cum non quærant bonum totius, ſed extirpationem illius. Unde decipiunt conſiliis Reges, & Principes, ſuntque radix omnis mali. Cognoſces autem facilè, quis ſit malus conſiliarius, ſi ſciveris, qualis debeat eſſe bonus conſiliarius Hic autem teſte *Seneca*, debet habere in vita ſanctitatem; in verbo veritatem; in zelo æquitatem; in experimento ſagacitatem: intelligentiæ acumen & prudentiæ dexteritatem. Itaque malus conſiliarius erit, is qui iſta non habet.

Quantum autem ſit poſitum in bonis conſiliariis, benè agnovit *Romulus Conditor Romæ*. quam ex nomine ſuo Romam nominavit. Hic itaque Romulus poſt urbem conditam, centum ſenatores elegit, quorum conſilio omnia egit. Hos viros autem vocavit ſenatores propter ſenium, quod habebant; eoſdem quoque vocavit Patres, propter curam quam de bono communi promovendo habebant. Horum vero nomina ab initio urbis conditæ aureis litteris ſcribebantur, & ideo paſſim vocabantur patres conſcripti; qui tantum ad hoc munus electi ſunt, poſtquàm fuerunt emeriti & fideles inventi in diverſis ſtatibus, & officiis; atque ex horum ſenatorũ ſuaſu poſtea Romulus cuncta egit.

Sicut ergo boni conſiliarii ſummè ſunt utiles Reipublicæ; ita econtra ſunt Judici Principi vel Prælato, ac bono communi pernitioſiſſimi, quando ſunt mali; dum vedelicet attendunt ad bonum privatum & particulare, non autem ad bonum commune; vel quando ſunt corrupti per munera, aut quando ſunt nimis meticuloſi, ita ut non dicant veritatem; ſivè quando odio, rancore, vel invidiâ contra alios reguntur; tunc, inquam, tales mali conſiliarii verè ſunt inimici boni communis, quod per ipſorum mala conſilia deſtruitur. Et poteſt de quovis tali malo conſiliario dici illud, quod dixit S. Paulus *Act.* 13. *Elima Mago*: O plenè omni dolo & fallaciâ, fili Diaboli, inimice omnis Juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas?

Talis malus conſiliarius ſuit *Aman*, qui ſubrilitatem nobiliſſimi Regis Aſſueri fraudulentis conſiliis circumvenit, & nobilis Regis innocentiam ad nefariam crudelitaté induxit. *Eſther* 13. Hoſtis noſter, & inimicus noſter peſſimus eſt Aman. Iſti igitur inimici ſunt omnino repudiandi per prudentiam, ſicut fecit Rex Aſſuerus; quando ſententiam de occidendo toto genere Judæorum ex conſilio ipſius Aman datam, retractavit.

Explicatur tertia pars. Quod detractores perſequentes ſint per patientiam ſuſtinendi ſeu tolerandi à nobis; quia tales homines ſæpè nobis magis proſunt quam obſunt, ut ait *Boetius* 4. *de Conſolatione proſa* 6 dicens: Providentia divina exinde ſæpè producit inſigne miraculum, dum malos mali bonos faciunt. Nam dum mali quidam conſiderant, ſe iniqua quædam à peſſimis perpeti; noxiorum odio flagrantes ad virtutis frugem redeunt, dum ſe eis diſſimiles ſtudent eſſe, quos oderant. Tales detractores perſequentes, ſunt mundo & Diabolo dediti, qui facta & vitam ſanctorum laniant, judicant, & depravant; quorum tamen infamatio timenda non eſt, quia eſt à turpibus orta hominibus. Undè *dicit S. Greg. ſuper Ezechielem*: Perverſorũ derogatio, vitæ noſtræ approbatio eſt: quia jam oſtenditur Juſtitiæ nos aliquid habere, ſi illis, qui Deo non placent, incipimus diſplicere. Non enim eſt derogatio, ſed commendatio lucis, ſi eam odiunt & fugiunt veſpertiliones. Sancti autem viri ſunt lux mundi per lucidam famam, bonæque conſcientiæ teſtimonium. 1. *ad Theſſ.* 5. Vos filii lucis eſtis, & filii diei. Peccatores autem ſunt ſicut veſpertiliones, amantes ſemper opera tenebrarum. Item non eſt derogatio, ſed commendatio odoris vitis ſi eam ſerpentes fugiant. Boni autem viri, ſunt bonus odor Chriſti per bonam converſationem 2. *Cor.* 2. Aliis quidem ſumus odor mortis in mortem, aliis autem vitæ in vitam; peccatores autem tune ſerpentes pleni veneno peccati.

Explicatur quarta pars Quod zeloſi noſtrorum defectuum correctores ſint audiendi cum benevolentia. Quia licet tales videantur eſſe inimici, ſunt tamen revera amici noſtri. quia per hanc correctionem ſolùm nos intendunt reducere ad bonam frugem, & Deo lucrari. Licet autem tales defectuum correctores veritatem dicendo aliquale odium iſtorum, qui correcti ſunt, incurrant; dum tamen reſipiſcunt, agnoſcunt ſibi præſtitum beneficium. Talis corrector fuit *S. Paulus erga Galatas*, quibus dicit *ad Gal.* 4. Ego inimicus factus ſum vobis, verum dicens vobis; qui tamen Galathæ, poſtquam defectus ſuos emendarunt, gratias egerunt Paulo. Itaque iſti correctores noſtrorum defectuum, qui apparent & exiſtimantur eſſe inimici, ſunt audiendi & acceptandi cum benevolentia. *Matth.* 5. Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos, hoc eſt, vitioſos mores veſtros.

LECTIO CXXXII.

TEXTUS.

Hæc venditum juſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberavit eum; deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam adverſus illos, qui eum deprimebant, & mendaces oſtendit, qui maculaverunt eum, & dedit illi claritatem æternam.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Spiritus ſanctus quomodo *Ioſeph* mirabiliter fuerit tribulatus, & quomodo per ſapientiam magnificè fuerit liberatus & exaltatus. Eſt autem antè explicationem textus

Sciendum, quod *Ioſeph* duas tribulationes injuſtas ſpecialiter ſuſtinuerit: Nam primò fuit venditus à ſuis fratribus, & alienatus per facinoroſam conſpirationem. *Gen.* 37. Secundò fuit *Ioſeph* de ſollicitatione libidinoſa, & de voluntate adulterii effectui non demonſtrata, delatus, diffamatus & accuſatus per malitioſam mulieris machinationem *Gen.* 39.

Et quidem cauſa primæ injuriæ Joſepho illatæ fuit iſta. Fratres decem invidebant Joſepho adeo, ut voluerint eum occidere, ſed tandem ad conſilium Judæ fratris undecimi, vendiderunt eum triginta argenteis tranſeuntibus Iſmaëlitis. Hoc facto miſerunt tunicam Joſephi in inctam ſanguine hædi ad patrem ſuum Jacobum, dicentes ſe tunicam illam in agro inveniſſe, qua viſa contriſtatus Pater, putabat filium ſuum chariſſimum Joſephum à ferâ peſſima fuiſſe devoratum, & irremediabiliter eum planxit.

Porro iſti Iſmaëlitæ, qui emerunt Joſephum, duxerunt eum in Ægyptum, & vendiderunt ipſum Putiſari Eunucho Principi militiæ Regis. Porrò iſte Princeps militiæ Regis non fuit *Eunuchus*, id eſt *caſtratus*, quia conſtat, quod habuerit filiam Aſſenech, quam iſte Joſeph poſtea duxit in uxorem. Sed tradunt Judæi, quod ipſe Phutiſar non obſtante, quod habuerit uxorem, videns Joſephum eſſe puellum valdè formoſum, emerit ipſum ab Iſmaëlitis, eo fine, ut illo abuteretur per congreſſum venereum; Deus autem ita infrigidavit iſtum Phutiſar, ut fuerit impotens coire, & ita Dominus Deus cuſtodivit Joſephum ab eo intactum. Undè propter hoc deinceps Phutiſar dicebatur Eunuchus, & poſtea factus eſt pontifex Heliopoleos, & fuit magis honorabilis, quam erat antea. Poſtea vero Phutiſar videns Joſephum eſſe ingenioſum, & gratioſum in rebus agendis, conſtituit eum diſpenſatorem totius ſuæ domus. Uxor autem ipſius Phutiſaris & domina Joſephi, capta pulchritudine illius, ſollicitavit Joſephum de concubitu, qui ſe excuſavit; tum quia eſſet proditio contra dominum ſuum; tum quia eſſet grande peccatum in Dominum Deum. Igitur cum quodam die Joſeph cameram Domini ſui intraſſet, ipſa Domina apprehenſâ laciniâ pallii ſui, ait: Dormi mecum. Sed cum Joſeph nequaquam conſentiret operi nefando, fugit, relicto pallio apud eam. Domina vero videns ſe fuiſſe deluſam, conqueſta eſt viro ſuo, & accuſavit Joſephum iniquè, quod nimirum eam ſollicitaverit impudicè, & voluerit eandem violenter opprimere; in cujus rei credibilitatem produxit illa pallium, quod Joſeph ei reliquerat. Ad hæc Phutiſar nimis credulus verbis uxoris, miſit eum in carcerem, in quem etiam miſſi erant, piſtor & pincerna Regis. Tempore autem incarcerationis expoſuit Joſeph ſomnia piſtoris & pincernæ, ita ut ille ſit ſuſpendendus, alter autem pincerna liberandus, quem etiam rogavit, ut ſui recordaretur, dum benè ſibi fuerit. Poſtquam ergo pincerna liberatus fuit, diu poſtea recordatus fuit Joſephi ſomnii ſui interpretis. Et cum Rex mirabile ſomnium habuiſſet de ſeptem bobus pinguibus, & ſeptem macilentis, ad perſuaſionem Pincernæ, juſſit Rex adduci Joſephum, qui expoſuit Regi ſomnium: Quod iſti ſeptem boves pingues, deſignent ſeptem annos fertiles, iſti autem ſeptem macilenti boves, deſigneot ſeptem ſubſequentes futuros ſteriles annos, adeoque dedit conſilium Regi, quod conſtitueret virum aliquem prudentem, qui grana, quæ per ſeptem annos fertiles creſcent, congregent in horrea, ut ex illis populus poſſit vivere per alios ſeptem annos, quibus erit terræ ſterilitas.

Conſtitutus eſt ergo Joſeph in illo officio, & maximus Princeps Ægypti factus eſt, & primus à Rege, à quo etiam accepit annulum & torquem aureum circa collum, & curru nobili ferebatur, præcone clamante, ut omnes genu flecterent coram eo. Sic igitur Joſeph de carcere, & vinculis ad regni ſolium eſt tranſlatus. Iſtam ergo mirabilem gubernationem Joſephi deſcribit Salomon. Unde

Dicit ſic. *Hæc* (id eſt ſapientia) *venditum juſtum* (nimirum Joſephum) *non dereliquit: Sed à peccatoribus* (ſcilicet fratribus ſuis, quos accuſaverat apud patrem ſuum de crimine peſſimo *Gen.* 37.) *liberavit eum, deſcenditque cum eo in foveam* (id eſt in carcerem, vel in foveam, id eſt in ciſternam veterem ſine aquâ, in quam projecerunt eum fratres ſui. *Gen.* 37.) *Et in vinculis non dereliquit eum* In *Pſ.* Humiliaverunt in compedibus pedes ejus. Et *Gen.* 40. Pincerna, & piſtor miſſi erant in carcerem, ubi vinctus erat Joſeph; *Donec afferret ſceptrum regni* (id eſt principatum ſuper regnum Ægypti) *In Pſal.* Conſtituit eum Dominum domus, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

Et potentiam adverſus eos, qui eum deprimebant; videlicet fratres ſuos, in quos habuit tantam potentiam, ut eos (conſiderando præcisè ſuam potentiam) vel ad mortem, vel ad carcerem potuiſſet damnare, ſi voluiſſet.

Et eos mendaces oſtendit, qui eum maculaverunt, imponendo nimirum ipſi crimen adulterii Joſeph enim ipſo facto, ducendo honeſtam vitam, oſtendit, eos criminis impoſtores fuiſſe mentitos, falſumque dixiſſe unà cum peſſima illa muliere ſua domina.

Et dedit illi claritatem æternam; id eſt, poſt omnia iſta ſuperata, dedit ſapientia Joſepho *claritatem*, id eſt famam claram apud memoriam hominum in ſempiternum. Circa illa verba; *Hac venditum juſtum non dereliquit*, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An mali Prælati Patris æterni poteſtatem, Filii veritatem falſi Aſſeſſores; & Spiritus ſancti ſanctitatem ficti ſimulatores vendant?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod aliqui mali prælati vendant æterni Patris poteſtatem. Dant enim ſæpè potentiam, & uſum clavium pro muneribus & mercede temporali, & frequenter Eccleſiam unicam ſponſam Chriſti vendunt. Tales autem quantum Chriſtum Dominum offendant, patet ex eo, quod Chriſtus rigidiſſimè hoc vitium reprobaverit. Licet enim Chriſtus Dominus aſſumendo carnem noſtram, venerit judicari, & non judicare; peccata tollere, non punire, & oſtendere clementiam ſuam, non autem vindictam: contra peccatum tamen Simoniæ idem Salvator noſter ita infremuit, ut quaſi oblitus innatæ manſuetudinis illud puniverit. Sic legitur *Ioan.* 2. & *Matth.* 21. quod facto quaſi flagello de funiculis ejecerit vendentes, & ementes ex templo, & menſas nummulariorum (qui ſimoniacos figurant) ſubverterit, dicens eis: Scriptum eſt, domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

Nec mirum quod Chriſtus Dominus in tantum contra tales exarſerit, quia tales Simoniaci Chriſtum expellunt de ſuo officio. Chriſtus enim ſe fecit oſtiarium Eccleſiæ, nolens, quod aliquis in Eccleſia, id eſt, in Eccleſiaſticam dignitatem intraret, niſi per Ipſum *Ioan.* 10 Ego ſum oſtium, & qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliundè, ille fur eſt & latro. Iſti igitur Prælati mali, qui Eccleſiam Chriſti vendunt, expellunt Chriſtum de ſuo officio; voluntque quod pecunia ſit *oſtium* ad Eccleſiaſticas dignitates, & non Chriſtus. Sed unicuique tali Prælato dicetur illud, quod *S. Petrus* dicit *Simoni mago*: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. *Act.* 8.

Certè non eſt una perſona adeo parvi valoris in mundo, quæ non judicaret ſibi magnam fieri contumeliam, ſi duceretur de foro ad forum, & unicuique offerretur venalis. Quantò magis ergo ſponſa Chriſti, quæ eſt Eccleſia, imo Chriſtus ipſe offendi debet, qui nonnunquam viliſſimis & indigniſſimis hominibus venalis offertur pro pecunia, per quam tales emunt Eccleſiaſticas dignitates, & pinguia beneficia curata?

Conſtat, quod quando mater, quæ jam habet plures filios, eſt paritura prolem, tunc reliqui filii attendunt, qualis ſit proles quam peperit, & juxta qualitates prolis genitæ, eandem deſcribunt. Applicatio moralis. Eccleſia noſtra eſt mater noſtra, dum ergo caret paſtore, attendunt fideles tanquam filii Eccleſiæ, quem tandem Eccleſia pariet pro ſuo paſtore. Unde ſi contingat quod illa Eccleſia titulo largitionis munerum præficiatur aliquis homo avariſſimus tantum rebus terrenis inhians; nunquid homines poſſunt dicere, mater noſtra peperit nobis unum talpam? Et quando præficitur Eccleſiæ propter datum auri pondus aliquis rixator, nunquid poterunt omnes dicere, mater noſtra peperit nobis ſerpentem? & ſic de hominibus rudibus & illitteratis, qui ſubindè tantùm propter exceſſiva donaria promoventur ad Eccleſiaſtica officia, dici poteſt.

Pulchrè advertit *S. Auguſtinus*, quod per ſeptuaginta annos captivitatis Babylonicæ duraverit ſacer ignis, quem Jeremias abſconderat; qui tunc primò extinctus eſt, quando Antiochus vendidit *ſacerdotium* Jaſoni. 2. *Machab.* 4. Ubi ut patet, Antiochus fuit malus venditor, ita ut etiam ignis, qui per 70. annos duravit, fuerit extinctus. Sic etiam extinguitur ignis charitatis erga proximum, quando indigno propter ſola munera, non autem digno confertur aliquod beneficium Eccleſiæ.

Rectè ſane de iſtis malis venditoribus rerum Eccleſiaſticarum exponi poteſt illud *Ioelis* 3. Puerum poſuerunt in proſtibulo, & puellam vendiderunt pro vino. Chriſtus enim tanquam puer ponitur in proſtibulo, quando S. Eccleſia confertur uni lubrico & luxurioſo. Et puella, id eſt Eccleſia, venditur pro vino, quando bona Eccleſiæ conferuntur uni guloſo & potatori.

Explicatur ſecunda pars, quod aliqui vendant Filii veritatem; & iſti ſunt falſi juratores, quos communiter vocamus averſores. Iſti enim non volunt rectum teſtimonium dicere, niſi conducantur mercede, cum tamen quivis teſtis in conſcientia ſit obligatus ad dicendam veritatem, & Judex ſine munere teneatur æquum & juſtum judicare.

Legimus de Diabolo, quod quando voluit mentiri, induerit formam ſerpentis, tanquam erubuiſſet in forma propria mentiri, de perjurio tamen nunquam legitur Diabolus convictus; imò quando Diabolus adjuratur in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis ad dicendam veritatem, ſolet eandèm dicere. Iſti ergo falſi juratores ſunt pejores Diabolo, qui quantumcunque adjurentur, veritatem tamen reticent, quando fuerunt per pecuniam corrupti. Huc facit illud *Amos* 2. Vendidit pro argento juſtum, & pauperem pro calceamentis.

Explicatur tertia pars, quod aliqui vendant Spiritus ſancti ſanctitatem. Et iſti ſunt ſimulatores ficti, qui opera de genere bonorum faciunt, pro laude humana. De quibus dicit Salvator noſter *Matth.* 6. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

LECTIO CXXXIII.

TEXTUS.

Hæc populum juſtum, & ſemen ſine querela liberavit à nationibus, quæ eum opprimebant. Intravit in animam ſervi Dei, & ſtetit contra Reges horrendos in portentis, & ſignis.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Salomon deſcripſit mirabilem gubernationem Sapientiæ circa ſex perſonas in particulari, nunc deſcribit miros effectus Sapientiæ circa gubernationem totius populi Iſraelitici, qui fuit populus Deo peculiariter conſecratus, & in cultu Dei per legem datam ſpecialiter confirmatus. Fecit autem Sapientia tria notabilia populo Iſraelitico in genere. Nam primò Iſraelitas de ſervitute Ægyptiaca potenter eduxit & liberavit. Secundò illos per deſertum 40 annis deduxit & pavit. Et tertiò iſtum populum in terram promiſſionis induxit.

Et quidem in eductione Iſraël de Ægypto mirabiliter afflixit Ægyptios, & protexit Hebræos. In educendo autem eos per deſertum affectuosè juſtos inſtruxit, & animosè deſtruxit incredulos. Et denique in terra promiſſionis mirabiliter exaltavit Hebræos, & proſtravit Cananæos. Et de iſtis tribus beneficiis populo Iſraelitico à Deo collatis, agitur ab hoc Capite uſque ad finem Libri. Ante explicationem autem textus

Sciendum eſt, quod uti legitur *Exod.* 1. poſt mortem Joſeph, filii Iſrael in Ægypto addicti fuerint ſervituti, & ſervierint Ægyptiis in luto & latere in magna captivitate: & tamen quanto magis opprimebantur, tanto magis fuerunt multiplicati, adeò ut hoc comperto Rex Ægypti ſtatuerit; quod quidquid deinceps maſculini ſexus natum fuerit, projiciatur in flumen, fœmellæ autem genitæ ſervarentur ad explendam cum ipſis libidinem. Porrò illo tempore natus fuit Moyſes, quem Deus nuntium ſuum fecit ad Pharaonem, & per quem Deus etiam liberavit populum ſuum a ſervitute Regis Ægypti. Hoc præmiſſo ad explicationem textus procedamus.

Dicit ergo Salomon ſic: *Hæc* (nimirum Sapientia) *populum juſtum* id eſt filios Iſrael, qui ideò juſti dicuntur, quia fidem habuerunt de uno & vero Deo colendo (*& ſemen ſine querela*) id eſt, ſemen Patriarcharum, qui vixerunt ſine querela converſantes (*liberavit à nationibus*) id eſt ab Ægyptiis, qui tales manſerunt quales nati ſunt, carentes ſupernaturali cognitione Dei, quæ eſt per fidem in præſenti; & iſtæ nationes populum Iſraeliticum opprimebant duris operibus, luti & lateris, ut paulo ante dictum eſt, Undè *Exodi* 1. dicitur: Venite, ſapienter opprimamus eum, videlicet populum Iſraeliticum.

Licèt autem in iſta liberatione populi Iſraelitici Deus fuerit agens principale, agens tamen inſtrumentale fuit Moyſes, de quo ſubditur: *Intravit in animam ſervi Dei*, id eſt Sapientia intravit in animam Moyſis, qui fuit ſervus Dei, juxta illud *Exodi* 4. Ego ero in ore tuo, & docebo te, quid loquaris. (*Et ſtetit*) videlicet Sapientia, vel ipſe Moyſes (*contra Reges horrendos*) puta Pharaonem & ejus Principes (*in portentis & ſignis*) id eſt faciendo portenta & ſigna mirabilia. Dicitur autem portentum à portendere, quod eſt præſignare aliquid mirabile novum, ut ait S. *Iſidorus* 2. *Ethimol. cap.* 3. Circa illa verba, *In portentis & ſignis*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS:

An in initio naſcentis Eccleſiæ fuerint plura facta miracula, quam modò fiunt, vel futura ſint in fine mundi?

DIco: Convenienter à Deo ordinatum eſſe, quod in primitivo ſtatu Eccleſiæ miracula, ſeu ſigna frequenter fuerint facta, quæ tamen in ſtatu moderno Eccleſiæ rarò fiunt, & temporibus Antichriſti rariſſimè erunt.

Explicatur prima pars. Quod convenienter in ſtatu naſcentis Eccleſiæ ſint ſæpe facta miracula. Quia ut ait *S. Chryſoſt.* Vera miracula habent admirationem, utilitatem, & neceſſitatem; & ideo tempore initiantis *Eccleſiæ* oportuit ſæpè fieri miracula, quæ admirationem cauſarent, & admiratio delectationem in hominibus illius temporis; valdeque conveniens erat, ut homines illi, delectationibus ſublevarentur ad fidem. Utile quoque fuit tunc ſæpè fieri miracula, quia cum tunc pauci fuerint fideles, & plurimi infideles, hi viſis miraculis citius & copioſiùs convertebantur. Undè dicitur in *Actibus Apoſtolorum*, quod viſis prodigiis creverit numerus credentium. Et quia recenter converſi ad fidem, aliqualiter adhuc debiles erant in fide, neceſſe fuit, ut per miracula ſolidentur in eadem

Explicatur ſecunda pars. Quod moderno tempore rarò fiant miracula, quia non adeſt iſta neceſſitas, cum multitudo credentium ſit magna; aliquando tamen fiunt miracula, quia hoc ſuadet utilitas, eo quod aliqui infirmi ſint, qui indigent ſolidari in his, quæ Dei ſunt.

Adducitur tamen communiter triplex ratio, cur moderno tempore non fiant tot miracula, ſicut in principio naſcentis Eccleſiæ. Prima ratio eſt, quia Eccleſia modo eſt firmata, & ſtabilita in fide; & hæc eſt ratio *S. Gregorii*; qui ponit exemplum de plantâ, cui tamdiu aquam infundimus, donec eam cum terra convaluiſſe videamus.

Secunda ratio eſt propter univerſale mundi exemplum, & hanc rationem aſſignat S *Auguſtinus lib.* 22. *de Civ. Dei cap.* 8. dicens Quis prodigia adhuc inquirit, ut credat, magnum eſt ipſemet prodigium, qui etiam mundo credente, non credit. Hæc S. Auguſt.

Tertia ratio eſt, propter fidei majus meritum. Quia ſecundum *S Gregor. in Homil.* Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Et ex hoc patet, quod Fides noſtra ſeu hominum moderni temporis, cæteris paribus, ſit magis meritoria, quam Patrum, qui vixerunt in primitiva Eccleſia, ubi plurima miracula fuerunt facta.

Explicatur tertia pars. Quod in fine mundi fient rariſſimè miracula. Cujus triplex ratio eſt, ut ait. S. *Iſidorus Lib.* 1. *de ſummo bono cap.* 15. Primò, ut perſequentium manus audacior efficiatur. Secundò, ut Sanctorum patientia evidentius comprobetur. Et tertiò, ut eorum qui caſuri ſunt levitas demonſtretur. Circa illa verba, *Stetit contra Reges horrendos.* Sit

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Prælati debeant habere rectitudinem conſcientiæ, & fortitudinem reſiſtentiæ contra malos?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Prælati debeant habere rectitudinem conſcientiæ. Unde Apoſtolus *ad Epheſ. 6.* alloquitur tales dicens: State ſuccincti lumbos veſtros in veritate, induti lorica juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.

De palma obſervatum eſt, quod habeat hanc proprietatem, ut nullo pondere impediti poſſit, quin ſemper ſtaturæ rectitudinem teneat creſcendo. Sic etiam Prælatus, quantumvis onere tribulationum gravetur, nunquam tamen debet recedere à rectitudine conſcientiæ; & tunc de ipſo dicitur illud *Cant. 7.* Statura tua aſſimilata eſt palmæ. Sicut autem is, qui peccat, dicitur cadere ſeu labi; ita econtra is, qui habet rectitudinem conſcientiæ, dicitur ſtare. Unde *Sap. 5.* dicitur, Stabunt juſti in magna conſtantia.

Stans eſt promptior ad miniſtrandum; undè *Lucæ* 10. de Martha legitur; Quæ ſtetit & ait, Domine non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare. Secundò ſtans eſt fortior ad dimicandum ſicut dicitur *Paralip. 2.* Hic ſtetit in medio agri, & defendit eum. Tertiò, ſtans eſt aptior ad ambulandum. *Tobiæ 1.* Invenit juvenem ſtantem, ſplendidum, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. Quartò ſtans eſt altior ad contemplandum. *Abacuc 2.* Et ſuper cuſtodiam meam ſtabo, & etiam figam gradum ſuper munitionem & contemplabor ut videam. Iſtas autem quatuor qualitates habet bonus Prælatus, dum ſtat ac ſubſiſtit in rectitudine ſuæ conſcientiæ.

Explicatur ſecunda pars, quod bonus Prælatus debeat habere fortitudinem reſiſtentiæ contra malos; undè non licet ei fugere per curæ dimiſſionem, aut fingere per diſſimulationem; vel favere per adulationem: ſed debet ſtare contraveniendo, contraopponendo, & contradicendo. Unde de Prælatis bonis poteſt exponi illud *Pſ.* Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris. Sic Elias reſtitit contra Achab: & omnes Prophetæ etiam contra Reges ſeſe oppoſuerunt; ſicut patet ex *lib. 1. & 2. Paralipp.* Et ex *lib. Regum.* Sicut etiam Moyſes ſtetit, & fortiter pro populo Iſraelitico locutus fuit cum Rege Pharaone, uti in textu allegato inſinuatum eſt.

LECTIO CXXXIV.

TEXTUS.

Et reddidit Iuſtis mercedem laborum ſuorum; & deduxit eos in via mirabili; & fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum noctis. Et tranſtulit illos per mare rubrum, & tranſvexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demerſit in mare, & ab altitudine inferorum reduxit eos.

EXPLICATIO TEXTVS.

Poſtquam Spiritus ſanctus oſtendit ſummatim liberationem populi Iſraelitici in manu Moyſis, nunc ſpecialiter deſcribit modum recedendi Iſraelitarum de Ægypto. Undè duo in præſenti narrat, videlicet Hebræorum opulentam ditationem in ſuo exitu de Ægypto, & ſecundo mirabilem eorum peregrinationem in deſerto. Pro quo, ſciendum eſt, Quod filii Iſrael in exitu ſuo de Ægypto acceperint mutuo ab Ægyptiis ſupellectilem variam, & veſtes, vaſa, & ſimilia in magna copia, quæ omnia ſecum ex mandato Dei aſportabant, unde nec furtum commiſerunt; tum quia hoc fecerunt ex authoritate Dei, qui eſt Dominus omnium: tum etiam quia eis debebatur merces pro duriſſimo labore, quo ſerviebant in Ægypto. Et hoc eſt quod dicitur in textu; *Et reddidit Iuſtis mercedem laborum ſuorum*, quibus laboribus Ægyptiis ſerviebant 400. annis, dando eis bona mobilia Ægyptiorum in magna copia. Undè canit Eccleſia: Hæc non eſt, quæ exſpoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos.

Porrò in mirabili peregrinatione Iſraelitarum in deſerto ſpecialiter duo penſanda ſunt; nimirum via *per quam*, & tempus *per quod*. Et quidem quantum ad tempus fuerunt communes diverſitates, diei & noctis; ita tamen ut Deus Iſraelitas de die protexerit à calore maximo, qui eſt in illis partibus, per nubem, quæ populum ſemper obumbravit, ne læderetur ab æſtu: in nocte autem dedit eis Deus columnam ignis, quæ eis illuxit, ita ut ſe transferre potuerint, quandocunque eis placebat, ſive de die ſive de nocte.

Quantum ad viam autem erant tres difficultates; nimium tranſitus per deſertum, per mare rubrum; & per flumen Jordanicum. Et quidem in mari rubro fecit Deus duodecim diviſiones juxta numerum tribuum filiorum Iſrael: ita ut unaquæque tribus in ſua diviſione tranſire potuerit. Et ibi tribus Juda meruit primo regnum, quia ipſa Moyſen præcedentem primo ſecuta eſt, aliis dubitantibus. Ægyptii autem has diviſiones videntes in mari rubro, & Hebræos per easdem tranſire ſine periculo, intrarunt quoque mare rubrum; quod Dominus patienter ſuſtinuit. Tandem verò in vigilia matutina reſpexit Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum, qui etiam tranſierunt per mare rubrum, & reverſæ ſunt aquæ maris, quæ tranſeuntibus filiis Iſrael ex utraque parte ſteterunt ſicut murus, & ita concidentibus aquis maris ſubmerſi ſunt Pharao & exercitus ejus totus. Dicitur autem ideo mare rubrum, quia omnis terra circumſtans, rubra eſt, & inficit aquam ſimili colore rubeo. In hoc quoque mari rubro inveniuntur gemmæ rubræ. His præmiſſis ad explicationem textus procedamus.

Dicit

Dicit ergo Salomon ſic: *Et deduxit illos via mirabili*; videlicet per deſertam terram & inviam: nec illa, quæ Iſraelitæ ex Ægypto aſportaverunt, poterant eiſdem ſufficere pro ſuſtentatione ultra triginta dies, & tamen Deus nutrivit eos.

Et fuit illis in velamento diei, id eſt, Deus protexit eos ab æſtu per nubem obumbrantem.

Et in luce ſtellarum nocte, hoc eſt, in columna ignis. *Et tranſtulit illos per mare rubrum*, ſicco ſcilicet pede, ſeu veſtigio, & ſine periculo. *Et tranſvexit illos per aquam nimiam*, id eſt, per fluvium Jordanis, qui illo tempore tranſierat alveos ſuos; ut patet ex *Ioſue cap. 3.* ubi narratur, quod poſtquam exploratores terram promiſſionis viderunt, & relationem Joſuæ fecerunt certo tempore, tunc Joſua dixit ad populum ſanctificamini, cras videbitis mirabilia, ſtatimque dixit ſacerdotibus, ut accipientes arcam intrarent fluvium, qui tunc maximus fuit, tum ex aquis imbrium; tum ex liqueſactione & concurſu aquarum de montibus. Cumque ſacerdotes intraſſent aquam, ſteterunt aquæ ex illa parte, undè fluebant, quaſi mons; ex alia autem parte deſcendebant & currebant in mare mortuum. Sacerdotes verò ſteterunt in medio fluminis cum Arca, donec univerſus populus pertranſiret.

Et hanc hiſtoriam tangit Salomon hic dum dicit: *Et tranſvexit illos per aquam nimiam.*, id eſt, per Jordanem, qui tunc maximus exiſtebat. Vel aliter illa verba poſſunt exponi de Mari rubro; & tunc continuatur cum littera ſeu textu, in quo dicitur: *Inimicos autem ejus demerſit in mare*, id eſt Ægyptios. *Et ab altitudine inferorum eduxit eos*, id eſt Hebræos, *ab altitudine*, id eſt à profunditate maris, quæ valdè inferius deſcendebat. Circa illa verba, *Tranſtulit eos per mare*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum mundus rectè comparetur mari propter inquietudinem tempeſtatis; propter amaritudinem acerbitatis; & propter invaletudinem ſanitatis.

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod mundus rectè comparetur mari propter inquietudinem tempeſtatis. In mari enim eſt abundantia fluctuum & ventorum, & ideò ii, qui ſunt in mari, ſemper ſunt in periculo. *Eccleſ. 44.* Qui navigant mare, narrant pericula illius. Sic etiam in hac vita ſemper ſunt procellæ, & fluctuationes undarum. Nam modò homo deprimitur per adverſitatem; modò elevatur per proſperitatem; modò eſt ſanus, nunc languet; modò lætatur & habet multos amicos, modò habet multos inimicos: nunc exaltatur ad dignitatem, & paulò poſt deprimitur ad paupertatem. In *Pſalm.* Mirabiles elationes maris, id eſt, hujus mundi fluctuantis. In libro de naturis rerum dicitur, quod ſi Leo dormiat in navi tranſeunte per mare, tunc navis incipiat mergi & periclitari: cum verò Leo evigilat redit tranquillitas maris. Sic etiam, quando Prælatus dormit per negligentiam, congregatio incipit periclitari. De tali autem Prælato dicitur, illud *Proverb. 23.* Eris ſicut dormiens in medio navis, & ſicut gubernator amiſſo clavo. Et ideo ad hoc, ut ſalus congregationi reddatur, oportet quod talis Prælatus excitetur ſeu evigilet. In cujus figuram habemus *Matth. 8.* ubi legimus; quod Chriſto in navi dormiente, tantas ſuſtinuerit navis tempeſtates, ut diſcipuli fuerint compulſi Dominum excitare, & dicere: *Domine ſalva nos, perimus.* Eccleſia in mundo eſt ſicut navis in mari, undè Eccleſia vocatur navicula, juxta illud metricum:

Eccleſiam pro navi rego ſub climate mundi
Sunt mihi Scriptura retia, piſcis homo.

Quando ergo in iſta navicula Prælatus per negligentiam dormit, excitandus eſt per admonitiones amicorum; ut pericula conſideret, & undas maris, ne navicula ſubmergatur. Quàm periculoſum autem ſit hoc mare, explicat *S. Bernardus in quodam ſermone* dicens: Periculum, inquit, probat tranſeuntium raritas, & pereuntium multitudo. In Mari Marſiliæ de quatuor navibus non perit una: in mari hujus mundi de quatuor animabus vix evadit una. *Ita S. Bernardus.*

Explicatur ſecunda pars, quod mundus rectè comparetur mari propter amaritudinem acerbitatis. Totum enim gaudium hujus vitæ, aſperſum eſt amaritudinibus: Undè *S. Gregorius* in quadam homilia ait: Ubique mors, ubique luctus, ubique deſolatio; undique concutimur, undique amaritudine replemur; & tamen cæca mente carnalem concupiſcentiam, & ejus amaritudines amamus; fugientem ſequimur, labenti inhæremus: & quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſa labimur. *Hæc S. Greg.*

Prudentiſſimè autem Deus diſpoſuit, ut mundus iſte, ac vita iſta ſit amaritudinis repleta: quia ſi nulla miſeria huic vitæ eſſet admixta, nimis eam amaremus. Undè ſicut nutrix volens ablactare puerum, inungit mamillam ſuam aliquo liquore amaro: ita Deus volens nos ab amore mundi retrahere, eundem voluit amaritudinibus admiſcere. Undè *S. Gregor. 4. Moral.* ait. Electis ſuis ad ſe pergentibus Dominus, hujus mundi iter aſperum facit, ne dum delectatur in via, obliviſcatur illius, quod deſiderabat in patria. Sicut enim piſces non ſentiunt amaritudinem maris, ita homines mundani horum non ſentiunt amaritudinem, quia ſunt talibus aſſueti, *Abacuc 1.* Facies hominis, ut piſces maris.

Explicatur tertia pars. Quod mundus rectè comparetur mari propter invaletudinem ſanitatis. Conſtat, quod nullus poſſit, eſſe tam ſanus in mari, ſicut in terra. Et ideo fit quod illi, qui ſunt aſſueti habitare in terra, dum veniunt ad mare, non ſolum abominationem maris ſentiunt, ſed etiam vix capita ſua allevare poſſunt inter nautas. Sic etiam

nullus

nullus morigeratus poteſt ita benè, & virtuoſè vivere in mari hujus mundi, ſicut virtuoſè vivere poteſt in ſolida terra ſanctæ Religionis: in quâ quisquis benè educatus eſt, ſentiet revera abominationem rerum mundanarum. Caveant proindè illi, qui nimis diligunt mare hujus mundi cum ſuis oblectationibus, audiantque illud *Sophoniæ* 2. Væ, qui habitatis funiculum maris, gens perditorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An ſicut aquæ maris dulceſcunt per Solis elevationem; terræ tranſitionem, & ceræ diſtilationem; ita Sancti tribulationes hujus mundi ſibi dulces reddant; elevando mentem in Deum, meditando de morte, & cogitando de Chriſto Salvatore noſtro?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod ſicut aquæ maris dulceſcunt per Solis elevationem, ita etiam tribulationes hujus mundi Sanctis dulceſcant per elevationem mentis in Deum. Nam ſicut Sol alevat vapores de mari, qui poſteâ congelantur in nubes, de quibus dulciſſima redditur aqua: ſic etiam ſancti viri tribulationibus agitati, ſtatim in cœlum per meditationes ſuas aſcendunt, recogitando illud Apoſtoli, Quod non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſicut aqua maris dulcis redditur per tranſitum terræ, ita Sancti tribulationes ſibi immiſſas dulces reddant ex meditatione mortis. Nam aqua maris, ex conditione terræ, per quam tranſit, fit dulcis. Undè etiam aquæ tranſeuntes per terram ſabuloſam, dulceſcunt. Sic etiam ſancti viri, conſiderantes ſe eſſe morituros, ſeque in morte ſua ſolatium eſſe habituros, conſiderando quod poſt has mundi miſerias cum patientia exantlatas, tandem fœliciſſimam æternamque beatitudinem ingreſſuri ſint, facillimè omnes afflictiones ſibi immiſſas, adeò dulces ſibi reddunt, ut etiam parati eſſent adhuc majora tormenta in hoc mundo ſuſtinere. Huc facit illud quod dicit *S. Hieron.* Facile contemnit omnia, qui ſemper ſe cogitat moriturum.

Explicatur tertia pars. Quod ſicut aquæ maris dulceſcunt per ceræ liquefactionem, ita Sanctis tribulationes hujus mundi dulceſcunt, dum cogitant de Chriſto Domino. Experientia conſtat, quod ſi vas integrum & concavum de cera virginea factum, mittatur in mare, ſtatim replebitur aqua valde dulci, eo quod cera illa nihil amaritudinis permittat tranſire. Sic etiam ſi Chriſtum Salvatorem noſtrum recogitemus, in cujus perſona dicit *Pſalmiſta*: Factum eſt cor meum velut cera liqueſcens. Utique de cera virginea, quia Chriſtus Dominus de puriſſima virgine Maria natus eſt; Si inquam Chriſtum recogitemus, & in ipſum referamus cum patientia omnes tribulationes noſtras, iſtæ nobis ſtatim dulceſcunt. Ratio autem cur aquæ ſalſæ tranſeuntes per ceram, dulceſcant, eſt iſta: quia cera in ſeipſa, & ex natura mollis, habet dulcedinem, dum autem aqua ſalſa per poros ceræ tranſit, tunc inquam ſalſedo aquæ extrahitur, & rejicitur, ac proindè aqua dulceſſit. Applicatio moralis. Chriſtus Dominus eſt dulcis ex natura mellis, quia conceptus eſt in Virgine puriſſima de Spiritu ſancto; de quo *Eccleſ.* 24. dicitur: Spiritus meus ſuper mel dulcis Item Chriſtus Dominus habet multos magnos, & parvos poros patentes, nimirum ſanctiſſima ſua vulnera corpori ſuo inflicta per coronam ſpineam, flagellationem, clavorum confixionem & lanceæ cruentam apertionem. Et ideo, ſi per iſtos poros conſiderando vulnera Chriſti Domini, tribulationes noſtras, diſtillare velimus. redduntur nobis omnino dulces, & clare fateri debebimus, quod quidquid nos patimur, in comparatione ad illa, quæ Chriſtus pro nobis paſſus eſt, modicum & propemodum nihil ſit. Confortamini ergo & benè ſperate in Domino, quotquot tribulationes ſuſtinetis, certique eſtore, quod omnia poteritis facilè ſupportare in eo, qui vos confortat. Undè *S. Ambroſius in quodam ſermone* ait: Omnia habemus in Chriſto, & omnia in nobis habet Chriſtus. Si vulnera curare deſideres, medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi gravaris iniquâ ſententiâ, Juſtitia eſt; ſi indiges auxilio, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cœlum deſideras, via eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt. Hæc S. Ambroſius.

LECTIO CXXXV.

TEXTUS.

Ideo Iuſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantaverunt, Domine, nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter; quoniam Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium facit diſertas. Direxit opera eorum in manibus Prophetæ ſancti.

EXPLICATIO TEXTVS.

Explicata liberatione filiorum Iſrael de Ægypto, & quomodo Deus mirabiliter eos per mare rubrum deduxit ſicco pede; inimicos vero eorumdem demerſit in mare; & inſuper ſpolia Ægyptiorum dedit filiis Iſrael; nunc declarat Salumon, qualiter liberati Iſraelitæ Domino Deo gratias egerint.

Compoſuit autem tunc temporis Moyſes illud canticum, quod ponitur *Exodi* 15. Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt. &c. Poſt compoſitionem verò illius Cantici, manſit totus ille populus Iſraeliticus, juxta litus maris ſeptem diebus; & omni die acceſſerunt ad littus cum tympanis & citharis, & aliis muſicis inſtrumentis, & cantaverunt illud canticum Domino, viri ſeorſim in una turma, & mulieres ſeparatæ in alia turma.

ma. Conſimili autem modo Eccleſia ſeptem diebus in hebdomada paſchæ deſcendit cum proceſſione & cantu ad fontem baptiſmalem cantando cum gaudio illum Pſalmum: In exitu Iſrael de Ægypto. &c

Porrò illud Canticum Moyſis à populo Iſraelitico decantatum, fuit compoſitum metricè verſu heroico, quo paſſim nobiles victoriæ deſcribuntur: & quia iſtud Canticum eſt primum, de quo in ſacra Scriptura fit mentio, ideo vocatur *Canticum Canticorum*, ratione antiquitatis. His præmiſſis ad explicationem textus accedamus.

Dicit ergo ſic. *Ideo* (quia videlicet Sapientia direxit populum Iſrael) *Juſti tulerunt ſpolia impiorum. Juſti* (id eſt filii Iſrael, qui Deo ſervierunt eumque timuerunt) *tulerunt ſpolia impiorum*, id eſt, Ægyptiorum. Tum quia ex mandato Dei vaſa aurea, & argentea aliamque ſupellectilem recedendo ex Ægypto, ab Ægyptiis tulerunt; tum etiam quia Ægyptios, poſtquam hi ſubmerſi ſunt à mari, & ab hoc poſtmodum ad littus ejecti, ſpoliarunt armis, & aliis rebus, quas ſecum habuerant.

Et decantaverunt, Domine, nomen ſanctum tuum; cantando illud canticum compoſitum à Moyſe. Dicitur autem, *Et decantaverunt Domine* (qui fuiſti redemptor eorum) *nomen ſanctum tuum*: quo nomine nobilis Dei eſſentia deſignatur. *In Pſalm.* Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen ſanctum tuum in univerſa terra.

Et victricem manum tuam (id eſt potentiam tuam) *pariter* (id eſt tam viri quam mulieres) ita tamen, ut hæ à viris fuerint ſeparatæ. *Zach.* 12. Familiæ, & familiæ ſeorſim, & mulieres eorum ſeorſim.

Quoniam ſapientia aperuit os mutorum (id eſt, quia Sapientia Iſraelitarum, quæ præ timore in captivitate exiſtentes, erant quaſi muti) *Os aperuit, & linguas infantium fecit diſertas*; id eſt, linguas Iſraelitarum, qui tempore captivitatis erant ſicut infantes non potentes aliquid loqui: horum inquam linguas Sapientia fecit diſertas, quando poſt liberationem ſuam palam, & clara voce, unà cum Moyſe, Domino Deo pro gratiarum actione cantarunt canticum novum.

Quia autem populus hoc ipſum Canticum Domino decantaverat ex ordinatione, & mandato Moyſis; ideo ſubditur in textu: *Direxit opera eorum in manu Prophetæ ſancti*, id eſt, Moyſis.

Porro ſi filii Iſrael nomen Domini magnificabant, propter liberationem ſuam factam ex ſervitute Ægypti, profectò nos multo magis nomen Salvatoris, quod eſt JESUS: Vocabis nomen ejus JEſum. *Matth.* 1. magnificare debemus, qui nos à pœnis æternis inferni clementiſſimè liberavit. Et quia hoc dulciſſimum nomen JESUS, eſt illud, quod Deus Pater dedit Filio ſuo, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, nihilque amabilius hoc dulciſſimo nomine nobis eſſe debet, ideo plura in laudem ipſius dicere oportet. Sit ergo

ARTICULUS UNICUS.

Utrum hoc nomen JESUS, ſit nomen honoris & excellentiæ; nomen amoris & benevolentiæ; & nomen valoris, ac omnipotentiæ?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod hoc ſanctiſſimum nomen JESUS, ſit nomen honoris & excellentiæ. Nam ad *Philip.* 2. dicitur: dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Undè ſecundum ſacros Canones, quando hoc dulce nomen JESUS *profertur* in Eccleſia, quivis Chriſtianus caput inclinare debet.

Iſtud autem nomen JESUS, fuit nomen novum, & noviter Chriſto Domino in ſua Circumciſione impoſitum. Vocatum eſt nomen ejus JESUS: quod vocatum eſt ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. *Luca* 2.

Porrò ſolent homines nova nomina aſſumere ex triplici cauſa. Primò ratione novæ adeptæ dignitatis, ſicut Papæ aſſumunt ſibi novum nomen, ad denotandum, quod qualescumque ante Papatum fuerint, nunc tamen cum mutato nomine; vitam quoque mutabunt in planè virtuoſam & clementem.

Secundò mutant aliqui nomen ratione celandæ veritatis, ſicut faciunt illi, qui intrant aliquam provinciam, ubi ſciunt eſſe ſuos inimicos. Ne ergo cognoſcantur ex nomine à ſuis hoſtibus, aſſumunt ſibi aliud nomen.

Tertiò aſſumunt ſibi aliqui novum nomen ratione facti alicujus heroici. Hoc modo *Torquatus Manlius*, qui antea vocabatur *Lucius Manlius*, poſtquam à quodam gallo provocatus fuiſſet ad certamen, occidit ipſum; & poſtea torquem auream, quam Gallus ille in collo geſtabat, ab illo abſtulit, ſibique impoſuit, & deinceps ſe vocabat Manlium Torquatum. Similiter ob auctam Rempublicam Romanam *Octavianus* Imperator, dicebatur *Auguſtus*.

Nunc ad propoſitum deveniendo, ob has tres rationes decuit, quod etiam Chriſtus noviter incarnatus, nomen ſibi novum aſſumeret. Nam imprimis, Chriſtus Dominus eſt factus ſummus Pontifex & caput Eccleſiæ ſecundum ſuam humanitatem; undè ad *Epheſ.* 1. dicitur: Ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus. Et ad *Hebræos* 3. Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem noſtræ confeſſionis JESUM. Et quia Chriſtus, quà Deus, antecedenter fuerat valde rigidus, voluit in novo ſibi aſſumpto nomine ſignificare futuram ſuam clementiam. Secundò accepit Chriſtus novum nomen, ut inimicos ſuos ſcilicet Diabolos, qui dominabantur quaſi in hoc mundo, lateret ſuus adventus. Tertiò decuit, quod Chriſtus aſſumeret novum nomen propter heroicum ſuum factum, quo nos omnes è fauce tartari, & ex captivitate diabolica liberavit, mortemque noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit. Undè ſtatim in Circumciſione ſua quando primum effu-

dit

dit ſanguinem, qui tunc fuit pignus paſſionis ſuæ terminandæ per crucem, accepit hoc dulce nomen.

Explicatur ſecunda pars. Quod hoc nomen JESUS ſit nomen amoris & benevolentiæ. *Iſ. 26.* Nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio, anima mea deſideravit te in nocte. Nec mirum, quia hoc nomen JESUS teſte *S. Bernardo* eſt mel in ore; melos in aure; & jubilus in corde. In hoc dulce nomen inamoratus fuerat Doctor gentium, ita ut etiam amputatum ejus caput, ter nomen JESUS inclamaverit; hinc etiam nomen JESUS vel Chriſtus in ſuis epiſtolis 500. vicibus poſuit. Sic quoque Martyr Ignatius tormentis feriſque expoſitus, hoc nomen JESUS ſæpiſſimè repetebat; undè cum pagani à ſancto illo Pontifice quærerent, cur toties hoc nomen JESUS inclamaret, reſpondit: quod hoc adeo cordi impreſſus habeat, ut ejus oblviſci non poſſit. Undè poſtquam occiſus fuiſſet, acceperunt pagani cor S. Martyris, illudque in minimas particulas conſciderunt, & tamen in quavis particula, aureis litteris inſcriptum erat hoc nomen JESUS. Hoc nomen quoque diſcipuli Domini ſummè fuerunt venerati; juxta illud *Act.* . Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, dum oportuit eos pro nomine JESU contumeliam pati.

Explicatur tertia pars. Quod nomen JESUS ſit nomen valoris, & omnipotentiæ, cui nihil Diabolicum poteſt reſiſtere, ſi rectè contra Dæmones proferatur. Undè *Matth. 16.* dicitur in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis. In hoc nomine ſumme confidebat quidam gentilis converſus ad fidem noſtram. Hic ſummas moleſtias & verbera paſſus fuit poſt ſuam converſionem à dæmonibus, à quibus ut ſe liberaret, in quatuor angulis ſuorum linteaminum ſcripſit nomen JESUS, & ita nullus diabolus auſus fuit accedere lectum; cum autem in aliis cubiculi partibus adhuc eum infeſtaſſent, præparavit ipſe lanceam cum inſcriptione nominis JESUS, & hanc lanceam projecit ſemper verſus illam partem ex qua diabolus ipſum infeſtare præſumpſit: & per hoc remedium liberavit ſe ab iſtis malis ſpiritibus. Nec mirum, quia quicunque invocaverit nomen Domini ſalvus erit *Joan. 2.* Dum adhuc erat gentilis, legitur quoque de S. Dionyſio, quod is, quando erat Athenis cum B. Apoſtolo Paulo, dixerit, ſi hunc cæcum (qui tunc adfuit) reddideris videntem, ſub hac forma verborum; In nomine JESU, nati de Virgine, crucifixi, mortui, qui & aſcendit in cœlum, vide; convertat. D. Paulus ad iſta reſpondit, & dixit Dionyſio, ut ipſemet præfata verba proferat ad cæcum; quod cum feciſſet Dionyſius, ſtatim cæcus vidit. & Dionyſius converſus fuit. Rectè ergo de illo ſanctiſſimo nomine dicitur. *Act. 4.* Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos ſalvos fieri.

CAPITULUM UNDECIMUM.

LECTIO CXXXVI.

TEXTUS.

Iter fecerunt per deſerta, quæ non inhabitabantur, & in locis deſertis fecerunt caſas. Steterunt contra hoſtes, & de inimicis ſe vindicaverunt. Sitierunt & invocaverunt te, & data eſt illis aqua de petra altiſſima: & requies ſitis de lapide duro.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon ſapientiam commendavit propter liberationem filiorum Iſrael ex Ægypto, nunc in hoc capite agit de mirabili ejuſdemque populi gubernatione in deſerto, Et ut hæc gubernatio eo mirabilior appareat, deſcribit eam per quandam antitheſin; nunc recitando beneficia collata Judæis; nunc narrando ſupplicia irrogata eorum adverſariis. Adverſarii autem Hebræorum fuerunt Ægyptii in Æpypto; Amalecytæ in deſerto; & Chananæi in terra promiſſionis: quos omes Deus propter filios Iſrael mirabiliter afflixit.

In hac autem lectione agitur de tribus, in quibus Iſraelitæ fuerunt à Sapientia gubernati, dum erant in deſerto. Nimirum primo de longa & periculoſa peregrinatione; ſecundo de victorioſa hoſtium expugnatione, & tertiò de longa & miraculoſa litis extinctione. Ante explicationem textus ſciendum eſt, quod filii Iſrael recedentes de terra Ægypti verſus terram promiſſionis, per multa deſerta tranſierint. Nam inter Ægyptum & mare rubrum, habuerunt quatuor manſiones in deſerto, & de maris rubri tranſitu habuerunt deſerta *Sur, Sin. & Cades*, ut patet ex *Num. 33.* Decem ergo ex iſtis exploratoribus poſt dies quadraginta reverſi, dixerunt terram illam eſſe peſſimam & periculoſam ad inhabitandum, quandoque ibi habitent Gigantes, reſpectu quorum filii Iſrael ſunt quaſi locuſtæ. Inſuper iſti decem exploratores dixerunt quod terra illa ſit parum frugifera, ita ut licet homines multum in ea laborent, terra tamen non det tantum de fructu ut competenter vivere valeant. Nihilominus duo ex illis duodecim exploratoribus, nimirum *Joſua & Caleb* ſummoperè commendarunt terram illam ſecundum veritatem quam viderunt. populus tamen majorem partem exploratorum narrantium terram illam eſſe peſſimam ſecutus, murmuravit contra Dominum, & cogitaverunt ſibi ordinare duces, & reverti in Ægyptum.

Quamobrem Dominus Deus offenſus, juſſit populum redire ad ſolitudinem, de qua venerat, ita ut illi decem exploratores & malè deſcribentes terram promiſſionis, juxta numerum *quadraginta dierum*, quibus terram promiſſionis conſideraverant, pro pœnitentia *quadraginta annos*

nu in deſerto viverent, & tandem ibi morerentur cum populo, qui iis aſſenſerat. Undè factum eſt quod omnes illi, qui exierunt de Ægypto viri fortes, & robuſti, mortui fuerint. Filii autem illorum, elapſis quadraginta annis intraverunt terram promiſſionis, quam etiam ingreſſi ſunt *Ioſue filius Nun*, & *Caleph filius Iephore*. Hi ergò tranſierunt de Ægypto in Cades prope terminos terræ promiſſionis. Deinde verò iterum reverſi ſunt ab illo loco in deſertum, & ibi conſumpſerunt triginta octo annos completè, & in fine trigeſimi noni anni, poſtquam multum erraverunt in deſerto, reverſi ſunt in Cades Ita narrat *Magiſter in hiſtoria* ſuper caput 19. 20. & 33. *Num.* In univerſum autem Iſraelitæ, qui per deſertum ambulantes fecerunt quadraginta duas manſiones, antequam venerunt in Palæſtinam. His præmiſſis ad explicationem textus procedamus. Dicit ergo Salomon in textu allegato ſic: *Iter fecerunt per deſerta, quæ non inhabitabantur*: id eſt filii Iſrael profecti ſunt per plura deſerta quæ non fuerunt habitata ab hominibus, bene tamen à beſtiis. Et ideo *Deuter* 22 locus horroris, & vaſtæ ſolitudinis locus ille vocatur. *Et in locu deſertu fixerunt caſas*; id eſt diverſas manſiones, ſeu tuguria exigua ex arundinibus, paleis, & virgultis confecta, ut poſſint ſeſe defendere à nimio frigore vel calore.

Steterunt contra hoſtes, & de inimicis ſe vindicaverunt: id eſt Iſraelitæ vicerunt Amalecitas. Nam poſtquam Amalecitæ venerunt in deſertum ad pugnandum contra Iſrael, miſit Moyſis Joſue cum paucis armatis contra illos: ipſe verò Moyſes portans ſecum virgam Domini aſcendit in montem, aſſumens ſecum *Aaron*, & *Hur*, & quamdiu Moyſes orando Dominum manus elevabat, vincebat Iſrael, ſi autem manus dimiſit, vicerunt Amalecitæ. Et ideo *Aaron & Hur* tenuerunt manus Moyſis elevatas uſque ad Solis occaſum, & ita Joſue in ore gladii fugavit Amalecitas. Et ad hanc hiſtoriam alludens Salomon in textu allegato ait: *Steterunt contra hoſtes, & de inimicis ſe vindicaverunt. Sitierunt & invocaverunt te, & data eſt illis aqua de petra altiſſima, & requies ſitis de lapide duro.*

Nam populus Iſraeliticus paſſus fuit magnam ſitim, cum enim veniſſent in *Raphidim*, penitus defecit eos aqua, & cœperunt murmurare contra Moyſin. Moyſes autem ex mandato Domini percuſſit ſemel petram in Horeb, & egreſſæ ſunt aquæ; & Moyſes deinde vocavit terram loci illius *tentatio*. Pro quo ſciendum eſt (quod ſicut narratur *Num.* 20.) poſtquam Iſraelitæ anno 40. redierunt in Cades poſt mortem Mariæ ſororis Moyſis, indiguit populus aqua, & murmuraverunt contra Moyſen & Aaron, qui ambo Dominum rogaverunt pro remedio. Deus autem dixit Moyſi, quod ſi is poſt congregatam multitudinem percuſſerit petram coram eis, eadem petra abundanter datura ſit aquam. Moyſes autem aliqualiter hæſitando percuſſit primò petram, ſed propter diffidentiam ſuam nihil effluxit ex petra: poſtquàm autem ſecunda vice percuſſit, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimè, ita ut biberet populus & jumenta.

Porrò quia Moyſes & Aaron dictis Domini non crediderunt perfectè; ideo dixit eis Dominus, quod populum in terram promiſſionis ipſimet non introducent: quod & factum eſt, nam ambo mortui ſunt in deſerto. Aaron mortuus eſt anno 40. in monte *Hor*: Moyſes autem in monte *Nebo* ſuper quem ſtans conſideraverat prius terram promiſſionis, & ita Moyſes terram promiſſionis quidem vidit, ſed tamen eam non intravit. Rurſus, quia Moyſes & Aaron increduli fuerunt Deo promittenti aquas de petra, & quaſi Deo promittenti aquas contradixerunt, ideò inquam vocatæ ſunt aquæ illæ, aquæ contradictionis. Ad hanc ergo hiſtoriam Salomon alludens

Dicit ſic: *Sitierunt & invocaverunt te, & data eſt illis aqua de petra altiſſima*; id eſt de petra ſita in loco alto: quod multo mirabilius eſt, quam ſi Deus aquam elicuiſſet ex petra jacente in profundo.

Et *requies ſitis* (id eſt aquæ per quam ſedatur ſitis,) *data eſt illis de lapide duro*: eſt enim petra lapis durus In *Pſ* Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Pro majore explicatione textus, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An ſicut Iſraelitæ in deſerto fuerunt peregrini Viatores, bellatores glorioſi, & veri Dei cultores; ita etiam nos in hac vita habere debeamus?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod Iſraelitæ in deſerto fuerunt ſicut Viatores peregrini: Unde fecerunt ſibi caſas, non caſtra, nec magna palatia, ſed parva tuguria, & de fragili materia. Et per hoc factum Iſraelitarum redarguitur curioſitas illorum, qui nimis in exceſſivis ædificiis delectantur, quique plus circa lapides non viventes ſunt ſolliciti, quam circa lapides vivos, qui ſunt homines devoti & fideles, ex quibus conſtituitur Eccleſia. Tales certè curioſi ædificatores non conſiderant, quod non habeamus hic manentem civitatem, ſed futuram inquiramus, ad *Heb.* 13. Et ordinariè talis qui ſumptuoſa & ſuperba palatia fabricant, iis non fruuntur, ſed tantum poſteri eorum, qui ſæpè ſæpius ipſis ſunt ingrati. Huc facit illud Matth. 13. ubi, cum quidam diſcipulus dixiſſet ad Chriſtum, Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ: reſpondit Salvator noſter: Video has magnas omnes ædificationes; Amen dico vobis, non remanebit lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

Explicatur ſecunda pars, quod filii Iſrael in deſerto ſe habuerint ſicut bellatores: Sic etiam nós ſemper contra vitia bellare debemus, & contra tres hoſtes, dæmonem videlicet, carnem, & mundum. Et quidem dæmon pugnat contra nos duplici manu, nimirum occulta ſuggeſtione & aperta impugnatione. Primam manum evademus per prudentiam, quæ finem rei conſiderat; alteram autem manum evademus per patientiam, quæ æquanimiter tribulationem tolerat. Mundus quoq; pugnat contra nos duplici manu, nimirum ambitione honoris,

& amo-

& amore divitiarum. Primam manum amputabimus conſiderando finale judicium, quo modo ii, qui nunc ſunt in honore ſtrictiſſimè judicabuntur. *Sap.* 16. Judicium durum his qui præſunt. Secundam autem mundi manum amputabimus, amore Chriſti pauperis, qui nobis exemplum paupertatis dedit, naſcendo, & moriendo, ita ut Filius hominis non habuerit ubi caput ſuum reclinaret. Caro ſimiliter pugnat contra nos duplici manu, nimirum gulâ, & luxuriâ. Primam autem carnis manum debemus amputare per abſtinentiam: ſecundam per continentiam, maximè illi, qui ſunt in religionis deſerto conſtituti.

Explicatur tertia pars, quod filii Iſraël ſe habuerint in deſerto ſicut veri Dei cultores, à Deo cum indigerent ſuppliciter potum petentes. Sitis autem bonorum virorum eſt deſiderium videndi divinam eſſentiam, apud quam eſt fons vitæ, & in cujus lumine videbimus lumen. *In pſ.* Sitivit anima mea &c. Conſtat, quod poſtquam medicina benè purgavit corpus, homo ſitiat: ſic etiam homo, qui animam ſuam purgavit ab omni fœce peccati, avidiſſimè deſiderat & ſitit ad Dominum Deum. Juxta illud *Pſ.* Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Porrò iſta ſitis noſtra extingui non poteſt donec Chriſtus nobis dicat illud, *Cant.* 5. Comedite amici mei, & bibite abſque ulla commutatione argenti vinum & lac; ut impleatur illud *Pſ.* Inebriabuntur ab uberrate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

LECTIO CXXXVII.

TEXTUS.

Per quæ enim pœnas paſſi ſunt inimici eorum à defectione potus ſui, & in eis, cum abundarent filii Iſraël, lætati ſunt: per hæc cum illis deeſſent, benè cum illis actum eſt. Nam pro fonte quidem ſempiterni fluminis, humanum ſanguinem dediſti injuſtis.

EXPLICATIO TEXTUS.

ENarrato beneficio divino, quomodo ſapientia divina ſitientes Iſraëlitas in deſerto aquâ miraculosè fluente ex petra refecerit; nunc in iſta lectione comparat Salomon illud beneficium Iſraëlitis præſtitum, ad pœnam contrariam illatam Ægyptiis in Ægypto. Pro quo

Sciendum eſt, quod quando Ægyptii rebelles Domino, Iſraëlitas non voluerunt dimittere, Dominus Deus iratus decem plagas inflixerit Ægyptiis, quæ his verſibus continentur.

Sanguis, rana culex cimonia, mors, pecorina,
Vlcera, grando, Bruchus, tenebræ, ſtirps mortua prima.

Poſtquam itaq; Ægyptii fuerunt Domino rebellis, accepit Aaron Virgam Moyſis & percuſſit fluvium Nilum, ita ut aqua fluvii illius fuerit converſa in ſanguinem; Unde etiam quando Ægyptii aliquid haurire volebant, tunc iiſdem aqua illa tam colore quam ſapore apparuit eſſe ſanguis: & ſic conſequenter factus eſt ſanguis in tota terra Ægypti in fluviis, & rivis, ac paludibus; imò etiam in vaſis domorũ tam ligneis quã ſaxeis, & ubicunq; Ægyptii foderunt puteos juxta Nilum invenerunt ſanguinẽ. Itaq Salomon in hac lectione vult dicere, quod ſicut Deus juſtè punivit Ægyptios per ſitim & potus defectũ in Ægypto, ſiquidem, ut dictum eſt, omnes aquæ fuerunt converſæ in ſanguinẽ: Ita econtra Deus Iſraëlitis in deſerto ſitim patientibus abundanter aquam fluentem ex petra dederit pro ſiti extinguendâ; dicit ergo Salomon ſic; *Per quæ enim pœnas à defectione* (id eſt propter defectum potus ſui) *paſſi ſunt inimici illorum*, id eſt Ægyptii in Ægypto; *Et in eis cum abundarent filii Iſraël.* (id eſt, & in aquis pro ſiti reſtringendâ, cum abundarent filii Iſraël, tàm in Ægypto adhuc exiſtentes, quàm etiam quando erant in deſerto bibentes aquam de Petra altiſſima) *lætati ſunt*, id eſt, exultaverunt Iſraëlitæ, quod Deus ipſis potum aquæ recentis miſerit in abundantiâ. Et hoc *actum eſt*, id eſt miraculosè patratum eſt à Deo. *Nam per fontem ſempiterni fluvii*, id eſt Nyli, *humanum ſanguinem*, id eſt aquas calore & ſapore mutatas in ſanguinem: *Dediſti injuſtis*, id eſt Ægyptiis. Rectè autem hanc plagam ſuſtinuerunt Ægyptii, qua humanum ſanguinem in flumen projecerant ſubmergendo parvulos Hebræorum, uti *Exodi* 1. legitur. Huc facit illud *Ezech.* 35. Cum ſanguinem oderis, ſanguis te perſequetur.

Porrò verba allegata, *ſanguinem humanum dediſti injuſtis*, *S. Auguſtinus lib. contra quinque hæreſes*, ſuſius perpendens ſic exclamat. Fuſus eſt ſanguis medici, & factus eſt medicamentum frenetici. Omnis enim peccator frenetico comparatur, quia quanto gravius infirmatur, tanto putat ſe eſſe ſecuriorem: Ridet namque, dum flere deberet, & gaudet de infirmitate, & non poteſt cuſtodiri niſi vinculatus. Iſto modo etiam peccator, quanto pejor eſt, tanto minus ſeſe reputat eſſe peccatorem. Unde *Prov.* 18. dicitur: Peccator, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit: Sed ſequitur ipſum ignominia, quia ridet, dum flere deberet. Et ideò Chriſtus Dominus videns civitatem Jeruſalem flevit ſuper eam dicens; Quia ſi cognoviſſes & tu, ſupple, fleres. *Luc.* 19. Tales autem peccatores veluti frenetici non ſanantur niſi vinciantur per infirmitates immiſſas à Deo, quæ ſunt vincula ſalutaria peccatorum. *In Pſal.* Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et iterum in alio loco *Pſalmiſta* dicit: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. Pro majori explicatione verborum allegatorum ex *S. Auguſtino* videlicet: Fuſus eſt ſanguis medici, id eſt Chriſti, & factus eſt medicamentum frenetici, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Redemptio noſtra per ſanguinem Chriſti Domini facta ſit pretioſa, doloroſa, amoroſa, & gratioſa?

Dico quod ſic.

Explicatut prima pars, quod Red:mptio noſtra per Chriſti ſanguinem facta ſit pretioſa; Quia fuit redemptio *hominis*; inter omnes autem creàturas corporales *homo* eſt pretioſior, quia ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus eſt. *Iſaie 13.* Pretioſiot eſt vir auro, & homo mundo ebrizo. Et ideo homo omnibus beſtiis præponitur ad regendum, omniaque ſubjecit ſub pedibus ejus *Pſal. 8.* Unde etiam *Iacob. 3.* dicitur: Omnis natura beſtiarum, &, volucrum, & ſerpentum, & cæterorum, domatur, & domata eſt à natura humana. Et exinde provenit, quod pro effuſione ſanguinis humani non fuerit inflicta beſtialis mors pro pœna. *Gen. 9.* Quicunque effuderit ſanguinem humanum effunditur quoque ſanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.

Meritò proinde dixit *Ariſtoteles in Epiſtola ad Alexandrum.* Cavo, inquit, effundere ſanguinem humanum, quia hoc ſoli Deo convenit. Fuit itaq; redemptio noſtra prætioſa facta per Chriſti humanitatem; Unde Apoſtolus *ad Titum 3.* ait: Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei. Huc facit etiam illud quod dicit *S. Auguſtinus in lib. de Virginitate*: Inſpice, inquit, vulnera pendentis, ſanguinem morièntis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis: Caput item bene inclinatum ad oſculum cor apertum ad diligendum, & brachia extenſa ad amplexandum, & totum corpus expanſum ad redimendum. Hæc quanta ſint, cogitate; hæc in ſtaterâ cordis veſtri appendite; ut totus vobis ſit figuratus in corde, quì totus pro vobis fuit fixus in cruce. Hic Salvator noſter ſolus tantùm propriè ſanguinem humanum purum aſſumptum de beatiſſima Virgine per cooperationem Spiritus ſancti, effundit pro nobis; & ſanguinem noſtrum per peccatum primi parentis (ratione cujus homo aſſimilatus eſt jomentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis) infectum per pretioſam paſſionem ſuam ab omni fœce liberavit. De quâ re loquens *Apoſtolus ad Hebr 9.* ait: Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum peramplius & perfectius, tabernaculum non manu factum, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introvit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa.

Explicatur ſecunda pars, quod Redemptio noſtra per ſanguinem Chriſti facta fuerit doloroſa. Sanguis enim de corpore ſano in maxima copia effuſus, non erit ſine dolore. Dolor autem Chriſti Domini maximus fuit, juxta illud *Thre. 1.* O vos omnes qui tranſitis per viam. attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus.

De ſanguine humano ferunt Naturaliſtæ, quod fœcundet lignum aridum, ſanet corpus languidum, & cauſet cementum ſolidum. Et quidem primò, ſi lignum fuerit aridum, oportet radici ſtatim opponere ſanguinem humanum. Unde narrat *Hermes Ægyptius* quod Roſarium plantaturo in terra commixta cum ſanguine humano ad calorem modicum ignis, omni tempore anni producat roſas. Sic etiam moraliter loquendo, homo tanquam arbor (*Matth. 8.* Video homines ſicut arbores ambulantes) areſcit per peccatum, quando de Deo non cogitat, nec delectatur in rebus divinis; *Ioëlis 1.* Ligna agri aruerunt, quoniam confuſum eſt gaudium à filiis hominum. Ut autem talis homo areſactus per peccatum ſanetur, eſt optimum remedium, ſi ad radicem cordis ſui calidam devotionem & meditationem paſſionis Dominicæ, applicetur ſangois Chriſti. Iſta enim meditatio ſtatim accendit amorem, qui eſt calor naturalis arboris ſeu hominis. Quia autem amor Dei (teſte *S. Gregorius*) nunquàm eſt otioſus, ideo ſemper operatur fructum boni operis. Et ideo recte ad propoſitum dicit *S. Bernardus ſuper Cantica ſerm. 22.* Super omnia, inquit, reddit te mihi amabilem bone *Ieſu* Calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis perficiendo; hic enim omninò amorem meum ſibi vendicat; hic devotionem noſtram blandius ſibi allicit: juſtius exigit, & arctius aſtringit. Et ideò dicit *Apoſtolus ad Heb. 9.* Omnia penè ſecundum legem in ſanguine mundantur, & ſine ſanguinis effuſione nun fit remiſſio.

Secundò Sanguis ſanat corpus languidum: & ideo legimus; Conſultum fuiſſe Conſtantino Imperatori, ut in ſanguine puerorum calido balnearet, ad hoc ut reſtituatur ſanitati. Pueri habent ſubinde infirmitatem valde periculoſam, quæ vocatur *Tenglos.* Huic infirmitati occurritur, ſi puer ongatur ſanguine hominis, qui prius morbum illum paſſus fuit. Iſto modo corporis noſtri mortalitas eſt quædam incurabilis infirmitas, quia continuò morimur teſte *Seneca.* Iſta autem infirmitas mortalitatis noſtræ, ad hoc ut immortales fieremus, non potuit alio modo curari, niſi per ſanguinem illius, qui ſponte noſtram mortalitatem ſuſcepit, & ſua nos paſſione curavit. Unde *S. Bernardus in quodam ſermone* ait: O bone JESU quid tibi, & morti? nos deliquimus, & tu ſolvis; nos peccavimus & tu luis? Opus ſine exemplo, gratia ſine merito, & charitas ſine modo.

Tertio ſanguis cauſat Cementum ſolidum. Refertur quod antiqui volentes facere ædificia perpetua, cementum cum ſanguine humano commiſcuerint. Unde etiam de *Vortegirno* Rege Britanniæ, in hiſtoria Britannnica dicitur, quod cum ædificaret turrim in monte *Excæterii*, quidquid cementarii uno die pro conſtruendo turris fundamento opifices applicarunt, abſorbuerit terra. Et ideò magiſtri conſuluerunt eidem Regi, ut conquireret puerum qui non haberet parentem amplius, & tunc cum ejuſdem pueri ſanguine madefacti lapides, & cementum, præbebunt infallibiliter ſolidum fundamentum. Applicatio moralis. Quidquid homines antè Chriſti paſſionem benè vivendo ædificarunt, hoc totum in morte fuit à terra abſorptum, quia omnes in puteum inferni ſeu lymbi deſcenderunt, nec ſtare potuit ædificium meritorum, donec eſſent aſperſi ſanguine juvenis, qui non haberet Patrem in terris. Huc facit illud ad *Heb. 12.* Acceſſiſtis ad mediatorem novi teſtamenti Jeſum, & ſanguinis ejus aſperſionè, melius loquentem

quàm

quàm Abel. Iſto igitur ſanguine JESU Chriſti qui non habebat Patrem in terris, ſed genitus eſt ex puriſſimâ Virgine Mariâ, conglutinatum & ſolidatum eſt cementum Eccleſiæ, ita ut nec portæ inferi adverſus eam prævalere poſſint, & ut nos firmiter Deo per amorem inhæreamus, qui antea procul ab eo in regione diſſimilitudinis exiſtentes diſtabamus. Unde *ad Eph.* 2. dicitur: Nunc autem in Chriſto Jeſu Vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti.

Explicatur tertia pars, quod redemptio noſtra facta per ſanguinem Chriſti fuerit amoroſa. Nam Chriſtus nos non propter noſtra merita præcedentia vel futura redemit, ſed ſola ſua ineffabili charitate; juxta illud *Apoſtoli ad Titum* 2. Dedit ſeipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate. Et *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. De hoc ineffabili Dei amore erga homines *S. Auguſtinus* in quodam ſermone de Natali Domini ſic ait: Homo eſt factus hominis factor, ut eſuriret panis; ſitiret fons; dormiret lux; ab itinere via fatigaretur; ut à falſis teſtibus veritas occultaretur; judex vivorum & mortuorum à judice mortali judicaretur; ab injuſtis juſtitia damnaretur; flagellis diſciplina cederetur; Spinis botrus coronaretur; virtus infirmaretur; ſalus vulneraretur; & vita moreretur. *Hæc S. Auguſtinus.*

Explicatur quarta pars, quod redemptio noſtra per ſanguinem Chriſti Domini facta fueri gratioſa. Quia non ſolùm fuit facta pro amicis bonis & juſtis, ſed etiam pro inimicis, peccatoribus & injuſtis; 1. *Petri* 3. Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis. Imò quotidie Chriſtus datur injuſtis in Sacramento altaris, utpote, qui peccando in digni ſunt tanto beneficio, ut Chriſtum intra ſe ſumant cum carne & ſanguine ſuo pretioſiſſimo.

Unde *S. Auguſtinus* in quodam ſermone de die Judicii loquens in perſona Judicis Chriſti ad hominem judicandum, ait: Cur me graviori criminum tuorum cruce, quam illa in qua quondam pependeram afflixiſti? Gravior enim eſt mihi crux criminum tuorum, in qua invitus pendo, quam in illa ad quam quondam mortem tuam occiſurus, tui miſertus, volens aſcendi. *Hæc S. Auguſtinus.* Quapropter *S. Bernardus* loquens in perſona Domini, alicui peccatrici animæ, dicit ſic: O homo vide, quid pro te patior, non eſt dolor ſuper dolorem meum, crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas quibus afficior; vide clavos, quibus confodior: & cum ſit dolor tantus exterius, interius tamen eſt planctus gravior, cum te tam ingratum experior. *Hæc S. Bernardus.*

LECTIO CXXXVIII.

TEXTUS.

Qui cum minuerentur in traductione infantium occiſorum, dediſti illis abundantem aquam inſperatè: oſtendens per ſitim quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & adverſarios eorum necares.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione aſſignat Salomon aliquam congruentiam, cur Deus Hebræis in deſerto ſitientibus, auxilium præſtiterit, dando & eliciendo abundantem aquam de petra. Congruentia autem eſt hæc. Nam quia multi Hebræi in Ægypto occiſi fuerant, & parvuli eorum ſubmerſi, de qua ſubmerſione *Exodi* 1. dicitur: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen projicite. Ideo in compenſationem illius damni per aquas Hebræis, ſeu Iſraëlitis illati, congruum fuit, ut eidem per aquam remedium contra ſitim perciperent in deſerto, ut ita oſtenderetur innocentia Hebræorum, ſitim ſuam extinguentium per aquas diffluentes ex Petra: Et ſimul monſtraretur injuſtitia Ægyptiorum, qui in pœnam peccati ſitim ſuam non poterant extinguere, dum omnes aquæ converſæ fuerant in ſanguinem.

Dicit ergo Salomon ſic. *Qui* (id eſt Iſraëlitæ) *cum minuerentur* (id eſt fierent pauciores) *in traductione infantium occiſorum* (id eſt, in ſubmerſione infantium maſculorum, qui ex mandato Regis Ægypti projici debebant in flumen) *dediſti illis* (id eſt Iſraëlitis) *aquam abundantem inſperatè* (id eſt contra ſpem ipſorum ſcilicet Moyſis & Aaron) Unde dixit Moyſes populo *Num.* 11. Num de Petra hac poterimus vobis elicere aquas? Et intra dixit Dominus ad Moyſen & Aaron: Cur non crediddiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël? Et pro pœna incredulitatis ſubjunxit Deus. Vos enim (Moyſes & Aaron) non introduceris hos populos in terram quam dabo eis. Dediſti inquit eis *aquam inſperatè.* Ut enim oſtenderet Deus qualiter ipſe ſuos juſtos Iſraëlitas in deſerto *ſitim patientes exaltaret*, miraculosè eis potum de Petra ſubminiſtrando, & *adverſarios illorum* (nimirum Ægyptios) *necaret*, ſiti intolerabili necando, quando aquas omnes convertit in ſanguinem. Circa illa verba, *dediſti eis aquam abundantem*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum aqua propter ſuam ſuperficialem continuationem; naturalem humectationem; & alterius objecti repræſentationem; rectè comparetur ſapientiæ ſalutari, conſiſtenti in ſtudio ſacræ Theologiæ, & orationibus devotis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod aqua propter ſuam ſuperficialem continuationem, rectè comparetur ſapientiæ ſalutari. Aqua enim facile

facile ſeſe iis accomodat, quæ ſibi approximata ſunt, & conjuncta. Unde *S. Ambroſius in Hexameron lib.* 3. ait: Aqua rigorem frigoris commutat, ut inter vaporantia ferveat; inter umbroſa frigeſcat; ſole repercuſſa exæſtuet &c. Iſto etiam modo ſapientia moralis, quæ hominem docet rectè converſari ſine querela, novit ſe omnibus conformare, ſalva tamen honeſtate vitæ, & conſcientiæ. Et ita *Apoſtolus* 1. *Corinth.* 9. dicit: Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem. Huc facit etiam illud *Catonis*:

Conſtans, & levis, ut res expoſtulat eſto,
Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat.

Simile quid habet *Saluſtius*, dum ait:

Conſulo quiſquis eris, qui pacu fœdera quaris:
Conſonus eſto lupis, cum quibus eſſe cupis.

Ex hoc tamen quod te aliis, quantum ſalvâ honeſtate fieri poteſt, accomodes, non incurris inconſtantiæ notam, ſed potius magnam prudentiam habere judicaberis. Unde *Martialis de formula vitæ honeſta cap.* 1. ait: Si prudentiam amplecteris, idem ubique eris; & pro ut rerum aut temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori. Nec te in aliquibus mutes, ſed magis aptes: ſicut manus eadem eſt, & cum palma extenditur & in pugnum aſtringitur.

Porrò iſta ſapientia ſalutaris rectè vivendi emanavit de Petra altiſſima nimirum de Chriſto 1. *Corinth.* 10. Petra autem erat Chriſtus. Super quæ verba diſcurrens *Avicenna* ſic dicit: Sicut aqua de alto deſcendens melior eſt aliis aquis (cæteris paribus) ita ſapientia, & diſcretio vivendi derivata à Chriſto, melior eſt nobis doctrina quacunque alia. *Eccl.* 1. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.

Explicatur ſecunda pars, quod aqua propter ſuam humectationem rectè comparetur ſapientiæ ſalutari. *S. Ambroſius in Hexameron de opere tertii diei* dicit: Quod aqua ſit altrix omnium virgultorum & diverſos ſingulis uſus miniſtrans. Iſto modo doctrina ſacræ Scripturæ dat ſingulis alimentum juxta ſuæ conditionis neceſſitatem, ut faciat fructum bonorum operum tempore opportuno. *In Pſal.* Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. *Ariſtoteles* 7. *de animalibus cap.* 5. docet: Quod aqua pluvialis plus conducat piſcibus, & plantis, quam aqua fluvialis vel fontis, quodque per aquam pluvialem magis creſcant arbores, nec aliquid bene creſcat niſi bene imbibatur aqua. Moraliter loquendo. Aqua pluvialis de cœlo deſcendens eſt doctrina moralis ſacræ Scripturæ *Deut.* 32. Concreſcat ut ros eloquium meum. Et iſta doctrina moralis ſacræ Scripturæ plus conducit piſcibus, id eſt hominibus, in mari hujus mundi habitantibus, quam quæcunque alia doctrina moralis à Philoſophis adinventa. Et ideo doctrina moralis ſacræ Scripturæ rectè vocatur aqua ſapientiæ ſalutaris. *Eccl.* 15. Et *in Pſal.* In loco paſcuæ ibi me collocabit, ſuper aquam refectionis educavit me. Ut intelligas, quod aqua ſacræ Scripturæ, non ſolum potet ſitientes, ſed etiam reficiat eſurientes. Et ideo apud religioſos legi ſolet ſacra Scriptura ad menſam, ne ſolæ fauces ſumant cibum, ſed & aures, & mentes verbo Dei reficiantur: ut mandat *S. Auguſtinus in ſua regula.*

Porrò iſta aqua doctrinæ ſacræ moralis, convertitur in vinum, tantum ad preces S. Mariæ: niſi enim hæc gratiam docendi, & diſcendi impetraverit, totum inſipidum apparebit, quidquid homo proferet. In cujus rei figuram Chriſtus Dominus in nuptiis ad ſolas preces B Virginis Mariæ aquam convertit in vinum *Ioan.* 2.

Explicatur tertia pars, quod aqua propter ſuam figuralem repræſentationem rectè comparetur ſapientiæ ſalutari. Conſtat, quod in aqua clara, & non turbida, nec mota ſed quieta, ſpecies rerum objectarum appareant. Et ideò aqua eſt quaſi ſpeculum ad uſum pauperum; juxta illud *Eccl.* 27. In aqua reſplendet vultus proſpicientium. Iſto modo Scriptura ſacra, ſeu verbum Dei, hominem ſibi oſtendit, qualis ſit in moribus. Unde ſic *Gregorius* 2. *Moral.* ait: Scriptura ſacra mentis oculis, quaſi quoddam ſpeculum opponitur, ut interna noſtra facies in ipſa videatur; ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra agnoſcimus; ibi ſentimus, quantum proficimus, vel quàm longe à profectu diſtemus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An aqua rectè comparetur pœnitentiæ regulari, ex eo, quia lavat ſordida, flectit rigida, & coquit cruda?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars, quod aqua lavans ſordida, rectè comparetur pœnitentiæ regulari. Nam pœnitentia lavat ſordes peccatorum quantumcunque fuerint enormia. In cujus figuram dictum eſt Naaman leproſo 4. *Regum* 5. Vade, eſt lavare ſepties in Jordane, ut recipiat ſanitatem Caro tua, & mundaberis. *Ezech.* 16. Lavi te aqua munda, & mundavi ſanguinem tuum ex te. Sanguinem tuum, hoc eſt, peccatum tuum, quod ex carne & ſanguine ortum habet. *Eccl.* 17. Quid nequius, quàm quod excogitavit caro & ſanguis?

Hoc ergo Sacramentum Pœnitentiæ figuratur per piſcinam Probaticam, de qua dicitur *Ioan.* 5. Quod habuerit quinque porticus, in quibus jacuit multitudo languentium. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus & movebatur aqua, & qui primo deſcendit poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunque infirmitate ſua. Porrò piſcina dicitur quaſi aqua piſces habens in contrarium. *Probaton* autem Græcè, dicitur Latinè *ovis*. Unde quia illa aqua caruit piſcibus, & oves immolandæ ibi lavabantur, ideo piſcina illa dicebatur Probatica. Sic etiam Sacramentum pœnitentiæ ſignificat piſcinam illam, in qua lavari debet, quiſquis Deo immolari debet

Habet autem iſta Piſcina pœnitentiæ quinq; porticus ſecundũ quinq; occaſiones, quibus homines ingrediuntur aquam pœnitentiæ. Et iſti

quinq;

quinque pœnitentiæ porticus ſunt, prædicatio verbi Dei, Sanctorum præcedentium conſideratio, generalis Eccleſiæ ordinatio, divina inſpiratio, & corporeæ infirmitatis tribulatio.

Quidam ergò ingrediuntur piſcinam pœnitentiæ per prædicationem verbi Dei; Undè *Actor. 2.* dicitur: His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apoſtolos: quid faciemus viri fratres? Petrus verò ait ad illos: Pœnitentiam agite. Alii autem ingrediuntur piſcinam pœnitentiæ per porticum exemplorum ſanctorum virorum. Undè *S. Gregorius 1. Dialogorum* ait: Sunt nonnulli quos ad amorem patriæ cœleſtis non minus exempla, quam prædicamenta ſuccendunt. Item alii ingrediuntur piſcinam pœnitentiæ per porticum Eccleſiaſticæ conſtitutionis, qua cuivis Chriſtiano præcipitur, ut ſemel in anno confiteatur, & communicet. Rurſus aliqui intrant piſcinam pœnitentiæ per porticum divinæ inſpirationis, ſicut eam ingreſſi ſunt SS. Patriarchæ, Auguſtinus, Dominicus, Franciſcus, Bernardus, Nicolaus, & alii.

Denique aliqui intrant piſcinam pœnitentiæ per porticum infirmitatis corporeæ qua flagellantur à Deo; & iſte eſt porticus communis, in qua jacet magnitudo maxima languentium: quia tales vix volunt extra quadrageſimam confiteri, niſi neceſſitentur à periculoſa infirmitate.

Explicatur ſecunda pars. Quod aqua deſignet pœnitentiam, quia flectit rigida. Sic etiam pœnitentia corda ſuperba, indomita, & inſolentia, flectit ad obedientiam. Undè ſicut Corallum, quamdiu eſt in aqua, creſcit & augetur adinſtar plantæ, quamprimum autem extrahitur ex aqua rigeſcit in lapidem, juxta illud *Ovid. 15. Metamorphoſeos:*

Sic & Corallum quamprimum contigit auras,
Tempore dureſcit, mollis fuit herba ſub undis.

Ita etiam multi, dum ſunt inter ſanctos viros pœnitentiæ addictos, creſcunt, & molles fiunt atque tractabiles, qui cæteroquin extra pœnitentiam poſiti eſſent omninò rigidi, & rebelles. *Eccl. 24.* Dixi rigabo hortum plantationum, inebriabo partus mei fructus.

Explicatur tertia pars. Quod aqua deſignet pœnitentiam, quia coquit cruda. Conſtat omnibus, quod auxiliante igne id quod crudum eſt, & digeſtioni contrarium, fiat per decoctionem in aqua conveniens corporis nutrimētum. Sic etiam quidam non poſſunt incorporari corpori Chriſti myſtico propter ſuam cruditatem, & inſipiditatem, donec in aquis pœnitentiæ decocti fuerint. Juxta illud *Ezech. 24.* Conſumentur carnes, & coquentur univerſa, compoſitio & oſſa tabeſcent. *Conſumentur carnes;* id eſt, carnales affectiones: *& coquentur univerſa, compoſitio*, id eſt ornatus ſuperfluus ad modeſtiam reducetur. *Et oſſa tabeſcent*, id eſt, rigidæ & rebelles voluntates ad modeſtiam & obedientiam reducentur.

LECTIO CXXXIX.

TEXTUS.

Cùm enim tentati ſunt, & quidem cum miſericordia diſciplinam accipientes: & ſcierunt, quemadmodum cum ira judicati impii, tormenta paterentur. Hos quidem tamquam pater monens probaſti, illos autem tanquam Rex durus interrogans condemnaſti. Abſentes enim & præſentes ſimiliter torquebantur. Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoria præteritorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Salomon, quod Iſraëlitæ fuerint in deſerto ſiti à Deo miſericorditer puniti, pro ſua emendatione & probatione facienda, ſed & Ægyptios in Ægypto Deus ſiti laborare permiſit, ad eorum damnationem.

Dicit ergo Salomon ſic: *Cùm enim tentati ſunt*, id eſt, cùm enim Iſraëlitæ probati ſunt per iſtam immiſſionem ſitis pro ſuo bono, ut videlicet ſe corrigerent, ac emendarent. *Et quidem cum miſericordia diſciplinam accipientes*, id eſt, Iſraëlitæ ſeu Hebræi ſitim in deſerto ſibi tanquam aliquam diſciplinam à Deo *miſericorditer* acceperunt: quia per illam cognoverunt miſericordiam ſibi à Deo præſtitam, dum iſta ſitis, non fuit ipſis ad punitiem & condemnationem ſicut Aegyptiis in Aegypto, qui ſiti laborarunt, & eadem perierunt, poſtquam aquæ ſunt converſæ in ſanguinem. Et propterea ſubdicitur: *Et ſcierunt* (nimirum Iſraëlitæ) *quemadmodum cum ira judicati impii*, id eſt Aegyptii (*tormenta paterentur*) id eſt quantum tormentum in ſiti ſua habuerint impii Aegyptii, qui nullum refrigerium ſenſerunt, ſed ſiti ſua perierunt) ſequitur in textu

Hos quidem, id eſt Iſraëlitas, *tanquam pater monens probaſti*; ut nimirum dilectionem Dei erga ſe experirentur, & vitam emendando caverent, ne talem pœnam irremediabilis ſitis, uti habuerunt Aegyptii in Aegypto, ſuſtineant. Undè ſequitur: *Illos autem*, nimirum Aegyptios, *tanquam Rex durus* (id eſt ſine miſericordia) *condemnaſti*, propter videlicet perverſitatem Aegyptiorum, in qua permanſerant. *Abſentes enim & præſentes ſimiliter torquebantur*, id eſt, Aegyptii: non ſolum illi, qui erant propè aquam, ſed etiam illi, qui diu tum diſtabant ab aqua, ſimiliter ſiti laborabant.

Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoria præteritorum. Id eſt Aegyptii gemuerunt ex dolore ſitis tanquam pœnæ præſentis, & timuerunt de futuro ex memoria præteritorum. Et ideò dicit: *Duplex enim illos acceperat tædium.* Circa illa verba: *Hos quidem tanquam pater monens probaſti,*

Notandum eſt, quod triplicem habeamus Patrem, nimirum ſuper naturalem per creationem, corporalem per propagationem, & ſpiritualem per curam & conſervationem. Et quidem de primo dicitur *Deuter. 32.* Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui te fecit & creavit? &

Matth. 23. dicitur: Patrem nolite vobis vocate ſuper terram, unus enim eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt. Porrò iſte Pater eſt Pater *Sanctitatis*, *Ioan.* 17. Pater ſancte clarifica Filium tuum. Et paulò poſt. Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. Et infra: Pater ſanctifica eos in veritate. Pater poteſtatis *Matth.* 27. Et *Marc.* 14. Pater omnia poſſibilia ſunt tibi. Pater pietatis 2. *Corinth.* 1. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, Pater miſeriarum, & Deus totius conſolationis; pro horum majori explicatione ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum Deum Patrem ſanctitatis debeamus deprecari per devotionem; Patrem poteſtatis venerari per ſubjectionem, & Patrem pietatis imitari per aſſimilationem.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Deum tanquam Patrem ſanctitatis debeamus deprecari per devotionem; cujus formulam habemus *Matth.* 6. ubi dicitur: Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum: & hæc eſt oratio Dominica, in qua omnia nobis neceſſaria pauciſſimis petitionibus includuntur. Et hæc eadem Dominica oratio antecellit omnes alias orationes, authoritate, utilitate, & compendioſitate, quam ſi fideliter & ferventer dixerimus, impetrabimus quidquid noſtræ ſaluti poterit expedire. *Ioan.* 16. Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Undè teſte *Valerio lib. 7. cap.* 2. Melius eſt dicere hanc orationem generalem ad Patrem cœleſtem, qui ſcit nobis dare id, quod nobis expedit, quam ſubindè permiſcere orationes particulares pro honoribus, divitiis, prolibus, & opulentis nuptiis accipiendis, quæ fortè nobis plus oberunt quàm proderunt. Deſine ergo, inquit, *Valerius*, ſtultè futuris malorum tuorum cauſis, quaſi fœliciſſimis rebus inhiare, teque totum cœleſtium arbitrio committe, quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſimè poſſunt. *Luc.* 11. Si vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.

Explicatur ſecunda pars. Quod Deum tanquam Patrem poteſtatis debeamus venerari per ſubjectionem; juxta illud *Malach.* 1. Filius honorat Patrem, & ſervus Dominum ſuũ. Si ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et *Eccl.* 3. Magna potentia Dei ſolius ab humilibus honoratur.

Explicatur tertia pars. Quod Deum tanquam Patrem pietatis debeamus imitari per aſſimilationem. *Luc.* 16. Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter miſericors eſt. Laudabile & honorabile eſt in Filio, bonam Patris proprietatem effigiare, proprietas autem Dei eſt miſericordia. Undè canit *Eccleſia*: Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Et ideò Beati miſericordes quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum Patrem carnalem per propagationem debeamus in vitæ neceſſariis ſupportare; Chriſto contradicentem repudiare; & æternis memoriis cogitare?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Patrem corporalem debeamus in vitæ neceſſariis ſupportare; undè *S. Chryſoſtom.* exponens illud *Ioan.* 19. Mulier ecce Filius tuus, dicit ſic: Docet nos Chriſtus uſque ad ultimam reſpirationem parentum diligentiam habere, quia enim aliis mulieribus aſtantibus nihil dixit; docet plus aliquem impendere parentibus; ſicut etiam Chriſtianus adverſantes genitores ad ſpiritualia, noſſe non debet: ita qui nihil impediunt, debent honorari ante alios, quia genuerunt, & aluerunt: Et ideò *S. Ambroſius* ſuper illud *Matth.* 19. Honora patrem tuum, ſic ait: Primus pietatis gradus eſt, ut quos authores vitæ tuæ voluit eſſe Deus, honores obſequiis; abſtineas contumeliis: quia nec vultu lædenda eſt pietas. Huc etiam facit illud, quod dicit *Ariſtoteles* 9. *Eth.* ubi docet, quod parentibus debeamus ſubminiſtrare alimenta, dum egent, & exhibere honorem ſicut diis, propter maxima beneficia generandi, & nutriendi ab eis accepta. Et 8. *Eth.* dicit: quod diis & parentibus non poſſimus reddere æquale.

De Ciconia narrat *Solinus lib. de mirabilibus mundi*; quod ipſi inſit ſpecialis pietas erga parentes; nam quantum temporis parentes impenderunt prolibus educandis, tantum temporis quoque impẽdunt proles in alendis ſuis parentibus: & inſuper eos regunt alis ſuis, defenduntque à frigore. Sic certè deberent omnis proles, & omnes filii facere ſuis parentibus juxta illud *Eccl.* 3. Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & nõ contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas illum in tua virtute.

Explicatur ſecunda pars. Quod Patrem corporalem contradicentem Chriſto debeamus repudiare; undè ſi pater filium ab ingreſſu religionis, vel quibuſcunque aliis bonis operibus velit impedire, repudiandus eſt talis pater: juxta illud *Matth.* 10. Qui amat patrem & matrem plus quam me, non eſt me dignus. Super quæ verba *S. Hieronymus* ait: Si amor parentum ſive filiorum amori Dei comparetur, & utrumque ſervari non poſſit, odium in ſuos, & pietas in Deum eſt ſervanda. Imò etiam conducit ſæpè inſciis parentibus fugere mundi inquinamenta, & ſequi Chriſtum. Hujus aliqualem figuram habemus *Gen.* 31. ubi Jacob dum vellet fugere in patriam ſuam, nec avunculum, nec ſocerum ſuũ voluit præmonere. Et *Iudic.* 14. Samſon leonem conſcidit in fruſta, & poſtea de ore leonis mel comedit, & tamen neutrum patri vel matri voluit indicare. Et ideò *S. Hieronymus* de hac re in quadam Epiſtola ſic ſcribit. Licet in collo parvulus dependeat nepos; licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, ubera quibus te nutrivit, mater oſtendat; licet in limine jaceat pater: percalcatum perge patrem, percalcatam perge matrem, ſiccisque oculis ad vexillum Chriſti evola. Solum pietatis genus eſt, in hac re te eſſe crudelem. Ita *S. Hieronymus*.

Explica-

Explicatur tertia pars, quod Patrem corporalē debeamus æternis memoriis cogitare, ne ſimus ingrati illi, per quē Deus dedit nobis eſſe. *Eccl.* 23. Memento patris tui & matris tuæ. Moderno tamen tempore videmus, quod multi ſint filii ingrati, qui mortuis parentibus ore rident, rebus per hæreditatem acceptis abutuntur, & ſola lugubri veſte luctum parentum monſtrant; talis fuit *Gellia*, de qua narrat Martialis lib. 1. Epigrammatum:

Amiſſum non flet, cum ſola eſt Gellia, patrem;
Si quis adeſt, juſſæ proſiliunt lachrymæ.
Non lugeat quiſquis, laudari Gellia quærit,
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

Vult dicere *Martialis*, quod Gellia patrem ſuum mortuum nunquam fleverit, ſed potius riſit, nihilominus dum alii adfuerunt, fictas lachrymas dedit, hoc fine ut laudetur ab aliis tanquam talis, quæ ſummè dolet de patris ſui obitu.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Patri noſtro ſpirituali debeamus exhibere obedientiam, benevolentiam, & honorem?

DIco quod ſic.

Explicatur aſſertio. Nam talis pater ſpiritualis tenetur pro nobis reddere rationem, tenetur quoque nos inſtruere per informationē, & nos fovere per compaſſionem. De talibus patribus poteſt exponi illud *Gen.* 4. Paſtores oviū ſumus nos & patres noſtri. Iſte porrò pater debet eſſe ſicut Elias ad quē Eliſæus dixit 4. *Reg* 2. Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auriga ejus: ut videlicet ſit currus ſupportans ſuaviter debilitates infirmorum & auriga flagellans egregiè otioſos. Iſte pater ſpiritualis debet eſſe arca Dei, in qua fuerunt virga, tabulæ, & manna. Ita etiam in Prælato tanquā in patre ſpirituali, debet eſſe virga correctionis ſeu caſtigationis, tabula informationis, & manna conſolationis. Undè *S. P. Auguſt. in ſua regula* de Prælato dicit: Corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes.

Deindè iſte pater ſpiritualis debet habere non ſolum faciem leonis per auſteritatem, ſed etiam faciem hominis per manſuetudinem & pietatē. Denique iſte pater ſpiritualis debet eſſe columna ignis per activitatem exuſtionis vitiorum, & etiam columna nubis per ſuavitatē perfectionis. Undè *S. Bernardus ſuper Cantica* ait: Diſcite vos Prælati ſubditorum matres vos eſſe debere, non Dominos; Studete magis amari quam metui: & ſi ſeveritate ſubindè opus eſt, paterna ſit, non tyrannica. Matres fovendo patres corripiendo vos exhibeatis: ſuſpendite verbera, producite ubera, pectora lacte pingueſcant, non typo ſuperbiæ turgeſcant. Hæc *S. Bernardus*.

LECTIO CXL.

TEXTUS.

Dum enim audirent per ſua tormenta benè ſecum agi, commemorati ſunt Dominum: admirantes in finem exitus. Quem enim in expoſitione prava projectum deriſerunt; in finem eventus mirati ſunt, non ſimiliter juſtis facient.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam explicatum eſt quomodo Iſraëlitæ pro ſua emendatione à Deo fuerunt afflicti in deſerto per ſitim, à qua tamen Deus miſericorditer eos liberavit, dando eis aquam de petra in abundantia. Poſtquam etiam oſtenſum eſt quomodo Ægyptii ad ſuam condemnationē puniti ſunt horrendâ ſiti per converſionē aquæ in ſanguinem. Nunc in hac Lectione oſtendit Salomon quis fuerit effectus ſubſecutus ex hac afflictione Ægyptiorum.

Fuit autem effectus duplex. Nam imprimis Ægyptii ad Dei notitiam, & confeſſionem Dei faciendam, juſtè coacti ſunt, qui tamen antecedenter ſe Deum ignorare dicebāt. Unde *Exodi* 5. dicitur: Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraë.? Neſcio Dominum, & non dimittam Iſraël.

Secundus effectus fuit, ut Moyſen Dei Prophetam venerarentur, quem tamen antea tanquam parvum puerum, maris fluctibus exponendo tanquā ſubmergendū ſpreverunt. Et hos duos effectus declarat Salomon in hac lectione.

Et quidem quod Ægyptii unà cum Rege ſuo Pharaone coacti ſint ad confitendum Deum, patet ex eo. Nam quando Aegyptii ſenſerunt ſe divinitùs affligi, nunc per mutationem aquæ in ſanguinem nunc per miſſionem ranarū, & aliarum octo plagarum, reducti fuerunt ad cognoſcendā divinā virtutem. Undè viſo tertio ſigno de ciniphibus dixerunt malefici Pharaoni, digitus Dei eſt hic. *Exod.* 8. Imò ipſemet Pharao poſt plagam grandinis dixit: Peccavi etiam, & nunc Dominus juſtus, ego & populus meus impii. Et *Exod.* 14. Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra. Hoc dixerunt quando fuerunt in mari rubro & quando Dominus Deus exercitum percuſſit imbre, fulmine, & tonitru, & ſtatim poſtea fluctus maris ope[ruit] & hoc eſt quod dicitur: *Cùm enim audirent* (ſcilicet Aegyptii) *per ſua tormenta* (id eſt, per plagas ſibi à Deo immiſſas) *bene* (id eſt juſtè agi) *commemorati ſunt Dominum*, id eſt recognoſcentes ſe divina virtute fuiſſe correptos, Dominum Deum confeſſi ſunt. *Admirantes in finem exitus*, id eſt de fine exitus Iſraël ex Aegypto. In *Pſal.* Fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

Secundo fuerunt Aegyptii venerati Moyſen, quod parvulum ſubmergere volebant *Exodi* 1. Et quantum ad hoc dicitur in textu: *Quem enim in expoſitione prava*, quando nimirum in malitioſo præcepto Pharaonis Regis Aegypti, parvuli morti exponebantur, & projecti fuerant in flumen. *Projectum*, id eſt Moyſen, cum aliis pueris in flumen projecerunt, ut ſubmergeretur. *Deriſerunt*, id eſt, contemptibiliter abjecerunt.

In finem eventus mirati ſunt: quando nimirū in tot plagis, & portentis Moyſes percuſſit Aegyptum, & inſuper populū Iſraëliticum ex Aegypto eduxit ſicco veſtigio per mare rubrum Aegyptiis in eodem ſubmerſis, in quo tamen Iſraëlitæ nō ſubmerſi ſunt, & ideò ſubditur in textu: *Non ſimiliter juſtis faciens.* Notandum hic quod iſte textus debeat referri ad textū lectionis præcedentis. Ubi dicitur: Illos tanquam durus Rex interrogans condēnaſti, *non ſimiliter juſtis faciens*, alias non appareret congrua connexio ſermonis; & eſt ſenſus: quod Deus aliter punīverit Iſraëlitas, & aliter Aegyptios; nam Iſraëlitas ſolum punivit ad ſuam correctionem: Aegyptios autem ad ſuam condemnationem, ut in lectione præcedenti dictum eſt.

LECTIO CXLI.

TEXTUS.

Pro cogitationibus inſenſatis iniquitates illorum ; quod quidam errantes colebant mutos ſerpentes & beſtias ſupervacuas: immiſiſti illis multitudinem mutorum animaliũ in vindictam, ut ſcirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Salomon, quod Aegyptii juſtè puniti fuerint ſecundùm exigentiam & proportionem culpæ ipſorum.

Dicit ergo ſic : *Pro cogitationibus autem inſenſatis iniquitates illorum.* Quaſi dicat, Aegyptii ex nulla ratione probabili, vel ex gravi aliqua tentatione victi, peccaverunt peccato idololatriæ ; ſed omninò evanuerunt in cogitatione, & obſcuratum eſt cor inſipiens ipſorum *ad Rom.* 1. *Quod quidam errantes colebant multos ſerpentes.* Quaſi dicat : Imò aliqui ex vobis (nimirum Aegyptii & Chananæi) adeò fuerunt perverſi, ut ad ſuam damnationem augendam, adinvenerint idololatriam, in quo erraverunt errore inexcuſabili. *Prov.* 14. Errant qui operantur malum.

Colebant mutos ſerpentes (id eſt exſculptum ſerpentem) *& beſtias ſupervacuas*, (id eſt, fictas imagines beſtiarum) Undè colebant Jovem ſub ſpecie arietis, & Mercurium ſub ſpecie canis. Vel ſicut dicit *Magiſter in hiſtoriis.* Jupiter pingebatur in capite arietis, & Mercurius cum capite canis, cæteræ autem partes vel erant humanæ, vel aliorum animaliũ. Undè *Iſidorus* 8. *Ethic. cap. ultimo* dicit : Quod Mercurius pictus fuerit cum capite canino ; canis autem eſt animal ſagaciſſimum, & Mercurius eſt Deus eloquentiæ. Pictus etiam fuit Mercurius in capite, & pedibus alas habens, ad deſignandam velocitatem, quia defertur vox eloquentiæ per aëra. Quia itaque Aegyptii coluerunt idola beſtiarum, meritò quoque per beſtias fuerunt puniri.

Et ideò ſubditur in textu : *Immiſiſti illis multitudinem animalium mutorum in vindictam.* Undè *Rabanus* ait : Dignum fuit, ut qui creaturam pro creatore venerabantur, pœnam ſuſtinerent à creatura.

Ut ſcirent (id eſt ut cognoſcerent) *quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Id eſt quia Aegyptii peccaverunt adorando beſtias pro vero Deo, juſte etiam debuerunt torqueri per alias beſtias ſibi immiſſas ut ranas, ciniſes, &c. Circa illa verba : *Per quæ peccat quis, per eadem & torquetur.*

Notandum eſt, quod in ſacra Scriptura reperiantur plura exempla, quod Deus in eo puniverit hominem, in quo peccavit. Nam Goliath gladio, quo voluit occidere Davidem, occiſus eſt, 1. *Regum* 17. Aman ſuſpenſus eſt patibulo, quod paraverat Mardochæo, *Eſther* 7. Dives epulo lingua cruciatus eſt, in qua prius fuerat voluptuosè delectatus, *Luca* 16. Item *Ezech.* 35. dicitur : Cùm Sanguinem oderis, Sanguis te perſequetur. Item *Matth.* 26, qui gladio percuſſerit, gladio peribit. *Apocal.* 12. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem ibit, & qui gladio occiderit, oportet cum gladio occidi, *Iſai.* 33. Væ qui prædaris, nonne prædaberis? *Prov.* 11. Qui inebriatur ipſe & inebriabitur; *Abacuc* 2. Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis Iſraël. Item Samuel conſcidit Agag in fruſta dicens : Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis inter mulieres erit mater tua, 1. *Regum* 15. Sacerdotes falſi lapidati ſunt juſtè, qui injuſtè voluerunt lapidare Suſannam, *Dan.* 13. Herodes in filiis ſuis punitus eſt, quia filios aliorum innocenter occiderat. Undè ſicut ipſe multos filiis orbavit, ſic etiam ipſe miſerabiliter filiis ſuis orbatus eſt, ſicut dicit *Magiſter in hiſtoriis* ſuper Evangelia: Sic etiam Parillus ſuadens Phalaridi Regi Siciliæ, ut pro augendo tormento Chriſtianorum mitteret eos in bovem æneum ſuccenſum, à ſe præparatum, ut intus poſiti, & ab igne circumſtante exuſti mugiant ſicut boves ; ſic inquam Parillus primus à Phalaride Rege Siciliæ in illum bovem æneum projectus fuit. Undè de hoc *Ovidius lib.* 1. *de arte amandi* ſic ſcribit :

Iuſtus uterq; fuit, nec enim lex æquior ulla eſt
Quam necis artificem, arte perire ſua.

Circa illa verba allegata in textu: *Colebant mutos ſerpentes.* Notandum eſt ex *S. P. Auguſtino* 12. *de Civ. Dei*, quod ſicut in peccato primi parentis tres creaturæ fuerunt; nimirum, vir, mulier, & ſerpens : ita etiam in peccato actuali cujuſvis hominis, iſta tria concurrunt, nimirum ſenſualitas, ratio inferior, & ratio ſuperior, ſeu appetitus ſenſitivus, & appetitus rationalis. Ex his tamen ſenſualitas, quæ ſtimulat actualiter ad malum habet locum ſerpentis. Et certè moderno tempore hunc ſerpentem ſenſualitatis multi colunt, quia ea quæ ſenſualitas ſuggerit, plurimi homines proſequuntur, & ea quæ carnis ſunt, ſapiunt. De quibus *Apoſtolus ad Philipp.* ita ſcribit : Multi enim ambulant, de quibus ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt: cui homines mundani ſingulis diebus quotidie ſacrificent. Pro horum autem verborum Apoſtoli *quorum Deus venter eſt*, majori explicatione, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An & quomodo guloſi ventrem ſuum tanquam Deum colant?

DIco quod guloſi (*teſte Apoſtolo*) ventrem ſuum tanquam Deum colentes, quærant templum inſolentiæ, altare affluentiæ, ſabbatum ſomnolentiæ, ſacrificia ſuperfluitatis, oblationes iniquitatis, incenſum voluptatis, Sacerdotes laborioſos, Cantores luxurioſos, & Lectores mendoſos.

Explicatur prima pars. Quod guloſi teſte Apoſtolo ventrem ſuum tanquam Deum colentes, quærant templum inſolentiæ : nimirum tabernam, in qua cultores ventris aſſidui repetiuntur à mane uſque ad ſeram noctem, comeſſa-

meſſationibus, compotationibus & impudicitiis vacantes. Et de hac nefanda taberna, ſeu templo, verificatur illud 2. *Machab.* 6. Templum luxuria & commeſſationibus erat plenum & ſcortantium cum meretricibus. Nec tantum à mane uſque ad veſperum, ſed etiam uſque ad mediam noctem huic Deo ventri ſerviunt, & verificatur illud *Apocal.* 7. Servierunt ei die ac nocte in templo ejus. Sed quis fructus exindè? Nullus alius, quam præmatura mors. Plures enim propter crapulam, gulam, & ebrietatem pereunt, quam gladio, fame, vel peſte. Et ideò homines guloſi in templo inſolentiæ ſeipſos interficiunt, dum nimium colunt ventrem ſuum tamquam Deum. In cujus figuram Sennacherib, dum adoraret in templo Deum ſuum, à propriis filiis eſt occiſus. *Opera* autem hominis dicuntur *filii ſui*, juxta illud *Eccleſ.* 11. In filiis ſuis, id eſt operibus ſuis, agnoſcitur qualis ſit vir.

Explicatur ſecunda pars. Quod guloſi ventri ſuo tanquam Deo conſtituant altare affluentiæ, quod eſt menſa ſua. De qua exponi poteſt illud *Pſalmi*: Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum. Conſtat quod auceps ubi majorem eſcam ſpargit, ibi magis laqueos & funiculos abſcondit ad capiendas aves; nam quaſdam capit in pede, alias in capite, alias in toto corpore irretiat. Sic etiam inter fercula & pocula, quæ ſuper menſam ponuntur, collocat diabolus laqueos gulæ, ut exceſſivos & voraces fœliciter capiat. *Eccleſ.* 9. Sicut comprehenduntur aves laqueo, ſic comprehenduntur homines tempore malo. Aliqui autem homines guloſi capiuntur in capite; nam ſunt ſubindè adeò ebrii, ut nec videre, nec loqui, imò nec linguam levare valeant. Aliqui autem capiuntur in pede, & ſunt illi, qui licet benè poti adhuc loqui valeant, ambulare tamen non poſſunt. Et de hoc lauto ciborum altari verificatur illud *Pſalm.* Imponent ſuper altare tuum vitulos.

Explicatur tertia pars. Quod guloſi ventri ſuo tanquam Deo conſtituant ſabbatum ſomnolentiæ. Nam homines guloſi poſtquam tota die in templo tabernæ apud altare lautorum ciborum fuerunt, & ſeſe ingurgitarunt, neceſſario debent benè & profundè dormire, ita ut ſequenti die vel planè non, vel ſaltem ſerò in Eccleſia compareant. *Ioan.* 9. Non eſt hic homo à Deo qui ſabbatum non cuſtodit. Id eſt: non eſt talis homo à Deo, qui ſabbatum, id eſt dies Dominicas, & feſtivos, ſolum deputatos cultui divino, non cuſtodit, ſed talibus diebus magis ſe ingurgitat quàm aliis diebus ferialibus.

Explicatur quarta pars. Quod guloſi ventri ſuo tanquam Deo præparent ſacrificia ſuperfluitatis, quæ conſiſtunt in diverſis ferculis pretioſis, quæ magis naturæ obſunt quam proſunt, ſiquidem natura paucis eſt contenta. Undè ait *Boëtius lib. de conſolatione.* Quod ſi ſuperfluis velis onerare naturam, aut injucundum fiat aut nocivum. Et *Seneca* ait: Multos morbos multa fercula fecerunt. De iſtis ſacrificiis dicitur *Iſaia* 1. Ne offeratis ultra ſacrificia fruſtra.

Explicatur quinta pars. Quod guloſi ventri ſuo tanquam Deo faciant oblationes iniquitatis. Et iſtæ oblationes nihil aliud ſunt, quam ſtultiloquia, laſcivæ vexationes, fœdæque confabulationes, & ſpecialiter pecuniæ expoſitiones: quas tales libentius faciũt in taberna, quam quod faciant oblationes aliquas in Eccleſia. *Eccleſ.* 43. Immolanti ex iniquo oblatio eſt maculata.

Explicatur ſexta pars. Quod guloſi ventri ſuo tanquam Deo faciant incenſum voluptatis; hoc eſt confectiones quaſdam dulces, electuaria ſapida & pretioſa, odorifera & palatum inflammantia, ut potus delectabiliter ingrediatur. De hoc incenſo dicitur *Iſaia* 1. Incenſum eſt abominabile mihi.

Explicatur ſeptima pars. Quod guloſi ventri tanquam Deo ſuo conſtituant Sacerdotes laborioſos; iſti ſunt venatores, piſcatores, piſtores, & coqui, cæterique ſubſervientes, quorum tota ſollicitudo eſt parare ſacrificia Deo ſuo ventri *In Pſalm.* Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus. Moyſes interpretatur *aſſumptus de aquis*, & ſignificat piſcatores. *Aaron* autem qui vitulos & arietes jugulavit, deſignat *macellarios*, qui omnes continentur ſub arte coquinaria, ſicut fenisfactoria continetur ſub arte militari.

Explicatur octava pars. Quod guloſi ventri ſuo tanquam Deo conſtituant cãtores luxurioſos: qui cantilenas laſcivas vocibus effœminatis, & geſtu meretricio cum muſicis inſtrumentis decantant. *Iſaie* 5. *dicitur* Væ qui ſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam & ad potandum uſque ad veſperum ut vino æſtuetis. Cythara, & lyra, & vinum, in conviviis veſtris eſt, & opus Domini non reſpicitis.

Explicatur nona pars. Quod guloſi ventri ſuo tanquam Deo conſtituant Lectores mendoſos & hiſtriones jocoſos, nugatores & adulatores & cãtatrices, qui omnes ſuis levitatibus, lucrantur ſibi victum 2. *Machab* 2. Omnibus legentibus utilitas conferatur.

LECTIO CXLII.

TEXTUS.

Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua; quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem urſorum aut audaces leones, aut novi generis irâ plenas, & ignotas beſtias, aut vaporem igneum ſpirantes, aut odorem fumi proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas emittentes: quarum non ſolum læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon oſtendit, quod Deus Aegyptios juſtè puniverit per ea, in quibus peccaverunt; nunc oſtendit, quod divina potentia non fuerit reſtricta ad certum gradum puniendi; undè benè potuiſſet Deus tam Aegyptios quam Chananæos punire, mediante alia creatura feroci, cum creata vel adhuc creabili, & antecedenter nunquam viſa. Si enim Deus creavit mundum ex nihilo, utique adhuc poterit creare beſtias adhuc ferociores, quam

de facto dentur: alias ſi Deus ferociores beſtias creare non poſſet, tunc ejus potentia exhauſta foret, quod non eſt dicendum. Dicit ergo: *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua*: id eſt, non eſt impoſſibile potentiæ tuæ. *Quæ creavit orbem terræ ex materia inviſa*, id eſt nullo præſuppoſito ſubjecto. Vel ex materia inviſa, id eſt ex materia deformi & indecora. Et hæc materia creata fuit à Deo ex nihilo; & dicitur informis, non quaſi fuerit unquam materia ſine forma ſubſtantiali: ſed quia in prima ſui productione non fuit ita decora ſecundum formoſitatem aliquam extrinſecam. Nam ab initio fuit quaſi aliquod Chaos, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Deindè autem Dominus Deus debitas fecit diſtributiones, dividendo aquas ab aquis: & in terra, quæ erat inanis & vacua, produxit plantas, arbores, & lingua frugifera, ac beſtias terræ.

Non erat ergo impotens illa manus tua, &c. *Immittere illis* (nimirum Aegyptiis) *multitudinem urſorum*: qui crudeles ſunt & voraces, juxta illud 4. *Regum* 2. Egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt quadraginta duos pueros. *Aut audaces Leones*; juxta illud 4. *Regum* 17. Immiſit illis Leones, qui interficiebant eos.

Aut novi generis irâ plenas & ignotas beſtias: quaſi vaſtias à vaſtando. Quæ ignotæ beſtiæ poterant eſſe tales, ut eſſent, vel *vaporem igneum ſpirantes*, id eſt à ſe halitum aliquem igneum emittentes ad inflammandos & ſuccendendos hoſtes, ſicut de *Behemoth Iob* 41. dicitur: Sternutatio ejus ſplendor ignis. *Aut odorem fumi proferentes*: nimirum fœtidum, & putridum, quo poſſent hoſtes, ſeu homines delinquentes ſuffocari. *Aut horrendas ab oculis ſcintillas emittentes*: quæ videlicet ſolo viſu tales malos homines comburerent, vel intoxicarent ſicut Baſiliſcus. *Quarum* (nimirum beſtiarum) *non ſolum læſura poterat illos exterminare*: id eſt, extra terminos vitæ ponere ſeu deſtruere. *Sed & aſpectus* (puta talium novarum beſtiarum antea nunquam viſarum) *per timorem occidere* potuiſſet homines contra legem Dei abſque rubore peccantes, uti erant Aegyptii. Pro horum majori explicatione, & quid deſignetur per illas beſtias in textu allegatas, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An rectè per urſum gula; per leonem ſuperbia; per beſtiam irâ plenam iracundia; per beſtiam ignotam acedia; per beſtiam ſpirantem vaporem igneum luxuria; & per beſtiam ab oculis ſcintillas emittentem concupiſcentia oculorum deſignentur?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod per Urſum rectè deſignetur gula. Tum, quia Urſus eſt animal vorax & ſummè in melle delectatur: tum quia fœtum producit informem & turpem. Tradunt enim Naturaliſtæ, quod Urſa maſſam carnis pariat ſine lineamentis, & ſine partibus organicis ordinatè diſtinctis. Sic etiam guloſi, & voracitati dediti, in rebus dulcibus ſemper delectantur, & omnia opera ipſorum ſunt carnalia, id eſt, ad ſolum carnis commodum ordinata. Et ideò nihil à talibus guloſis paritur, niſi pura carnalitas. Sed contra tales invehitur *Apoſtolus ad Rom.* 13. Carnis curam ne feceritis in deſideriis veſtris.

Explicatur ſecunda pars. Quod per Leonem rectè intelligatur ſuperbia: quia Leo præ omnibus aliis animalibus ambit dominari. Undè *S. Ambroſius in Hexameron de opere ſextæ diei* dicit: Leo naturæ ſuæ ferocia ſuperbus, aliarum ferarum conſortia quaſi Rex dedignatur: ſed neque ulla fera ſociare ſe illi audet, cùm ejus vocis tantus ſit terror naturaliter, ut eo rugiente cætera formident. Et hæc eſt regula omnis ſuperbi, quique & alii ſibi verentur illum accedere, & is dedignatur ſe aliis ſociare. Propter quod contra ſuperbiam ſignanter dicitur *Eccleſ.* 4. Noli eſſe quaſi Leo in domo tua ſubvertens domeſticos tuos.

Explicatur tertia pars. Quod per beſtiam irâ plenam rectè intelligatur iracundia. Et hæc figuratur per quoddam animal, quod *ab Ariſtotele lib.* 2. *de animalibus cap.* 2. vocatur *Albane*. Quod animal eſt in magnitudine alicujus cervi, & contra conſuetudinem omnium animalium habet fel in aure, ſimile felli hominis in colore, & cauſativum magnæ iræ. Sic etiam iracundi homines videntur habere fel in aure; quia quantumcumque homo ſe componat ad convivendum cum eis pacificè, & honeſtè; inſuper etiã modeſtè loquatur de illis: nihilominus videtur iis hominibus iracundis ſemper aliis malè de ſe loqui. Undè nihil perfectè eis placet. Sed cuivis tali iracundo poteſt dici illud *Actor.* 8. In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. De iracundis quoque verificatur illud *Deuteron.* 32. Fel draconum vinum illorum, & venenum aſpidum inſanabile, uva eorum, uva fellis. Quaſi diceret, totum eſt amarum, quod ab eis provenit, ſive uva, ſive botrus, ſive vinum.

Explicatur quarta pars. Quod per beſtiam ignotam rectè deſignetur *Acedia*: homo enim pigritiæ deditus, non poteſt facilè dignoſci, quia modò vult hoc, modò illud. Et ideò *Proverb.* 21. Deſideria occidunt pigrum. Et iſta beſtia figuratur per Aſinum. Undè *Boëtius* 4. *de Conſolatione proſa* 3. loquens de acedioſo dicit: Segnis & ſtupidus torpet, *& aſinum vivit.* Ubi ly *Aſinum* accipitur pro aſininè ſeu ad modum aſini. Eſt enim proprietas aſini, quod in interiore parte verſus ſcapulas portat Crucem, & in illa parte eſt debilis, & nihil poteſt portare; aſinus verò ſecundum partem poſteriorem eſt ſatis fortis, undè ſuper partem poſteriorem dorſi communiter onus ſuperimponitur aſino. Iſto modo multi inveniuntur acedioſi nimis, & aſinini, ad portandum ea quæ ſunt Crucis, pœnitentiæ, vel religionis: at verò ad opera carnis & laſciviæ ſtatim ſunt proni & valdè robuſti. De talibus autem verificatur illud, quod dicitur de diabolo *Iob* 40. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus ejus in umbilico ventris ejus. De tali porro pigro datur regula *Eccl.* 33. Cibaria & virga, & onus aſino, panis & diſciplina & opus ſervo.

Explicatur quinta pars. Quod per beſtiam ſpirantem vaporem igneum deſignetur luxuria; & hæc

& hæc beſtia figuratur per duos Dracones, qui in duobus montibus Armeniæ latitantes viam regiam intermediam tantâ peſtilentiâ infecerunt, ut nullus per eam tranſire potuerit, quia ſubitò moreretur, ita narrat *Ariſtoteles lib. de proprietatibus elementorum.* Ubi etiam dicit, quod Socrates erexerit ſibi magnam ſabricam, non procul diſtantem à montibus. In illa ergo alta fabrica poſitus, Socrates vidit manifeſtè illos duos Dracones, unum ex uno monte, & alium ex alio vaporem emittere, quo aër infectus homines inter montes per viam regiam tranſeuntes occidit. Applicatio. Iſti duo Dracones in montibus habitantes, vaporem igneum ſpirantes, deſignant duos ſtatus in Eccleſia Dei, nimirum Dominos ſeculares, & Prælatos Eccleſiaſticos. Hi Domini tam ſæculares, quam Eccleſiaſtici, ſi ſint palàm carnis laſciviæ dediti, ſpargunt de ſe famam fœtentem, ita ut ex eorum malo exemplo homines vilioris conditionis inficiantur totaliter, & trahantur ad ſimilia vitia carnis imitanda. *Ioelis* 2. Dabo prodigia in cœlo & in terra, ſanguinem & vaporem fumi.

Explicatur ſexta pars. Quod per beſtiam ſpirantem odorem fumi, qui naturaliter eſt lividus, rectè deſignetur Invidia: Proprium enim eſt hominis invidi occultas detractiones, depravationes, & diffamationes, quaſi quendam lividum fumum emittere, ut claritatem famæ, quâ habent homines benè viventes obfuſcet & denigret. Hi ſunt ſimiles *Vulpibus*, qui naturaliter fœtent & ſunt beſtiæ inhoneſtæ. Taxus autem econtra eſt animal honeſtum, ut dicunt Naturaliſtæ: quando enim Taxus ſibi paravit foveam cum magno labore, tunc conſiderat vulpes in abſentia Taxi caveæ honeſtatem, undè vulpes volens Taxum ab iſta cavea repellere, ponit fimum ſuum fœtidum in ingreſſu illius caveæ, rediens autem Taxus, & fœtorem fimi ſeu ſtercoris vulpini advertens, abominatur domum ſuam, nec eam amplius dignatur ingredi, ſed vulpi relinquit: & ita vulpes habitationem aliquam bonam ſeu hoſpitium ſibi conquirit ſine ullo labore, ſed ſola aſtutia. Applicatio. Sic etiam multi invidi faciunt viris juſtis, quos cum alia via non poſſunt ab honeſtis ipſorum officiis & dignitatibus removere, ſpargunt adverſus eos fœtentem fimum ſuæ peſſimæ detractionis: quem fœtentem fimum detractionis, dum boni viri advertunt ſe debere ſupportare propter dignitatem, ſeu officium quod habent, relinquunt ſuum officium, & malis invidiſque hominibus cedunt. Et de iſto fimo invidiæ, quo viri nobiliſſimi per homines invidos obſcurantur exponi poteſt illud *Apocal.* 9. Aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt aër de fumo putei.

Explicatur ſeptima pars. Quòd per beſtiam ab oculis ſcintillam emittentem rectè deſignetur Concupiſcentia oculorum. Nam ſicut ignis ſemper creſcit in infinitum per appoſitionem combuſtibilium (*Proverb.* 30. Ignis nunquam dicit ſuffic[illegible]) ita ſecundum *Ariſtotelem* 1. *Politicorum*: Concupiſcentia creſcit in infinitum. Moraliter loquendo, *Cupidi* ſcintillas ſemper emittunt, quia quidquid vident, concupiſcunt, licet aliundè ſatis habeant. Et iſtæ ſcintillæ ſunt concupiſcentiæ & deſideria plus habendi. Hæc porrò concupiſcentia figuratur per Cattum, qui habet oculos igneos & ſcintillantes; Undè ſecundum *Papiam*, *Catat* græcè, idem eſt, quod *videt* latinè; & exindè dicitur, Cattus etiam in tenebris ſuam venatur prædam. Iſto etiam modo moraliter loquendo, prudentes hujus ſæculi venantur in die, & nocte, in curia clericali, & laicali, & à dextris & à ſiniſtris, juſtè & injuſtè. Et de tali quovis homine malè cupido, qui per ſas & nefas ſibi aliena congregat, verificatur illud *Iob* 28. Omne pretioſum vidit oculus ejus. Et *Eccleſ.* 1. Non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Et *Eccleſ.* 4. Laborare non ceſſat, & non ſatiantur oculi ejus divitiis. Et per oppoſitum dicit *Pſalmiſta*: Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam.

Hæc ergo ſunt ſeptem vitia capitalia per ſeptem capita draconis ſignificata *Apoc.* 12. Ecce Draco magnus, & rufus, & habens capita ſeptem, & cornua decem. Quæ ſeptem vitia per ſeptem dona Spiritus ſancti expurgare oportet.

LECTIO CXLIII.

TEXTUS.

Nam & ſine his uno ſpiritu poterant occidi, perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis, & diſperſi per ſpiritum virtutis tuæ: ſed omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti. Multum enim valere tibi ſoli ſupererat ſemper, & virtuti brachii tui quis reſiſtet! Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum: & tanquam gutta roris antelucani quæ deſcendit in terram.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione declarat Salomon, quod Dominus Deus immediatè per ſuam virtutē ſinè interventu cujuſcunque creaturæ potuiſſet punire, & interficere Ægyptios. Unde ab hoc loco uſque ad finem Capituli, declaratur, quomodo Deus ſpecialitèr regat naturam humanam, miſcendo gratiam ſuam cum miſericordia. Et hoc facit alternatim, ſicut patet ex textu.

Dicit ergo. *Nam & ſine his uno ſpiritu poterant occidi perſecutionem paſſi*; id eſt: ſine ulla beſtiarum immiſſione potuiſſes occidere Ægyptios; quia *uno ſpiritu* (nimirum unica juſſione voluntatis tuæ poterant occidi) *perſecutionem* (id eſt, ultionem divinam) *paſſi ab ipſis factis ſuis*. id eſt, ex merito factorum ſuorum.

Et diſperſi (id eſt reſoluti in elementa *per ſpiritum* (id eſt juſſionem) *virtutis tuæ*, id eſt potentiæ tuæ) quæ licet tanta ſit, ut immediatè re ſolo potuiſſes vindictam ſumere de Aegyptiis, nihilominus voluiſti uti patientia magis limitata per clementiam. *Et ideo in menſura & pondere diſpoſuiſti.* Imaginemur itaque nobis quod à Deo cuncta procedant, ſicut numeri ab unitate, & unaquæque ſpecies hujus univerſi certum gradum habeat, ſecundum maiorem vel minorem diſtantiam à prima cauſa rerum. Et hoc modo invenimus quod & quævis res ſit *in numero*, id eſt in certa diſtantia à Deo; & quod

quod aliquæ creaturæ magis vel minus diſtent à Deo: nam Angeli, qui excludunt omnem compoſitionem ex materia & forma, minus diſtant à Deo, quam homines qui admittunt compoſitionem ex materia & forma: Similiter homo, qui habet animam immortalem & ſpiritualem minus diſtat à Deo, quam animalia bruta, quæ habent animam materialem & mortalem. Sic etiam videmus in numeris, nam quinarius numerus magis diſtat ab unitate tamquam à principio numeri, quam numerus quaternarius: & econtra numerus binarius minus diſtat ab unitate, quam numerus ternarius, vel quaternarius. Item omnis res creata *in menſura*: quia omnis res creata eſt finitæ & limitatæ perfectionis, tam in cauſa, quam potentia agendi. Præterea omnis res creata habet *ſuum pondus*, id eſt, ſuum appetitum naturalem ad aliquid, in quo ſua natura ſalvatur & perficitur. Sicut creatura rationalis appetit licitum & creatura corporalis locum ſibi convenientem, & ita res leves tendunt ſurſum, & res graves deorſum.

Multum enim valere (id eſt poſſe) *tibi ſoli ſuperérat* (id eſt abundanter habuiſti potentiā faciendi quævis: Et hæc potentia ſemper fuit, & eſt infinita ac tantæ activitatis: *Ut virtuti brachii tui nullus reſiſtere valeat.*

Quòd autem nihil poſſit Deo reſiſtere, probat Salomon adducendo exempla in duobus, in quibus modica reſiſtentia reperitur. *Primum* exemplum eſt momentum *ſtateræ* (id eſt lingua ſtateræ) Lingua enim ſtateræ quando pendicula ſunt æqualia, & in eiſdem æqualia pondera ſunt appoſita, cæteris paribus ſtat erecta perpendiculariter: ſed quando vel minimum gravitatis apponitur, ſtatim recedit à ſuo ſitu, & facit nutum ſine qnacunque reſiſtentia: Iſto modo omnis creatura eſt in manu Dei, adeò, ut ſi Deus velit eam annihilare, nulla poſſit eſſe reſiſtentia. Et hoc eſt quod dicitur in textu: *Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum.* Secundum exemplum ad quod comparatur inſtabilitas humana, eſt *Gutta roris antelucani.* Ros autem antelucanus, ros eſt generatus ante ortū ſolis in matutino, & dicitur antelucanus, id eſt, ante ortum ſolis exiſtens. Ros autem talis, oriente ſole, ſtatim deſiccatur, & à terra abſorbetur. Et hoc eſt quod ſubditur. *Tanquam Gutta roris antelucani, qui deſcendit in terram.*

Cum itaque Deus omnia faciat in pondere, numero, & menſura, oportet quòd etiam nos omnia noſtra, in pondere, numero, & menſura diſponamus, ſi vitam noſtram virtuosè ordinare velimus. In hujus rei figuram legitur *Eſdra* 4. quod Angelus ad Eſdram miſſus dixerit ſic: Tres vias juſſus ſum tibi dicere, & tres ſimilitudines oſtendere coram te. Vade pondera mihi pondus ignis, aut menſura mihi flatum venti, aut revoca diem, quæ præterit. Quaſi dicat, pondera pœnam æternalis acerbitatis; menſura fletum temporalis vanitatis; revoca, hoc eſt, numera reatum ſummæ pravitatis: ac proindè menſuremus mundanæ gloriæ levitatem, præſentis vitæ brevitatem, & futuræ vitæ jucunditatem. Et poſtquam ſic menſuraverimus, numeremus, quot receperimus divina munera; quot commiſerimus horrenda crimina: & quot negligenter tranſigerimus conceſſa tempora. Poſtmodum ponderemus, quantum Domino Deo debeamus pro acceptis beneficiis; ponderemus quam ingrati Domino Deo fuerimus: ac tandem ponderemus, quid ſimus promeriti. Pro horum majori explicatione ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

An homo Chriſtianus debeat menſurare mundanæ gloriæ vanitatem; præſentis vitæ brevitatem; & futuræ vitæ jucunditatem?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod homo Chriſtianus debeat menſurare humanæ gloriæ levitatem. De hoc dicit *S. P. Auguſtinus ſuper Pſal.* 149. Inanis eſt gloria hujus ſæculi, fallax eſt ſuavitas, & infructuoſus labor, perpetuus timor, & periculoſa ſublimitas; Initium ſine penuria, finis cum pœna. Hæc *ſanct. Auguſtinus.* Hanc vanitatem benè menſuraverat Rex ille, de quo narrat *Valerius lib.* 7. *cap.* 2. quod antequam Regium diadema capiti ſuo imponeret, aliquamdiu illud in manibus retentum, conſideraverit & dixit: O nobilem magis quàm fœlicem coronam, quam ſi quis exactè cognoſcat, quam multis curis, periculis, & miſeriis ſit referta, nec humi jacentem tollere vellet. Ex quo dicto clarè conſtat, quam parvi humanam dignitatem & gloriam homines Chriſtiani æſtimare debeant. Dicant ergò boni Chriſtiani illud *Apoſt.* 2. *Corinth.* 10. Nos non in immenſum gloriam, ſed ſecundum menſuram regulæ, quam menſus eſt nobis Deus. Iſta autem regula eſt conſcientia benè ordinata; juxta illud 2. *Corinth.* 1. Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

Explicatur ſecunda pars. Quod debeamus menſurare præſentis vitæ brevitatem, hæc enim valdè modica eſt, vel nulla. Undè in *Pſal.* dicitur: Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos: & vita hominis tranſit ſicut umbra, & velut dies, quæ præterit. Et hujus vitæ brevitatem rectè conſideraverat ille, qui Alexandro ſuadente, nullo modo Rex fieri voluit. Huc facit illud: Quàm breve feſtum eſt hæc mundi gloria, in ictu oculi clauduntur omnia

Explicatur tertia pars. Quod debeamus menſurare futuræ vitæ jucunditatem, recolligendo, quod æternæ vitæ gaudia, pro momentaneis meritis hujus vitæ ſumus recepturi. Certè enim inveniemus in hac re menſuram pro menſura, quia præmiabimur ultra condignum: ſed inveniemus verificari illud *Lucæ* 6. Menſuram bonam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Vir Chriſtianus debeat numerare divina beneficia ſibi præſtita, commiſſa à ſe peccata, & tempora infructuosè à ſe tranſacta?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod vir Chriſtianus debeat conſiderare divina beneficia ſibi collata

ſollata. Nam primò Deus nos creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Item Deus creavit Cœlum pro noſtra patria & hæreditate, ſi bonum egerimus; Solem, Lunam, & ſtellas, ut nobis luceant; animantia omnia, omneſque fructus arborum pro noſtro alimento; Angelicos Spiritus pro noſtro ſervitio; juxta illud *Pſ.* Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Item hominem paulò minus minoravit ab Angelis; Imò in homine parvum aliquem mundum conſtituit, quia, ut verbis *S. Gregorii utar:* Homo habet commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis. Denique ſi omnia beneficia homini à Deo præſtita penſentur, ſunt propemodùm infinita; Unde *Iob.* 9. dicitur: Fecit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus.

Explicatur ſecunda pars. Quod homo debeat numerare peccata à ſe commiſſa, quæ ſi debitè perpendamus, inveniemus illa, quaſi eſſe infinita. Unde *In Pſal.* dicitur: Delicta quis intelligit? *Et Iob.* 22. Propter malitiam tuam plurimam & infinitas iniquitates tuas.

Explicatur tertia pars. Quod debeamus conſiderare tempora infructuosè conſumpta, & inveniemus etiã hæc quaſi infinita eſſe. Unde *Eccl.* 17. dicitur: Numerũ dierum vel temporis dedit illi: nimirum ad bene operandum, & ad pœnitendũ de peccatis. Sed prô dolor moderno tempore multis poteſt dici illud *Iob.* 24. Dedit illi locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur illo in ſuperbia. Caveat proinde Vir Chriſtianus, ne pretioſum ſpatium pœnitentiæ nobis à Deo conceſſum malè impendat; poſſet enim facilè fieri, quod ſolùm pro unico quadrante Deum rogaturi ſumus ad agendam pœnitentiam, & fortè non dabitur, in pœnam neglecti temporis anteacti.

His accedit, quod homo Chriſtianus etiam ponderare debeat beneficium Incarnationis Dominicæ, dum natura humana divinæ in uno ſuppoſito eſt conjuncta. Item conſiderare oportet beneficium Redemptionis humanæ, dum unigenitus Dei filius in carne aſſumptâ, præmiſſo ſudore ſanguineo poſt captivitatem, diriſſimam flagellationem, coronationem, crucis bajulationem, crucifixionem & mortem ipſam ſuſtinuit, donec tandem redivivus nobis januam regni cæleſtis gloriosè aperuit. Erubeſcamus autem dum recolligimus, quod pro his omnibus beneficiis tam ingrati Deo fuerimus, & ponderemus tandem, qualem pœnam promeriti ſimus pro culpa, & negligentia & ingratitudine noſtra; & redeuntes ad cor, dicamus illud *Apoſtoli ad Heb.* 12. Deponamus omne pondus, & circumſtans nos peccatum, & exuentes hominem veterem cum actibus ſuis, induamus novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, die ac nocte pœnitentiam agentes & non taceat pupilla oculi noſtri, ſed ſint lachrymæ in maxillis noſtris: Certi quod Deus cor contritum & humiliatum non deſpiciet. De hoc plura dicentur lectione ſequenti. Si itaque cuncta noſtra opera tali modo fuerint in menſura, numero, & pondere, vita noſtra bene erit diſpoſita.

LECTIO CXLIV.

TEXTUS.

Sed & miſereris omnium, quoniam omnia potes: & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nec enim odiens aliquem conſtituiſti aut feciſti.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon oſtendit quod Deus gubernet creaturas per potentiã, cui nullus poteſt reſiſtere: nunc oſtendit, quod eaſdem gubernet per benevolentiam, cui nulla creatura poteſt ſatisfacere. Unde oſtẽditur in hac lectione, quod Deus per ſuam benevolentiam non ſolum creaturas libere creaverit ſed etiam quod eas conſervet; Procedit autem Salomon hoc ordine. Nam *Primò* oſtendit miſericordiã Dei generalem erga omnes creaturas. *Secundò* oſtendit miſericordiã Dei erga homines. Et *Tertiò* dicit, quod Deus omnia diligat quæcunq; produxit temporaliter.

Dicit ergo: *Sed & miſereris omnium quoniã omnia potes.* Quaſi diceret. Licet totus orbis terrarũ ſit tanquam momentum ſtateræ, vel ſicut gutta roris antelucani, ante conſpectum tuum; non tamen ideò deſpicis, aut parvipendis creaturam tuam, ſed foves, provehis, & conſervas Et ideo *miſereris omniũ univerſaliter.* Et quare ſic miſereris? Certè tantum ideo, *Quia omnia potes*: Non ex indigentia, quaſi tu indigeas auxilio vel conſilio creaturæ, nec ex infirmitate, quaſi non poſſis creaturam delere; Sed ideo tantum. *Quia omnia potes naturaliter* Unde *Marci* 14. dicitur: Pater omnia poſſibilia ſunt tibi. Et *Eccl.* 2. Secundum magnitudinem illius, ſic & intellectus illius cum ipſo eſt. *Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Id eſt, affectuosè exſpectas, ut homines, in peccata prolapſi, per pœnitentiam redeant ad te. Ad *Rom* 2. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Ezech.* 18 Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis quæ fecerit, vitâ vivet, & non morietur: & omnium iniquitatum, quas operatus eſt, non recordabor.

Et quia illud, quod quis odit vellet non eſſe, conſequens eſt, quod ſi velit aliquid *eſſe* vel *exiſtere*, per productionem ejuſdem à ſe factam, diligat talem rem, & conſequenter etiam Deus diligat illa, quæ temporaliter conſtituit Et ideo ſubditur in Textu: *Diligis enim omnia quæ ſunt* (videlicet à te producta) *& nihil odiſti eorum quæ tu feciſti* in quantum videlicet eſt opus tuum. Dixi in quantum aliquid eſt opus Dei. Deus illud odio non habeat; quia licet ſubſtantiã ſeu eſſe phyſicum amet; formalitas tamen & moralitas peccati eſt mala: juxta illud *Eccl.* 12 Altiſſimus odio habet peccatores, utpotè qui faciunt contra legem Dei.

Nec enim odiens aliquem conſtituiſti, aut feciſti. Nam ſi aliquem eorum, quæ conſtituiſti, non diligeres, ſed odio habuiſſes, utiq; non feciſſes talẽ rem: quia illud quod odio habemus, volumus non eſſe, & ea quæ diligimus volumus eſſe Unde ſenſus illorum verborum eſt: *Nec enim odiens aliquid conſtituiſti*, de nihilo, *aut feciſti*, puta ex præjacenti materia producendo.

ARTICVLVS VNICVS.

Quot ſint pœnitentiæ incitamenta, & pœnitentiæ impedimenta?

DIco primò quod quatuor ſint pœnitentiæ incitamenta; nimirum amor Chriſti, quem offendimus; dolor pro gratia, quàm amiſimus; horror pœnæ, quam incurrimus; & timor mortis, ad quam properamus.

Explicatur prima pars. Quod primum incitamentum pœnitentiæ ſit amor Chriſti, quem offendimus. Nam ſi Chriſti beneficia cogitemus, & noſtram ingratitudinem ponderemus, non eſt dubium quin pœnitentiam acturi ſumus, ſi ratione noſtrâ qua præditi ſumus, velimus uti. Scribunt Naturaliſtæ, Quod *Arpia* avis habeat faciem quaſi hominis, eſt tamen avis adeo crudelis, ut ſubinde fame ſtimulante hominem invadat & occidat. Sitiens verò ad aquam volat, & poſtquam bibit, videt faciem ſuam in aqua tanquam in ſpeculo; dum ergò avis iſta conſiderat, quod hominem in facie ſibi ſimilem occiderit, tanto dolore efficitur, ut ex tali dolore avis iſta ſubinde moriatur. Quod ergò nos homines ratione utentes facere oportet, dum recolligimus, quod peccando Chriſtum Dominum noſtrum, & Fratrem noſtrum, quantum noſtrâ interfuit, quaſi occiderimus. Hoc autem expreſſè videmus, quando verbum Dei audimus, vel ſcripta Sanctorum legimus; Unde quicunque verè non pœnitet de peccato ſuo, non eſt verus Chriſtianus dicendus, nec talis perfectè credit Evangelio; & ideo ſignanter dicitur *Marci* 1. Pœnitemini, & credite Evangelio.

Explicatur ſecunda pars. Quòd ſecundum incitamentum pœnitentiæ, ſit dolor de gratia quam amiſimus; efficimur enim per culpam mortiferam ex filiis Dei, filii Diaboli; & de familiaribus, ac amicis Dei, efficimur hoſtes & proditores illius, atque de hæreditate regni cæleſtis adeundæ ſumus proſcripti. Naturaliſtæ ſcribunt eſſe quandam avem, quæ vocatur avis *Paradiſi*, quæ ob ſuam pulcritudinẽ ſic vocatur. Sunt enim pennæ ejus adeo pulchræ & mirabiles, ut nullus eis color deſit: vox quoque illi eſt ita dulcis, ut poſſit hominem ad magnam devotionem excitare, & gaudium. Porrò ſi hæc avis capta fuerit & illaqueata, irremediabiliter plangit & gemit, nec plangere deſinit, donec libertati reſtituatur. Applicatio moralis. Avis iſta eſt figura & exemplum animæ Chriſtianæ. Hæc namque quando eſt in gratia, eſt pulcherrima avis, quia in eâ relucet imago ſanctiſſimæ Trinitatis, naturaliter ſibi impreſſa: & ideo eſt ornata virtutibus & gratia, ut nihil ſibi deſit. Et cum ſit Dei filia & cæli incola gratioſa, merito in laudes Dei concinendas diu noctuque dulci modulamine fertur. Porrò iſta anima tanquam avis pulcherrima, capitur & illaqueatur, quando peccat; unde poſt talem captivitatem anima ſolum debet plangere & gemere, plorare, & inceſſanter pœnitere de peccatis ſuis commiſſis, donec per gratiam reconciliationis in ſtatum priſtinum libertatis filiorum Dei reducatur; & ex bufone, & filio Diaboli, fiat continuò avis paradiſi, & filius Dei. Sic verè planxit bonus Latro juxta Chriſtum ſuſpenſus, donec à fonte gratiæ Chriſto, gratiam obtinuit & audivit: Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiſo *Lucæ* 23. Et ideo mementote illius quod dicitur, *Mat.* 3. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Dei.

Explicatur tertia pars. Quod tertium incitamentum pœnitentiæ ſit horror pœnæ, quam incurrimus. Iſtum horrorem bene ponderavit *Iob* quando dixit: Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & ſempiternus horror inhabitat. Et *Apoſtolus ad Heb.* 10. ait: Horrendum eſt incidere in manus Dei omnipotentis. Huc etiam facit id quod dicit *Gregorius* 9. *Moralium.* Horrenda, inquit eſt, miſeris mors ſine morte; finis ſine fine; defectus ſine defectu: quia mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit. Mors perimit & non extinguit; dolor cruciat ſed pavorem non fugit: flamma comburit, ſed tenebras non excutit. Hæc *S. Gregorius*. Et iſtud incitamentum doloris infernalis multos ad pœnitentiam reduxit per timorẽ ſervilem, quanquam deinde diu pœnitentibus, creſcente charitate, creverit etiam timor filialis. Hanc pœnitentiam prædicavit *Ioannes Baptiſta* Judæis dicens. Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? Facite fructum dignum pœnitentiæ *Matth.* 3.

Explicatur quarta pars. Quòd quartum incitamentũ pœnitentiæ ſit timor mortis, ad quam tendimus. Hæc enim eſt ratio (teſte *S. Gregorius* 10. *Moralium*) quare Deus nobis diem mortis noſtræ volebat eſſe incertam: ut dum ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur, & ut ſemper parati ad moriendum inveniamur. Pœnitentia autem poſt mortem eſt impoſſibilis, quia homo tunc deſiit eſſe viator, eſtque poſt mortem nec in ſtatu merendi, nec in ſtatu demerendi. Dum vero homo uſque ad ſenectutem, vel uſque ad graviſſimam infirmitatem, pœnitentiam ſuam differt, hæc valde difficilis erit: Tum quia dolor languoris corporis, occupat totaliter vires mentis, & dum homo tunc de doloribus corporis cogitat, vix de aliis culpis dolorem producet. Tum quia homo tunc non poterit eſſe certus, an doleat de ſuo peccato, ex amore, vel ex timore. Unde *S. P. Auguſtinus* in quodam ſermone ait: Quem morbus urget, & pœnitentia terret, vix veniet ad veram ſatisfactionem; maximè ſi uxor & filii, quos inordinatè dilexit, ſint præſentes: multos enim ſolet ſerotina pœnitentia decipere. Hæc *S. Auguſtinus*. Et certè quando perſona nobilis infirmatur, vix invenitur aliquis, qui de animæ ſalute audeat ipſi aliquid loqui; nam Executores ſunt ſoliciti circa divitias & theſauros; Medici circa corporis pharmaca; uxor & filii aliique amici conſolantur infirmum, etiam contra conſcientiam mentientes; & ſic æger non permittitur de culpis ſuis cogitare ad agendam pœnitentiam; & ſic juſto Dei judicio ſe damnationi exponit. *Eccl.* 2. Si pœnitentiam

non

non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum. In manus hominum incidimus, dum Sacramentum pœnitentiæ dignè ſuſcipimus: Sed in manus Dei incidimus, quando poſt mortem tempus Sacramentorum tranſimus.

Dico ſecundò. Quod quatuor ſint pœnitentiæ impedimenta; nimirum pudor propalandi; timor reincidendi; ardor delectandi: & torpor pœnitentiam maturandi.

Explicatur prima pars Quod primum impedimentum pœnitentiæ ſit pudor propalandi. Pudet enim ſæpe hominem confiteri ſacerdoti ſua peccata, quæ tamen ſunt nota Deo, Angelis, dæmonibus, animabus ſanctis, & multis aliis damnatis peccati occulti complicibus. Et iſte pudor eſt primus armiger quem Diabolus mittit volentem debite pænitere. Unde quidam Sanctus vidit aliquando Diabolum inter pœnitentes incedere, & facientem eos erubeſcere in Eccleſia, quando ſe ad confeſſionem properabant. Dum autem à Sancto adjuratus fuiſſet, quidnam inter pœnitentes faceret? Reſpondit, reddo quod abſtuli: nam abſtuli ipſis verecundiam in peccando, & modo ipſis reddo verecundiam dum volunt confiteri, ne confiteantur id, quod mali fecerunt. Sicut enim lupus ovem accipit, per guttur & non per pedem; & vulpes ſimiliter accipit gallinam per guttur; ita ſimiliter Diabolus guttur peccatorum conſtringit pudore. Unde *S. Auguſtinus* ait: O homo quid times confiteri? Illud quod per confeſſionem ſcio, minus ſcio, quam id, quod neſcio. Cui confiteri erubeſcis peccata tua? peccator ſum, ſicut & tu; homo ſum, & humanum à me nihil alienum: Confitere ergo homo homini, & homo peccator homini peccatori. Elige quod vis, ſi non confeſſus, lates: non confeſſus damnaberis Ad hoc Deus exigit confeſſionem ut liberet humilem: ad hoc damnat non confitentem, ut puniat ſuperbum. Hæc *S. Auguſtinus*.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſecundum impedimentũ pœnitentiæ ſit timor reincidendi. Et iſte eſt ſecundus armiger, quem Diabolus mittit ſtatim contra pœnitere volentem. Quomodò, inquit, Cacodæmon, tu proponis impoſterum à peccato cavere? Poteriſne tu in perpetuum vivere continenter? Ad quid proderit tibi hodie confiteri, & cras labi in ſimile? Ita loquitur dæmon homini pœnitere & confiteri volenti. Et tamen homo non advertit, quod Deus ideò inſtituerit Sacramentum pœnitentiæ, ut quoties cadimus, toties etiam pœnitendo reſurgamus.

Explicatur tertia pars. Quod tertium impedimentum pœnitentiæ ſit ardor peccandi. Et hic eſt tertius armiger, quem Diabolus peccatori obiicit. Nam miſer homo recolligit delectationem habitam in peccato, adeò ut putet ſibi eſſe impoſſibile tranſigere vitam ſine tali peccato, in quo ſummam delectationem habuit: manente autem tali affectione, impoſſibile eſt, hominem poſſe debitè pœnitere. Unde *S. Chryſoſtomus lib. de Compunctione cordis* ſic ait: Sicut impoſſibile eſt, quod ignis inflammetur in aqua: ita impoſſibile eſt compunctionem cordis vigere in delitiis. Contraria enim hæc ſunt & peremptoria; illa enim Mater fletus, hæc riſus: illa cor conſtringit, hæc diſſolvit. Hæc *S. Chryſoſtomus*.

Explicatur quarta pars. Quod quartum impedimentum pœnitentiæ ſit torpor maturandi, & accelerandi ad pœnitentiam, qui oritur ex duplici præſumptione Nimirum ex præſumptione vitæ prolixæ, & finalis veniæ divinitus in articulo mortis concedendæ. Et iſte torpor maturandi pœnitentiam, eſt quartus armiger quem Diabolus paſſim omni pœnitenti obiicit; conſiderat enim homines de futuro, promittunt impoſterum; procraſtinant in longinquum: & dicunt cum corvo, cras, cras, donec morte ſubitanea præveniantur. Audiant autem tales illud Evangelii: Vigilate quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit.

LECTIO CXLV.

TEXTUS.

Quomodò autem aliquid permanere poſſet, niſi tu voluiſſes? Aut quod vocatum à te non eſſet, conſervaretur? Parcis nunc omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione declarat Salomon, quod ſicut Deus omnia ex ſua benevolentia creavit ex nihilo, ſic etiam Deus omnia conſervet pro ſuæ voluntatis arbitrio. Et primo quidem deſcribit generaliter omnium rerum conſervationem, ſecundo ſpecialiter deſcribit Dei circa homines gubernationem.

Dicit ergo: *Quomodo autem aliquid permaneret, niſi tu voluiſſes?* In his verbis ponit Salomon differentiam inter ea, quæ ſunt ab artifice facta, & inter illa, quæ ſunt facta à Deo: Nam res, v. g. domus vel imago, ſolum dependet ab artifice in fieri, non autem dependet ab illo in conſervari, at verò res à Deo productæ dependent ab illo tam in fieri, quam in conſervari. Unde *S. Auguſtinus* de vera religione *cap. 34.* ait: Deus per ſuam ſapientiam omnia fecit, & per ſuam benignitatem omnia conſervat. Unde rectè ſubditur in textu, *Aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Quaſi dicat nullo modo vocatum, id eſt verbum eductum, de non eſſe ad eſſe. *In Pſalmis.* Dixit & facta ſunt. *Et ad Rom. 4.* Vocat ea, quæ non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt. Quamvis autem Deus generaliter omnia conſervat, quæ produxit, tamen ſpecialiter homines gubernat per clementiam. Unde rectè ſubditur in textu; *Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Parcis, inquit, omnibus, nimirum hominibus, etiam peccantibus, qui digni forent ſtatim ad infernum detrudi. Sed tu parcis eis, qui vis omnes homines ſalvos fieri, & omnes ad agnitionem veritatis venire. 1. *ad Thimotheum.* 1.

Ratio autem parcendi eſt, *Quoniam omnia tua ſunt Domine.* Unde *Sap.* 15. dicitur: Etiamſi peccaverimus, tui ſumus, qui amas animas. Homines enim communiter amant corpora, tu autem amas animas à te creatas & ſingulariter tibi aſſimilatas, ac tuo ſanguine redemptas. *Ezech.* 18. Omnes animæ, meæ ſunt, id eſt, à me redemptæ, & me in æternum, ſi bene vixerint, in æterna gloria viſuræ. Econtra autem Diabolus amat corpora, & perdit animas hominum. Moderno etiam tempore quidam non ita attendunt ad bonum ſpirituale animarum illorum hominum, qui ſunt ſuæ curæ commiſſi, ſed ſolum attendunt ad bonum utile corporale, quod ab illis accipiunt. Caveant autem tales, & attendant ad illud *S. Pauli* Apoſtoli 2. *Corinth.* 12. Ubi dicit: Ego autem libentiſſimè impendam, & libenter impendar ipſe pro animabus veſtris, licèt plus vos diligens, minus diligar. Circa illa verba, *Quomodo quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum Deus peccatores vocet ad ſe verbo, ſigno, & nuntio?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Deus ad ſe peccatores vocet verbo, id eſt, per Verbum in Incarnatione Filii ſui, quando Verbum Caro ſactum eſt. *Ioan.* 1. Et in *Pſalmo*: Quondo miſit verbum ſuum, & ſanavit eos. Maxima ruſticitas, & ſuperbia eſſet, ſi Rex aliquis mitteret filium ſuum ad aliquem pauperem vocandum, & talis pauper venire contemneret. Et certe ſic factum eſt, quod Deus nos miſeros vocavit per Filium ſuum unigenitum humanitatis ſago indutum, & tamen pauci ſunt, qui venerunt. De qua re conqueſtus Chriſtus Dominus *Ioan.* 19. dicit: Servum meum vocavi & non reſpondit mihi, ore proprio deprecabar illum. Os Dei eſt Verbum Dei, juxta illud *Cant.* 1. Oſculetur me oſculo oris ſui.

Explicatur ſecunda pars. Quod Deus homines ad ſe vocet ſigno: Signum autem iſtud fuit ipſummet Corpus Chriſti in arâ Crucis extenſum, exaltatum in monte Calvariæ, & rubro ſuo ſanguine decoloratum. Notum eſt quod auceps volens iteratò ad ſe vocare ſalconem, ſtet in aliquo patenti, & aliqualiter ſublimi loco, clamans & monſtrans ei pannum rubrum. Iſto modo volens Chriſtus hominem ejectum de Paradiſo iteratò ad ſe vocare, aſcendit in montem Calvariæ ad Aram Crucis, oſtendendo ipſi latus ſuum rubeum, & proprio cruore decoloratum. Inſuper etiam Chriſtus antequam adhuc moreretur voce magna clamavit, ut tali modo Chriſtus ſe ipſo ſigno facto, hominem perditum ad ſe reduceret: Et tamen iſtis viſis ingratiſſimi homines ad eum venire contemnunt. Et in hac re verificatur illud *Proverbiorum* 1. Vocavi, & renuiſtis, expandi manus meas, & non erat qui aſpiceret.

Explicatur tertia pars. Quod Deus homines ad ſe vocet per nuntium, id eſt per prædicatores, quorum officium eſt eſſe præcones Dei, hominibusque voluntatem Dei, volentis omnes homines ſalvos fieri, exponere. Et iſti prædicatores ſunt veri ſervi Dei; de quorum quovis poteſt intelligi illud *Lucæ* 11. Homo quidam fecit cœnam magnam, & miſit ſervum ſuum dicere invitatis ut venirent. Quem locum exponens *S. Gregorius*, dicit: Servum illum, Ordinem prædicatorum deſignare, & tamen tempore ſuo nullus ordo in Eccleſia ſic vocabatur: Unde videtur iſte S. Pontifex fuiſſe locutus de futuro noſtro ſacro Ordine, qui ſolus Ordo prædicatorum vocatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An à vocatione divina ineptè ſe excuſent, ſuperbi per ſubtilitatem dominationis; avari per difficultatem terrenæ occupationis; & luxurioſi per voluptatem carnalis delectationis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod à vocatione divina ineptè ſe excuſent ſuperbi per ſubtilitatem dominationis. Et iſti figurantur per illum, qui dixit: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, Rogo habe me excuſatum *Lucæ* 14. Sed tales revera propter ambitionem terreni dominii amittunt gloriam cæleſtem. Et ecce, quid ſtultius potuiſſet feciſſe homo ille in Evangelio adductus, qui villam emit, antequam eam vidit? Facile enim decipitur, qui rem à ſe nunquam viſam emit. Sic etiam, ſi homo debitè conſideret, quid ſit in dignitate dominii ſæcularis, certè non emeret eam caro pretio, quia breviter durat. Unde *Eccl.* 10. dicitur: Omnis potentatus brevis vitæ. Imo homo ſi perſpicaciori mentis oculo luſtraret, quidnam dignitati dominii ſæcularis ſit annexum, videret utique præcipitii gravitatem: Quia quanto ſtatus eſt altior, tanto caſus eſt gravior. Cecidit Petrus, ſed de infimo & ideo ſtatim ſurrexit. Cecidit David, ſed de plano, quia ſe non extulit in altum, juxta illud *Pſ.* Domine non eſt exaltatum cor meum & ideo citò ſurrexit. Cecidit econtra Adam, ſed de alto, nimirum de Paradiſo: Et ideò cum difficultate ſurrexit. Cicidit quoque Lucifer, ſed de cælo altiſſimo, & ideo, ſurgere nunquam potuit. Cavete ergo, quotquot nimis inhiatis dignitatibus & dominandi facultatibus: Quia de caſu magno faciendo ſemper eſtis in periculo.

Explicatur ſecunda pars. Quod à vocatione divina ſe ineptè excuſent avari per difficultatem terrenæ occupationis; & iſti avari figurantur per illum, qui *Lucæ* 14. ſe excuſavit dicens: Quinque juga boum emi, & eo probare illa, rogo te, habe me excuſatum. Per quinque juga boum intelliguntur quinque ſenſus exteriores corporis: Et iſti ſenſus exteriores dicuntur *juga*, quia ſecundum *S. Auguſtinum*, cujuſ-

cujuslibet ſenſus exterioris inſtrumenta combinantur, id eſt, ſunt bina ſeu duo. Sicut unum jugum boum conflatur ex duobus bobus: ſic etiam duo ſunt oculi, duæ aures, duo nares, duo inſtrumenta guſtûs, lingua nimirum & palatum, & duæ manus, in quibus præcipuè patet tactus. Sicut ergo boves terram verſant, ſic etiam ſenſus hominis avari ſemper circa terrena delectantur: undè oculi alicujus avari magis delectantur videndo unam maſſam auri, quàm in Eccleſia videndo corpus Chriſti. In ore autem avari dulcior eſt auri nominatio, quam verbi Dei prædicatio. Et fatuè etiam iſte avarus in Evangelio ſe excuſavit; quia prius debuiſſet juga boum probare, antequam emit.

Explicatur tertia pars. Quod à vocatione divina ineptè ſe excuſent luxurioſi per voluptatem carnalis delectationis. Et iſti luxurioſi deſignantur per illum, qui *Lucæ* 14. ſe excuſavit dicens: Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire. In allegato autem textu per ly *Vxor*, intelligitur voluptas exceſſiva, illicita, & inordinata; non autem per conjugium excluduntur conjugati à cæna, licet non ita benè & commode tales ſe diſponant ad illam cænam. Unde ille in præſenti dicitur Uxorem duxiſſe, qui totum ſe tradidit voluptati carnali, nil cogitando de Deo; & talis ad cænam cœleſtem venire non poteſt, nec debet, nec eſt dignus; nam non poteſt ire, quia eſt fœtidus; non eſt dignus, quia eſt ſordida veſte indutus.

Cum ergo ex dictis pateat, quod multi à vocatione divina ſe excuſant, mirum non eſt quod multi ſint vocati, pauci vero electi. *Matth.* 20. In cujus ſignum *Num.* 31. legimus, quod de ſedecim millibus hominum, non ceſſerint in partem Domini plures, quam triginta duæ animæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quænam ſint excuſantium punitiones?

DIco quod ſint tres, nimirum ſegregatio à conſortio bonorum, ſubſannatio & improperium peccatorum; & cruciatio perpetua tormentorum.

Explicatur prima pars. Quod pœna ineptè excuſantium à vocatione divina, ſit ſegregatio à conſortio bonorum. Unde Chriſtus Dominus *Lucæ* 14. de talibus dixit: Nemo virorum illorum guſtabit cænam meam. In hujus quoque figuram fuit illa parabola dicta à Chriſto. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mari & ex omni genere piſcium congreganti; & ſtatim ſubditur ſegregatio. Bonos in vaſa poſuerunt, malos autem foras miſerunt. Sic itaque iſti mali homines, qui ſunt vocati à Deo, & renuerunt venire, mittentur foras, extra cœleſtem gloriam, in locum horroris & vaſtæ ſolitudis infernalis.

Explicatur ſecunda pars. Quod pœna ſe ineptè excuſantium ſit ſubſannatio & improperium peccatorum. Quia in judicio univerſali Deus, & Angeli, & homines, & dæmones ſubſannabunt, & deridebunt fatuos peccatores, qui divinas vocationes neglexerunt. Undè *Proverb.* 1. dicitur: Quia vocavi, & renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit, qui aſpiceret, ideò ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cùm vobis quod timebatis advenerit.

Explicatur tertia pars. Quod pœna ſe ineptè excuſantium ſit cruciatio perpetua tormentorum. Undè *Iſaiæ ultimo* dicitur: Eligam illuſiones eorum, & quæ timebant, adducam eis; quia vocavi, & non erat, qui reſponderet.

Sed non ſic erit de bonis & juſtis, qui Deum vocantem audierunt, & præcepta Dei vocantis obſervarunt: nam iſti ponentur in cœlo, & lucebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. *Baruch.* 3. Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus; & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Deus ſpecialiter nos vocet oſtenſionibus exemplorum; promiſſionibus præmiorum; & percuſſionibus flagellorum?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Deus ſpecialiter nos vocet oſtenſionibus exemplorum. Nam quotquot nos per viam pœnitentiæ præceſſerunt, tot vocationes habemus; quot millia martyrum, quot millia virginum, quot millia confeſſorum, tot ſunt millia vocantium. *Ioan.* 10. Proprias oves vocat nominatim, & adducit eas. Et ad *Philippenſes* 3. *Apoſt.* inquit: Ea, quæ retrò ſunt, obliviſcens, & ad ea, quę priora ſunt extendens me ipſum, ad deſtinatum proſequor bravium ſupernæ vocationis.

Explicatur ſecunda pars. Quod Deus nos vocet ſpecialiter promiſſionibus præmiorum, ſicut dives vocat pauperem oſtendens illi denarium 1. *Petri* 3. In hoc eſtis vocati, ut benedictionem hæreditate poſſideatis.

Explicatur tertia pars, quod Deus nos vocet ſpecialiter percuſſionibus flagellorum; nam quoties infirmitatibus flagellamur ſeu fatigamur vel adverſitatibus tribulamur, toties à Deo vocamur. Unde dicit rectè *S. Greg.* Mala, quæ nos premunt, ad Deum nos compellunt.

CAPITVLVM DVODECIMVM.

LECTIO CXLVI.

TEXTVS.

O quàm bonus & ſuavis eſt ſpiritus tuus in nobis! ideoque hos, qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris: ut relicta malitiâ credant in te Domine.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Salomon oſtendit, quod gubernatio Sapientiæ fuerit mirabilis in Ægytiorum

tione, & in Iſraelitarum per deſertum traductione: nunc oſtendit in præſenti Capitulo, quod etiam fuerit mirabilis in Chananæorum ex terra promiſſionis ejectione, & filiorum Iſrael in eadem terra promiſſionis implantatione; Deinde etiam in hoc Capitulo Salomon duo facit; nam primò oſtendit bonitatem divinæ caſtigationis erga omnes peccatores generaliter: Secundò ad Chananæos ſpecialiter.

In hac Lectione autem primò agitur de divina dulcedine, quam Deus influit mentibus juſtorum. Secundò agit de mira manſuetudine, quam oſtendit in correptione malorum.

Dicit ergo: *O quam bonus, & ſuavis eſt Spiritus tuus in nobis.* In quibus verbis divinæ bonitatis dulcedo commendatur ex ſigno magnæ admirationis: quod ſignum eſt *ly O.* Unde iſta verba idem ſonant, quod illa verba *Pſalm.* O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. Vult ergo dicere Deo regratiando, quod mirabiliter & ineffabiliter *Spiritus ſuus*, id eſt benignitas ſua ſit magna in nobis, videlicet Judæis; unde in *Pſalm.* dicitur: Non fecit taliter omni nationi.

Alii tamen legunt *ſuavius eſt Spiritus tuus in omnibus*; & tunc iſte textus intelligendus eſt, ſicut illud *Pſalm.* Suavis eſt Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Sic ergo patet divina dulcedo in omnibus generaliter.

In ſequentibus declarat manſuetudinem Dei in correptione malorum, quos tamen ſtatim poſſet annihilare ſi vellet; vel detrudere ſtatim in infernum, quod tamen Deus non facit: ſed admonet eos & alloquitur per prædicatores & viros ſanctos, ut ad ſe per pœnitentiam redeant. Unde ſubditur in textu: *Ideoque*, videlicet, quia tanta eſt in te ſuavitas bonitatis, *circa hos qui exerrant*, peccando ſcilicet, *partibus corporu*, id eſt particulariter ſeu articulatim & paulatim. *& de quibus peccant*, (id eſt, de peccatis ab eis patratis) *admones* (per prædicationem virorum ſanctorum) & *alloqueris* per internam inſpirationem; *ut relicta malitia credant*, per fidem charitate formatam, *in te Domine*, qui eos ita dulciter revocas ab errore. Circa illa verba *O quam ſuavis eſt Spiritus tuus*, ſeu gratia quæ datur hominibus per Spiritum ſanctum. Sit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homo ex abundantia piarum lachymarum; dimiſſione injuriarum; & deſiderio ſupernorum tanquam ex ſignis, poſſit conjicere ſe habere gratiam per Spiritum ſanctum?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod abundantia piarum lachrymarum tanquam ex ſigno poſſit quis conjicere ſe habere gratiam per Spiritum ſanctum: nam ideò apparuit in ſpecie ſuper Chriſtum transfiguratum. Nubes enim fundunt pluvias ſuper terram, & Spiritus ſanctus irrigat mentem devotam, quam inhabitare dignatur fluvio lachrymarum. Unde *Gen.* 1. dicitur: quod Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Et in *Pſalm.* Flavit Spiritus ejus & fluxerunt aquæ. Item *ad Rom.* 8. dicitur. Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, id eſt, poſtulare nos facit, gemitibus inenarrabilibus. S. quoque *Bernardus* ſuper *Cantica Canticorum* dicit. Lachrymæ pœnitentium vinum ſunt Angelorum, quia in illis eſt dulcor vitæ, ſapor gratiæ, guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, & ſerenatæ conſcientiæ ſuavitas. *Hæc S. Bernardus.*

Explicatur ſecunda pars. Quod ex dimiſſione injuriarum tanquam ex ſigno poſſimus conjicere nos habere gratiam Spiritus ſancti. Et ideò apparuit Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum baptizatum in ſpecie columbæ, quæ felle caret. Unde quando homo invenit ſe paratum, & benignum ad dimittendam injuriam ſibi factam, ſatis evidens ſignum eſt, quod Spiritum ſanctum habeat, qui cum ſit amor, nullum odium ſecum compati poſt. Odium namque animam inflat, indurat, & amaricat, ſed Spiritus ſanctus per oppoſitas conditiones deſcribitur. Nam Spiritus ſanctus comparatur rori, unctioni & felli. In quantum enim Spiritus ſanctus cor inflammatum refrigerat, ſic dicitur ros. *Eccleſ.* 18. Nonne ardorem refrigerabit ros. Unde rectè petit Eccleſia: quod corda noſtra ſancti Spiritus mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcundet. In quantum verò cor odiis induratum Spiritus ſanctus mollificat, ſic inquam dicitur Unctio. 1. *Ioan.* 1. Unctionem habetis à Sancto & noſtis omnia. Denique quia cor amaricatum, gratia Spiritus ſancti dulcorat, ſic inquam dicitur mel. *Eccleſ.* 24. Spiritus meus ſuper mel dulcis. Imò hæc gratia Spiritus ſancti non permittit quod homo fictè pacem monſtret in verbis, & odium in corde retineat; quia talem fictionem deteſtatur Spiritus ſanctus. *Sap.* 1. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.

Explicatur tertia pars, quod ex deſiderio ſupernorum tanquam ex ſigno poſſit quis conjicere ſe habere gratiam Spiritus ſancti. Et ideò ſpiritus ſanctus Apoſtolis apparuit in ſpecie ignis. Sicut enim ignis naturaliter tendit ſurſum, & cœlo ſe conjungit, ita Spiritus ſanctus corda eorum accendit & ſurſum ſublevat, ut terrena faſtidiant, & cœleſtia deſiderent. *Ezech.* 8. Elevavit me Spiritus inter cœlum & terram. In quibus verbis non dicit Propheta; Poſuit me in cœlo, quia ibi tantum ſunt boni; nec dixit poſuit me in terra, qui ibi ſunt ſolum mali & avari; ſed dixit: Elevavit me inter cœlum & terram. Quia nimirum ſum adhuc viator tendens ad cœlum; & ideò debeo aſcendere verſus cœlum contemplando cœleſtia: & aliquando verſus terram, proximorum utilitatibus miniſtrando.

ARTICULUS SECUNDUS.

An gratia Spiritus ſancti detur neceſſariò homini, ſe quantum poteſt ad gratiam præparanti?

Notan-

NOtandum hic quod vera diſpoſitio ad gratiam, debet eſſe ejuſdem ordinis ſupernaturalis cum gratia ſupernaturali; & ideo quia hominis opera bona ordinis naturalis ſunt inferioris ordinis ad gratiam; ideo per illa non diſponit ſe homo poſitive ad gratiam ſupernaturalem; licet talis poſſit diſponere ſe ad gratiam diſpoſitione negativa, in quantum nimitum ſe non ita reddit indignum gratia ſupernaturali, ſicut aliquis alius, qui nullum prorſus opus bonum ordinis naturalis facit.

Notandum ſecundò. Quod prima gratia non cadat ſub merito, quia principium meriti non cadit ſub merito: Si autem ſit ſermo de gratia ſecunda ſupernaturali; ſic inquam homo per opera præcedentia ex auxilio gratiæ ſupernaturalis ſe poteſt diſponere ad gratiam habitualem recipiendam; & qui habet gratiam habitualem, poteſt ſe diſponere ad augmentum gratiæ ſupernaturalis.

Notandum tertiò, quod aliud ſit dicere Deum dare gratiam ex neceſſitate quadam coactionis, & aliud ſit dicere, quod Deus det gratiam neceſſitate infallibilitatis, & neceſſitate conſequentiæ, ſuppoſito ſuo pacto & promiſſione. Hoc ſecundum eſt verum, alterum autem quod det ex neceſſitate coactionis, eſt falſum. His præmiſſis,

Dico, quod Deus ſoleat dare hominibus gratiam, facientibus quod in ſe eſt ex viribus naturæ, non quidem ex aliqua neceſſitate vel pacto, nec ex aliqua condignitate meriti hujus naturalis ad gratiam ſupernaturalem, ſed præcisè ex ſua benevolentia.

Probatur, quia cum Deus ſit benigniſſimus, movetur ex propria miſericordia, & liberalitate, ut tali homini facienti ex viribus naturæ quod in ſe eſt, ſuccurrat, & amplius gratiæ auxilium ex theſauro bonitatis ſuæ infundat.

Dico ſecundò, homini ex auxilio gratiæ ſupernaturalis bene operanti, Deus infallibiliter infundet novam gratiam.

Probatur: Nam Deus ad ſe confugientes recipit, ut loquitur *S. Auguſtinus*, alias eſſet iniquitas in Deo. Ex quo formatur talis ratio. Tunc Deus homini infundit infallibiliter gratiam, quando homo ad eum vere confugit ex motivo ſupernaturali; ſed homo ex auxilio gratiæ ſupernaturalis verè ex motivo ſupernaturali confugit ad Deum: Ergo Deus tali homini infallibiliter infundit gratiam.

Confirmatur primò. *Apocalypſ. 3.* dicitur: Ego ſto ad oſtium & pulſo (putà dando auxilium tranſiens ſupernaturale) ſi quis aperuerit mihi (purà cooperando tali auxilio ſupernaturali) intrabo ad eum & cœnabo cum eo; Sed talis qui ex auxilio tranſeunte gratiæ ſupernaturalis facit quod in ſe eſt, conſentiendo nimitum tali auxilio, & benè operando, iſte verè aperit januam Deo pulſanti: Ergo Deus intrabit in animam illius infallibiliter infundendo ei novam gratiam ſupernaturalem.

Confirmatur ſecundò. Quando Deo ſic pulſanti homo, modo explicato, aperit januam, vel Deus intrat vel non intrat? Si non intrat ergo fruſtra pulſat, quod eſt impium dicere: ſi autem intrat, ergo dat novam gratiam.

Dices primò contra ſecundam concluſionem; cuicunque Deus dat gratiam, gratis eam dat, Ergo quantumvis homo ſe diſponat etiam per actus ſupernaturales ad gratiam, Deus tamen non dat illam infallibiliter.

Reſpondetur Quod ſicut gratia Dei dicitur vita æterna, quia nimitum Deus gratiam nobis gratis dedit per quam meremur vitam æternam; ita etiam Deus gratiam ſecundam, quam meremur, dicitur nobis dare gratis: quia primam gratiam, cum qua benè fuimus operati, & per quam bona opera ſupernaturalia fecimus, propter quæ deinde nobis confertur ſecunda gratia, dedit nobis gratis. Ex quo patet, quod ſtante pacto divino & promiſſione divina, Deus nobis ex vi primæ gratiæ benè operantibus, non omninò dat gratis gratiam ſecundam, quia hæc gratia ſecunda, ex vi pacti divini, eſt aliquo modo præmium gratiæ primæ.

Dices ſecundò, homo comparatur ad Deum, ſicut lutum ad figulum, ut patet ex *Jeremiæ cap. 18.* Sicut lutum in manu figuli, ſic nos in manu Dei: ſed lutum quantumcunque benè præparatum, non accipit formam infallibiliter à figulo, Ergo nec etiam homo benè diſpoſitus per actus ſupernaturales procedentes ex auxilio gratiæ, infallibiliter accipit gratiam.

Reſpondetur quod illa ſimilitudo hominis ad Deum, tanquam luti ad figulum, non teneat in omnibus, ſed ſolùm tenet in hoc, quod ſicut abſolutè loquendo figulus habet poteſtatem faciendi ex eo luto, aliud vas in honorem & aliud in contumeliam: ita Deus etiam abſolutè poſſit uni homini per modum indebiti beneficii conferre gloriam, quam alteri per modum indebiti beneficii non confert. At vero paritas in alio ceſſat, nam inter lutum & figulum non eſt aliquod pactum & promiſſio, ſicuti eſt inter Deum & hominem ex auxilio gratiæ ſupernaturalis bene operantem: Unde huic Deus ex vi ſui pacti infallibiliter conferet ulteriorem gratiam.

LECTIO CXLVII.

TEXTUS.

Illos enim antiquos inhabitatores terræ ſuæ ſanctæ, quos exhorruiſti, quoniam odibilia tibi opera faciebant, per medicamina & ſacrificia injuſta, & filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, & comeſtores viſcerum hominum, & devoratores ſanguinis, & authores parentes animarum inauxiliatarum, à medio ſacramento tuo voluiſti perdere; per manus parentum noſtrorum, ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior eſt terra.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hac lectione oſtendit Salomon clementiam Dei in caſtigatione illarum ſeptem Gentium ejectarum ex terra promiſſionis, quam poſtea occuparunt Iſraelitæ. Iſtæ autem ſeptem Gentes nominantur *Deut.* 7. & ſunt Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherezæi, Hevæi, Jebuſæi, & Gerezæi. Et iſtæ ſeptem gentes deſignant ſeptem peccata mortalia, quæ nos debemus expugnare, ſi velimus terram promiſſionis ingredi.

Itaque in hac lectione Salomon quinque facit. Nam primò oſtendit, qui erant puniendi; ſecundò quare erant puniendi? tertiò quomodo fuerint puniendi? quartò per quos fuerint puniendi? & quintò ad quid erant puniendi.

Primò ergo oſtendit, quinam fuerint, quos Deus punivit, in adventu filiorum Iſrael in terram ſanctam, & quantum ad hoc dicit: *Illos enim antiquos habitatores ſancta tua terra.* Per illos antiquos habitatores intelliguntur illæ ſeptem gentes paulò ante nominatæ. Cauſa autem cur hæ gentes vel antiqui habitatores ejecti fuerint, ſubditur in Textu: *Quos exhorruiſti*, id eſt abominabiles habuiſti. Et ſtatim additur cauſa: *Quoniam odibilia ſunt tibi opera quæ faciebant.* Et quomodo? Certè peccaverunt contra Deum & proximum. Nam in Deum peccaverunt contra ſummam veritatem, contra ſummam majeſtatem, & contra ſummam bonitatem. Et quidem peccaverunt contra ſummam Dei veritatem indulgendo ſortilegiis, quibus ſtudebant rimari quædam occulta ad præſtandam ſanitatem infirmis. Unde eorum ſortilegia, Salomon hîc vocat *medicamina*, quia infirmitates per ſortilegia medebantur, ſicut uſque modo aliquæ vetulæ facere conſueverunt.

Peccaverunt etiam contra ſummam Dei majeſtatem, quia ſacrificia, quæ ſoli Deo debebantur, idolis faciebant. Et hoc intelligit Salomon, quando dicit in textu, quod fecerint *ſacrificia injuſta*, injuſtis nimirum idolis, & per hæc graviter peccaverunt in Deum. Et non ſolum in Deum peccaverunt, ſed etiam in proximos, nimirum in filios ſuos, quos naturaliter magis diligere debebant. Undè in textu ſubditur, *quod fuerint filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia.* In *Pſalm.* Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.

Ecce quàm difficile fuerat colere dæmones, qui jubebant ſibi filios immolari; & tamen hoc iniqui parentes fecerunt *ſine miſericordia*: id eſt, cum aliquo adhuc gaudio annexo occiderunt filios ſuos. Imo quod adhuc terribilius eſt, poſt occiſionem & immolationem filiorum ſuorum factam dæmoniis, *viſcera*, id eſt, carnes humanas comederunt, quarum *aliquam partem* dæmoniis conſecrarunt comburendo, ſed alteram partem comedebant maſticando: ſicut Judæi de ſuis ſacrificiis faciebant. Et hoc eſt quod ſubditur in textu: *Et viſcerum comeſtores.* nominantur viſcera ad oſtendendam crudelitatem eorum, quia poteſt eſſe, quod interiora humana, ſicut pulmonem, cor, hepar, & renes comederint. Huc facit illud *Ovidii* 15. *Metamorph.*

Heu quantum ſcelus eſt, in viſcere viſcera condi,
Congeſtoque avidum pingueſcere corpore corpus.

Et devoratores ſanguinis, per quod ſecta illa ſummam fecit crudelitatem, quod nimirum etiam ſanguinem ſuorum filiorum devoraverint. Et ad exaggerandam hanc crudelitatem, ſubditur in textu, quod fuerint *Authores parentes animarum inauxiliatarum*; id eſt illi ipſimet parentes, qui fuerunt authores vitæ ſuorum filiorum, fuerunt etiam authores necis ſuorum filiorum, id eſt exiſtentium ſine auxilio: unde ipſimet parentes juſſerunt, & ordinaverunt filios ſuos occidi, ac immolari dæmoniis. Itaque cum tam graviter peccaverunt, meritò omnes illi ob delicta ſua erant puniendi. Sed quo modo? Certè non alio quam per occiſionem, & expulſionem à terra illa ſancta, in qua Filius Dei erat naſciturus, victurus, & moriturus, propter quod illam nominat *ſacram*. Unde ſubditur in textu: *A medio ſacramento tuo, ſic voluiſti perdere.* Terra ſancta ſacramentum dicitur: eſt enim ſacramentum generaliter ſacræ rei ſignum. Quia ergo illa terra ſancta ſeu terra promiſſionis, figuravit Eccleſiam militantem, & etiam triumphantem; & inſuper, quia Chriſtus in Eccleſia ſua militante ſacramenta novæ legis erat conditurus: ideò, inquam, terra illa ſancta meritò ſacramentum vocatur.

Sed per quos erant iſti immolatores filiorum ſuorum delendi? Certe dicit Salomon: *Per manus parentum noſtrorum*, qui ſub Joſue intraverunt terram promiſſionis *Ioſue* 5. Juſtum enim fuit, quod cultores Dei, cultores dæmonum ſuperarent. Et ideo ſubdit ultimò cauſam finalem, ob quam erant puniendi, nimirum: *Vt dignam acciperent peregrinationem puerorum Dei*; id eſt Abraham, Joſue, & Jacob, qui in terra illa fuerunt peregrinati: & quibus promiſſa fuit terra illa ſancta. *Quæ tibi Domine eſt omnium charior terra.* Id eſt acceptior præ omnibus terris. Tum quia in illa habitant ſancti Patriarchæ, tanquàm peregrini; tum quia Chriſtus ibi conceptus, natus, & converſatus, imò etiam ibi mortuus eſt, & poſt mortem reſurrexit & aſcendit in cœlum, ibique judicaturus eſt vivos & mortuos. Circa illa verba (*Vt dignam acciperent peregrinationem*) Et ad explicandum quomodo vita noſtra ſit peregrinatio quædam ad patriam cœleſtem. Sit

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo ſe bonus peregrinus habere debeat in via?

DIco quod peregrinus in via exiſtens, quotidie ſocios malos vitare, quotidie computare, & quotidie terminum recogitare debeat.

Explicatur prima pars, Quod bonus peregrinus in via exiſtens quotidie malos ſocios vitare debeat; quia mala ſocietas eſt peregrino valde periculoſa: nam mali ſocii ſive ſint proditioſi, ſive ſumptuoſi, ſive acedioſi, ſemper impediunt bonum peregrinum. Et iſto modo *moraliter* loquendo bonus Chriſtianus cavere ſibi debet ne

ex ma-

malorum ſocietate turbetur à bona vita ; nec habere debet ſocietatem cum dæmone , nam hic eſt proditioſus ; nec cum mundo , quia eſt nimis ſumptuoſus ; nec cum carne uoſtra, quia eſt nimis acedioſa.

Explicatur ſecunda pars. Quod bouus peregriuus quotidie computum facere debeat : & ſic etiam bouus Chriſtianus quotidie vitam ſuam debet examinare. Undè *Seneca* ait : quotidie auimus ad rationem reddendam vocandus eſt. Et ita quivis bouus Chriſtianus tranſacto die , antequam ſe pro quiete nocturna accommodet , interrogare debet animam ſuam, quod hodie malum ſanaſti ; cui malo obſtitiſti ; & qua parte melior factus es ?

Explicatur tertia pars. Quod bouus peregrinus debeat quotidie terminnm ſuum ad quem tendit recogitare : ita etiam nos ſemper de patria cœleſti cogitare debemus. Undè *S. Auguſtinus*, iuquit, in hoſtili terra, ad quam per peccatum injecti ſumus, dulcis eſt recogitatio patriæ. Sic cogitavit S. Paulus terminnm ſuum , quando dixit : Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quænam bonus peregrinus vitare debet ?

DIco, quod bonus peregrinus debeat vitare theſauri ſui oſtenſionem , hoſpitis deceptionem ; & ſuiipſius nimiam onerationem.

Explicatur prima pars. Quod bouus peregrinus debeat vitare theſauri ſui oſtenſionem ; & ita etiam bonus Chriſtianns vitare debet virtutum ſuarum oſtenſionem per jactantiam , & potius debet eas ex humilitate occultare. Undè *S. Gregorius* inquit : Deprædari deſiderat, qui portat theſaurum ſnum publicè in via.

Explicatur ſecunda pars. Quod bouus peregrinus debeat vitare hoſpitis ſui deceptionem. Hoſpes uoſter & ſimul hoſtis eſt mnndus, qui mundus tanquam hoſpes ignotiſſimum vultum facit , lectiſternia honeſtiſſima demonſtrat , & bona propinat , ſed in fine parciſſimum & ſtrictiſſimum facit computnm , ita ut homiui nou permittat quidpiam ſecum aſportare. Cautè proindè cum hoc mundo tanquam cum hoſpite agendum eſt, & ſummè ſtudendum, ne quis ab inani fallacia hujus muudi deceptus, pœnas æternas luat in altero mundo.

Explicatur tertia pars. Quod bonus peregrinus debeat vitare ſuiipſius uimiam ouerationem, undè parum de veſtibus & aliis rebus debet ſecum portare. Sic etiam boni Chriſtiani dicunt cum *Apoſtolo* : Habentes alimenta , & qnibus tegamur, his contenti ſimus. Imò peregrini ſnbindè uec pecuniam ſecum portant, ſed tradunt eam Campſoribus, ut in patria ad quam tendunt , iterum tantum à correſpondeutibus Campſorum recipiant, quantum illis dederunt. Sic etiam prudentes Chriſtiani divitias ſuas in præſenti tribuunt pauperibus , Eleëmoſynam largiendo : qui ex promiſſione Chriſti centuplum recipient in altera vita & gloria cœleſti.

Notaudnm hîc, quod peregrinus quando Româ redit, reportet ſecum indulgentiam, ut revereutiam accipiat ab amicis , ac tandem habeat quieſcendi licentiam. Sic etiam bonus Chriſtianus rediens verſus patriam cœleſtem in morte gaudet, quia ſecum portat indulgentiam peccatorum ; Et dum poſt mortem tendit ad patriam cœleſtem, occurrunt ei ſui amici, & ſancti patroni, quos iu terra colebat, & animam ejus deducunt ad cœlum. Undè orat *Eccleſia* : Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus, & offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. Et tunc eſt anima illa in cœlo tanquam in patria & domo ſua ; vel immediatè : vel ſaltem mediante purgatorio ſi adhuc aliqua expianda erant. Et ideò *Apocal.* 14. dicitur : Amodò jam dicit ſpiritus , ut requieſcant à laboribus ſuis , opera enim illorum ſequuntur illos. Iſti ergo boni Chriſtiani ſunt illi , qui faciunt coudignam peregrinationem puerorum Dei.

LECTIO CXLVIII.

TEXTUS.

Sed & his tanquam hominibus pepercisti, & miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas , ut illos paulatim exterminarent : non quia impotens in bello eras ſubjicere impios juſtis, aut beſtiis ſævis, aut verbo duro ſimul exterminare : ſed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ , non ignorans , quoniam iniqua eſt natio eorum , & quaſi naturalis malitia eorum : & quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum. Semen enim illorum erat maledictum ab initio.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam explicatam Chananæorum malitiam , eo quod occiderint proprias proles, eaſque dæmoniis ſuis immolaverint ; & poſtquam eſt oſtenſum quod ob ſuam malitiam meritò debebant deſtrui : nunc in hac lectione oſtenditur adhuc pietas Dei erga illos, quæ eos non una vice ſimul delevit , ſed paulatim per partes , ut aliis adhuc reſtantibus relinqueretur pœnitentiæ locus.

Itaque iu hac Lectione Salomon tria facit. Primò narrat divinam pietatem in parcendo ; Secundò excuſatur Dei poteſtas in puniendo, qui cùm potuiſſet eos nno actu delere, noluit, ſed ſolum eoſdem paulatim voluit tollere : & Tertiò explicatur malorum perverſitas & obſtinatio in reſiſtendo. Dicit ergo : *Sed in his* (videlicet antiquis habitatoribus terræ ſanctæ uou obſtante eorum diverſa malitia) *tanquam hominibus* (puta fragilibus , & ad imaginem Dei factis) *pepercisti.*

Et *miſiſti anteceſſores exercitus tui Veſpas* , qui oriri ſolent ex putrefactione corporis Aſinini. Permiſit autem Dominus Deus ideò Veſpas : ut *paulatim illos exterminaret* per morſum aculeatum Veſparum ; cæterum permiſit Dominus Deus Veſpas , non quia Deus *impotens* in bello erat, & *tanquam injuſtos non potuiſſet unico verbulo ſubjicere juſtis, vel per beſtias ſævas aut etiam unico*

verbulo duro exterminare & delere, ſed partibus judicans (id eſt paulatim & ſucceſſivè unum poſt alterum delens) *dabas locum pœnitentiæ*, illis videlicet, qui remanſerunt.

Non ignorans, quoniam iniqua eſt natio eorum (id eſt dediſti reſiduis illis adhuc locum pœnitentiæ, quamvis ſciveris, quod ipſi à primogenitoribus ſuis ſint in malitia educati, & in eadem perſiſtant) *Et fuerit quaſi naturalis malitia eorum*, quia conſuetudo eſt altera natura: & quia id quod naturale eſt, difficulter tollitur, ideò *ſciebas, quod non poterat immutari*, id eſt difficulter poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum. Huc facit illud *Ierem. 13.* Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.

Semen enim illorum maledictum erat ab initio. Quia ut diximus, iſti Chananæi ex Cain filio Adæ. *qui ab initio*, id eſt, ab antiquo maledictus extitit, deſcenderunt. In ipſis enim, ut ait Gloſſa erat quædam qualitas, ſeu pronitas ad peccandum. Circa illa verba: *Dabas locum ad pœnitentiam*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An examen conſcientiæ, amaritudo compunctionis, plenitudo confeſſionis, & fortitudo ſatisfactionis, ſint documenta pœnitentiæ?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Examen conſcientiæ de peccatis cõmiſſis ſit documentum ad pœnitentiam debitè inſtituendam. Sicut enim præfectus aliquis per unum vel plures menſes pecuniam Domini ſui expendens, non poteſt ſubitò facere exactum computum de receptis & expoſitis, niſi prius omnia benè examinet: ſic etiam quivis homo pro talentis & gratiis ſibi datis à Deo rationem debet ei reddere, qualiter ea impenderit, an benè vel malè. Hoc autem ſine examine conſcientiæ præſtare homo non poteſt. Et ideò ſæpè fit, quod homines parum conſcientiam ſuam examinantes, obliviſcantur ex quadam negligentia omnia peccata ſua exactè confiteri.

Porrò ſicut in medicina purgativa, præcedere debet medicina præparativa ſeu diſpoſitiva, ſicuti v. g. eſt Cremor tartari: ita in Sacramento pœnitentiæ adhibendo, præcedere debet examen conſcientiæ & dolor de peccatis tanquam medicina præparativa. Ipſamet autem confeſſio eſt medicina purgativa. 1. *Reg.* 2. Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes. Et 1. *Corinth.* 5. Expurgate vetus fermentum. Et ideò ſignanter dixit Ezechias, *Iſaia* 38. Quid dicam, aut quid reſpondebo tibi, cùm ipſe fecerim? tot videlicet errores cogitando, loquendo, operando & omittendo. Et reſpondet Ezechias: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Moderno tamen tempore contrarium communiter fit, quia præſumunt multi intra ſpatiũ mediæ horæ confeſſionem facere, pro qua vix ſufficeret una ſeptimana, ſi omnia eſſent benè examinata: tales revera ſeipſos rectè non interrogant, nec examinant, & ideò non poſſunt integrè pœnitere. *Ierem.* 8. Nullus eſt, qui agat pœnitentiã ſuper peccato ſuo, dicens: quid feci? David tamen rectè confeſſus eſt, dum ait *in Pſal.* Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meã Domino. Ubi Gloſſa addit: *Dixi*, id eſt, prius deliberavi apud me, hoc ſcilicet, quod ego confitebor adverſum me: quia nec altra neceſſitat, nec diabolus cogit hominem ad peccatum, ſed homo peccat liberè conſentiendo perſuaſioni diabolicæ.

Explicatur ſecunda pars. Quod pœnitentia in ſe debeat habere compunctionis amaritudinem exemplo Job dicentis: Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare. Mulier naturaliter concipit fœtum ſine dolore, ſed nunquam fuit mulier *quæ peperit ſine* dolore, excepta ſola beatiſſima *Virgine Maria*. Sic etiam anima, quæ peccat, concipit fœtum à diabolo, & hoc ſine dolore, imò cum delectatione peccatum concipit. parit autem cùm confitetur, & producit ad lucem peccatum ſuum Confeſſario. Veruntamen hoc non poteſt homo facere ſine dolore contritionis, & pœnitentiæ. *Ioan.* 16. Mulier, cùm parit, triſtitiam habet, poſtquam autem peperit, gaudet & ſentit ſe multum eſſe alleviatam. Ita etiam perſona gravida peccato, ante confeſſionem & tempore confeſſionis triſtis eſt & amara, ſed confeſſione finita lætatur homo, & ſentit ſe eſſe alleviatum ab onere peccati *Iudith.* 8. Quia patiens eſt Dominus, pœniteamus & ejus indulgentiam fuſis lachrymis poſtulemus.

Sicut autem nulla mulier poteſt perfectè parere ſine obſtetrice, cui ſe nolens volens debet monſtrare: ita nullus homo poteſt perfectè parere confeſſionem, qui non ſe monſtret Sacerdoti habenti poteſtatem abſolvendi. Juxta illud *Iacobi* 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra.

Cæterum illi qui dolorem de ſuis peccatis in præſenti recuſant, multo majorem dolorem experientur, quando in die judicii peccata ipſorum toti mundo manifeſtabuntur; & tunc tales facient quidem pœnitentiam, ſed infructuoſam: juxta illud *Sap.* 5. Dicent intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, &c.

Explicatur tertia pars. Quod pœnitentis debeat habere plenitudinem confeſſionis, ita ut non ſit compilata, nec abbreviata, nec colorata, nec excuſata, nec depicta, nec diminuta, ſed debet eſſe plena, ſufficiens & totalis. Sudor univerſalis in infirmo eſt ſignum ſanitatis: ſed quando unum membrum ſudat & alterum manet ſiccum, ſignum eſt infirmitatis & non convaleſcentiæ. Sic etiam confeſſio quando eſt plena ſignificat ſanitatem, ſed confeſſio diminuta ſignum eſt infirmitatis. Si aliquis confiteatur de gula vel luxuria, ſed de rapina & furto taceat. *Apoc.* 3. Non invenio opera tua plena coram Deo meo.

Narrat Vincentius in ſpeculo naturali de quodam piſce marino, qui *Centipes* dicitur à multitudine pedum. Iſte piſcis poſtquam ſentit hamum piſcatoris ſuis viſceribus inhærere, ex timore mortis imminentis viſcera ſua ex quadam induſtria naturali effundit, & hamum evomit: poſtea verò iterum viſcera ſua reaſſumit, & ſic evadit mortem. Applicatio moralis.

Hamus

Hamus diaboli eſt peccatum, intra delectationem tanquam inter eſcam ſubtiliter involutum: homo autem hamo capitur, quando propter delectationem peccata amplectitur. *Eccl. 9.* Sicut piſces capiuntur hamo, & aves laqueo ſic comprehenduntur homines tempore malo. Porrò hamus iſte peccati torquet viſcera, dum peccatum conſcientiam remordet. In quo caſu ſummum remedium eſt tunc hamum cum viſceribus, id eſt cum circumſtantiis per confeſſionem effundere coram Deo, juxta illud *Pſal.* Effundite coram illo corda veſtra: & poſtea ipſum cor lotum & ablutum per Sacramentum pœnitentiæ oportet reaſſumere, & ſic recuperabitur ſalus; juxta illud *Rom. 8.* Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Explicatur quarta pars. Quod pœnitentia debeat habere fortitudinem ſatisfactionis: ita ut homo nec ſe fingat debilem, nec infirmum ed faciendam ſatisfactionem pro ſuis peccatis. Narrat *S. Ambroſius in Hexameron* de opere ſextæ diei, quod Elephas ſit tantæ fortitudinis, ut ſolus poſſit turrim ligneam cum multis armatis portare. Item eſt tantæ audaciæ, ut nullo clypeorum retardetur objectu, imò nec terretur aliqua cohorte militum, ſolum tamen murem horrendè timet. Applicatio moralis. Sic etiam multi ad opera mundi pro lucro vel gloria temporali inveniuntur fortes, jejunant, vigilant, tranſeunt maria, & in ſole, & in æſtu fatigantur: ſed ad faciendam modicam pœnitentiam pro ſuis peccatis timent. In *Pſal.* Trepidaverunt timore ubi non erat timor. Sed hujus oppoſitum ſuadet Evangelium *Luca 3.* ubi dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Tales fructus pœnitentiæ fecit *S. Maria Magdalena*, de qua *S. Gregorius Hom. 33.* ſic ſcribit. Quot habuit in ſe *Maria Magdalena* oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta; convertit ad numerum virtutum numerum criminum: ut totum ſervire Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.

LECTIO CXLIX.

TEXTUS.

Nec timens aliquem veniam dabas peccatis illorum. Quis enim dicet tibi, quid feciſti? Aut quis ſtabit contra judicium tuum? aut quis in conſpectu tuo venit vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? Nec enim eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas, quoniam non injuſtè judicas judicium: neque Rex, neque Tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his, quos perdidiſti.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc Textu probat Salomon, quod Deus puniverit Chananæos non ſimul, & uno actu vel momento; ſicut eos in unico momento perdere potuit: ſed pauletim. Et hoc non ex aliquo timore vel ignorantia, nec ex reſpectu alicujus ſuperioris Judicis ſupra ſe.

Dicit ergo: *Nec timens aliquem* (id eſt non ex timore alicujus alterius) *veniam dabas peccatis eorum* (id eſt locum & tempus veniæ ſi voluiſſent) undè ex ſola benignitate tua dabas illis ſpatium pœnitentiæ.

Quis enim dicet tibi, quid feciſti? Revocando ſcilicet tuo ſententiam à te datam; *Aut quis ſtabit contra judicium tuum?* (puta interponendo appellationem) Aut *quis in conſpectu tuo venit vindex iniquorum hominum?* Id eſt quis præſumet irritare tuum judicium, ne ſortiatur ſuum effectum? Nullus. *Aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti?* Quaſi dicat: nullus omnino eſt, qui te vel in minimo arguere, aut tibi vel in minimo propter ſimilia facta moleſtus eſſe poſſit. Undè *Iob 5.* dicitur: Si ſubverterit omnia, & in unum coarctaverit, quis contradicit ei? Et hoc ideò quia Deus eſt ſupremus, & juſtus Judex. Undè ſubditur in Textu: *Nec enim eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus* Deus enim habet providentiam generalem de omnibus rebus, per conſervationem earum in ſuo eſſe, & tali modo habet etiam Deus curam de bobus: quanquam providentiam ſpecialem per doctrinæ informationem habeat ſolum de hominibus.

Porrò quia Deus eſt ſummus, & juſtiſſimus Judex, ideò ſubditur in textu; *Vt oſtendas quoniam non injuſtè judicas judicium.* Undè *nec Rex* (qui nimirum juſtè regit) *nec Tyrannus* (qui per oppreſſionem alios regit) *in conſpectu ſuo inquirent de his, quos perdidiſti?* Quaſi diceret: Nunquam per inquiſitionem poteris convinci, quod malè aliquos puniveris, quos perdere propter eorum ſcelera decreviſti. *Abacuc 1.* Ipſe de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculum ejus erunt. Circa illa verba: *Veniam dabas peccatis eorum*, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An per pœnitentiam Chriſtum nobis reconciliemus; Angelos lætificemus; animas noſtras reformemus; & dæmones confutemus?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod per pœnitentiam Chriſtum nobis reconciliemus. Undè *Ierem. 18.* dicitur: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus illam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei. In quibus verbis Deus oſtendit, quod Deus velit ſe accommodare pœnitentiæ hominis, ita, ut ſi ipſe homo pœnituerit, etiam ipſe velit pœnitere, hoc eſt ad modum pœnitentis ſe habere, puta retinendo fulmen furoris ſui, quod experti fuiſſent homines, niſi pœnitentiam egiſſent. Sic etiam nobiles, Imperatores, pulchrum vindictæ genus reputabunt, ignoſcere, & noxiis pœnitentibus concedere veniam, ut ait *Petrus de Vineis in quadam Epiſtola.*

Explicatur ſecunda pars. Quod Angelos per pœnitentiam lætificemus juxta illud *Luca 15.* Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Legitur *3. Reg. 6.* quod Salomon fecerit Angelos fieri in propitiato-

tlatorio taliter ut imagines ille fuerint de ligno olivarum; *Secundò* habebant Angeli alas expanſas; *Tertiò* habebant pedes obliquos & elevatos, quaſi ad ambulandum paratos; *Quartò* iſti Angeli verſis vultibus ſe mutuò reſpiciebant. Itaque primò fuerunt iſti Angeli de lignis olivarum; antiquitùs enim Angeli fuerunt quaſi ferrei propter incompaſſionem, & duritiem, quia hominibus non compatiebantur: nunc autem ſunt ex lignis olivarum, quia ſunt mites & miſericordes. Præterea Angeli prius habebant alas demiſſas, quia quaſi invitè, & cum difficultate veniebant ad homines: ſed modo citò ad nos veniunt, & ideò habent alas expanſas. Item Angeli olim ſoli Deum laudabant, ſed modò in laudando Deum ſeſe hominibus aſſociant; olim naturam noſtram quaſi infirmam parum æſtimabant, modò autem videntes ipſam naturam humanam à Chriſto Domino eſſe aſſumptam, rapiuntur in admirationem, & ideò ſe mutuò reſpicere dicuntur.

Explicatur tertia pars. Quod per pœnitentiam noſmetipſos reformemus. *Boëtius* dicit. *Lib. 4. de conſolatione*, quod homo ſecundum varia vitia in naturam quaſi beſtiarum transmutetur. Undè inquietus in lingua comparatur cani; callidus inſidiator vulpi; acedioſus aſino, &c. Et ratio hujus eſt, quia anima hominis eſt ſicut cera mollis, quæ recipit formam cujuſcunque rei vel ſigilli, cui applicatur: ex quo fit, quod ſi applicetur ſigillo, in quo inſculptus eſt lupus, recipit formam lupi, & ſic de aliis. Et iſto modo anima rerum illarum, quibus ſe per amorem applicat, effigiem induit, & in illas ſe transformat. Pulchrè ad propoſitum *Hugo de Arra animæ* ait. Ea eſt vis amoris, ut talem te eſſe neceſſe ſit, quale eſt illud, quod amas, & cui per affectum conjungaris: in cujus ſimilitudinem & figuram vi dilectionis transformaris. Figura ad hoc deſerviens eſt illud, quod legitur *Danielis* 4. de *Nabuchodonoſore*, qui ab hominibus ejectus, fœnum ut bos comedit: ſed poſtea recuperavit pœnitens, quod amiſit per peccatum. Cæterum ad hoc ut pœnitentia ſit hominis reformativa debet habere integritatem, taciturnitatem, & diuturnitatem. quæ tres conditiones per ly *Homo* denotantur. H tamen debet tolli, quia H non eſt littera ſaltem ſecundum iſtos, ſed tantum aſpirationis nota. Manet ergo *Omo*. Ubi per primum *O* ſignificatur Integritas pœnitentiæ. *O* enim eſt quidam circulus, quia eſt linea perfectiſſima, ita ut nihil ei poſſit addi in linea circulari, ſed ſit circulus perfectus, ut dicit *Ariſtoteles 2. de cœlo & mundo*. Sic ergo etiam pœnitentia debet eſſe perfecta, ut omnis pars puniatur, quæ peccavit. Et ita lingua pro vaniloquio debet puniri orationibus, pedes peregrinationibus, & venter jejuniis.

Per ſecundam litteram quæ eſt *M* deſignatur Taciturnitas, quæ ad pœnitentiam requiritur, ne fiat cum pompa & oſtentatione. Et benè ly *M* deſignat Taciturnitatem, quia hæc ſola inter litteras proferri poteſt labiis clauſis, & labiis ipſis imprimitur.

Tertia littera eſt *O* & deſignat Diuturnitatem ſive finalem perſeverantiam, quæ in alphabeto græco eſt ultima littera. Pœnitentia autem ſi ſit perfecta, etiam uſque ad ultimum ſeu uſque in finem continuari debet. Et talis pœnitentia reformat hominem de beſtiali natura; non tamen ſine aſpirationis nota: quia niſi Spiritus ſancti gratia per ſuam benignitatem hominem mollefaciat, ſalubrem pœnitentiam facere non poterit. Undè *ad Rom. 2.* dicitur. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.

Explicatur quarta pars. Quod per pœnitentiam dæmones confundamus. Nam vehementer confunduntur dæmones, quando eorum prodimus conſilium, quando eorum effugimus carcerem; & quando à ſuis principibus gravius affliguntur: ſicut cuſtodes carcerum per evaſionem incarceratorum gravius luunt. Itaque dæmones valdè magna invidia agitantur, quando vident, nos antea per peccatum ſibi fuiſſe ſimiles in deformitate, & poſtea per Sacramentum pœnitentiæ iterum eſſe reſtitutos priſtinæ pulchritudini: cùm tamen dæmones ſuæ priſtinæ pulchritudini nullatenus ſint reparandi. Undè de hominibus ſingulariter dixit Petrus 2. *Petri* 3. Non tardat Dominus promiſſionem, ſed patienter agit propter nos, nolens aliquem perire, ſed ad pœnitentiam reverti; pœnitemini ergo & confitemini, ut deleantur peccata veſtra. *Actor.* 3.

LECTIO CL.

TEXTUS.

Cùm ergo ſis juſtus, juſtè omnia diſponis. Ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tua virtute. Virtus enim tua juſtitiæ initium eſt, & ob hoc quod Dominus omnium es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim oſtendis tu, qui non crederis eſſe in virtute conſummatus, & horum qui te neſciunt audaciam traducis.

EXPLICATIO TEXTUS.

C*Um ergo ſis juſtus*, ſic nimirum ut non poſſis eſſe injuſtus: quia quidquid vis fieri, juſtum eſt fieri; *Iuſtè omnia diſponis*, juxta illud *Pſal.* Juſtus Dominus, & juſtitiam dilexit.

Ipſum quoque qui non debet puniri, id eſt, ipſum hominem peccatorem qui te nullatenus vult audire; & ita à te miſericorditer puniri ſeu flagellari non debet ad tempus, quia perſeverat in malo, quod eſt diabolicum teſte, *S. Auguſtino*: *Condemnare* in perpetuum, *Exterum*, id eſt, extraneum *æſtimas à virtute tua*, quæ virtus eſt miſericordia tua: quia miſericordia eſt propria virtus Dei. Et ideò canit Eccleſia: Deus cui proprium eſt miſereri, &c.

Et quia aliquis poſſet credere, quod ſoli peccatores indigeant miſericordia Dei, ideò ſubdit Salomon: quod etiam Juſti gratia & miſe-

miſericordia Dei indigeant. *Virtus enim tua* (id eſt gratia) *juſtitiæ initium eſt* : quia niſi gratia præveniat hominis voluntatem , ſaltem natura vel cauſalitate , homo juſtus eſſe non poterit. Undè *ad Rom.* 3. dicitur : Juſtificati gratis per gratiam ipſius. Et *ad Titum* 3. Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos , ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit. Sed undè habet ortum iſta miſericordia ? Certè ex omnipotentia. Undè ſubdinit in Textu .· *Et ob hoc quod Dominus omnium es , omnibus te parcere facis* : id eſt , ex tua omnipotentia & miſericordia motus , efficis , quod omnibus parcas.

Virtutem enim (id eſt miſericordiam) *oſtendis tu* : id eſt , exhibes tu. *Qui non crederis eſſe in virtute conſummatus* , id eſt , qui nullo modo putandus es habere terminum miſericordiæ , tanquam miſericordia tua jam ſit exhauſta , vel exhaurienda : cum miſericordia tua ſit infinita , quæ exhauriri non poteſt.

Et horum (id eſt peccatorum) *qui te neſciunt* , id eſt , miſericordiam tuam non agnoſcunt , vel audacter in miſericordiam tuam peccant , *audaciam traducis* , id eſt peccandi temeritatem , aut diffidentiam de tua miſericordia punis. Circa illa verba .· *Ob hoc quod Dominus omnium es , omnibus te parcere facis.*

Notandum eſt , quod DEUS in natura ſic clementer providerit , quod ordinariè clementia & potentia , item manſuetudo & fortitudo , naturaliter conjungantur .· ita ut ubi plus fortitudinis reperitur , ibi etiam plus ſit de clementia. Exemplum eſt de Leone , qui cùm ſit fortiſſimus beſtiarum, eſt tamen mitiſſimus. Undè *Solinus* de Leonibus ſcribit , quod proſtratis parcant , & in viros potius quam in fœminas ſæviant , infantes autem nonniſi magna fame preſſi periniant , nec ſeparentur à miſericordia. Undè eſt illud metricum :

Parcere proſtratis ſcit nobilis ira Leonis.

Econtra verò DEUS animalia colerica , ſæpè poteſtate nocendi privavit , & ita ſit quod inter canes minimi canes ſint maximè colerici , & quo minus poſſunt viribus, eo magis latratibus abundant.

Chriſtus Dominus autem more Leonis omnibus ſe proſternentibus per pœnitentiam exhibet ſe clementem .· *in viros* tamen , id eſt in illos, qui ex præmeditata malitia peccant , magis ſævit , quàm in *fœminas*, id eſt in illas perſonas , quæ ex nimia tentatione & fragilitate peccant : *Infantes* autem , id eſt innocentes , non niſi magna fame , id eſt magno amore ſalutis eorum, in præſenti flagellat. Undè *Apocalip.* 3. dicitur : Quos amo , arguo & caſtigo.

Notandum ſecundò , quod triplex ſit differentia inter Dominum terreſtrem , & inter Deum tanquam Dominum cœleſtem.

Prima differentia eſt , quod ſolus ſervus ſerviat Domino terreſtri ; Dominus autem terreſtris ipſi nullo modo ſervit : ideoque ſit , quod Dominus terreſtris magis indigeat ſervo , quam ſervus Domino. At verò DEUS tanquam Dominus cœleſtis nullo modo indigeat ſervo , nec per ejus ſervitium aliquid ei accreſcit , ſicut per ſervitium ſervi aliquid accreſcit Domino terreſtri. Et præterea ipſe Dominus DEUS reciprocè ſervo ſuo fideli inſervit , dum ſemper eum cuſtodit , imò Angelos ad eum cuſtodiendum mittit. Undè *in Pſalm.* dicitur : Conſerva me Domine , quoniam ſperavi in te , Dixi Domino , DEUS meus es tu , quoniam bonorum meorum non eges ; Item *Pſalm.* 90. Angelis ſuis DEUS mandavit de te , ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Et iterum : Omnes ſunt Adminiſtratorii Spiritus , miſſi propter eos , qui hæreditatem capiunt ſalutis.

Secunda differentia eſt , quia nullus Dominus terrenus poteſt facere ſervum ſuum liberum perfectè , quia ſervit malis affectionibus , cupiditatibus , iræ , & impatientiæ. Undè *Seneca Epiſtol.* 47. ait : Oſtende , quis non ſit ſervus ; alius libidini , alius avaritiæ, & alius ambitioni ſervit ; at verò DEUS tanquam Dominus cœleſtis ſibi ſervientes non ſolùm liberos , ſed etiam Reges facit. Undè *Apocalip.* 5. dicitur : Redemiſti nos in Sanguine tuo , & feciſti nos DEO noſtro Reges & Sacerdotes.

Tertia differentia eſt Impotentia Dominorum terreſtrium , qui non poſſunt compellere hominem ad ſibi ſerviendum ; & etiamſi eos cogere poſſent ad ſibi ſerviendum , hoc tamen ſervitium eſſet exiguum, quia ſervus invitè aliquid faciens , parum boni operatur. At vero DEO tanquam Domino cœleſti non ſolum homo , ſed etiam omnis creatura in cœlo , & in terra , ac in inferno ei ſervit , velit , nolit : quia ſi homo obediat præceptis Dei , voluntariè & virtuosè DEO ſervit , & in futura gloria cœleſti ſerviet ei ſemper, decantando laudes divinas. Si autem homo in hoc mundo nolit præceptis divinis voluntariè ſervire , ſerviet DEO involuntariè : dum ex divina juſtitia , vel hic & in inferno ſimul , vel ſi non hic ſaltem in altero mundo in infernali ergaſtulo punietur. Undè rectè dicitur *in Pſal.* Ordinatione tua perſeverat dies & omnia ſerviunt tibi.

* * *
* *

LECTIO CLI.

TEXTUS.

Tu autem dominator virtutis cum magna tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos : ſubeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe. Docuiſti autem populum tuum per talia opera ; quoniam oportet eſſe juſtum, & humanum; & bonæ ſpei feciſti filios : quoniam judicans das locum pœnitentiæ in peccatis.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam ſufficienter actum eſt de Chanaozorum afflictione, ouoc agitur de Iſraëlitarum, ſeu Hebræorum per eaodem afflictionem inſtructiooe, dum nimirum Hebræi ex tali afflictione Chananæorum debuerunt animari ad confidentiam & ſpei conſolationem.

Porrò ad bonum judicem duo requiruntur .· nimirum primò quies, & turbationis ſedatio, nam turbati auimo rectè judicare oon poſſuot. Secundò requiritur moræ & deliberationis exſpectatio ; & quia Salomon vult oſtendere, quod Deus omninò has duas conditiones tanquam bonus Judex habuerit, ideò dicit ſic .· *Tu autem Dominator virtutis*, quia nimirum dator & rector es virtutis. *Cum magna tranquillitate judicas*, id eſt non ex paſſione iræ aut offenſæ, ſed ſine omni turbatione. Undè *Iſaia* 42. dicitur : In veritate educet judicium, & ooo erit triſtis, neque turbulentus.

Et quia etiam explicatio deliberationis ad bonum judicium requiritur, ideò etiam hæc in Deo eſſe perhibetur, licet Deus tanquam omniſcius & habens ſcientiam infinitam, mora & conſilio non indigeat. Et ad inſinuandum, quod Deus hanc moram ſervare videatur, legitur *Gen.* 9. Deſcendam. & videbo, utrum clamorem opere compleverint. Et ad propoſitum etiam in præſenti textu ſubditur ; *Et cum magna reverentia diſponis nos.* Eſt autem reverentia dilectio mixta cum pavore, & iſto modo ponit Deus malos & injuſtos ; cum qoadam exſpectatione & reverentia ut interim ſe emendent. Hujus autem exſpectationis cauſa ſubditur, dum dicitur : Nihil enim juſtitiæ deperit per moram tuæ exſpectationis.

Quia autem propter nimiam exſpectationem judicis ſubiodè fit, quod reus fugiat juriſdictionem judicis ; dum nimirum reus effracto carcere ſeſe v. g. ex Auſtria transfert in Italiam : vel certè ratione oimiæ exſpectationis reus poteſt fugere poteſtatem judicis, puta dum hujus officium judiciarium exſpirat, ita ut eum amplius punire noo poſſit. Veruntamen Domioo DEO tanquam ſupremo Domino, & ſupremo Judici, propter ſoam exſpectationem, neutrum poteſt cootingere, quia Deus omni tempore, & in omui quoque loco eſt Judex.

Et ideò ſubditur in Textu : *Subeſt enim tibi* (nimirum reus) *cùm volueris, poſſe* ; id eſt, reus peccator ubique eſt ſub maou tua, ut cùm volueris eum punire, poſſis hoc facere.

Et quia dictum eſt, quod bona doctrina ſeu loformatio conferatur Juſtis per malorum punitionem, ideò ſubditur in Textu : *Docuiſti enim populum tuum* (nimirum Iſraëliticum per talia opera, id eſt per tales afflictiones, quibus ſunt puniti Ægyptii & Chaoanæi à Deo) *quoniam oportet juſtum eſſe.* Et hoc benè debent advertere Prælati, qui noo debeot eſſe nimis remiſſi in regendo per nimiam diſſimulationem .· ſed ſubditis ſuis inculcare debent, quod ſint juſti & ſancti, ſicut & Pater eorum cœleſtis ſanctus eſt. Non tamen debent Prælati etiam eſſe nimis rigidi, tyrannicè ſuos affligendo ; & ideò ſubditur io Textu : *Quoniam oportet juſtum & humanum*, id eſt manſuetum & compatieotem eſſe ; juxta illud *ad Rom.* 6. Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Subditur : *Et bonæ ſpei filios, quoniam judicans das locum pœnitentiæ in peccatis.* Per quæ verba Spiritus ſanctus per os Salomonis omnes adhortatur, ut omnes ſint longanimes & conſtantes per bonæ ſpei conſolationem gloriæ cœleſtis adipiſcendæ. Circa hæc verba : *Et bonæ ſpei filios*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An ſpes noſtra conſiſtat in charitate adoptionis ; veritate promiſſionis ; & poteſtate redditionis?

DIco quod ſic. Ita explicat *ſanctus Bernardus* in quodam ſermone qui incipit .· Miſericòrdias Domini in æternum cantabo.

Explicatur prima pars. Quod ſpes ooſtra cooſiſtat in charitate adoptionis .· dum videlicet Deus oos adoptavit ſibi per gratiam in filios ſuos, & ita ſe Patrem noſtrum conſtituit. Undè *ſanctus Bernardus* ſuper Orationem Dominicam inqoit .· Mihi dicitur oratio, cujus principium dulce, nomine paterno ſequentium petitionum obtineodarum præſtat fiduciam. Et Gloſſa *Matth.* 6. Super hoc verbum *Pater* ait .· In hoc datur fiducia, quod negabit filius, qui jam dedit, quod Pater. Exemplum eſt de filio prodigo *Lucæ* 15. Ubi filius crimiuoſus ad Patrem redieos,

diens, cum amplexibus, & oſculis, conviviis & melodiis à Patre receptus eſt. Huc facit illud *ad Rom. 5.* Stamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

Explicatur ſecunda pars. Quod hominem ad ſpem bonam movere debeat veritas promiſſionis. Deus enim eſt, qui mentiri non poteſt, & iſte nobis promittit veniam peccatorum, poſt pœnitentiam ritè peractam, & gloriam cœleſtem: & pro hac aſſecuratione divinæ promiſſionis habemus totam ſacram Scripturam quaſi quandam ſyngraphum obligatoriam. Undè ad *Rom. 15.* dicitur: Per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habemus. Et *in Pſalm.* Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.

Explicatur tertia pars. Quod ſpem bonam in nobis cauſare debeat poteſtas redditionis. Deus enim eſt omnipotens ad ſervanda ſua promiſſa. Undè qui ſperat, in ipſo non confundetur. Huc facit illud *Eccl. 2.* Reſpicite filii nationes hominum, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt, permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt. Item ad *Rom. 5.* Spes non confundit. Et *in Pſalm.* In tè Domine ſperavi non confundar in æternum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An ſpes noſtra debeat eſſe ſicut anchora firmitatis; ne à fluctibus moveamur; ſicut mola veritatis, ne indebitè conteramur; & ſicut galea ſecuritatis, ne ab hoſte lædamur?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod ſpes noſtra debeat eſſe ſicut *Anchora firmitatis*, ne à fluctibus moveamur tentationum, & afflictionum hujus mundi, ita ut nonnunquam videamur nobis eſſe omni auxilio divino ac ſolatio deſtituti, cùm tamen Deus ſemper nobis adſit, tenens & confortans nos, ne prorſus corruamus. Huc facit illud ad *Hebræos 6.* Confugimus ad tenendum propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſpes noſtra debeat eſſe ſicut *Mola veritatis*, ne indebitè conteramur. Et quantum ad hoc dicitur *Deuter. 24.* Non accipies loco pignoris ſuperiorem, & inferiorem molam. Superior & inferior mola eſt Spes & Timor. Nam Spes ad alta ſublevat, & Timor ad inferiora premit. Una autem mola ſine altera nihil valet, id eſt, nec Spes ſine timore, nec Timor ſine ſpe aliquid utilitatis confert. Undè in pectore peccatoris ſemper debet Spes & Timor conjungi, quia fruſtra quis miſericordiam Dei ſperat, qui ipſius juſtitiam non timet, & in caſſum metuit, qui non ſperat. Qui ergo peccatorem ad ſalubrem pœnitentiam vult diſponere, tam ſpem quam metum ei inculcare debet. Eſt autem Spes, ſicut mola ſuperior, quia cor elevat per contritionem pro peccato, & dilectionem Dei ſuper omnia: Timor verò juſtitiæ eſt ſicut mola inferior, quæ comprimit cor, ne nimis exaltetur. In *Pſalm.* Ab altitudine diei timebo, ego verò in te ſperabo.

Explicatur tertia pars. Quod Spes noſtra debeat eſſe ſicut galea ſecuritatis, ne ab hoſte lædamur. Nam homo privatus iſta galea per deſperationem, omni vulneri tentationis occidirur, eo quod caput habeat inerme. *Ierem. 18.* Deſperavimus, poſt cogitationes ibimus. Et iſtam galeam ſpei ſemper debemus induere & portare nobiſcum; juxta illud Apoſtoli ad *Theſſal. 5.* Sumus induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpei ſalutis.

LECTIO CLII.

TEXTUS.

Si enim inimicos ſervorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciaſti attentione, & liberaſti, dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitia; cum quanta diligentia judicas filios tuos, quorum parentibus juramenta, & conventiones dediſti bonarum promiſſionum.

EXPLICATIO TEXTVS.

Cum oſtenſum ſit, quod Deus puniverit malos Chananæos cum mora & expectatione, non ſimul, ſed paulatim eos delendo, ut reſiduis daret occaſionem per pœnitentiam ad ſe redeundi; nunc oſtendit Salomon, quod Deus ſimiliter benignè agat cum filiis ſuis verum Dei cultum habentibus, ſi poſt culpam pœnitentiam agant, & veniam à Deo petant. Et hoc eſt totum, quod vult Textus allegatus. *Si enim inimicos ſervorum tuorum*, id eſt Chananæos verum Dei cultum non habentes; *& debitos morti*, puta propter ſua ſcelera; *cum tanta cruciaſti attentione*, id eſt paulatim & ſucceſſivè; *& liberaſti*, *dans tempus & locum*, *per quæ poſſent mutari à malitia ſua*? id eſt, dediſti reſiduis, poſtquam jam multi ex ipſis fuerunt morte puniti, ſpatium pœnitentiæ. *Cum quanta diligentia judicas filios tuos* (id eſt Iſraëlitas & alios verum Dei cultum habentes) *quorum parentibus juramenta, & conventiones dediſti bonarum promiſſionum.* Nam parentibus Iſraëlitarum, ut Abraham, Iſaac, & Jacob Deus per juramenta multas promiſſiones fecit. Occaſione hujus, ſit

* * *

ARTI-

ARTICVLVS VNICVS.

An ſit licitum jurare; & quæ conditiones requirantur ad hoc, ut juramentum ſit licitum?

D*Ico primò.* Quod Juramentum ſecundum ſe ſit licitum, & non malum uti quidam Hæretici dicebant.

Probatur primò; quia Deus invenitur in Scriptura ſac a ipſemet juraſſe; ut patet ex textu Lectionis. ubi dicitur: *Quorum parentibus juramenta, & promiſſiones dediſti.* Item *in Pſalm.* Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Et ad *Hebræos 6.* dicitur: Abrahæ, namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per ſemetipſum, &c. Item Apoſtolus *ad Rom. 1.* Juravit dicens: Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo. Et *2. Corinth. 1.* Teſtem invoco Deum in animam meam. Et *Deuteron. 6.* Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ipſius jurabis. Et *Matth. 5.* Reddes Domino juramenta tua.

Probatur ſecundò ratione. Quia cùm Juramentum ordinetur ad cõfirmationem vel probationem illius, quod homo dicit, nulla Deo irrogatur injuria: Ergo Juramentum eſt licitum ſecundum ſe, & non malum.

Probatur antecedens. Nam per hoc quod quis Deum invocet in teſtem ſui dicti veri, quod alii ex quadam obſtinatione credere nolunt, hinc jurando & Deum in teſtem vocando, ſolum vult monſtrare, quod Deus, qui eſt prima veritas mentiri non poſſit: in quo proindè, Deo non fit ulla injuria, ſed potius Deus tanquam prima veritas honoratur. Ergo

Confirmatur Juramentum tam ex parte ſuæ originis, quàm ex parte ſui finis eſt bonum, ergo eſt licitum. Probatur antecedens pro prima parte. Nam ex ſua origine Juramentum inductum eſt ex ſidei devotione; quia homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & generalem omnium proviſionem: Ergo Juramentum ex parte ſuæ originis eſt bonum. Probatur etiam antecedens pro ſecunda parte; quia Juramentum ex ſuo fine ordinatum eſt ad certificandum hominem de veritate, & ad finiendas controverſias inter homines, *ad Hebr. 6.* Ergo etiam Juramentum ex parte ſui finis eſt bonum, & conſequenter licitum.

Dico ſecundò. Ad hoc ut Juramentum ſit licitũ, requiritur Judicium, Juſtitia, & Veritas. Probatur ex illo *Ierem. 4.* Juravit, vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia. Quorum verborum ſenſus eſt quod per veritatem debeat caveri Juramentum mendax; per Judicium Juramentum incautum; & per Juſtitiam caveri debet Juramentum iniquum, vel illicitum. Undè ex parte jurantis debet præcedere judicium diſcretionis, ut non leviter, ſed ex rationabili vel neceſſaria cauſa juret. Ex parte autem Juramenti requiruntur duo, videlicet ne ſit falſum, ſeu ne lædat ſuper rem falſam, ſaltem ſecundum judicium conſcientiæ illius qui jurat. Deindè requiritur, ut Juramentum non fiat de re aliqua illicita, ut v. g. ſi quis juret, ſe velle alium occidere. In quo caſu peccat jurando ſe velle facere id, quod eſt illicitum, & iterum peccat, ſi obſervet. Et denique Juramentum tale non obligat. Undè rectè dicit *S. Iſidorus*: In malè promiſſis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretum.

Dico tertiò. Quod frequentia ſeu conſuetudo jurandi ſit homini valdè periculoſa, & parum reverentialis erga Deum.

Probatur prima pars. Quia homo facilè delinquit in verbo. Secundum illud *Iacobi 3.* Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Undè *Eccl. 23.* dicitur: Jurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. *Et ideò infallibile ſignum eſt magnæ levitatis, ſi homo habeat* jurandi frequentiam & *facilitatem.* Ergo homini frequentia & conſuetudo jurandi eſt periculoſa.

Probatur ſecunda pars. Quod Deo ſit parum reverentialis conſuetudo jurandi. Quia exigua eſſet reverentia, ſi quis ex quavis levi cauſa vellet ſemper virum honeſtum adducere pro teſte; Ergo multo minor reverentia eſt, ſi quis ex quavis levi cauſa Deum velit ſemper pro teſte adducere: Ergo jurans frequenter abſque neceſſitate eſt parum reverentialis erga Deum.

Dices primò Matth. 5. dicitur: Ego dico vobis non jurare omninò. Item *Iacobi 5.* Ante omnia fratres mei nolite jurare. Item *Matth. 5.* Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt, non, non, quod autem amplius eſt, à malo eſt. Ergo nullo modo licitum eſt jurare.

Reſpondetur omnia loca intelligenda eſſe, ſi deſint illæ conditiones in concluſione ſecunda aſſignatæ, quia alias Juramentum eſt licitum. Undè ſenſus illius anthoritatis adductæ: *Nolite jurare omninò*, eſt iſte: Nolite jurare omninò, id eſt paſſim aſſueſcendo ad Juramenta; vel non ſit facilis ad jurandum: vel Nolite jurare abſque neceſſitate, vel utilitate. Et *S. Auguſtinus* exponens illum locum *Matth. 5. Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt, non, non, quod autem amplius his eſt, à malo eſt*, ſic dicit: Si jurare cogeris ſcias de neceſſitate eorum venire, quibus aliquid ſuades, quæ utique infirmitas malum quoddam eſt. Tu etiam benè facis, qui benè uteris curatione, ut alteri perſuadeas, quod utiliter ſuades. Sed à malo eſt illius, cujus infirmitate cogeris jurare.

Dices ſecundò S. Auguſtinus, in quodam ſermone ait: Quod nulla juratio *ſit ſecura.* Ergo non eſt licitum jurare. Item *Eccl. 3.* dicitur: Omnis jurans & Deum nominans, in toto non purgabitur à peccato. Ergo illicitum eſt jurare. Reſpondetur *S. Auguſtinum* ibi loqui de homine garrulo, & habente conſuetudinem jurandi, cujus Juramentum non eſt ſecurum ob præcipitantiam linguæ, cui ſæpè admiſcentur mendacia, prout in ſecunda concluſione dictum eſt. Similiter dicendum eſt ad alterum ex *Eccleſiaſtico*, quod ibi ſit ſermo de illo, qui habet conſuetudinem jurandi ſenſu jam explicato.

* * *
* *

LECTIO

LECTIO CLIII.

TEXTUS.

Cum ergo nobis diſciplinam das, inimicos noſtros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes, & cum de nobis judicatur, ſperemus miſericordiam tuam. Unde & illis, qui in vita ſua inſenſatè & injuſtè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta. Etenim in erroris via diutius erraverunt, Deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus (vel ſecundum aliam litteram in manibus) ſunt ſupervacua, infantium inſenſatorum more viventes: propter hoc tanquam pueris inſenſatis judicium eis in deriſum dediſti.

EXPLCATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Spiritus ſanctus quod ex malorum flagellatione nobis etiam detur ſpes futuræ gloriæ. Et circa hoc duo facit. Nam primò oſtendit, quale Deus judicium exercuerit circa peccatores corrigibiles; & econtra quale judicium exercuerit circa peccatores incorrigibiles: & ſpecialiter contra Chananæos, quos expulit à facie Hebræorum. Et ideò demonſtrat, quod ſicut peccatores incorrigibiles non ſolum puniuntur in præſenti, ſed etiam in futuro: ita econtra peccatores corrigibiles hic puniuntur, & facta correctione & pœnitentia ſalvantur ibi in æterna gloria.

Dicit ergo ſic: *Cum ergo nobis*, (id eſt, te verum Deum colentibus) *diſciplinam das* (puta diſciplinam verborum, vel aliam afflictionem) *inimicos noſtros* (qui nimium etiam ſunt tui inimici) *multipliciter flagellas*; juxta illud Pſalm. Multa flagella peccatoris. *Ut bonitatem tuam* (qua omnibus te communicas ſecundum diverſarum naturarum capacitatem) *cogitemus judicantes*, alios eſſe incorrigibiles ad tua flagella. *Et cum de nobis judicatur* (id eſt exercetur judicium, ſive juſtè ſive injuſtè, ſive à Deo ſive ab hominibus) *ſperemus miſericordiam tuam*, (juxta illud *Iob* 13. Etſi me occidat, in ipſo ſperabo) miſericordiam videlicet ab omni pœna liberantem: quam tamen miſericordiam non experientur immiſericordes, juxta illud Jacobi 2. Judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non facit miſericordiam.

In ſequentibus verbis oſtenditur, qualiter Deus puniverit peccatores incorrigibiles, & ſpecialiter Chananæos, quos expulit ex facie Hebræorum; illi enim Chananæi fuerunt idololatræ, qui coluerunt imagines animalium uti ſupra dictum eſt: & ideò Deus meritò illos per animalia vilia voluit exterminare, propter quod ſubditur in textu.

Unde & illis, qui in vita ſua inſenſatè (puta contra Deum & ſe ipſos) *& injuſtè vixerunt*, (tam contra Deum quam contra proximum) *per hæc, quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta*: quando nimirum per veſpas & muſcas & alia viliſſima animalia eos interfeciſti.

Etenim iſti (id eſt Chananæi) *in erroris via* (id eſt in idololatria) *diutius* (id eſt per multum temporis) *erraverunt* (errore negligentiæ, quia noluerunt ſe corrigere, nec ad verum Deum converti,) *Deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus ſunt ſupervacua*, id eſt animalia nociva & inutilia, ut ſunt dracones, ſerpentes, talpæ & ſimilia. Vel *Deos æſtimantes, quæ in manibus ſunt ſupervacua*; id eſt, quæ ab operibus humanis, vel per manus hominum fiunt, *ſunt ſupervacua*, & inutilia quædam remanentia: ſicut carpentarius, vel faber lignarius extremitates lignorum ſuccendit, quando ſibi non poſſunt amplius ſervire. Et de talibus à carpentario abjectis truncis lignorum, format ſibi poſtea ſculptor aliquas imagines, prout libet ſibi. Unde *Iſaia* 25. dicitur: Artifex lignarius ſumpſit ex lignis ſaltus, & calefactus eſt, & ſuccendit, & coxit panes. De reliquo autem operatus eſt Deum, & adoravit; fecit ſculptile ſibi, & incurvatus eſt ante illud; medium ejus combuſſit igni, & de medio ejus carnes coxit. Et infra: Reliquum autem ejus, Deum fecit, & ſculptile ſibi; curvatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat illud dicens: Libera me, quia Deus meus es tu; Talia ergo ſculptilia coluerunt Chananæi. Sequitur in textu allegato, *Infantium inſenſatorum* (id eſt, uſu rationis carentium) *more viventes*: pueri enim inſenſati faciunt ſibi puppas, & diverſas imagines pueriles, & ludunt cum eis.

Et ideo merito tu Deus dediſti eis judicium in deriſum, tanquam pueris inſenſatis: quia Chananæi ſatis deriſibiles efficiebantur, quando per ciniſes, muſcas, & ranas, urſos, & leones, exterminabantur. Circa illa verba, *ſperemus miſericordiam*. Sit

ARTICULUS UNICUS.

An divinam miſericordiam debeamus ſperare imminente tempeſtate temporalis tribulationis, accedente neceſſitate corporalis diſſolutionis, & ſuperveniente perplexitate criminalis deſparationis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod miſericordiam divinam debeamus ſperare nobis facilè affuturam, imminente tempeſtate temporalis tribulationis. Unde in Pſal. dicitur: Quoniam in me ſperavit, liberabo eum; & protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Exemplum hujus habemus in vita S. Martini, qui cum incidiſſet aliquando in latrones, & unus eum ferire vellet, alius ictum ferientis impedivit & continuit. Et cum poſtea latrones ab eo quærerent, an timeret, reſpondit ſe nunquam magis ſecurum fuiſſe, quia ſciebat miſericordem Deum in tali anguſtia ſtatim affuturum. Summa cautela antiquorum militum fuit, quod omnia, quæ videbantur ipſis adverſa accidiſſe, interpretati ſint pro bonæ ſpei argumento, ut teſtatur *Sextus Iulius lib. 1. Stratagematum cap. 1.* Unde cum *Scipio Africanus*, ex Italia in Africam exercitum adduxiſſet, & ipſe de navi deberet deſcendere, cecidit in terram; Videns Scipio, quod milites

propter ſuum caſum in terram, fuiſſent attoniti, materiam ſpei fecit ipſis, dicens: audite milites, Africam cadendo in terram Africanam oppreſſi. Similiter *Cajus Cæſar* cum aſcenſurus in navem caderet in terram, & milites exinde eſſent turbati, voluit eos bona ſpe animare, & dixit: Teneo inquit, te terra mater mea. Quaſi diceret, non ſic à te recedo, quia iterum ad te ſum reverſurus poſt bellum: & ſic per iſta verba milites ſuos bene ſperare fecit, inſinuando, quod in terram propriam ſeu in patriam fœliciter ſit poſt bellum rediturus. Sic etiam viri ſancti, omnia terribilia, quæ ipſis accidunt vel ex malorum perſecutione, aut ex corporis infirmitate, interpretantur in bonam partem, ſcientes benè, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Ita ut quanto major terror mundanus ipſis incutitur, tantò magis ipſorum ſpes creſcat in Deum. Juxta illud Job 13. Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum.

Explicatur ſecunda pars. Quod debeamus ſperare miſericordiam divinam accedente neceſſitate corporalis diſſolutionis. Undè *Prov.* 14. dicitur: Sperat juſtus in morte ſua. Et *Ariſtoteles lib. de pomo & morte* ait: Non eſt Philoſophi timere mortem, ſed magis gaudere, & bonæ ſpei eſſe imminente morte. Et hoc idem *Ariſtoteles* ſuis diſcipulis perſuaſit dicens, quam mortem timetis? quæ via eſt, & inceſſus animæ ad illud, quod maximè concupivit. Præterea *Ariſtoteles* moriturus allocutus eſt ſuos diſcipulos dicens: Quæro à vobis, utrum mors ſit aliquid aliud, quàm receſſus animæ à corpore? Qui reſponderunt quod non. Corpus enim nihil audit vel videt niſi per animam, ſed conſentit delectationibus & paſſionibus, quæ ſunt contraria appetitui animæ, in eo, dum vult aſcendere ad gradus rectos & bonos. Tunc Ariſtoteles ſubjunxit: Quare ergo doletis, ſi anima recedat ab eo, quod eſt contrarium ſuæ perfectioni, & deſiderio? Et ideo cum facies *Ariſtotelis* morituri eſſet jucunda, dixit iteratò diſcipulis ſuis, non cogitatis in cordibus veſtris, quod ego lætor, eo quod ſperem evadere de infirmitate mea? Quoniam bene ſcio me modo moriturum, & niſi eſſet hoc pomum, quod in manu mea teneo, & quia odor illius me confortat, & aliqualiter prolongat vitam meam, jam exſpiraſſem, ſed anima ſenſitiva, in qua communicamus cum beſtiis, fovetur odore bono. Et ego lætor, quod recedam ex hoc ſæculo. Tandem cadente pomo de manu, Ariſtoteles mortuus eſt; pro quo aliì Philoſophi oraverunt dicentes: ille, qui ſuſcipit animas philoſophorum, ſuſcipiat animam tuam. Huc facit illud *Iſa.* 40. Qui ſperat in Domino, mutabit fortitudinem: per mortem videlicet tranſeundo ad vitam.

Explicatur tertia pars, quod debeamus ſperare miſericordiam divinam ſuperveniente perplexitate criminalis deſperationis. Unde *Eccl.* 2. dicitur: Scitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Unde ſicut infirmis multum conducit ad ſanitatem recuperandam, ſi ſint bonæ ſpei, ita etiam peccatoribus pro ſalute animæ valde proficuum eſt, ſi habeant magnam confidentiam ad Dominum Deum & miſericordiam ipſius. Huc facit illud metricum:

Speret, qui metuit, morituros vivere vidi,
Spe duce, victuros, ſpe moriente mori.

Undè *S. Bernardus in quodam ſermone* ait: Tu es Domine ſpes mea, quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine ſpes mea, hæc mihi una omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ exſpectationis. Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe jactet pondus diei & æſtus, jejunare ſe bis in Sabbatho dicat, poſtremò non eſſe ſicut ſicut cæteri hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo meo ſpem meam. Et infra: Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda ſperabo; ſi ſurgant adverſum me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat, in te ſperabo. *Hæc S. Bernardus*, allegans pro ſe illud *Pſalmi*: Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

LECTIO CLIV.

TEXTUS.

Qui autem ludibriis, & increpationibus correcti non ſunt, dignum Dei judicium experti ſunt. In his enim quæ patiebantur, moleſtè ferebant, in quibus patientes indignabantur. Per hæc, quos putabant Deos, in ipſis, cum exterminarentur, videntes illum, quem olim negabant ſe noſſe, Deum non cognoverunt; propter quod & finis condemnationis illorum veniet ſuper illos.

EXPLICATIO TEXTUS.

In hac Lectione oſtendit Salomon, quod Deus ſit rigidus contra eos, qui contemnendo ſua flagella, ſe non emendant. Dicit ergo: *Qui autem ludibriis & increpationibus non ſunt correcti, dignum Dei judicium experti ſunt.* Ludibrium eſt res aliqua, vel potius pœna, quæ riſum & contemptum invehit illius perſonæ, cui pœna infligitur. Et quia Deus Chananæos ſic afflixit & exterminavit per veſpas, & muſcas, ut meritò illos irridere, & contemnere potuerint *Iſraelitæ*, ideo dicitur Deus eos *ludibriis affeciſſe, & increpationibus*, per verba nimirum ſervorum ſuorum eos monendo. Et quia Chananæi ad has pœnas ſe non emendarunt, ideo *dignum Dei judicium experti ſunt.*

Nam primò cum affligerentur, murmurarunt, & contra ſe indignati ſunt; Secundò ex falſis Diis, quos ſub ſpecie animalium coluerunt, deducti ſunt ad veram Dei cognitionem. Nam quando ipſi idololatræ affligebantur, clamarunt pro ſua liberatione ad ſuos Deos, quos colebant. Et quia Dii eorum ficti erant impotentes ad ferendum ipſis auxilium, reducti ſunt ad cognoſcendum verum Deum, quem olim negabant ſe noſſe; quia ſecundum *S. Gregorium*, Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Propter quod etiam *finis condemnationis eorum veniet ſuper illos*; id eſt finalis condemnatio; quæ in inferno fine carebit. Circa illa verba, *Negabant ſe noſſe Deum.* Sit

ARTCVLVS VNICVS.

An avari pecunioſi; ſuperbi præſumptuoſi; & perjuri malitioſi, negent in facto ſe Deum noſſe.

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod avari pecunioſi facto negent Deum, quatenus eſt charitas. Chriſtus enim talibus avaris, & tenacibus divitibus apparet in forma pauperis, oſtendens eis ſuam indigentiam, & petens ab eis charitatem ſeu ſubſidium aliquod charitativum. Iſtum autem pauperem ne quidem aſpiciunt. ſed contemnunt tanquam eum non noſcant: & ita Chriſtum in forma pauperis apparentem, agnoſcere recuſant. Neque tales poterunt ſe excuſare dicendo, Domine tu nobis apparuiſti in aliena effigie, & ideò mirum non eſt, quod te non agnoverimus. Non inquam hoc modo avari ſeſe poterunt excuſare, quia ſunt præmoniti de hoc, quod Chriſtus in tali forma apparebit ſæpius; unde dixit Salvator noſter: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Veruntamen ſicut iſti tenaces modo Chriſtum non agnoſcunt ſed negant; ita etiam Chriſtus in extremo judicio ipſos non noſcet, ſed dicet illis illud *Matth. 25.* Neſcio vos. Et illud *Matth. 10.* Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſuperbi præſumptuoſi & audaces negent Deum, quatenus eſt bonitas. Et tales ſuperbi, & præſumptuoſi audaces ſunt illi, qui in propria fortitudine confidentes, non implorant divinum auxilium, nec ſe recommendant Deo, & prava conſortia non devitant; & ideo mirum non eſt, ſi tales labantur: forte autem lapſi non eſſent, ſi diligenter oraſſent illud, quod Chriſtus nos orare quotidie docuit, nimirū ut dicamus ad Patrem cœleſtem. Et ne nos inducas in tentationem *Matth. 6.*

Horum præſumptuoſorum figuram geſſit *Petrus.* qui propriæ infirmitatis ignarus dixit Chriſto: Etiamſi oportuerit me mori tecum non te negabo *Matth. 26.* Ipſe tamen Petrus eadem nocte veniens ad conſortium aliorum curialium & mulierum, ter Chriſtum negavit.

Tales etiam ſuperbi ſunt illi, qui videntes aliquem peccare contra caſtitatem, mox eum contemnunt. cum tamen illi vel minima tentatione vexati ſuccumbant. Unde propriæ virtuti non oportet confidere, nec alium peccantem ſpernere, juxta illud: Qui ſtat, videat ne cadat. Et ideo ſancti viri continuò implorant auxilium Dei pro vincendis tentationibus: & omnes victorias, quas contra hoſtem reportant, non virtuti propriæ, ſed Deo duntaxat adſcribunt. Talis Sanctus qui ſuæ virtuti nihil, & Deo omnia ſoli adſcripſit fuit Job: unde *dixit 31. cap.* Si oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima & negatio contra Deum. Super quæ verba dicit *Gloſſa Gregorii*: Oſculari manum, eſt bona naturæ vel gratiæ conceſſa à Deo meritis humanis tribuere. Unde qui bona opera faciunt, & illa Deo non attribuunt, ſed virtuti naturali vel privatæ, & potentiæ propriæ, hi Deum, qui eſt prima bonitas, & à quo omnia bona derivantur, negant.

Explicatur tertia pars. Quod perjuri malitioſi negent Deum, quatenus eſt veritas; cujuſmodi ſunt falſi teſtes, & falſi advocati, & falſi judices: qui ſcienter veritatem negant. Chriſtus autem eſt veritas ipſa ut dicitur *Ioan. 14.* Unde qui interrogantur tanquam teſtes à judice, ut dicant veritatem, & tamen illam corrupti pecunia negant, non ſolum negant Chriſtum, ſed etiam eundem vendunt. Unde Gloſſa ſuper illud *Matth. 26.* Exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet, ſic ait: Multi per munera falſum teſtimonium dicunt, & Deum, qui veritas eſt, vendunt. Talium autem falſorum teſtium figuram geſſerunt Judæi, quibus S. *Petrus* dixit *Act. 3.* Deus glorificavit Filium ſuum JEſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis an faciem Pilati, judicante illo dimitti.

Huc etiam pertinent falſi judices qui ſcienter veritatem ſubvertunt, & judicant pro muneribus, illud quod ſciunt eſſe falſum: vel quando ex timore & minis aliorum à recto tramite veri judicii recedunt. Sic fecit Pilatus, qui audito iſto verbo à Judæis, Si hunc (nimirum JEſum) dimittis, non es amicus Cæſaris. Timuit, & à dictamine propriæ conſcientiæ receſſit. Et quamvis ſciverit non eſſe conveniens teſtimonium Judæorum accuſantium Chriſtum, nihilominus ex timore jam ante flagellatum, & ſpinis coronatum, tradidit voluntati eorum, id eſt Judæorum, In quo Pilatus graviſſimè deliquit.

Ad hanc quoque liſtam perjurorum, malitioſorum & falſorum hominum ſpectant falſi advocati, qui verbis ſe dicunt noſſe Deum, ſed factis negant. Unde & iſti non ſolum negant ac reprobant veritatem, ſed etiam falſitatem ſub colorato pallio veritatis producunt, & pertinaciter in damnum ſui proximi defendunt. Et de his verificatur illud *Apoſtoli ad Tit. 1.* Ingratæ ſunt viæ illorum, & mens, & conſcientia: confitentur autem verbis ſe noſſe Deum, & factis negant.

Tales falſos Advocatos polchrè deſcribit *Sidonius* in quadam Epiſtola his verbis. Hi ſunt in conviviis ſcurræ; in exactionibus harpiæ in collocutionibus beſtiæ; in quæſtionibus ſtatuæ; ad intelligendum ſaxei; ad judicandum lignei; ad dignoſcendum ferrei; ad injurias pardi; ad facerias urſi; ad fallendum vulpes; ad ſuperbiendum tauri; & ad conſummandum minotauri. Hæc ille.

Iſtis Advocatis falſis nihil placet niſi pecunia; unde *Alanus in lib. ſuo de conqueſtu naturæ* inquit: In tantum habendi pecuniam fames invaluit, ut ſit muta Dialecticæ ſubtilitas, Rhetoricæ langueſcat civilitas, ubi nummorum perorat pluralitas Si enim in aure Judicis. vel Advocati ſuſurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, & Muſæ Virgilii, pecuniæ voce ſuffocantur. Quid plura? Ubi nummus loquitur, Tulliani eloquii lingua muteſcit; ubi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea; nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat univerſis. Hæc *Alanus.* Iſtis autem advocatis fallacibus (uti dicit *S. Ambroſius* in quodam ſermone) juſtè dicitur illud: Redde quod accepiſti, & contra veritatem dixiſti, iniquitati adfuiſti, judicium fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, & de falſitate dixiſti.

vernalium florum mutabilitate ſugacior. Quod ſi (ut ait: *Ariſtoteles*) homines linceis oculis uterentur, ita ut eorum viſus obſtantia & occulta quæque penetraret, nonne introſpectis viſceribus, illud ipſum, quod ſuperficialiter pulchrum corpus eſſe putatur, turpiſſimum eſſe comprehenderetur? Ergo te pulchrum videri non tua natura, ſed oculorum ſpectantium reddit infirmitas: Sed æſtimate quantumvis velitis hæc corporis bona, ecce hæc omnia tridnanę febris igniculo poſſunt diſſolvi. Hæc *Boëtius.*

Refert *Ovidius 3. Metamorphoſeos* quod *Narciſſus* fuerit puer à teneris annis ita pulcher, ut ſtatim ab omnibus fuerit amatus; parentes autem ejus interrogaverunt vatum aliquem, num filius ſuus *Narciſſus* diu eſſet victurus? Qui reſpondit, diu viveret, ſi ſemetipſum non noverit. Itaque *Narciſſus* adoleſcentior factus tantam de ſe concepit ſuperbiam, ut ratione ſuæ pulchritudinis, omnium tam puerorum quam puellarum contempſerit amorem. Tandem quodam die fatigatus ex venatione venit ad fontem ſitis extinguendæ cauſa; in limpidiſſima verò aqua fontis illius. vidit tanquam in ſpeculo ſuam effigiem: Unde *Narciſſus* ſpeciem ſuæ imaginis videns, conſideravit frontem, oculos, crines, labia, genas, & amore iſtius ſuæ propriæ imaginis adeò captus eſt, ut extendendo brachia ſua eandem voluerit amplecti, ſed nihil deprehendit niſi ſolam aquam. Obtulit deinde ſuæ imagini oſcula, & imago reciprocè ei oſcula offert: ridet illo ridente, & denique omnes geſtus, quos alter facit, imitatur. Sic ergo *Narciſſus* ex amore ſui ipſius langueſcens defecit, & in florem ſui nominis converſus eſt.

Applicatio moralis. Iſte *Narciſſus* propter ſpeciem ſuam ſuperbiens, deſignat verè gloriantes de pulchritudine ſui corporis: qui certe ob inordinatum amorem ſuæ pulchritudinis langueſcendo deficiunt: & dum *homines* eſſe deberent, fiunt inutiles flores. Unde *in Pſ* 40. dicitur: Omnes caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Et tales homines vanè de ſua pulchritudine ſuperbientes, diu viverent vita gratiæ, ſi ſemetipſos non noſcerent inordinatè, convertendo ſe ſolùm ad pulchritudinem corporis, & non ad pulchritudinem animæ, quæ cuivis homini ineſſe deberet.

Explicatur ſecunda pars. Quod multum errent, qui libidinosè delectantur in ſpecie aliena. Unde ille ſenex, cui dixit Daniel, ſemen Chanaam & non Juda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum. Dum vidiſti Suſannam quæ erat delicata nimis, & pulchra ſpecie, *Danielis* 13. Sic etiam Holoſernes occiſus fuit, dum incautè Judithæ ſpeciem contemplatus eſt. Nam Judith in ſpecie faciei ſuæ diſſolvit illum. *Iudith* 16. Unde *Iudith* 10. ſcribitur, quod dum ipſa oraſſet ante faciem ejus, ſtatim captus eſt ſuis oculis Holoſernes. Sic etiam David captus eſt in pulchritudine Berſabeæ 2. *Reg.* 11. Et ideo ſignanter dicitur *Eccl.* 9. Ne circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem enim mulieris perierunt multi, & ex hoc concupiſcentia tanquam ignis exardeſcit. Pro quo ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum nihil ſit potentium ſubvertere cor humanum, quàm concupiſcentia, & amor ſpeciei?

DIco quod nihil ſit potentius pro ſubvertendo corde humano, quam concupiſcentia & amor ſpeciei ſeu formoſitatis & pulchritudinis.

Explicatur aſſertio, *Quia pulchritudo fœminæ trahit ad ſe cor viri, ſicut hamus piſcem*: & ideo, dum *mulier pulchra conſpicitur*, ipſa quaſi *ex oculis & multo magis ex facundia oris ſui immittit quaſi quaſdam ſagittas amoris, quibus cor viri vulnerat, ſibique* conſtringit.

Ob hujus rei figuram fingunt Poëtæ quod *Alexander* filius *Priami* vocatus fuerit Paris, à paritate judicii. Unde ad ipſum miſſæ fuerunt, Juno, Pallas, & Venus, ut inter eas diſcerneret cui pomum aureum deberetur: quod pomum miſit Dea diſcordiæ, & caſu cecidit inter eas. In iſto pomo erant inſcripta hæc verba: Pulchrior me habebit. Certabant ergo iſtæ aliæ tres Deæ, nimirum Juno, Pallas, & Venus, pro habendo hoc pomo. Et quidem Juno promiſit divitias & regnum; Pallas Laudem militiæ; Venus verò promiſit pulcherrimam ex Græcia mulierem. Iſte ergo Alexander ſeu Paris non obſtante judicii ſubtilitate, fuit à concupiſcentia devictus, & pomum illud aureum adjudicavit Veneri. Ecce quomodo amor mulieris pulchræ, vulneraverit cor ſapientis Alexandri, & illud devicerit.

Quamvis autem ſit in rebus temporalibus vel etiam carnalibus aliqua delectatio, hæc tamen nunquam eſt ita pura, quin eam præcedat aliqua triſtitia vel ſequatur. Et ita videmus quod hauſtus vini non ſit homini delitioſus, niſi dum præceſſit ſitis: Dum autem jam ſatis bibit, non ſentit amplius delectationem in bibendo. Idem eſt in quiete, quæ tunc delectat, quando præceſſit fatigatio, dum autem homo abundanter quievit, non amplius delectatur quiete, ſed quærit motum. Similiter in venere, homo delectatur actu libidinoſo, poſtquam multis precibus eum impetravit à fœmina, quando autem illum conſummavit ad ſatietatem, non amplius delectatur. Unde ait *Ariſtoteles*, quod omne animal poſt coitum triſtatur. Similia exempla habentur in omnibus delectationibus corporalibus & temporalibus, quibus ſemper moleſtia aliqua vel triſtitia, antecedenter, vel concomitanter eſt annexa. Unde dicit *Ariſtoteles*: quod nihil idem manens, idem ſit nobis ſemper, & pro ſemper delectabile; & hoc ideo: Quia homo continuò mutatur. At vero quia Deus eſt natura ſimplex, & invariabilis ut dicit *Ariſtoteles*: Ideo ſemper gaudet una, & ſimplici delectatione, quam habet in contemplatione ſui ipſius. Dum ergo nos ad ſtatum divinum deveniemus per glorioſas dotes corporis & animæ, erit delectatio noſtra ſemper una, uniformis & perpetua; juxta illud *Pſal* Adimplebis me lætitia, cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem.

LECTIO

LECTIO CLVII.

TEXTUS.

Sed tamen in his minor adhuc eſt querela, & hi etiam fortaſſe errant, Deum quærentes & volentes invenire. Etenim cum in operibus illius converſentur, & inquirunt, & perſuaſum habent, quoniam bona ſunt, quæ videntur, iterum tamen nec his debet ignoſci; ſi enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon oſtendit viam & modum, per quem gentiles Philoſophi poterant in cognitionem Dei venire, nunc oſtendit quod de ſua negligentia nullam habeant excuſationem. Dicit ergo: *Sed tamen adhuc in his* (nimirum gentibus quæ coluerunt corpora cæleſtia, ſolem & lunam tanquam ſuos Deos) *minor eſt querela*: minor inquam quam de illis, qui coluerunt ſtatuas à ſe ſculptas & fictas. *Et hi enim* (ubi ly *enim* ponitur pro *quia*) *fortaſſe errant* (ubi ly *Fortaſſe*, accipitur pro infallibiliter, ſeu certò, pro ut etiam accipitur in *Evangelio*, dum Chriſtus dixit Judæis, ſi cognoviſſetis me, *forſitan* & Patrem meum cognoviſſetis, ubi ly *forſitan* ponitur pro ly *certò ſeu infallibiliter*) itaque ſenſus verborum allegatorum eſt. *Et hi, quia certò errant Deum quærentes*; ſupple, ineptè quærentes; putabant enim Deitatem ineſſe corporibus cæleſtibus, Soli, Lunæ, & ſtellis: & quia ſic ineptè quæſiverunt Deum, non valebant eum invenire. Et ideo excuſationem tales gentiles Philoſophi adducere non debent, ſe inculpabiliter ignoraſſe Deum, ſi enim debitè Deum quæſiviſſent, ſine dubio ipſum inveniſſent, prout ex dicendis patebit. Et ut iſtam excuſationem, quam gentiles Philoſophi adducere poſſent, ſe inculpabiliter ignoraſſe Deum, Salomon magis refutet; ideo ſubdit in Textu; *Etenim cum in operibus illius converſentur, & inquirant*; Et ſic continuò verſentur in ſtudio *de operibus ipſius*, id eſt Dei, v. g. conſiderando naturas lapidum, herbarum, influxum cælorum in hæc inferiora: ideò clarè ſequitur ex dictis & factis iſtorum Philoſophorum, *Quod perſuaſum habeant* (id eſt ratum, & per rationem probatum) *quoniam bona ſunt quæ videntur*, nimirum iſta ſenſibilia, ut lapides, herbæ, &c.

Iterum tamen nec his debet ignoſci; ubi ly *tamen*, idem valet ac. *Sed*, ſenſus eſt: *ſed* nec his debet ignoſci ipſorum ignorantia de Deo, nec debent pro excuſatis haberi; cujus rationem ſubdit Salomon dicens: *Si enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum, quomodo Dominum hujus non facilius invenerunt?* Quaſi dicat: Mirum eſt, quod iſti Philoſophi qui fuerunt ſubtilis ingenii, tantam habuerint cognitionem rerum ſenſibilium & earum effectuum, & non cognoverint cauſam omnium rerum univerſalem, quam tamen facile habere poterant cognoſcendo nimirum, an ſit Deus? Quamvis quid ſit Deus majoris indaginis ſit.

Adde quod antiquos Philoſophos præceſſerint Prophetæ & Patriarchæ, qui tam verbo quã ſcripto Dei notitiã alios docuerunt; à quibus deinde facilè notitia ad alios etiã Philoſophos poterat devenire: quẽadmodũ ſcientiæ Adamo infuſæ, & aliis communicatæ, rurſus ad alios devenerunt, ut loquitur *S. Aug. lib.* 18. *de Civ. Dei cap.* 38. Adeoque Philoſophi gentiles, non poterant ſe excuſare, quod ignorantiam Dei inculpabiliter habuerint. Circa illa verba, Dominum non invenerunt, ſit.

ARTICULUS UNICUS.

An Deus ubique per gratiam ſuam inveniatur?

DIco primò. Deus per ſuam gratiam non invenitur in laſcivus voluptatis, nec in divitiis inordinatæ veritatis.

Explicatur prima pars. Quod Deus non inveniatur in laſciviis voluptatis. Unde *Iob.* 28. dicitur: Non invenitur in terra ſuaviter viventium. Et *Cant.* 3. In lectulo meo per noctem quæſivi, quem diligit anima mea: quæſivi eum & non inveni. Præterea laſcivia voluptuoſa contrariatur ſummæ bonitati Dei, quæ omnem immodeſtiam excludit. Contrariatur etiam ſummæ puritati Dei, quæ nihil per laſcivas voluptates coinquinatum ſecum, & cum gratia ſimul ſtare permittit.

Explicatur ſecunda pars. Quod Deus per gratiam ſuam non inveniatur in divitiis inordinatæ vanitatis. Unde *Oſee*, 5. dicitur: In gregibus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient. Dixi autem in divitiis inordinatæ vanitatis, ut inſinuem, quod divitiæ abſolutè loquendo, non repugnent Gratiæ divinæ. Unde Abraham, Iſaac Jacob, & David, & multi ſancti Reges, & principes fuerunt divites; qui tamen gratiam Dei habuerunt, nec per amorem à Deo receſſerunt, nec ſperarunt in pecuniæ theſauris: ſed ex ſibi abundantibus divitiis pauperibus benefecerunt. Audiant autem divites avari, aurum ſuum velut Deum ſuum adorantes, illud ſcripturæ: Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere: id eſt, nolite ita inhærere veſtris divitiis ut Dei obliviſcamini, à quo bona cuncta procedunt.

Dico ſecundò Deus invenitur Primò in præſepio paupertatis pannis involutus. *Lucæ* 2. Invenietis infantem pannis involutum & poſitum in præſepio. Secundò invenitur in domo mundæ conſcientiæ. *Matth.* 2. Intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus. Et tertiò invenitur Deus in templo devotæ contemplationis. *Lucæ* 2. Poſt triduum invenerunt eum in templo.

LECTIO CLVIII.

TEXTUS.

Infælices autem ſunt, & inter mortuos eſt ſpes illorum, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum artis inventionem, & ſimilitudinem animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus reprobavit idololatras colentes naturales creaturas; nunc in iſta lectione reprobat idololatras, qui colunt imagines & artificiales figuras à ſe factas, vel ex luto, vel ex ligno, vel ex alia materia.

Dicit

tiatorin taliter. ut imagines illæ fuerint de ligno olivarum; *Secundò* habebant Angeli alas expanſas; *Tertiò* habebant pedes obliquos & elevatos, quaſi ad ambulandum paratos; *Quartò* iſti Angeli verſis vultibus ſe mutuò reſpiciebant. Itaque primò fuerunt iſti Angeli de lignis olivarum; antiquitùs enim Angeli fuerunt quaſi ferrei propter incompaſſionem, & duritiem, qua hominibus non compatiebantur: nunc autem ſunt ex lignis olivarum, quia ſunt mites & miſericordes. Præterea Angeli prius habebant alas demiſſas, quia quaſi invitè, & cum difficultate veniebant ad homines: ſed modo citò ad nos veniunt, & ideò habent alas expanſas. Item Angeli olim ſoli Deum laudabant, ſed modò in laudando Deum ſeſe hominibus aſſociant; olim naturam noſtram quaſi infirmam parum æſtimabant, modò autem videntes ipſam naturam humanam à Chriſto Domino eſſe aſſumptam, rapiuntur in admirationem, & ideò ſe mutuò reſpicere dicuntur.

Explicatur tertia pars. Quod per pœnitentiam noſmetipſos reformemus. *Boëtius* dicit. *Lib. 4. de conſolatione*, quod homo ſecundum varia vitia in naturam quaſi beſtiarum tranſmutetur. Undè inquietus in lingua comparatur cani; callidus inſidiator vulpi; acedioſus aſino, &c. Et ratio hujus eſt, quia anima hominis eſt ſicut cera mollis, quæ recipit formam cujuſcunque rei vel ſigilli, cui applicatur: ex quo fit, quod ſi applicetur ſigillo, in quo inſculptus eſt lupus, recipit formam lupi, & ſic de aliis. Et iſto modo anima rerum illarum, quibus ſe per amorem applicat, effigiem induit, & in illas ſe transformat. Pulchrè ad propoſitum *Hugo de Arra animæ* ait, Ea eſt vis amoris, ut talem te eſſe neceſſe ſit, quale eſt illud, quod amas, & cui per affectum conjungaris: in cujus ſimilitudinem & figuram vi dilectionis tranſformaris. Figura ad hoc deſerviens eſt illud, quod legitur *Danielis 4.* de *Nabuchodonoſore*, qui ab hominibus ejectus, fœnum ut bos comedit: ſed poſtea recuperavit pœnitens, quod amiſit per peccatum. Cæterum ad hoc ut pœnitentia ſit hominis reformativa. debet habere integritatem, taciturnitatem, & diuturnitatem. quæ tres conditiones per ly *Homo* denotantur. H tamen debet tolli, quia H non eſt littera ſaltem ſecundum Italos, ſed tantum aſpirationis nota. Manet ergo *Omo.* Ubi per primum O ſignificatur Integritas pœnitentiæ. O enim eſt quidam circulus, quia eſt linea perfectiſſima, ita ut nihil ei poſſit addi in linea circulari, ſed ſit circulus perfectus, ut dicit *Ariſtoteles 2. de cælo & mundo.* Sic ergo etiam pœnitentia debet eſſe perfecta, ut omnis pars puniatur, quæ peccavit. Et ita lingua pro vaniloquio debet puniri orationibus, pedes peregrinationibus, & venter jejuniis.

Per ſecundam litteram quæ eſt *M* deſignatur Taciturnitas, quæ ad pœnitentiam requiritur, ne fiat cum pompa & oſtentatione. Et benè ly *M* deſignat Taciturnitatem, quia hæc ſola inter literas proferri poteſt labiis clauſis, & labiis ipſis imprimitur.

Tertia littera eſt *O* & deſignat Diuturnitatem ſive finalem perſeverantiam, quæ in alphabeto græco eſt ultima littera. Pœnitentia autem ſi ſit perfecta, etiam uſque ad ultimum ſeu uſque in finem continuari debet. Et talis pœnitentia reformat hominem de beſtiali natura, non tamen ſine aſpirationis nota: quia niſi Spiritus ſancti gratia per ſuam benignitatem hominem molleſaciat, ſalubrem pœnitentiam facere non poterit. Undè *ad Rom. 2.* dicitur. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.

Explicatur quarta pars. Quod per pœnitentiam dæmones conturbemus. Nam vehementer confunduntur dæmones, quando eorum prodimus conſilium, quando eorum effugimus carcerem; & quando à ſuis principibus gravius affliguntur: ſicut cuſtodes carcerum per evaſionem incarceratorum gravius luunt. Itaque dæmones valdè magna invidia agitantur, quando vident, nos antea per peccatum ſibi fuiſſe ſimiles in deformitate, & poſtea per Sacramentum pœnitentiæ iterum eſſe reſtituros priſtinæ pulchritudini: cùm tamen dæmones ſuæ priſtinæ pulchritudini nullatenus ſint reparandi. Undè de hominibus ſingulariter dixit Petrus *2. Petri 3.* Non tardat Dominus promiſſionem, ſed patienter agit propter nos, nolens aliquem perire, ſed ad pœnitentiam reverti; pœnitemini ergo & confitemini, ut deleantur peccata veſtra. *Actor. 3.*

LECTIO CL.

TEXTUS.

Cùm ergo ſis juſtus, juſtè omnia diſponis. Ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tua virtute. Virtus enim tua juſtitiæ initium eſt, & ob hoc quod Dominus omnium es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim oſtendis tu, qui non crederis eſſe in virtute conſummatus, & horum qui te neſciunt audaciam traducis.

EXPLICATIO TEXTUS.

CUm ergo ſis juſtus, ſic nimirum ut non poſſis eſſe injuſtus: quia quidquid vis fieri, juſtum eſt fieri; *Juſtè omnia diſponis*, juxta illud *Pſal.* Juſtus Dominus, & juſtitiam dilexit.

Ipſum quoque qui non debet puniri, id eſt, ipſum hominem peccatorem qui te nullatenus vult audire; & ita à te miſericorditer puniri ſeu flagellari non debet ad tempus, quia perſeverat in malo, quod eſt diabolicum teſte, *S. Auguſtino*: *Condemnare* in perpetuum, *Exterum*, id eſt, extraneum *æſtimas à virtute tua*, quæ virtus eſt miſericordia tua: quia miſericordia eſt propria virtus Dei. Et ideò canit Eccleſia: Deus cui proprium eſt miſereri, &c.

Et quia aliquis poſſet credere, quod ſoli peccatores indigeant miſericordia Dei, ideò ſubdit Salomon: quod etiam Juſti gratia & miſe-

miſericordia Dei indigeant. *Virtus enim tua* (id eſt gratia) *juſtitiæ initium eſt* : quia niſi gratia præveniat hominis voluntatem , ſaltem natura vel cauſalitate , homo juſtus eſſe non poterit. Undè *ad Rom. 3.* dicitur : Juſtificati gratis per gratiam ipſius. Et *ad Titum 3.* Non ex operibus juſtitiæ quas fecimus nos , ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit. Sed undè habet ortum iſta miſericordia ? Certè ex omnipotentia. Undè ſubditur in Textu .· *Et ob hoc quod Dominus omnium es , omnibus te parcere facis* : id eſt , ex tua omnipotentia & miſericordia motus , efficis , quod omnibus parcas.

Virtutem enim (id eſt miſericordiam) *oſtendis tu* : id eſt , exhibes tu. *Qui non crederis eſſe in virtute conſummatus* , id eſt , qui nullo modo putandus es habere terminum miſericordiæ , tanquam miſericordia tua jam ſit exhauſta , vel exhaurienda : cum miſericordia tua ſit infinita , quæ exhauriri non poteſt.

Et horum (id eſt peccatorum) *qui te neſciunt* , id eſt , miſericordiam tuam non agnoſcunt , vel audacter in miſericordiam tuam peccant , *audaciam traducis* , id eſt peccandi temeritatem , aut diffidentiam de tua miſericordia punis. Circa illa verba .· *Ob hoc quod Dominus omnium es , omnibus te parcere facis.*

Notandum eſt , quod DEUS in natura ſic clementer providerit , quod ordinariè clementia & potentia , item manſuetudo & fortitudo , naturaliter conjungantur .· ita ut ubi plus fortitudinis reperitur , ibi etiam plus ſit de clementia. Exemplum eſt de Leone , qui cùm ſit fortiſſimus beſtiarum, eſt tamen mitiſſimus. Undè *Solinus* de Leonibus ſcribit , quod proſtratis parcant , & in viros potius quam in fœminas ſæviant , infantes autem nonniſi magna fame preſſi perimant , nec ſeparentur à miſericordia. Undè eſt illud metricum :

Parcere proſtratis ſcit nobilis ira Leonis.

Econtra verò DEUS animalia colerica , ſæpè poteſtate nocendi privavit , & ita fit quod inter canes minimi canes ſint maximè colerici , & quo minus poſſunt viribus, eo magis latratibus abundant.

Chriſtus Dominus autem more Leonis omnibus ſe proſternentibus per pœnitentiam exhibet ſe clementem .· *in viros tamen* , id eſt in illos, qui ex præmeditata malitia peccant , magis ſævit , quàm in *fœminas*, id eſt in illas perſonas , quæ ex nimia tentatione & fragilitate peccant : *Infantes autem* , id eſt innocentes , non niſi magna fame , id eſt magno amore ſalutis eorum, in præſenti flagellat. Undè *Apocalip. 3.* dicitur : Quos amo , arguo & caſtigo.

Notandum ſecundò , quod triplex ſit differentia inter Dominum terreſtrem , & inter Deum tanquam Dominum cœleſtem.

Prima differentia eſt , quod ſolus ſervus ſerviat Domino terreſtri ; Dominus autem terreſtris ipſi nullo modo ſervit : ideoque fit , quod Dominus terreſtris magis indigeat ſervo , quam ſervus Domino. At verò DEUS tanquam Dominus cœleſtis nullo modo indigeat ſervo , nec per ejus ſervitium aliquid ei accreſcit , ſicut per ſervitium ſervi aliquid accreſcit Domino terreſtri. Et præterea ipſe Dominus DEUS reciprocè ſervo ſuo fideli inſervit , dum ſemper eum cuſtodit, imò Angelos ad eum cuſtodiendum mittit. Undè *in Pſalm.* dicitur : Conſerva me Domine , quoniam ſperavi in te , Dixi Domino , DEUS meus es tu , quoniam bonorum meorum non eges ; Item *Pſalm.* 90. Angelis ſuis DEUS mandavit de te , ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Et iterum : Omnes ſunt Adminiſtratorii Spiritus , miſſi propter eos , qui hæreditatem capiunt ſalutis.

Secunda differentia eſt , quia nullus Dominus terrenus poteſt facere ſervum ſuum liberum perfectè , quia ſervit malis affectionibus , cupiditatibus , iræ , & impatientiæ. Undè *Seneca Epiſtol.* 47. ait : Oſtende , quis non ſit ſervus ; alius libidini , alius avaritiæ, & alius ambitioni ſervit ; at verò DEUS tanquam Dominus cœleſtis ſibi ſervientes non ſolùm liberos , ſed etiam Reges facit. Undè *Apocalip.* 5. dicitur : Redemiſti nos in Sanguine tuo , & feciſti nos DEO noſtro Reges & Sacerdotes.

Tertia differentia eſt Impotentia Dominorum terreſtrium , qui non poſſunt compellere hominem ad ſibi ſerviendum ; & etiamſi eos cogere poſſent ad ſibi ſerviendum , hoc tamen ſervitium eſſet exiguum, quia ſervus invitè aliquid faciens , parum boni operatur. At vero DEO tanquam Domino cœleſti non ſolum homo , ſed etiam omnis creatura in cœlo , & in terra , ac in inferno ei ſervit , velit , nolit : quia ſi homo obediat præceptis Dei , voluntariè & virtuoſè DEO ſervit , & in futura gloria cœleſti ſerviet ei ſemper, decantando laudes divinas. Si autem homo in hoc mundo nolit præceptis divinis voluntariè ſervire , ſerviet DEO involuntariè : dum ex divina juſtitia , vel hic & in inferno ſimul , vel ſi non hic ſaltem in altero mundo in infernali ergaſtulo punietur. Undè rectè dicitur *in Pſal.* Ordinatione tua perſeverat dies & omnia ſerviunt tibi.

***

LECTIO CLI.

TEXTUS.

Tu autem dominator virtutis cum magna tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe. Docuiſti autem populum tuum per talia opera; quoniam oportet eſſe juſtum, & humanum; & bonæ ſpei feciſti filios: quoniam judicans das locum pœnitentiæ in peccatis.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam ſufficienter actum eſt de Chananæorum afflictione, nunc agitur de Iſraëlitarum, ſeu Hebræorum per eandem afflictionem inſtructione, dum nimirum Hebræi ex tali afflictione Chananæorum debuerunt animari ad confidentiam & ſpei conſolationem.

Porrò ad bonum judicem duo requiruntur: nimirum primò quies, & turbationis ſedatio, nam turbati animo rectè judicare non poſſunt. Secundò requiritur moræ & deliberationis exſpectatio; & quia Salomon vult oſtendere, quod Deus omninò has duas conditiones tanquam bonus Judex habuerit, ideò dicit ſic: *Tu autem Dominator virtutis*, quia nimirum dator & rector es virtutis. *Cum magna tranquillitate judicas*, id eſt non ex paſſione iræ aut offenſæ, ſed ſine omni turbatione. Undè *Iſaiæ* 42. dicitur: In veritate educet judicium, & non erit triſtis, neque turbulentus.

Et quia etiam explicatio deliberationis ad bonum judicium requiritur, ideò etiam hæc in Deo eſſe perhibetur, licet Deus tanquam omniſciens & habens ſcientiam infinitam, mora & conſilio non indigeat. Et ad inſinuandum, quod Deus banc moram ſervare videatur, legitur *Gen.* 9. Deſcendam, & videbo, utrum clamorem opere compleverint. Et ad propoſitum etiam in præſenti textu ſubditur; *Et cum magna reverentia diſponis nos*. Eſt autem reverentia dilectio mixta cum pavore, & iſto modo punit Deus malos & injuſtos? cum quadam exſpectatione & reverentia ut interim ſe emendent. Hujus autem exſpectationis cauſa ſubditur, dum dicitur: Nihil enim juſtitiæ deperit per moram tuæ exſpectationis.

Quia autem propter nimiam exſpectationem judicis ſubindè fit, quod reus ſugiat juriſdictionem judicis; dum nimirum reus effracto carcere ſeſe v. g. ex Auſtria transfert in Italiam: vel certè ratione nimiæ exſpectationis reus poteſt fugere poteſtatem judicis, puta dum hujus officium judiciarium exſpirat, ita ut eum amplius punire non poſſit. Veruntamen Domino DEO tanquam ſupremo Domino, & ſupremo Judici, propter ſuam exſpectationem, neutrum poteſt contingere, quia Deus omni tempore, & in omni quoque loco eſt Judex.

Et ideò ſubditur in Textu: *Subeſt enim tibi* (nimirum reus) *cùm volueris, poſſe*; id eſt, reus peccator ubique eſt ſub manu tua, ut cùm volueris eum punire, poſſis hoc facere.

Et quia dictum eſt, quod bona doctrina ſeu Informatio conferatur Juſtis per malorum punitionem, ideò ſubditur in Textu: *Docuiſti enim populum tuum* (nimirum Iſraëliticum per talia opera, id eſt per tales afflictiones, quibus ſunt puniti Ægyptii & Chananæi à Deo) *quoniam oportet juſtum eſſe*. Et hoc benè debent advertere Prælati, qui non debent eſſe nimis remiſſi in regendo per nimiam diſſimulationem, ſed ſubditis ſuis inculcare debent, quod ſint juſti & ſancti, ſicut & Pater eorum cœleſtis ſanctus eſt. Non tamen debent Prælati etiam eſſe nimis rigidi, tyrannicè ſuos affligendo; & ideò ſubditur in Textu: *Quoniam oportet juſtum & humanum*, id eſt manſuetum & compatientem eſſe; juxta illud *ad Rom.* 6. Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Subditur: *Et bonæ ſpei filios, quoniam judicans das locum pœnitentiæ in peccatis*. Per quæ verba Spiritus ſanctus per os Salomonis omnes adhortatur, ut omnes ſint longanimes & conſtantes per bonæ ſpei conſolationem gloriæ cœleſtis adipiſcendæ. Circa hæc verba: *Et bonæ ſpei filios*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An ſpes noſtra conſiſtat in charitate adoptionis; veritate promiſſionis; & poteſtate redditionis?

DIco quod ſic. Ita explicat *ſanctus Bernardus* in quodam ſermone qui incipit: Miſericordias Domini in æternum cantabo.

Explicatur prima pars. Quod ſpes noſtra conſiſtat in charitate adoptionis: dum videlicet Deus nos adoptavit ſibi per gratiam in filios ſuos, & ita ſe Patrem noſtrum conſtituit. Undè *ſanctus Bernardus* ſuper Orationem Dominicam inquit: Mihi dicitur oratio, cujus principium dulce, nomine paterno ſequentium petitionum obtinendarum præſtat fiduciam. Et Gloſſa *Matth.* 6. Super hoc verbum *Pater* ait: In hoc datur fiducia, quod negabit filius, qui jam dedit, quod Pater. Exemplum eſt de filio prodigo *Lucæ* 15. Ubi filius criminoſus ad Patrem rediens,

diens, eum amplexibus, & oſculis, convivus & melodiis à Patre receptus eſt. Hinc facit illud *ad Rom. 5.* Stamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

Explicatur ſecunda pars. Quod hominem ad ſpem bonam movere debeat veritas promiſſionis Deus enim eſt, qui mentiri non poteſt, & iſte nobis promittit veniam peccatorum, poſt pœnitentiam ritè peractam, & gloriam cœleſtem: & pro hac aſſecuratione divinæ promiſſionis habemus totam ſacram Scripturam quaſi quandam ſyngraphum obligatoriam. Undè ad *Rom. 15.* dicitur: Per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habemus. Et *in Pſalm.* Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.

Explicatur tertia pars. Quod ſpem bonam in nobis cauſare debeat poteſtas redditionis. Deus enim eſt omnipotens ad ſervanda ſua promiſſa. Undè qui ſperat, in ipſo non confundetur. Huc facit illud *Eccl. 2.* Reſpicite filii nationes hominum, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt, permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt. Item ad *Rom. 5.* Spes non confundit. Et *in Pſalm.* In te Domine ſperavi non confundar in æternum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An ſpes noſtra debeat eſſe ſicut anchora firmitatis; ne à fluctibus moveamur; ſicut mola veritatis, ne indebitè conteramur; & ſicut galea ſecuritatis, ne ab hoſte lædamur?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod ſpes noſtra debeat eſſe ſicut *Anchora firmitatis*, ne à fluctibus moveamur tentationum, & afflictionum hujus mundi, ita ut nonnunquam videamur nobis eſſe omni auxilio divino ac ſolatio deſtituti, cùm tamen Deus ſemper nobis adſit, tenens & confortans nos, ne prorſus corruamus. Huc facit illud ad *Hebræos 6.* Confugimus ad tenendum propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſpes noſtra debeat eſſe ſicut *Mola veritatis*, ne indebitè conteramur. Et quantum ad hoc dicitur *Deuter. 24.* Non accipies loco pignoris ſuperiorem, & inferiorem molam. Superior & inferior mola eſt Spes & Timor. Nam Spes ad alta ſublevat, & Timor ad inferiora premit. Una autem mola ſine altera nihil valet, id eſt, nec Spes ſine timore, nec Timor ſine ſpe aliquid utilitatis confert. Undè in pectore peccatoris ſemper debet Spes & Timor conjungi, quia fruſtra quis miſericordiam Dei ſperat, qui ipſius juſtitiam non timet, & in caſſum metuit, qui non ſperat. Qui ergo peccatorem ad ſalubrem pœnitentiam vult diſponere, tam ſpem quam metum ei inculcare debet. Eſt autem Spes, ſicut mola ſuperior, quia eos elevat per contritionem pro peccato, & dilectionem Dei ſuper omnia: Timor verò juſtitiæ eſt ſicut mola inferior, quæ comprimit eos, ne nimis exaltetur. In *Pſalm.* Ab altitudine diei timebo, ego verò in te ſperabo.

Explicatur tertia pars. Quod Spes noſtra debeat eſſe ſicut galea ſecuritatis, ne ab hoſte lædamur. Nam homo privatus iſta galea per deſperationem, omni vulnere tentationis occiditur, eo quod caput habeat inerme. *Jerem. 18.* Deſperavimus, poſt cogitationes ibimus. Et iſtam galeam ſpei ſemper debemus induere & portare nobiſcum; juxta illud Apoſtoli ad *Theſſal. 5.* Sumus induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpei ſalutis.

LECTIO CLII.

TEXTUS.

Si enim inimicos ſervorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciaſti attentione, & liberaſti, dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitia; cum quanta diligentia judicas filios tuos, quorum parentibus juramenta, & conventiones dediſti bonarum promiſſionum.

EXPLICATIO TEXTVS.

Cum oſtenſum ſit, quod Deus puniverit malos Chananæos cum mora & expectatione, non ſimul, ſed paulatim eos delendo, ut reſiduis daret occaſionem per pœnitentiam ad ſe redeundi; nunc oſtendit Salomon, quod Deus ſimiliter benignè agat cum filiis ſuis verum Dei cultum habentibus, ſi poſt culpam pœnitentiam agant, & veniam à Deo petant. Et hoc eſt totum, quod vult Textus allegatus. *Si enim inimicos ſervorum tuorum*, id eſt Chananæos verum Dei cultum non habentes; *& debitos morti*, puta propter ſua ſcelera; *cum tanta cruciaſti attentione*, id eſt paulatim & ſucceſſivè; *& liberaſti*, *dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitia ſua*: id eſt, dediſti reſiduis, poſtquam jam multi ex ipſis fuerunt morte puniti, ſpatium pœnitentiæ. *Cum quanta diligentia judicas filios tuos* (id eſt Iſraëlitas & alios verum Dei cultum habentes) *quorum parentibus juramenta, & conventiones dediſti bonarum promiſſionum.* Nam parentibus Iſraëlitarum, ut Abraham, Iſaac, & Jacob Deus per juramenta multas promiſſiones fecit. Occaſione hujus, ſit

* * *

ARTI-

ARTICVLVS VNICVS.

An ſit licitum jurare; & quæ conditiones requirantur ad hoc, ut juramentum ſit licitum?

D*ico primò.* Quod Juramentum ſecundum ſe ſit licitum, & non malum uti quidam Hæretici dicebant.

Probatur primò; quia Deus invenitur in Scriptura ſacra ipſemet juraſſe; ut patet ex textu Lectionis, ubi dicitur: *Quorum parentibus juramenta, & promiſſiones dediſti.* Item *in Pſalm.* Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Et ad *Hebræos 6.* dicitur: Abrahæ, namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per ſemetipſum, &c. Item Apoſtolus *ad Rom. 1.* Juravit dicens: Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo. Et *2. Corinth. 1.* Teſtem invoco Deum in animam meam. Et *Deuteron. 6.* Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ipſius jurabis. Et *Matth. 5.* Reddes Domino juramenta tua.

Probatur ſecundò ratione. Quia cùm Juramentum ordinetur ad cõfirmationem vel probationem illius, quod homo dicit, nulla Deo irrogatur injuria: Ergo Juramentum eſt licitum ſecundum ſe, & non malum.

Probatur antecedens. Nam per hoc quod quis Deum invocet in teſtem ſui dicti veri, quod alii ex quadam obſtinatione credere nolunt, hinc jurando & Deum in teſtem vocando, ſolum vult monſtrare, quod Deus, qui eſt prima veritas mentiri non poſſit: in quo proindè, Deo non fit ulla injuria, ſed potius Deus tanquam prima veritas honoratur. Ergo

Confirmatur Juramentum tam ex parte ſuæ originis, quàm ex parte ſui finis eſt bonum, ergo eſt licitum. Probatur antecedens pro prima parte. Nam ex ſua origine Juramentum inductum eſt ex fidei devotione; quia homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & generalem omnium proviſionem: Ergo Juramentum ex parte ſuæ originis eſt bonum. Probatur etiam antecedens pro ſecunda parte; quia Juramentum ex ſuo fine ordinatum eſt ad certificandum hominem de veritate, & ad finiendas controverſias inter homines, *ad Hebr. 6.* Ergo etiam Juramentum ex parte ſui finis eſt bonum, & conſequenter licitum.

Dico ſecundò. Ad hoc ut Juramentum ſit licitũ, requiritur Judicium, Juſtitia, & Veritas. Probatur ex illo *Ierem. 4.* Juravit, vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia. Quorum verborum ſenſus eſt quod per veritatem debeat caveri Juramentum mendax; per Judicium Juramentum incautum; & per Juſtitiam caveri debet Juramentum iniquum, vel illicitum. Undè ex parte jurantis debet præcedere judicium diſcretionis, ut non leviter, ſed ex rationabili vel neceſſaria cauſa juret. Ex parte autem Juramenti requiruntur duo, videlicet ne ſit falſum, ſeu ne lædat ſuper rem falſam, ſaltem ſecundum judicium conſcientiæ illius qui jurat. Deindè requiritur, ut Juramentum non fiat de re aliqua illicita, ut v. g. ſi quis juret, ſe velle alium occidere. In quo caſu peccat jurando ſe velle facere id, quod eſt illicitum, & iterum peccat, ſi obſervet. Et denique Juramentum tale non obligat. Undè rectè dicit *S. Iſidorus*: In malè promiſſis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretum.

Dico tertiò. Quod frequentia ſeu conſuetudo jurandi ſit homini valdè periculoſa, & parum reverentialis erga Deum.

Probatur prima pars. Quia homo facilè delinquit in verbo. Secundum illud *Iacobi 3.* Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Undè *Eccl. 23.* dicitur: Jurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Et ideò infallibile ſignum eſt magnæ levitatis, ſi homo habeat jurandi frequentiam & facilitatem. Ergo homini frequentia & conſuetudo jurandi eſt periculoſa.

Probatur ſecunda pars. Quod Deo ſit parum reverentialis conſuetudo jurandi. Quia exigua eſſet reverentia, ſi quis ex quavis levi cauſa vellet ſemper virum honeſtum adducere pro teſte; Ergo multo minor reverentia eſt, ſi quis ex quavis levi cauſa Deum velit ſemper pro teſte adducere: Ergo jurans frequenter abſque neceſſitate eſt parum reverentialis erga Deum.

Dices primò Matth. 5. dicitur: Ego dico vobis non jurare omninò. Item *Iacobi 5.* Ante omnia fratres mei nolite jurare. Item *Matth. 5.* Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt, non, non, quod autem amplius eſt, à malo eſt. Ergo nullo modo licitum eſt jurare.

Reſpondetur omnia loca intelligenda eſſe, ſi deſint illæ conditiones in concluſione ſecunda aſſignatæ, quia alias Juramentum eſt licitum. Undè ſenſus illius authoritatis adductæ: *Nolite jurare omninò*, eſt iſte: Nolite jurare omninò, id eſt paſſim aſſueſcendo ad Juramenta; vel non ſit facilis ad jurandum: vel Nolite jurare abſque neceſſitate, vel utilitate. Et *S. Auguſtinus* exponens illum locum *Matth. 5.* *Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt, non, non, quod autem amplius hoc eſt, à malo eſt*, ſic dicit: Si jurare cogeris, ſcias de neceſſitate eorum venire, quibus aliquid ſuades, quæ utique infirmitas malum quoddam eſt. Tu etiam benè facis, qui benè uteris curatione, ut alteri perſuadeas, quod utiliter ſuades. Sed à malo eſt illius, cujus infirmitate cogeris jurare.

Dices ſecundò S. Auguſtinus, in quodam ſermone ait: Quod nulla juratio ſit ſecura. Ergo non eſt licitum jurare. Item *Eccl. 3.* dicitur: Omnis jurans & Deum nominans, in toto non purgabitur à peccato. Ergo illicitum eſt jurare. Reſpondetur *S. Auguſtinum* ibi loqui de homine garrulo, & habente conſuetudinem jurandi, cujus Juramentum non eſt ſecurum ob præcipitantiam linguæ, cui ſæpè admiſcentur mendacia, prout in ſecunda concluſione dictum eſt. Similiter dicendum eſt ad alterum ex *Eccleſiaſtico*, quod ibi ſit ſermo de illo, qui habet conſuetudinem jurandi ſenſu jam explicato.

* * *
* *

LECTIO CLIII.

TEXTUS.

Cum ergo nobis diſciplinam das, inimicos noſtros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes, & cum de nobis judicatur, ſperemus miſericordiam tuam. Unde & illis, qui in vita ſua inſenſatè & injuſtè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta. Etenim in erroris via diutius erraverunt, Deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus (vel ſecundum aliam litteram in manibus) ſunt ſupervacua, infantium inſenſatorum more viventes: propter hoc tanquam pueris inſenſatis judicium eis in deriſum dediſti.

EXPLCATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Spiritus ſanctus quod ex malorum flagellatione nobis etiam detur ſpes futuræ gloriæ. Et circa hoc duo facit. Nam primò oſtendit, quale Deus judicium exercuerit circa peccatores corrigibiles; & econtra quale judicium exercuerit circa peccatores incorrigibiles: & ſpecialiter contra Chananæos, quos expulit à facie Hebræorum. Et ideò demonſtrat, quod ſicut peccatores incorrigibiles non ſolum puniuntur in præſenti, ſed etiam in futuro: ita econtra peccatores corrigibiles hic puniuntur, & facta correctione & pœnitentia ſalvantur ibi in æterna gloria.

Dicit ergo ſic: *Cum ergo nobis*, (id eſt, te verum Deum colentibus) *diſciplinam das* (puta diſciplinam verborum, vel aliam afflictionem) *inimicos noſtros* (qui nimirum etiam ſunt tui inimici) *multipliciter flagellas*; juxta illud Pſalm. Multa flagella peccatoris. *Ut bonitatem tuam* (qua omnibus te communicas ſecundum diverſarum naturarum capacitatem) *cogitemus judicantes*, alios eſſe incorrigibiles ad tua flagella. *Et cum de nobis judicatur* (id eſt exercetur judicium, ſive juſtè ſive injuſtè, ſive à Deo ſive ab hominibus) *ſperemus miſericordiam tuam*, (juxta illud *Job* 13. Etſi me occidat, in ipſo ſperabo) miſericordiam videlicet ab omni pœna liberantem: quam tamen miſericordiam non experientur immiſericordes, juxta illud Jacobi 2. Judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non facit miſericordiam.

In ſequentibus verbis oſtenditur, qualiter Deus puniverit peccatores incorrigibiles, & ſpecialiter Chananæos, quos expulit ex facie Hebræorum; illi enim Chananæi fuerunt idololatræ, qui coluerunt imagines animalium uti ſupra dictum eſt: & ideò Deus meritò illos per animalia vilia voluit exterminare, propter quod ſubditur in textu.

Unde & illis, qui in vita ſua inſenſatè (puta contra Deum & ſe ipſos) *& injuſtè vixerunt*, (tam contra Deum quam contra proximum) *per hæc, quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta*: quando nimirum per veſpas & muſcas & alia viliſſima animalia eos interfeciſti.

Etenim iſti (id eſt Chananæi) *in erroris via* (id eſt in idololatria) *diutius* (id eſt per multum temporis) *erraverunt* (errore negligentiæ, quia noluerunt ſe corrigere, nec ad verum Deum converti,) *Deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus ſunt ſupervacua*, id eſt animalia nociva & inutilia, ut ſunt dracones, ſerpentes, talpæ & ſimilia. Vel *Deos æſtimantes, quæ in manibus ſunt ſupervacua*; id eſt, quæ ab operibus humanis, vel per manus hominum fiunt, *ſunt ſupervacua*, & inutilia quædam remanentia: ſicut carpentarius, vel faber lignarius extremitates lignorum ſuccendit, quando ſibi non poſſunt amplius ſervire. Et de talibus à carpentario abjectis truncis lignorum, format ſibi poſtea ſculptor aliquas imagines, pro ut libet ſibi. Unde *Iſaia* 45. dicitur: Artifex lignarius ſumpſit ex lignis ſaltus, & calefactus eſt, & ſuccendit, & coxit panes. De reliquò autem operatus eſt Deum, & adoravit; fecit ſculptile ſibi, & incurvatus eſt ante illud; medium ejus combuſſit igni, & de medio ejus carnes coxit. Et infra: Reliquum autem ejus, Deum fecit, & ſculptile ſibi; curvatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat illud dicens: Libera me, quia Deus meus es tu; Talia ergo ſculptilia coluerunt Chananæi. Sequitur in textu allegato, *Infantium inſenſatorum* (id eſt, uſu rationis carentium) *more viventes*: pueri enim inſenſati faciunt ſibi puppas, & diverſas imagines pueriles, & ludunt cum eis.

Et ideo merito tu Deus dediſti eis judicium in deriſum, tanquam pueris inſenſatis: quia Chananæi ſatis deriſibiles efficiebantur, quando per cinifes, muſcas, & ranas, urſos, & leones, exterminabantur. Circa illa verba, *ſperemus miſericordiam*. Sit

ARTICULUS UNICUS.

An divinam miſericordiam debeamus ſperare imminente tempeſtate temporalis tribulationis, accedente neceſſitate corporalis diſſolutionis, & ſuperveniente perplexitate criminalis deſparationis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod miſericordiam divinam debeamus ſperare nobis facilè affuturam, imminente tempeſtate temporalis tribulationis. Unde in Pſal. dicitur: Quoniam in me ſperavit, liberabo eum; & protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Exemplum hujus habemus in vita S. Martini, qui cum incidiſſet aliquando in latrones, & unus eum ferire vellet, alius ictum ferientis impedivit & continuit. Et cum poſtea latrones ab eo quærerent, an timeret, reſpondit ſe nunquam magis ſecurum fuiſſe, quia ſciebat miſericordem Deum in tali anguſtia ſtatim affuturum. Summa cautela antiquorum militum fuit, quod omnia, quæ videbantur ipſis adverſa accidiſſe, interpretati ſint pro bonæ ſpei argumento, ut teſtatur *Sextus Iulius lib. 1. Stratagematum cap.* 1. Unde cum *Scipio Africanus*, ex Italia in Africam exercitum adduxiſſet, & ipſe de navi deberet deſcendere, cecidit in terram; Videns Scipio, quod milites

propter ſuum caſum in terram, fuiſſent attoniti, materiam ſpei fecit ipſis, dicens: audite milites, Africam cadendo in terram Africanam oppreſſi. Similiter *Cajus Cæſar* cum aſcenſurus in navem caderet in terram, & milites exinde eſſent turbati, voluit eos bona ſpe animare, & dixit: Teneo inquit, te terra mater mea. Quaſi diceret, non ſic à te recedo, quia iterum ad te ſum reverſurus poſt bellum: & ſic per iſta verba milites ſuos bene ſperare fecit, inſinuando, quod in terram propriam ſeu in patriam fœliciter ſit poſt bellum rediturus. Sic etiam viri ſancti, omnia terribilia, quæ ipſis accidunt vel ex malorum perſecutione, aut ex corporis infirmitate, interpretantur in bonam partem, ſcientes benè, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Ita ut quanto major terror mundanus ipſis incutitur, tantò magis ipſorum ſpes creſcat in Deum. Juxta illud Job 13. Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum.

Explicatur ſecunda pars. Quod debeamus ſperare miſericordiam divinam accedente neceſſitate corporalis diſſolutionis. Undè *Prov.* 14. dicitur: Sperat juſtus in morte ſua. Et *Ariſtoteles lib. de pomo & morte* ait: Non eſt Philoſophi timere mortem, ſed magis gaudere, & bonæ ſpei eſſe imminente morte. Et hoc idem *Ariſtoteles* ſuis diſcipulis perſuaſit dicens, quam mortem timetis? quæ via eſt, & inceſſus animæ ad illud, quod maximè concupivit. Præterea *Ariſtoteles* moriturus allocutus eſt ſuos diſcipulos dicens: Quæro à vobis, utrum mors ſit aliquid aliud, quàm receſſus animæ à corpore? Qui reſponderunt quod non. Corpus enim nihil audit vel videt niſi per animam, ſed conſentit delectationibus & paſſionibus, quæ ſunt contraria appetitui animæ, in eo, dum vult aſcendere ad gradus rectos & bonos. Tunc Ariſtoteles ſubjunxit: Quare ergo doletis, ſi anima recedat ab eo, quod eſt contrarium ſuæ perfectioni, & deſiderio? Et ideo cum facies *Ariſtotelis* morituri eſſet jucunda, dixit iteratò diſcipulis ſuis, non cogitatis in cordibus veſtris, quod ego lætor, eo quod ſperem evadere de infirmitate mea? Quoniam bene ſcio me modo moriturum, & niſi eſſet hoc pomum, quod in manu mea teneo, & quia odor illius me confortat, & aliqualiter prolongat vitam meam, jam exſpiraſſem, ſed anima ſenſitiva, in qua communicamus cum beſtiis, fovetur odore bono. Et ego lætor, quod recedam ex hoc ſæculo. Tandem cadente pomo de manu, Ariſtoteles mortuus eſt; pro quo alii Philoſophi oraverunt dicentes: ille, qui ſuſcipit animas philoſophorum, ſuſcipiat animam tuam. Huc facit illud *Iſa.* 40. Qui ſperat in Domino, mutabit fortitudinem: per mortem videlicet tranſeundo ad vitam.

Explicatur tertia pars, quod debeamus ſperare miſericordiam divinam ſuperveniente perplexitate criminalis deſperationis. Unde *Eccl.* 2. dicitur: Scitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Unde ſicut infirmis multum conducit ad ſanitatem recuperandam, ſi ſint bonæ ſpei, ita etiam peccatoribus pro ſalute animæ valde proficuum eſt, ſi habeant magnam confidentiam ad Dominum Deum & miſericordiam ipſius. Huc facit illud metricum:

Speret, qui metuit, morituros vivere vidi,
Spe duce, victuros, ſpe moriente mori.

Undè *S. Bernardus in quodam ſermone* ait: Tu es Domine ſpes mea, quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine ſpes mea, hæc mihi una omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ exſpectationis. Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe jactet pondus diei & æſtus, jejunare ſè bis in Sabbatho dicat, poſtremò non eſſe ſicut ſicut cæteri hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo meo ſpem meam. Et infra: Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda ſperabo; ſi ſurgant adverſum me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat, in te ſperabo. *Hæc S. Bernardus*, allegans pro ſe illud Pſalmi: Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

LECTIO CLIV.

TEXTUS.

Qui autem ludibriis, & increpationibus correcti non ſunt, dignum Dei judicium experti ſunt. In his enim quæ patiebantur, moleſtè ferebant, in quibus patientes indignabantur. Per hæc, quos putabant Deos, in ipſis, cum exterminarentur, videntes illum, quem olim negabant ſe noſſe, Deum non cognoverunt; propter quod & finis condemnationis illorum veniet ſuper illos.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Salomon, quod Deus ſit rigidus contra eos, qui contemnendo ſua flagella, ſe non emendant. Dicit ergo: *Qui autem ludibriis & increpationibus non ſunt correcti, dignum Dei judicium experti ſunt.*. Ludibrium eſt res aliqua, vel potius pœna, quæ riſum & contemptum invehit illius perſonæ, cui pœna infligitur. Et quia Deus Chananæos ſic afflixit & exterminavit per veſpas, & muſcas, ut meritò illos irridere, & contemnere potuerint *Iſraelitæ*, ideo dicitur Deus eos *ludibriis* affeciſſe, *& increpationibus*, per verba nimirum ſervorum ſuorum eos monendo. Et quia Chananæi ad has pœnas ſe non emendarunt, ideo *dignum Dei judicium experti ſunt.*

Nam primò cum affligerentur, murmurarunt, & contra ſe indignati ſunt; Secundò ex falſis Diis, quos ſub ſpecie animalium coluerunt, deducti ſunt ad veram Dei cognitionem. Nam quando ipſi idololatræ affligebantur, clamarunt pro ſua liberatione ad ſuos Deos, quos colebant. Et quia Dii eorum ficti erant impotentes ad ferendum ipſis auxilium, reducti ſunt ad cognoſcendum verum Deum, quem olim negabant ſe noſſe; quia ſecundum *S. Gregorium*, Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Propter quod etiam *finis condemnationis eorum veniet ſuper illos*; id eſt finalis condemnatio; quæ in inferno fine carebit. Circa illa verba, *Negabant ſe noſſe Deum.* Sit

ARTICULUS UNICUS.

An avari pecunioſi; ſuperbi præſumptuoſi; & perjuri malitioſi, negent in facto ſe Deum noſſe.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod avari pecunioſi facto negent Deum, quatenus eſt charitas. Chriſtus enim talibus avaris, & tenacibus divitibus apparet in forma pauperis, oſtendens eis ſuam indigentiam, & petens ab eis charitatem ſeu ſubſidium aliquod charitativum. Iſtum autem pauperem ne quidem aſpiciunt, ſed contemnunt tanquam eum non noſcant: & ita Chriſtum in forma pauperis apparentem, agnoſcere recuſant. Neque tales poterunt ſe excuſare dicendo, Domine tu nobis apparuiſti in aliena effigie & ideò mirum non eſt, quod te non agnoverimus. Nonnunquam hoc modo avari ſeſe poterunt excuſare, quia ſunt præmoniti de hoc, quod Chriſtus in tali forma apparebit ſæpius; unde dixit Salvator noſter: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Veruntamen ſicut iſti tenaces modo Chriſtum non agnoſcunt ſed negant; ita etiam Chriſtus in extremo judicio ipſos non noſcet, ſed dicet illis illud *Matth. 25.* Neſcio vos. Et illud *Matth. 10.* Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſuperbi præſumptuoſi & audaces negent Deum, quatenus eſt bonitas. Et tales ſuperbi, & præſumptuoſi audaces ſunt illi, qui in propria fortitudine confidentes, non implorant divinum auxilium, nec ſe recommendant Deo, & prava conſortia non devitant; & ideo mirum non eſt, ſi tales labantur: forte autem lapſi non eſſent, ſi diligenter oraſſent illud, quod Chriſtus nos orare quotidie docuit, nimirũ ut dicamus ad Patrem cœleſtem. Et ne nos inducas in tentationem *Matth. 6.*

Horum præſumptuoſorum figuram geſſit *Petrus*, qui propriæ infirmitatis ignarus, dixit Chriſto: Etiamſi oportuerit me mori tecum non te negabo *Matth. 26.* Ipſe tamen Petrus eadem nocte veniens ad conſortium aliorum curialium & mulierum, ter Chriſtum negavit.

Tales etiam ſuperbi ſunt illi, qui videntes aliquem peccare contra caſtitatem, mox eum contemnunt, cum tamen illi vel minima tentatione vexari ſuccumbant. Unde propriæ virtuti non oportet confidere, nec alium peccantem ſpernere, juxta illud: Qui ſtat, videat ne cadat. Et ideo ſancti viri continuò implorant auxilium Dei pro vincendis tentationibus: & omnes victorias, quas contra hoſtem reportant, non virtuti propriæ, ſed Deo duntaxat adſcribunt. Talis Sanctus qui ſuæ virtuti nihil, & Deo omnia ſoli adſcripſit fuit Job: unde *dixit 31. cap.* Si oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima & negatio contra Deum. Super quæ verba dicit *Gloſſa Gregorii*: Oſculari manum, eſt bona naturæ vel gratiæ conceſſa à Deo meritis humanis tribuere. Unde qui bona opera faciunt, & illa Deo non attribuunt, ſed virtuti naturali vel privatæ, & potentiæ propriæ, hi Deum, qui eſt prima bonitas, & à quo omnia bona derivantur, negant.

Explicatur tertia pars. Quod perjuri malitioſi negent Deum, quatenus eſt veritas; cujuſmodi ſunt falſi teſtes, & falſi advocati, & falſi judices: qui ſcienter veritatem negant. Chriſtus autem eſt veritas ipſa ut dicitur *Joan. 14.* Unde qui interrogantur tanquam teſtes à judice, ut dicant veritatem, & tamen illam corrupti pecunia negant, non ſolum negant Chriſtum, ſed etiam eundem vendunt. Unde Gloſſa ſuper illud *Matth. 26.* Exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet, ſic ait: Multi per munera falſum teſtimonium dicunt, & Deum, qui veritas eſt, vendunt. Talium autem falſorum teſtium figuram geſſerunt Judæi, quibus S. *Petrus* dixit *Act. 3.* Deus glorificavit Filium ſuum JEſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.

Huc etiam pertinent falſi judices qui ſcienter veritatem ſubvertunt, & judicant pro muneribus, illud quod ſciunt eſſe falſum: vel quando ex timore & minis aliorum à recto tramite veri judicii recedunt. Sic fecit Pilatus, qui audito iſto verbo à Judæis, Si hunc (nimirum JEſum) dimittis, non es amicus Cæſaris. Timuit, & à dictamine propriæ conſcientiæ receſſit. Et quamvis ſciverit non eſſe conveniens teſtimonium Judæorum accuſantium Chriſtum, nihilominus ex timore jam antea flagellatum, & ſpinis coronatum, tradidit voluntati eorum, id eſt Judæorum, In quo Pilatus graviſſimè deliquit.

Ad hanc quoque liſtam perjurorum, malitioſorum & falſorum hominum ſpectant falſi advocati, qui verbis ſe dicunt noſſe Deum, ſed factis negant. Unde & iſti non ſolum negant ac reprobant veritatem, ſed etiam falſitatem ſub colorato pallio veritatis producunt, & pertinaciter in damnum ſui proximi defendunt. Et de his verificatur illud *Apoſtoli ad Tit. 1.* Ingratæ ſunt viæ illorum, & mens, & conſcientia: confitentur autem verbis ſe noſſe Deum, & factis negant.

Tales falſos Advocatos pulchrè deſcribit *Sidonius* in quadam Epiſtola his verbis. Hi ſunt in conviviis ſimiæ; in exactionibus harpiæ in collocutionibus beſtiæ; in quæſtionibus ſtatuæ; ad intelligendum ſaxei; ad judicandum lignei; ad dignoſcendum ferrei; ad injurias pardi; ad facetias urſi; ad fallendum vulpes; ad ſuperbiendum tauri; & ad conſummandum minotauri. Hæc ille.

Iſtis Advocatis falſis nihil placet niſi pecunia; unde *Alanus in lib. ſuo de conqueſtu naturæ* inquit: In tantum habendi pecuniam fames invaluit, ut ſit muta Dialecticæ ſubtilitas, Rhetoricæ langueſcat civilitas, ubi nummorum perorat pluralitas Si enim in aure Judicis, vel Advocati ſuſurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, & Muſæ Virgilii, pecuniæ voce ſuffocantur. Quid plura? Ubi nummus loquitur, Tulliani eloquii lingua muteſcit; ubi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea; nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat univerſis. Hæc *Alanus.* Iſtis autem advocatis fallacibus (uti dicit *S. Ambroſius* in quodam ſermone) juſtè dicitur illud: Redde quod accepiſti, & contra veritatem dixiſti, iniquitati adfuiſti, judicium fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, & de falſitate dixiſti.

CAPITVLVM DECIMVM TERTIVM.

LECTIO CLV.

TEXTUS.

Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei; & de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui eſt; neque operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex; ſed aut ignem aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, aut lunam, rectores orbis terrarum, Deos putaverunt.

EXPLCATIO TEXTVS.

IN hoc Capite inſiſtit Salomon ſpecialiter circa crimen idololatriæ reprobandum; ubi etiam adducit idolorum primariam adinventionem, & averſionem à Deo, & fatuam converſionem ad creaturam, quam tanquam Deum diverſimodè colebant, inducit. In hac autem Lectione Salomon principaliter fatuitatem curioſam Gentilium reprehendit, qui circa artificiales inveſtigationes multùm ſtuduerunt, & tamen Dei notitiâ caruerunt.

Dicit ergo ſic: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia.* Vanum eſt id quod ab operante eſt ordinatum in aliquem finem, quem non poteſt attingere, ſicut ſi aliquis ambularet propter ſanitatem, quam tamen per ambulationem non poteſt accipere, talem enim dicimus in vanum ambulaſſe. Porrò homo ordinatur ad Deum cognoſcendum, & colendum; unde *S. Anſelmus lib. .o. cur Deus homo*, ait: Rationalem creaturam à Deo factam eſſe juſtam, ut Deo fruendo beata eſſet, dubitari non debet. Et ideo natura rationalis eſt, ut diſcernat inter bonum & malum, inter juſtum & injuſtum, item inter majus & minus bonum: adeoque omnis homo fruſtra eſt, & vanus, ſi ſcientiam de Deo non habeat. Et ideo dicitur in Textu: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, id eſt. ſcientia de Deo. Hæc autem ſcientia eſt fides per Prophetas revelata antiquis patribus, & poſtea nobis per Filium prædicata ſecundùm *Gloſſam.* Hæc ſcientia etiam eſt timor & reverentia Dei; unde *Baruch* 3. dicitur de prudentibus hujus mundi: Perierunt, eò quod non habuerint ſcientiam Et ſignanter dicitur, *In quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, id eſt fides, Eſt enim fides fundamentum totius ædificii ſpiritualis; juxta illud ad *Heb.* 2. Fidea eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Et ideo infideles nihil boni ſuperædificant, quamdiu in ſua infidelitate perſeverant. Hoc eſt ergo primum quod reprehenditur in Gentilibus idololatris, quod pro ſuo fundamento non habeant veram fidem de Deo.

Quod autem notitiam, vel ſcientiam de Deo tales Gentiles idololatræ non habuerint, patet ex duobus; quia videlicet non intellexerunt Deum eſſe bonum remuneratorem vel gubernatorem hujus mundi; ſecundò ex eo, quia non cognoverunt Deum eſſe mundi creatorem.

Unde ſubditur in Textu: *Et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt.* Id eſt Deum, qui eſt ſummè bonus, & cujus proprium nomen eſt, *Qui eſt.* Juxta illud *Exod.* 3. Ego ſum qui ſum, ſic dices filiis Iſrael, *qui eſt, miſit me ad vos.* Sicut autem Deus propriiſſimè dicitur is, *qui eſt*; ita econtra diabolus propter ſuam nequitiam dicitur, *qui non eſt*; juxta illud *Job* 18. Habitant in tabernaculo illius ſocii ejus *qui non eſt.*

Porrò quia Philoſophi quidam Gentiles, qui ſolùm ſtuduerunt inveſtigare cauſas rerum, non cognoverunt ex mutabilis mundi fabricâ Deum tanquam cauſam & authorem illius: ideò meritò reprehendendi ſunt. Putabant enim quod ſi mundus non fuiſſet ante Deum, Deus non habuiſſet habitaculum in quo habitaret. Et quantum ad hoc dicitur in textu: *Neque attendentes operibus agnoverunt, quis eſſet artifex.* Id eſt, non agnoverunt Deum eſſe artificem mundi, & eorum quæ facta ſunt.

Poſtquam autem Salomon ſufficienter oſtendit, quomodo Gentiles idololatræ fuerint averſi a Deo: nunc oſtendit quomodo maligni per idololatriam ſe converterint ad creaturas, quas tanquam Deos adorarunt. Sunt autem ſeptem nimirum, aut ignis, aut ſpiritus, aut citatus aër, vel gyrus ſtellarum, aut nimia aqua, aut Sol, aut Luna, quorum aliquod Gentiles pro vero Deo colebant. Et quidem ignem coluerunt Chaldæi pro vero Deo, qui apud Gentiles dicebatur *Vulcanus* quaſi *Volitanus*, ſecundum *Hieronymum*, id eſt, volantem calorem faciens. Iſte autem *Vulcanus* fingebatur quaſi faber claudus, & dicebatur fulminare vel fabricare fulmina Jovi; quia Jovi ſuperiorem partem aeris deputaverunt, Vulcano verò inferiorem partem aeris, ex quo fulgura & coruſcationes procedunt. Cæterum ut Chaldæi alios adducerent ad adorationem ignis tanquam veri Dei, dixerunt, quod ſi aliquis oſtenderet ignem tanquam Deum ſuum, ab alio vinci poſſe, quod velint deinceps cultum ignis tanquam veri Dei deſerere.

Hoc audito Conopæi in Ægypto, qui Idolum Beli coluerunt, depoſuerunt de capite idoli ſui coronam auream, & loco coronæ aureæ poſuerunt ſuper caput ſui idoli Beli quoddam vas fictile aquâ plenum, & hoc multis foraminibus perforarunt, & cera obduraverunt. *Venerũt* ergo Chaldæi ad iſtud idolum Beli examinandum, & appoſuerunt circa illud idolum ignem, ex quo deinde cera ad foramina vaſis fictilis ſuper caput Beli poſiti, fuit liquefacta, & ignem infra accerſum extinxit. Et ita Conopæi prævaluerunt cum ſuo idolo, & permiſſi ſunt illud adorare.

Alii pro Deo coluerunt *ſpiritum*, id eſt *Aetherem* quem dixerunt Jovem, i. e. ſuperiorem partem aeris. Diviſerunt autem antiqui aerem in duas partes, & ſuperiorem partem aeris vocaverunt Jovem, & inferiorem partem aeris vocaverunt Junonem. Iſta autem inferior pars aeris in textu citato vocatur, *Citatus aer*, propter facilitatem motus & diviſionis.

Alii venerabantur *Gyrum ſtellarum*, id eſt, firmamentum in quo ſunt ſtellæ fixæ. Alii colebant Aquam, unde *Neptunum* vocabant dominum maris. Porrò inter iſtas fabulas eſt ſubinde æquivocatio de Jove, quia ſubinde ſignificat planetã

imme-

immediatè poſitum ſub *Saturno*. Interdum autem ſignificat ſuperiorem partem aeris. Fingunt Poëtæ, quod *Saturnus* tres filios habuerit, nimirum Jovem, Neptunum, & Plutonem, ita ut *Iupiter* regnet in cælo; *Neptunus in mari*, & *Pluto* in inferno. Unde tales verſus habentur:

Iupiter aſtrum fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria, quinq; ſuum.

Unde ipſum elementum aquarum vocarunt *Neptunum*, & ideo dicitur in textu: *Quod aliqui coluerint nimiam aquam*, puta pro vero Deo

Alii coluerunt *Solem* pro vero Deo; Solem autem dicunt eſſe primum filium Jovis, quem vocant *Phoebum*, quaſi novum: & ideo pingebatur imberbis. Hic etiam Apollo dicitur, id eſt perdens aut exterminans, eo quod calore ſuo omnium viventium humorem perdat & exterminet

Dicitur autem ſol, quia ſolus magnitudine præcellit inter ſtellas: ſoluſque de die aliis non apparentibus lucet.

Alii coluerunt *Lunam*, quam vocabant *Dianam*: dicebatur autem Luna in cælis & Diana in ſilvis.

De iſtis autem idololatris dicitur 4. *Reg.* 21. Adolebant incenſum Baal, & Soli & Lunæ & duodecim ſignis, & omni militiæ cæli.

Præter hos falſos Deos Poëtæ fingunt ſcientiam colendi agros, eſſe Deam *Cererem*; ſcientiam colendi vineas, eſſe Deum *Bacchum*: actus etiam humanæ libidinis Deæ *Veneri* conſecrabant. Et tali modo ſuperſtitiones multiplicatæ ſunt nimis. Vocantur autem ſuperſtitiones teſte *Servio*, à vetulis ultra conſuetudinem humanæ vitæ ſuperſtitibus. Tales enim vetuſtiſſimæ vetulæ jam decrepitæ & deliræ, talium Numinum & factionum inventrices fuerunt.

LECTIO CLVI.

TEXTUS.

Quorum & ſi ſpecie delectati Deos putaverunt, ſciant, quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt; Speciei enim generator hac omnia conſtituit. Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis. A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator eorum videri.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus arguit gentiles ob ignorantiam, quam habuerunt de Deo omnium conditore; nunc oſtendit, quod ex ſua propria culpa hanc ignorantiam habuerint: & quomodo ex forma, ſeu pulchritudinem in eſſendo, & virtute earum admirabili in agendo, arguitivè in cognitionem Dei venire potuiſſent.

Dicit ergo *Quorum* (id eſt Paulo ante prædictorum, videlicet Solis, & Lunæ, ac ſtellarum) *& ſi ſpeciei delectati* (id eſt ſi pulchritudine ſolis lunæ ac ſtellarum delectati ſunt) *ſciant* (id eſt ſcire debent) *Quanto dominator eorum* (nimirum Deus, qui illa fecit) *ſpecioſior ſit*. Cujus rationem ſubdit dicens: *Species enim* (id eſt pulchritudinis) *generator* (id eſt creator rerum pretioſarum & ſpecioſarum) *hac omnia conſtituit* (id eſt fecit ea liberè) Adeoque cum Deus omnia pulchra tanquàm artifex eorum fecerit, utique ipſemet Deus tanquam artifex talis, qui à nulla re mutationem aut detrimentum aliquod patitur, erit ſpecioſior rebus à ſe creatis. Unde *Boëtius lib. 3. de Conſolatione* ait

- - - - Pulchrum pulcherrime ipſe
Mundum mente gerens, ſimiliq; imagine formans.

Et ex his patet, quod Gentilis ex forma delectabili rerum in eſſendo potuiſſet devenire in cognitionem Dei In ſequentibus verbis demonſtrat Spiritus ſanctus, quod Gentiles potuiſſent devenire in cognitionem Dei ex mirabili virtute & potentia corporum cæleſtium, quam exhibent lucendo, movendo, & diverſos effectus in his inferioribus producendo.

Dicit ergo. *Si virtutem & opera eorum mirati ſunt* (nimirum gentiles Philoſophi) *intelligant* (id eſt intelligere deberent) *ab ipſis* (id eſt per ipſas tales creaturas hujuſmodi effectus exhibentes) *quoniam qui hæc* (id eſt cælum, ſolem, lunam, & ſtellas) *fecit, fortior eſt illis*: Id eſt multo virtuoſior, activior, & potentior eſt illis in agendo, Quod patet manifeſtè ex eo, quia Deo volente ſol lumen ſuum retraxit *Matth.* 27. Ipſoque volente ſol ſtetit *Ioſue* 10. Et ipſo volente ſol retro redit, ſeu retroceſſit 4. *Reg.* 20.

Subditur in textu *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterat Creator horum videri*. Quaſi dicat, à *magnitudine ſpeciei*, id eſt pulchritudinis, *& creaturæ*, id eſt mirabilis facturæ; debuiſſent mali gentiles Philoſophi colligere Deum tanquam creatorem eſſe majorem tam ſpecioſitate quam virtute agendi. Huc facit illud *Apoſt. ad Rom.* 1. Inviſibilia enim ipſius, id eſt Dei, à creatura mundi (id eſt ab homine rationaliter procedente) per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciunt Hoc modo *Ariſtoteles* ex motu devenit in cognitionē unius primi motoris, quem diſcit eſſe infinitum ſine ulla mole corporea. Ut habetur in 8. *Phyſicorum*. Circa illa verba *Quorum ſpecie, delectati Deos putaverunt*; ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An multum errent ii, qui ſuperbiunt de propriæ pulchritudinis vanitate; & qui ex libidine nimis delectantur forma & pulchritudine aliena?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod multum errent illi, qui ſuperbiunt de propriæ pulchritudinis novitate. Hi certè non conſiderant, quàm vana, ſuperficialis, brevis ac temporalis, atq; mutabilis ſit ſua pulchritudo. Unde *Boëtius lib. 3. de conſolatione, proſa octava* inquit: Formæ vero nitor ut ventus rapidus eſt & velox, & ver-

vernalium florum mutabilitate fugacior. Quod ſi (ut ait: *Ariſtoteles*) homines linceis oculis uterentur, ita ut eorum viſus obſtantia & occulta quæque penetraret, nonne introſpectis viſceribus, illud ipſum, quod ſuperficialiter pulchrum corpus eſſe putatur, turpiſſimum eſſe comprehenderetur? Ergo te pulchrum videri non tua natura, ſed oculorum ſpectantium reddit infirmitas: Sed æſtimate quantumvis velitis hæc corporis bona, ecce hæc omnia triduanę febris igniculo poſſunt diſſolvi. Hæc *Boëtius*.

Refert *Ovidius* 3. *Metamorphoſeos* quod *Narciſſus* fuerit puer à teneris annis ita pulcher, ut ſtatim ab omnibus fuerit amatus; parentes autem ejus interrogaverunt vatum aliquem, num filius ſuus *Narciſſus* diu eſſet victurus? Qui reſpondit, diu viveret, ſi ſemetipſum non noverit. Itaque *Narciſſus* adoleſcentior factus tantam de ſe concepit ſuperbiam, ut ratione ſuæ pulchritudinis, omnium tam puerorum quam puellarum contempſerit amorem. Tandem quodam die fatigatus ex venatione venit ad fontem ſitis extinguendæ cauſa; in limpidiſſima verò aqua fontis illius. vidit tanquam in ſpeculo ſuam effigiem: Unde *Narciſſus* ſpeciem ſuæ imaginis videns, conſideravit frontem, oculos, crines, labia, genas, & amore iſtius ſuæ propriæ imaginis adeò captus eſt, ut extendendo brachia ſua eandem voluerit amplecti, ſed nihil deprehendit niſi ſolam aquam. Obtulit deinde ſuæ imagini oſcula, & imago reciprocè ei oſcula offert: ridet illo ridente, & denique omnes geſtus, quos alter facit, imitatur. Sic ergo *Narciſſus* ex amore ſui ipſius langueſcens defecit, & in florem ſui nominis converſus eſt

Applicatio moralis. Iſte *Narciſſus* propter ſpeciem ſuam ſuperbiens, deſignat verè gloriantes de pulchritudine ſui corporis: qui certe ob inordinatum amorem ſuæ pulchritudinis langueſcendo deficiunt: & dum *homines* eſſe deberent, fiunt inutiles flores. Unde in *Pſ* 40. dicitur: Omnes caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Et tales homines vanè de ſua pulchritudine ſuperbientes, diu viverent vita gratiæ, ſi ſemetipſos non noſcerent inordinatè, convertendo ſe ſolùm ad pulchritudinem corporis, & non ad pulchritudinem animæ, quæ cuivis homini ineſſe deberet.

Explicatur ſecunda pars. Quod multum errent, qui libidinosè delectantur in ſpecie aliena. Unde ille ſenex, cui dixit Daniel, ſemen Chanaam & non Juda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum. Dum vidiſti Suſannam quæ erat delicata nimis, & pulchra ſpecie, *Danielis* 13. Sic etiam Holofernes occiſus fuit, dum incautè Judithæ ſpeciem contemplatus eſt. Nam Judith in ſpecie faciei ſuæ diſſolvit illum. *Iudith* 16. Unde *Iudith* 10. ſcribitur, quod dum ipſa oraſſet ante faciem ejus, ſtatim captus eſt ſuis oculis Holofernes. Sic etiam David captus eſt in pulchritudine Berſabeæ 2. *Reg.* 11. Et ideo ſignanter dicitur *Eccl.* 9. Ne circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem enim mulieris perierunt multi, & ex hoc concupiſcentia tanquam ignis exardeſcit. Pro quo fit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum nihil ſit potentium ſubvertere cor humanum, quàm concupiſcentia, & amor ſpeciei?

DIco quod nihil ſit potentius pro ſubvertendo corde humano, quam concupiſcentia & amor ſpeciei ſeu formoſitatis & pulchritudinis.

Explicatur aſſertio, Quia pulchritudo fœminæ trahit ad ſe cor viri, ſicut hamus piſcem: & ideo, dum mulier pulchra conſpicitur, ipſa quaſi ex oculis & multo magis ex facundia oris ſui immittit quaſi quaſdam ſagittas amoris, quibus cor viri vulnerat, ſibique conſtringit.

Ob hujus rei figuram fingunt Poëtæ quod *Alexander* filius *Priami* vocatus fuerit Paris, à paritate judicii. Unde ad ipſum miſſæ fuerunt, Juno, Pallas, & Venus, ut inter eas diſcerneret cui pomum aureum deberetur: quod pomum miſit Dea diſcordiæ, & caſu cecidit inter eas. In iſto pomo erant inſcripta hæc verba: Pulchrior me habebit. Certabant ergo iſtæ aliæ tres Deæ, nimirum Juno, Pallas, & Venus, pro habendo hoc pomo. Et quidem Juno promiſit divitias & regnum; Pallas Laudem militiæ; Venus viro promiſit pulcherrimam ex Græcia mulierem. Iſte ergo Alexander ſeu Paris non obſtante judicii ſubtilitate, fuit à concupiſcentia devictus, & pomum illud aureum adjudicavit Veneri. Ecce quomodo amor mulieris pulchræ, vulneraverit cor ſapientis Alexandri, & illud devicerit.

Quamvis autem ſit in rebus temporalibus vel etiam carnalibus aliqua delectatio, hæc tamen nunquam eſt ita pura, quin eam præcedat aliqua triſtitia vel ſequatur. Et ita videmus quod hauſtus vini non ſit homini delitioſus, niſi dum præceſſit ſitis: Dum autem jam ſatis bibit, non ſentit amplius delectationem in bibendo. Idem eſt in quiete, quæ tunc delectat, quando præceſſit fatigatio, dum autem homo abundanter quievit, non amplius delectatur quiete, ſed quærit motum. *Similiter* in venere, homo delectatur actu *libidinoſo*, poſtquam multis precibus eum *impetravit* à fœmina, quando autem illum *conſummavit* ad ſatietatem, non amplius delectatur. Unde ait *Ariſtoteles*, quod omne animal poſt coitum triſtatur. Similia exempla habentur in omnibus delectationibus corporalibus & temporalibus, quibus ſemper moleſtia aliqua vel triſtitia, antecedenter, vel concomitanter eſt annexa. Unde dicit *Ariſtoteles*: quod nihil idem manens, idem ſit nobis ſemper, & pro ſemper delectabile; & hoc ideo: Quia homo continuò mutatur. At vero quia Deus eſt natura ſimplex, & invariabilis ut dicit *Ariſtoteles*: ideo ſemper gaudet una, & ſimplici delectatione, quam habet in contemplatione ſui ipſius. Dum ergo nos ad ſtatum divinum deveniemus per glorioſas dotes corporis & animæ, erit delectatio noſtra ſemper una, uniformis & perpetua; juxta illud *Pſal* Adimplebis me lætitia, cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem.

LECTIO

LECTIO CLVII.
TEXTUS.

Sed tamen in his minor adhuc eſt querela, & hi etiam fortaſſe errant, Deum quærentes & volentes invenire. Etenim cum in operibus illius converſentur, & inquirunt, & perſuaſum habent, quoniam bona ſunt, quæ videntur, iterum tamen nec his debet ignoſci; ſi enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon oſtendit viam & modum, per quem gentiles Philoſophi poterant in cognitionem Dei venire, nunc oſtendit quod de ſua negligentia nullam habeant excuſationem. Dicit ergo: *Sed tamen adhuc in his* (nimirum gentibus quæ coluerunt corpora cæleſtia, ſolem & lunam tanquam ſuos Deos) *minor eſt querela*: minor inquam quam de illis, qui coluerunt ſtatuas à ſe ſculptas & fictas. *Et hi enim* (ubi ly *enim* ponitur pro *quia*) *fortaſſe errant* (ubi ly *Fortaſſe*, accipitur pro infallibiliter, ſeu certò, pro ut etiam accipitur in *Evangelio*, dum Chriſtus dixit Judæis, ſi cognoviſſetis me, *forſitan* & Patrem meum cognoviſſetis. ubi ly *forſitan* ponitur pro ly *certò ſeu infallibiliter*) Itaque ſenſus verborum allegatorum eſt. *Et hi, quia certò errant Deum quærentes*; ſupple, ineptè quærentes; putabant enim Deitatem ineſſe corporibus cæleſtibus, Soli, Lunæ, & ſtellis: & quia ſic ineptè quæſiverunt Deum, non valebant eum invenire. Et ideo excuſationem tales gentiles Philoſophi adducere non debent, ſe inculpabiliter ignoraſſe Deum, ſi enim debitè Deum quæſiviſſent, ſine dubio ipſum inveniſſent, prout ex dicendis patebit. Et ut iſtam excuſationem, quam gentiles Philoſophi adducere poſſent, ſe inculpabiliter ignoraſſe Deum, Salomon magis refutet; ideo ſubdit in Textu; *Etenim cum in operibus illius converſentur, & inquirant*; Et ſic continuò verſentur in ſtudio *de operibus ipſius*, id eſt Dei, v. g. conſiderando naturas lapidum, herbarum, influxum cælorum in hæc inferiora: ideò clarè ſequitur ex dictis & factis iſtorum Philoſophorum, *Quod perſuaſum habeant* (id eſt ratum, & per rationem probatum) *quoniam bona ſunt quæ videntur*, nimirum iſta ſenſibilia, ut lapides, herbæ, &c.

Iterum tamen nec his debet ignoſci; ubi ly *tamen*, idem valet ac *Sed*, ſenſus eſt: *ſed* nec his debet ignoſci ipſorum ignorantia de Deo, nec debent pro excuſatis haberi; cujus rationem ſubdit Salomon dicens; *Si enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum, quomodo Dominum hujus non facilius invenerunt?* Quaſi dicat: Mirum eſt, quod iſti Philoſophi qui fuerunt ſubtilis ingenii, tantam habuerint cognitionem rerum ſenſibilium & earum effectuum, & non cognoverint cauſam omnium rerum univerſalem, quam tamen facile habere poterant, cognoſcendo nimirum, an ſit Deus? Quamvis quid ſit Deus majoris indaginis ſit.

Adde quod antiquos Philoſophos præceſſerint Prophetæ & Patriarchæ, qui tam verbo quã ſcripto Dei notitiã alios docuerunt; à quibus deinde facilè notitia ad alios etiã Philoſophos poterat devenire: quẽadmodũ ſcientiæ Adamo infuſæ, & aliis communicatæ, rurſus ad alios devenerunt, ut loquitur *S. Aug. lib. 18. de Civ. Dei cap. 38.* Adeoque Philoſophi gentiles, non poterant ſe excuſare, quod ignorantiam Dei inculpabiliter habuerint. Circa illa verba, Dominum non invenerunt, ſit.

ARTICULUS UNICUS.
An Deus ubique per gratiam ſuam inveniatur?

DIco primò. Deus per ſuam gratiam non invenitur in laſcivius voluptatis, nec in divitiis inordinatæ veritatis.

Explicatur prima pars. Quod Deus non inveniatur in laſcivos voluptatis. Unde *Iob.* 28. dicitur: Non invenitur in terra ſuaviter viventium. Et *Cant.* 3. In lectulo meo per noctem quæſivi, quem diligit anima mea: quæſivi eum & non inveni. Præterea laſcivia voluptuoſa contrariatur ſummæ bonitati Dei, quæ omnem immodeſtiam excludit. Contrariantur etiam ſummæ puritati Dei, quæ nihil per laſcivas voluptates coinquinatum ſecum, & cum gratia ſimul ſtare permittit.

Explicatur ſecunda pars. Quod Deus per gratiam ſuam non inveniatur in divitiis inordinatæ vanitatis. Unde *Oſee*, 5. dicitur: In gregibus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient. Dixi autem in divitiis inordinatæ vanitatis, ut inſinuem, quod divitiæ abſolutè loquendo, non repugnent Gratiæ divinæ. Unde Abraham, Iſaac Jacob, & David, & multi ſancti Reges, & principes fuerunt divites; qui tamen gratiam Dei habuerunt, nec per amorem à Deo receſſerunt, nec ſperarunt in pecuniæ theſauris: ſed ex ſibi abundantibus divitiis pauperibus benefecerunt. Audiant autem divites avari, aurum ſuum velut Deum ſuum adorantes, illud ſcripturæ: Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere: id eſt, nolite ita inhærere veſtris divitiis ut Dei obliviſcamini, à quo bona cuncta procedunt.

Dico ſecundò Deus invenitur Primò in præſepio paupertatis pannis involutus. *Lucæ 2.* Invenietis infantem pannis involutum & poſitum in præſepio. Secundò invenitur in domo mundæ conſcientiæ. *Matth.* 2. Intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus. Et tertiò invenitur Deus in templo devotæ contemplationis. *Lucæ 2.* Poſt triduum invenerunt eum in templo.

LECTIO CLVIII.
TEXTUS.

Infœlices autem ſunt, & inter mortuos eſt ſpes illorum, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum artis inventionem, & ſimilitudinem animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus reprobavit idololatras colentes naturales creaturas; nunc in iſta lectione reprobat idololatras, qui colunt imagines & artificiales figuras à ſe factas, vel ex luto, vel ex ligno, vel ex alia materia.

Dicit

Dicit ergo infelices autem ſunt; Puta tales idololatræ, nam propria opeſatio hominis eſt intelligere, & amare Deum: adeoque iſti, qui colunt imagines falſas pro ſuo Deo, ſunt infelices, juxta illud *Pſalmi*: Contritio & infelicitas in viis eorum. Solet etiam metricè dici:

Tres infælices in mundo novimus eſſe,
Infælix, qui pauca ſapit, ſpernitq; doceri.
Infælix, qui multa ſapit, ſpernitq; docere.
Infælix, qui recta docens, operatur iniquè.

Omnibus autem iſtis modis infœlices fuerunt idololatræ. Nam, *primò*, cum pauca ſapeſent de Deo, ſpreverunt doceri à Prophetis. *Secundò*, cum mulſa ſaperent de mundanis, ſpreverunt Deum per illa inveſtigare, & ſic ſe, & ſuos docere. *Tertiò* quia cum gentiles Philoſophi multos recta decuiſſent de rebus naturalibus, maximè tamen operabantur iniquè colendo idola. Infœlices ergo fuerunt per luminis fidei pſivationem. & per beatitudinis deſpeſationem. Unde ſubditur: *Et inter mortuos eſt ſpes illorum.* Sicut enim de mortuis non eſt ſpes. quod naturaliter ſedibunt ad vitam, ita de illis non eſt ſpes, quod ad vitam gratiæ redibunt, qui pertinaciter appellaverunt *Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, & artis inventionem*: id eſt idolum aliquod nova arte excogitatum, & ab hominibus aſtificialiter formatum

Dicitur autem *Dædalus* primus fuiſſe, qui fecit idola ſe moventia, teſte *Magiſtro in hiſtoriis, ſuper librum Iudicum de temporibus Gedeonis.*

Et ſimilitudines animalium. Nam ut ſupra dictum eſt, quidam coluerunt ſimilitudines ſerpentum, draconum, ovium, ranarum, atque canum; &c. *Aut lapidem inutilem*, qui nimirum ad nullum uſum vitæ humanæ inſervit. *Opus manus antiquæ*: Quia olim putabatur plus Numinis ineſſe imaginibus antiquis propter vetuſtatem, quam novis. Solent enim vetulæ dicere, quod imagines ſexageſimo anno à fabricatione ſua ſortiantur virtutem.

ARTICVLVS VNICVS.

An, & cur Apoſtoli introduxerint uſum imaginum in Eccleſia?

Dico primo. Quod uſum imaginum in Eccleſia introduxerint Apoſtoli.

Explicatur aſſertio, Nam *S. Damaſcenus lib. 4. cap.* 8. ait: Rumor ad me pervenit, quod beatus Lucas pinxerit imagines Chriſti, & beatiſſimæ Virginis Mariæ, & quod illæ imagines habitæ fuerint Romæ, & aliæ conformiter ad illas fuerint depictæ, quæ olim Jeroſolymis habebantur. Narratur etiam in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, quod Chriſtus ab Abagaro Ediſſimorum civitatis Rege, qui pictorem ſuum miſerat ad Chriſtum, imaginem ſui ipſius eidem miſerit. Cum enim pictor ab *Abagaro* miſſus non poſſet oculos ſuos ſatis defigere in faciem Chriſti, propter claritatis ſuæ coruſcationem, ideo Chriſtus Dominus devotionem Regis attendens, veſtimentum ſuum faciei applicuit, cui etiam ſuam effigiem impreſſit, quam deinde Regi illi miſit, uti narrat *Damaſcenus* loco citato.

Dico ſecundo. Quod fuerit triplex cauſa inſtitutionis imaginum in Eccleſia.

Explicatur aſſertio. Nam *Primò* hoc factum fuit ad inſtructionem Laicorum ſimplicium, quibus imagines ſunt loco librorum. *Secundò* ut Incarnationis myſterium, & Sanctorum exempla nobis frequentius, & exactius imprimerentur. *Tertiò* ad excitandum devotionis affectum, qui magis ex viſis quàm ex auditis cauſatur.

Dico tertiò quod nulla adoratio propriè dicta debeatur imagini: nec licet aliquam imaginem proprie adorare, bene tamen honorare.

Explicatur aſſertio. Quia vera adoratio eſt in ſpiritu, & devotione, & amore ſummo, quem non debemus in aliquam creaturam dirigere.

Quia autem propter Imaginem *Chriſti* excitamur ad adorandum Chriſtum; & coram imagine orationem noſtram facimus Chriſto; ideo largo modo loquendo, dici ſolet, quod Imaginem Chriſti adoremus: quam tamen imaginem ſtrictè loquendo non adoramus. Nam imago Chriſti non adoratur propriè, quæ eſt lignum v. g. vel æs, argentum vel aurum, aut pictura; nec adoro illam imaginem quatenus eſt imago Chriſti: ſed adoro Chriſtum coram Imagine Chriſti; & quia eſt imago Chriſti, ideò excitat me ad adorandum Chriſtum. Et hoc modo intelligendus eſt *S. Thomas in 3. Sententiarum Diſtinct.* 4. Quæres, unde ſimulacrorum uſus ortum habeat?

Dico cum *S. Iſidoro 7. Etymolog. cap.* 11. Quod ſimulacrorum uſus ortum habuerit ex nimia affectione ad mortuos: nam conſtituebantur quædam ſtatuæ, vel effigies, quæ repræſentabant vivis perſonas quaſdam jam defunctas. Poſt hæc dæmones ſimalacra illa ſunt ingreſſi, & reſponſa ex illis dederunt, ſeque permiſerunt coli ab hominibus malis.

Simulacra autem dicuntur, vel quia ſunt ſimilia in figura, & ſpecie perſonis defunctis, quas debebant aliis repræſentare: vel dicuntur *ſimulacra*, quia ſunt ſimulata aut conficta. Porrò Judæi dicunt, quod *Iſmaël* primum ſimulacrum fecerit ex luto; Gentiles vero dicunt *Promotheum* primum fuiſſe qui fecit ſimulacrum hominis ex luto, qui etiam adinvenit artem faciendi ſtatuas; Apud Græcos autem *Cicrops* primus ſimulacra repeſit, aras erexit & ſacrificia diis inſtituit.

LECTIO CLIX.

TEXTUS.

Aut ſi quis artifex de ſylva lignum rectum ſecuerit, & hujus doctè eradat omnem corticem, & arte ſua uſus, diligenter fabricet vas utile in converſationem vitæ, reliquiis autem hujus operis ad præparationem eſcæ abutatur: & reliquum horum quod ad nullum uſum facit lignum curvum, & verticibus plenum ſcalpat diligenter per vacuitatem, & per ſcientiam ſuæ artis figuret illud & aſſimi-

aſſimulet imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo eſt, perliniens: & faciat ei dignam habitationem & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne fortè cadat, proſpiciens illi, ſciens, quoniam non poteſt adjuvare ſe. Imago enim eſt, & opus eſt illi adjutorium.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon reprobavit idololatras, colentes imagines ex materia minerali, puta imagines vel idola facta ex auro vel argento. Nunc reprehendit idololatras colẽtes ſimulacra ex ligno ſculpta. Fatuitas autem eorum oſtenditur ex hoc. Nam artifex lignum longum ex ſilva acceptum, dividit in tres partes, & ex meliore parte ligni, facit ſibi aliquod vas utile pro neceſſitate naturæ humanæ v.g. Currũ, Rhedam, vel aratrum; ſuperfluitatẽ verò illius ligni adhibet pro combuſtione ut præparet ſibi cibos: ac tandem ex parte deteriori ligni gibbis pleni ſormat ſibi talis artiſex gentilis aliquod idolum, repræſentans formam ſerpentis, draconis, ranæ, vel canis: & tale idolũ adorat pro Deo. Quod certè ſtultiſſimum eſt: nam ſtultum eſt credere illud eſſe Deum, quod eſt aliquod homogenium cum eo quod quis combuſſit: vel cum rheda aut aratro, quibus quis pro neceſſitate ſua utitur.

Dicit ergo hic: *Aut ſi quis artifex faber* (videlicet lignarius) *ſecuerit* (ſecuri vel ſerra) *lignum rectum de ſylva. Et hujus ligni doctè*, id eſt artificialiter, *eradat corticem omnem* (puta tam exteriorem quam interiorem) *& arte ſua diligenter uſus fabricet vas in utile in conſervationem vitæ.* Ubi ly *in utile*, idem valet ac valde utile; juxta modum loquendi ſcripturæ: Unde ibi ly *in utile* facit duo verba, & ſignificat rem factam ad utilitatem humanæ vitæ.

Reliquias (id eſt reliquiis) *autem hujus operis* (factis ex arbore ſecta) *ad præparationem eſcæ* (id eſt pro coquendis cibis) *abutebatur.* Dicitur autem artifex illis ſuperfluitatibus ex ligno abſciſſis per combuſtionem ad præparandos cibos *abuti*; quia uſus rei ſecundum *juriſtas* fit ſalva rei ſubſtantia, ſicut aliquis utitur equo vel pallio, ſalvâ ſubſtantiâ equi vel pallii; Quandò autem ipſa ſubſtantia rei conſumitur quam pro noſtro ſervitio adhibemus, dicimur tali re *abuti*, id eſt abſque conſervatione talis rei uti. *Theologicè* autem loquendo dicimur aliqua re abuti, quando re illa male utimur.

Et reliquum horum (puta quæ pro vaſe valde utili præparando, vel etiam pro combuſtione adhibitæ jam fuerunt) *quod nullum uſum facit* id eſt, quod ad nullum uſum juvare poteſt. Lignum *curvum verticibus* (id eſt gibbis & nodis plenum) *ſculpat diligenter per vacuitatem ſuam* (id eſt quando ſibi vacat) *per ſcientiam ſuæ artis figurat illud* (faciendo de ligno ſtatuam) *& aſſimilat imagini hominis*; juxta illud *Iſaiæ* 44. Fecit imaginem viri; quaſi ſpecioſum hominem, habitantem in domo. *Aut alicui ex animalibus illud comparet* (id eſt aſſimilet) ſicut depingebatur ab iſtis idololatris *Namon* Deus Ægypti in figura arietis, & *Hamber* in ſpecie canis: *Perliniens illud* (nimirum lignum) *rubrica* (id eſt colore rubro ſeu terra rubra rubedinem cauſante) *& rubicundum faciens fuco colorem illius:* Ubi ly *Fucus* accipitur pro colore adulterino occultante nativum colorem, & alium ſimilem nativo colori repræſentante. Unde ſubditur: *Et omnem maculam quæ in illo* (nimirum ligno eſt, de quo fabricat ſtatuam) *perliniens*, id eſt perungens hanc ſtatuam à ſe factam, ut occultetur lignum ſtatuæ ſub hoc extrinſeco colore. *Ut faciat ei*, id eſt tali ſtatuæ à ſe factæ, *dignam habitationem*. Quia idololatræ poſuerunt tales imagines ſeu ſtatuas in pulcherrimis templis. *In pariete ponens illud*, id eſt tale idolum, ponit in pariete ſub aliqua fornice per modum alicujus arcus.

Et confirmans ferro (nimirum illam ſtatuam ſeu idolum) *ne cadat*, ſicut cecidit *Dagon* ad præſentiam arcæ Dei. De quo 1. *Reg.* 5. dicitur: *Dagon* pronus jacebat in terra ante arcam Dei. *Proſpiciens illi, ne cadat, ſciens quoniam non poteſt adjuvare ſe*; Imago enim eſt hominis & non homo. *Et opus eſt illi adjutorium hominis*, & nullo modo poteſt hominem adjuvare. Per quæ verba Salomon ſpecialiter irridet hujuſmodi idololatras, quod tales ſtatuas, & idola à ſe formata, ſeu homines ſculptos, qui ſe ipſos juvare non poſſunt, adorent pro Deo: qui certè ſi Deus eſſet, non indigeret auxilio hominum, & in omnibus homines juvare poſſet. Circa illa verba: *Facit ei dignam habitationem. Notandum eſt*, quod beatiſſima Virgo Maria facta ſit illo tempore digna habitatio Dei, quando in ſuo corpore Filius Dei carnem aſſumpſit. *In Pſal.* Elegit Dominus *Sion*, elegit eam in habitationem ſibi. *Sion* interpretatur *Specula*, & beatiſſimam Virginem figurat, quæ noſtra ſpecula altiſſima, & præeminens extitit per vitæ excellentiam. *Eccl.* 51. Et exaltaſti ſuper terram habitationem meam. Digna autem facta eſt beatiſſima Virgo habitatio Dei propter humilitatis profunditatem. Unde ipſamet in ſuo *Cantico Magnificat*, hoc aſſerit, dicens: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Item propter virginitatis puritatem: Unde *S. Ambroſius de eadem dicit* Virginitate Altiſſimo placuit. Et propter converſationis ſanctitatem, quam *S. Ambroſius lib.* 2. *de Virginibus* ſub initio ita deſcribit. Hæc corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens; intenta operi, verecunda ſermone, arbitra mentis, ſolita non hominem, ſed Deum quærere, nullum lædere, bene velle omnibus; aſſurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Et poſt pauca. Non geſtus in ea fuit fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior: ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis. *Hæc S. Ambroſius.*

LECTIO CLX.

TEXTUS.

Et de ſubſtantia ſua, & de filiis ſuis, & de nuptiis votum faciens, inquirit. Non erubeſcit loqui cum illo qui ſine anima eſt; & pro ſanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita mortuum rogat, & in adjutorium inutilem invocat: & pro itinere petit ab illo qui ambulare non poteſt, & de acquirendo, & de operando, & de omni rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam reprehenſi ſunt idololatræ, de multiplici idolorum diverſitate, nunc in iſta Lectione pergit Salomon deſcribere ſtultitiam idololatrarum, dum idolis ſuis emittunt vota, porrigunt ſupplicationes & orationes, ac ſi intelligerent, omniaque negotia ipſis commendant, quæ in vita humana contingunt.

Dicit ergo: *Et de ſua ſubſtantia* (quantum ad bona fortunæ) *Et de filiis ſuis* (quantum ad prolis ſucceſſionem) *Et de nuptiis* (contrahendis pro ſe, vel pro filiis ſuis) *votum faciens* idololatra, *inquirit* ab idolo ſuo. Secundò deridet Spiritus ſanctus idololatras. quod porrigant ſupplicationes ſuis idolis. Et dicit ſic: *Non erubeſcit* (idololatra) *loqui cum illo* (ſcilicet idolo, ſeu Deo ſuo ficto) *qui ſine anima eſt*; idolum enim ſeu Deus fictus nec habet animam vegetativam, nec ſenſitivam, nec rationalem: & ideo merito erubeſcere debet idololatra, quod tanquam homo rationalis loquatur alicui ſtatuæ mutæ & non rationali. *Et pro ſanitate* idololatra, idolum *infirmum*, ſive carens omni virtute & poteſtate, deprecatur. *Et pro vita ſua mortuum* (idolum) *rogat*: Quia idolum lignum aridum eſt. Vel idolum eſt mortuum, id eſt, non vivens ſicut eſt lapis, qui æquivalet mortuo. *Et in adjutorium invocat inutilem* Deum ſuum fictum; ſicut fuerunt ſacerdotes *Baal* 3. *Regum* 18. Qui invocabant *Baal* de mane uſque ad veſperam clamantes, *Baal* exaudi nos. Præterea fatuus idololatra *pro itinere petit ab eo* (nimirum Deo ſuo ficto) *qui ambulare non poteſt*; *& de acquirendo* (per negotiationem) *& de operando* (quantum ad operis inchoationem, an ſit fortunatus:) *Et de omni rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis.* Occaſione hujus quod in præſenti dictum eſt, homines idololatras voluiſſe ab idolis ſuis ſcire futuros rerum eventus, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum obſervatio ſignorum ad præcognoſcendos eventus futuros, ſit licita vel ſuperſtitioſa?

DIco quod obſervatio ſignorum, quæ ſimul ſunt veræ cauſæ futurorum eventuum, ſit licita: at verò nuda obſervatio ſignorum nullam habentium cauſalitatem reſpectu eventuum futurorum, & tantum introductorum ex vanitate hominum, nullatenus eſt licita, ſed ſuperſtitioſa.

Explicatur aſſertio. Nam quando ſigna ſunt ſimul cauſa futuri eventus, tunc obſervatio talium ſignorum, nihil eſt aliud quam deductio quædam effectus ex ſua cauſa, quod omnino licitum eſt: Ut v. g. ſi quis videat aërem nebuloſum, prudenter conjicere poteſt, quod erit pluvia, vel nix &c.

At verò ſi nulla ſit cauſalitas in tali ſigno reſpectu futuri eventus, ut v. g. quando vetulæ dicunt, ſi picæ garriant, ſignificant adventum futuri hoſpitis; tunc, inquam, obſervatio talium ſignorum non inſtitutorum a Deo ad aliquid futurum ſignificandum, non eſt licita: Quia tales obſervationes ſignorum ſunt introductæ ab humana vanitate per cooperationem malitiæ dæmonum; qui gaudent implicare homines in vanitatibus & erroribus.

Nec obſtat quod ſubinde caſu accidat, quod ad tale ſignum, v. g. ad garritum alicujus picæ adveniat hoſpes. Non inquam obſtat, quia quando homines incipiunt talibus vanis obſervationibus indulgere, tunc multi effectus caſuales ſequuntur ex cooperatione dæmonum, non autem ex vi ſignorum, ut ita Diabolus homines magis roboret, & confirmet in ſuis vanis obſervationibus.

Hic quoque audiendus eſt *S. Auguſtinus*, Qui de obſervationibus futurorum eventuum per ſigna ad eos nullatenus ordinata, ſic loquitur *lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap.* 2. dicens: Tales obſervationes ſuperſtitioſæ ſunt ſicut aliqui dum vident caligas à ſoricibus rodi, timent de aliquo infortunio futuro. Unde legitur *Catonem* quondam deriſiſſe alium, qui ipſi pro mirabili ſigno infortunii futuri nuntiavit, caligas ſuas per ſorices eſſe corroſas. Certe ajebat *Cato*, non eſt mirabile: ſed fuiſſet mirabile, ſi caligæ ipſæ ſorices corroſiſſent. Ad iſta quoque ſuperſtitioſa pertinet, ſi homo ſurgens de lecto ad lectum redeat, quia ſternutavit antequam ſe potuit calceare. Item ſi homini ſingultienti dicatur, teneas manu dextrâ pollicem manus ſiniſtræ. Item quando pro malo accipitur ſi duobus amicis ſimul ambulantibus, puer aliquis vel aliud animal per medium intercurrat, & ob hoc æſtimetur illorum amicitiam fore diſſolvendam. Item ſi homo redeat ſtatim domum, dum ex domo egrediens ſtatim pede impingit ad lapidem: & tales multas fatuas obſervantias loco citato adducit *S. Auguſtinus*.

Præterea vana obſervantia eſt, quandò venatores eundo venatum, Religiulis vel ſacerdotibus obviant, vel aliquem talem habent in ſocietate, ſtatim diffidunt de fœlici ſucceſſu ſuæ venationis.

Uſus quoque Characterum, & omnium figurarum (excepta figura S. Crucis) item invocatio nominum incognitorum, & alligatio ſcedularum ex *Evangelico* circa collum patientis (teſte eodem *S. Auguſtino*) ſunt quædam reliquiæ idololatriæ. Dices, eo licitum eſt uti quod antecesſores noſtri per multa experimenta didicerunt eſſe verum; ſed multi experti ſunt, quod occurſus Religioſorum impediat bonam venationem: Ergo licitum eſt uti tali ſigno, & propter occurſum religioſorum venationem dimittere.

Item multi experti ſunt quod inchoare iter feria tertia ſit periculoſum; Ergo licitum eſt propter feriam tertiam, tanquam ſignum infœlicis itineris, iter dimittere.

Reſpondeo ex dictis, quod homines decipiantur, ratione ſuæ nimiæ credulitatis per artem dæmonum; & ideo ſtante hac nimia credulitate hominum ſuperſtitioſorum, dæmones cooperati ſunt, quod vel habuerint infauſtam venationem, poſtquam eis religioſus aliquis occurrit: vel quod habuerint infœlix iter, dum feria tertia profecti ſunt. Qood autem præfata ſigna non trahant infallibiliter ſecum aliquem infœlicem eventum, patet ex eo: quia alii homines, qui non ſunt ſuperſtitioſi, bonam & optimam ſæpe habuerunt venationem, dum eis religioſus aliqois occurrit, & ſimiliter fœlix iter habuerunt, dum Feria tertia iter ſuum inſtituerunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum ſit licitum uti imaginibus aſtronomicis, effigiatis ſub certa conſtellatione alicujus planetæ?

SEnſus tituli eſt: An ſit licitum facere ſignum, ſeu ſculpere formam v. g. Leonis in auro, dum ſol eſt in Leone, ita ut deinde iſta imago Leonis auro impreſſa, dum ſol eſt in ſigno Leonis, habeat particularem aliquem effectum, & virtutem, ex influxi illius cæleſtis ſigni Leonis, ad aliquos morbos, v. g. ad quartanam febrim pellendam, dum collo infirmi appenditur.

Dico quod non ſit licitum uti imaginibus Aſtronomicis effigiatis ſub certa conſtellatione alicujus planetæ: nec tales imagines ratione ſuæ formæ artificialis factæ ſub certa conſtellatione, habent aliquam particularem virtutem.

Explicatur aſſertio. Nam ita docet expreſſe *S. Thomas 22. Q. 96.* allegans pro ſe *S. Auguſtinum lib. 10. de Civit. Dei.* Ubi ait Angelicus Doctor; Quod opinio *Porphyrii* de talibus imaginibus conſtruendis ſit falſa. Unde quidem verum eſt, quod res naturales ſuas formas, & virtutes conſeqoantur ex corporibus cæleſtibus, ſed imagines artificiales nullam virtutem conſequi poſſunt ex arte; nec aliam virtutem habere poſſunt, niſi quam habent ratione materiæ. Figura autem talis imaginis Aſtronomicæ, non eſt principium alterandi; & ideo aurum talis imaginis Aſtronomicæ non habet aliam virtutem cauſandi, quam habeat aliud aurum alterius figuræ.

Nec refert, ſi ſubinde talis imago Aſtronomica videatur habere & facere ſpecialem effectum. Non inquàm refert, quia hoc provenit ex operatione dæmonum, qui ſunt ludificatores hominum, teſte *S. Auguſtino*: & ideo tales imagines Aſtronomicæ dum ſpecialem effectum operantur, virtutem ſortiuntur à dæmone Cujus ſignum eſt, quia oportet illis imaginibus quoſdam characteres (quorum ſignificatio neſcitur, & fortè deſignant nomina certorum dæmonum) imprimere, quæ ad nihil naturaliter operantur. Pro quo

Notandum eſt, quod Imagines *Aſtronomica* & *Nigromantica* in hoc differant, quod in factura imaginum Nigromanticarum fiant quædam expreſſæ invocationes dæmonum, & ita pertinent ad expreſſa pacta cum dæmonibus inita. Aſt verò in factura imaginum Aſtronomicarum, ſunt quædam tacita, & implicita pacta cum dæmonibus, per quoſdam characteres, & figuras ab ipſis dæmonibus adinventas: ad quorum characterum factionem dæmones ſuffragantur iis, qui dictos characteres fecerunt, & apud ſe portant.

ARTICVLVS TERTIVS.

An ſcedulæ continentes aliquem textum ex Evangelio, vel Pſalmis, alligatæ ad collum, habeant particularem virtutem; licitumque ſit tales ſcedas collo alligare pro infirmitate pel enda?

DIco quod ſi tales ſcedulæ continentes aliquem textum ex Evangelio vel Pſalmis alligentur collo, ut Deus ad horum ſacrorum verborum appenſionem ex ſua miſericordia motus, & reſpiciendo ad devotionem infirmi, eundem infirmum citius curet, nihil mali eſt. Sed quando putas, quod illa verba ex propria virtute curent febres, & prohibeant morbom caducum, & ſimiliter quando cum illis verbis Evangelii, vel Pſalterii miſcentur aliqui characteres ignoti, & nomina exotica, ſeu extranea & ignota, tunc eſt ſuperſtitio.

Aſſertio manet explicata ex ipſis terminis, & pro ea expreſſe loquitur *S. Chryſoſtomus ſuper Matth.* dicens. Quidam aliquam partem Evangelii ſcriptum circa collum portant: Nonne quotidie in Eccleſia legitur Evangelium, & auditur ab omnibus. Cui igitur in aure poſita Evangelii nihil proſunt, quomodo poſſunt eum circa collum juvare? Deinde ubi eſt virtus Evangelii; in figuris litterarum, aut in intellectu ſenſuum? Si in figuris, bene circa collum ſuſpendis. Si in intellectu? Ergo melius in corde poſita proſunt, quam circa collum appenſa. Hæc *S. Chryſoſtomus.*

* * *
* *
*

CAPITVLVM DECIMVM QVARTVM.

LECTIO CLXI.

TEXTUS.

Iterum alius cogitans navigare,& per feros fluctus iter incipiens, ligno portante ſe fragilius lignum invocat. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, & artifex ſapientia ſua fabricavit. Tu autem Pater omnia gubernas providentia, quoniam dediſti in mari viam & inter fluctus ſemitam firmiſſimam: oſtendens, quoniam potens es ex omnibus ſanare, etiamſi ſine rate aliquis adeat mare; ſed ut non eſſent vacua ſapientia opera, propter hoc etiam exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare, per ratem liberati ſunt.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon deriſit inſipientiam idololatrarum, in veneratione idolorum pro negotiis, quæ geruntur in terra: nunc deridetur eorum fatuitas in ſupplicando idolis pro negotiis, quæ geruntur in aqua. Porro hæc fatuitas oſtenditur per comparationem idoli facti de ligno, ad navim factam de ligno conſimiliter. Cum enim tam navis, quàm idolum factum ſit de ligno; & navis ſit fortior, ſubtilior & utilior, quia fuit ordinata à ſapientia divina (*Geneſ. 6.* Fac tibi arcam de lignis levigatis) Idolum vero fit à ſcientia humana: ideo minor fatuitas fuiſſet adorare navem, quam idolum.

Dicit ergo *Iterum aliquis alius* (nimirum idololatra) *navigare cogitans*, & per *feros* (id eſt per feroces) *fluctus iter facere incipiens ligno portante ſe* (id eſt navi) *fragilius lignum invocat*; nimirum idolum, quod eſt fragilius; quia idolum poteſt fieri de ligno debiliſſimo. Navis autem econtra fit de lignis fortiſſimis, & bene compaginatis: *Illud enim* (nimirum idolum) *cupiditas acquirendi* (tam in artifice quam in ſacerdotibus, & pontificibus idolorum) *excogitavit & artifex illud idolum ſapientia ſua fabricavit*: Non autem fabricatum eſt ſapientia divina.

Et quia navis inventio debet fuiſſe facta ex divina providentia; Et quia aliquis poſſet dubitare, an Deus ſine navis adjutorio poſſit homines in mari ſalvare: Ideo ſubditur in Textu. *Tu autem Pater omnia gubernas providentia.* Juxta illud *Sap. 6.* In omni providentia occurret illis. *Quoniam dediſti in mari viam* (nimirum in mari rubro: *Exod. 14.*) *& inter fluctus ſemitam firmiſſimam* (nimirum inter fluctus fluvii Jordanis Joſue 3.) *oſtendens quoniam potens es ex omnibus ſanare* (id eſt ex omnibus periculis ſalvare, & in omnibus locis ac elementis hominem liberare; ſicut Deus ab igne ſalvavit *Abraham*, juxta illud *Gen. 15.* Ego eduxi te de Ur (id eſt de igne) Chaldæorum: & tres pueros ſalvavit in flamma ignis fornacis ardentis *Danielis 3.* Item in elemento aëris ſalvavit Latronem pendentem *Lucæ 23.* Prætcrea in aqua maris ſalvavit Jonam. *Ionæ 3.* Et denique in elemento terræ ſalvavit Lazarum, eum reducendo ad vitam *Ioannis 11.*

Sequitur in textu. *Etiamſi ſine rate aliquis adeat mare.* Confidens in Deum debet ſperare in ſalute; ſicut patuit in S. Petro *Matth. 14.* ubi dicitur: Deſcendens Petrus de navicula ambulavit ſuper aquas. Idem pater in *S. Raymundo de Pennafort* Ord. Prædicatorum Tertio generali Magiſtro: qui non ſolum fuit prædicator glorioſus quadraginta mortuorum reſuſcitatione, ſed etiam admirabilis navigator ſuper undas vaſti & fluctuoſi maris, dum ex Inſula *Balliari* majori, *Barcinonam* uſque trajecit nullo navigio, ſed pallio tantum ſuper aquam expanſo reductaque ejus ora inſtar veli ad baculum, quo tanquam malo utebatur: & ita confidens in ſolo Deo, ſuper pallium ſuum flectens, veluti ſolidis tabulis vectus, centum ſexaginta milliaria ſex horis confecit, cunctis circum littora ſtupentibus; Quod miraculum Deus mirè auxit, dum ſanctus ille vir *Raymundus* ſiccis veſtibus ex aqua egreſſus, *Barcinona* per oppeſſulatas portas ingreſſus fuit.

Simile quid legitur de *S. Hyacintho* ejuſdem Ordinis, & Poloniæ inſigni ſplendore, ac gloria. Nam iſte, cum prædicandi Evangelii cauſa ad varia paſſim loca ſe conferret, ac propterea ad *Vandalum* flumen *Viſogradum* Maſſaviæ urbem redundantibus aquis præterfluens, aliquando perveniſſet, nullo nauclero, nulloque navigio quo trans amnem veheretur, ad ripas conſpecto, divina ope implorata, & ſigno Crucis ſe muniens, comites ad iter per medios fluctus alacriter agendum hortatus; Ea, inquit, filii ſequimini veſtigia mea in nomine Chriſti: quo dicto ſtatim in flumen ſe ſiccis veſtigiis immiſit. Veruntamen ſociis illum ſequi metuentibus, expanſo pallio aquam tegens; agite, inquit, filii chariſſimi, ſit iſte nobis pons *Ieſu Chriſti*: ſicque flumen illud altiſſimum, ac rapidiſſimum unà cum ſociis incolumis trajecit. Ita de utroque ſancto viro legitur, in utriuſque canonizationis Bulla data à Clemente Octavo. Porrò pro intelligentia hujus termini *Ratis*, in textu poſiti.

Notandum eſt; quod Ratis ſecundum *S. Iſidorum lib. 1. Ethimol. cap. 1.* fuerit primum, & antiquiſſimum navigii genus ex rudibus lignis & aſſeribus confectum, ad cujus ſimilitudinem naves factæ ſunt. *Ratem* verò moderni Grammatici dicunt eſſe latus navis. Unde illud Metricum:

Prora prior pars eſt, navis altera, tertia puppis,
Dic latus eſſe Ratem, ventrem dic eſſe carinam.

Et juxta hoc in textu eſt *Synechdoche*: dum ponitur pars pro tota navi.

In verbis ſequentibus extollitur navis commoditas; quia licet Deus poſſit per ſe immediatè hominem gubernare in mari, voluit tamen homini dare prudentiam naviſactivam: *ut non eſſent vacua ſapientia ſua opera* (id eſt infructuoſa & inutilia.) *Propter hoc etiam exiguo*

ligno

ligno credunt homines animas ſuas (id eſt vitam ſuam temporalem) *& tranſeuntes mare per Ratem* (id eſt per navim) *liberati ſunt*; Circa illa verba: *Propter hoc etiam exiguo ligno homines credunt animas ſuas.*

Notandum eſt. Quod Chriſtus poſſit dici (moraliter loquendo) modicum lignum propter mentis humilitatem; juxta illud ab *Heb.* 2. Eum, qui modico minus ab Angelis minoratus eſt, videmus *IEſum* &c. Poteſt etiam Chriſtus dici lignum propter fructus fertilitatem, & de ipſo exponi illud *Pſalmi*: Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Iſtud porrò lignum (nimirum Chriſtus Dominus) plantatum fuit in ſua Incarnatione in terra benedicta, nimirum in glorioſiſſima Virgine Maria, de qua dicitur in *Pſalmo*: Benedixiſti Domine terram tuam. Terra illa dicitur bona, quæ benè culta reddit fructum trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum. Sed iſta terra eſt multo magis benedicta, quæ ſine labore, vel cultura produxit optimum fructum. Et talis terra benedicta fuit glorioſiſſima Virgo Maria, quæ abſque naturæ præſidio per ſolam operationem Spiritus ſancti produxit optimum fructum, & infinitæ bonitatis, dum nobis verum Deum & hominem ſalvatorem noſtrum genuit Chriſtum; & ideò bene de beatiſſima Virgine dicitur: Benedixiſti Domine terram tuam, quia ſpecialiter & ſingulariter fuit benedicta.

ARTICVLVS VNICVS.

An Chriſtus rectè vocetur lignum vitæ; item quot & quæ conſideranda ſint de Chriſto, tanquam de ligno fructifero?

Dico primò, Chriſtus veraciter dicitur lignum vitæ.

Explicatur aſſertio. Nam à Chriſto datur homini triplex vita; Primò naturæ; ſecundum illud *Geneſis* 2. Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Secundò vita Gratiæ, quia de plenitudine ejus accepimus omnes. Et tertiò datur Chriſto vita gloriæ; Unde *Proverb.* 3. dicitur; Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam beati. Quæ verba dicuntur de Sapientia Incarnata quæ eſt Chriſtus.

Dico ſecundò quod ſpecialiter duodecim ſint penſanda de Chriſto Domino tanquam de ligno frugifero.

Explicatur aſſertio, adducendo duodecim illa ſpecialia. Nam primò, ſicut lignum plantatum in terra ſolidat terram ex omni parte, & per radices ſuas colligit ac conſtringit ne diffluat; ita Chriſtus in Virgine benedicta Matre ſua Maria eam ſolidavit virtutibus, & gratiis ſic aſtrinxit, ut nunquam diffluere potuerit per minimum peccatum. Et ideo beatiſſima Virgo Maria in conceptione Filii ſui benedicti, adeò ſanctificata fuit, ut fomes peccati ab eadem totaliter fuerit ablatus per communicatam ſibi excellentiſſimam gratiam; quæ flexibilitatem liberi arbitrii ſic efficaciter determinavit ad bonum, ut nullo modo potuerit in malum flecti.

Secundò conſiderandum eſt, *quod hoc lignum germinarit* in miraculorum operatione. Conſtat quod quando lignum incipit germinare, tunc virtus, quæ intra lignum jacuit, ſeſe exſerit & extendit. Sic etiam virtus quæ in Chriſto latuerat uſque ad tempus ſuæ prædicationis, ſeſe evidenter oſtendit in miraculorum patratione *Lucæ* 6. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Et *Ezechielis* 36. Multiplicabo fructum ligni & germen.

Tertiò quod lignum illud *fronduerit*, in bona operatione orando & jejunando.

Quartò *floruit* per famæ divulgationem. *Cantic.* 5. Vineæ florentes odorem dederunt. Sicut autem odor florum in vinea, dicitur ſerpentes fugare: ſic etiam bona fama Chriſti ſerpentes peccatorum fugavit.

Quintò *folia produxit*, per ſalubris doctrinæ prædicationem. Verba enim ſunt ſicuti folia: tiam folia ſunt ſonora, & habent formam linguæ. *Apocal. ult.* Folia ligni ſunt ad ſanitatem gentium.

Sextò fructum fecit in ablatione peccatorum. *Iſa.* 27. Iſte eſt omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.

Septimò iſtud lignum fuit putatum in paſſione, ut fructum plus afferat. *Cant.* 2. Tempus putationis advenit.

Octavo fuit iſti ligno appodiamentum appoſitum ad ſupportandum, quando Cruci fuit applicatum, & affixum. *Act.* 10. Quem occiderunt ſuſpendentes in ligno; quando Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum 1. *Petri.* 2.

Nonò iſtud lignum aruit in morte *Eccleſ.* 6. Relinqueris velut lignum aridum in Eremo.

Decimò iſtud lignum refloruit in Reſurrectione. *In Pſal.* Refloruit caro mea. Et *Job* 14. Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit; rurſus vireſcit, & rami ejus repullulant.

Undecimò hoc lignum uſque ad cœlum crevit in Aſcenſione *Ezech.* 31. Elevata eſt altitudo ejus ſuper omnia ligna regionis.

Duodecimò. Iterum fructificavit in Spiritus ſancti Miſſione *Apoc.* 22. Ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens duodecim fructus, per menſes ſingulos.

Porrò hoc lignum attulit adhuc alios duodecim fructus vel racemos, quando poſt miſſionem Spiritus ſancti, duodecim Apoſtolos miſit in mundum. *Lucæ* 6. Elegit duodecim, quos & Apoſtolos vocavit; quibus dixit *Ioan.* 15. Ego vos elegi de mundo, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

LECTIO CLXII.

TEXTVS.

Sed & ab initio cum perirent ſuperbi gigantes, ſpes etiam orbis terrarũ ad ratem confugiens, remiſit ſæculo ſemen nativitatis, quæ in manu tua erat gubernata. Benedictum eſt enim lignum, per quod fit juſtitia. Per manus autem per quod fit idolum, maledictum eſt & ipſum, & qui fecit illud; quia ille

quidem operatus eſt: illud autem cum eſſet fragile, Deus cognominatus eſt. Similiter autem odio ſunt Deo impius, & impietas ejus. Etenim quod factum eſt, cum illo, qui fecit, tormenta patietur.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſita comparatione inter Idolum, & navim, nunc in hac Lectione proſequitur Spiritus ſanctus commendationem navis, ſeu arcæ ex divina ordinatione fabricatæ. Et quia per Arcam homines fuerunt ſalvati, meritò debetur ei benedictionis beneficium; idolum autem tanquam res inutilis meretur ſolum maledictionem.

Dicit ergo: *Sed & ab initio*; id eſt parum poſt mundi exordium: quia in principio ſecundæ ætatis ſæculi ſub Noë, *cum perirent ſuperbi gigantes*: per quæ verba notatur cauſa cur Deus homines per diluvium perdiderit: nimirum ideo: quia erant ſuperbi, terreni, carnales, & luxurioſi. *Spes orbis terrarum*: id eſt ſeminarium generis humani, *Noe* videlicet & uxor ejus, & uxores filiorum ejus: *Ad ratem* (id eſt arcam) *confugiens remiſit ſæculo ſemen nativitatis*; id eſt, ſeminarium propagationis, quod mundo fuit ferè ſubtractum, quia ſolum ſtetit in octo perſonis, qui deinceps poterant propagare mundum. *Quæ* (ſcilicet arca) *manu tua* (id eſt potentia) *gubernata erat*: & ideò merito debet illud lignum benedici. Unde ſubditur in Textu; *Benedictum* (id eſt benedictione dignum) *lignum* (id eſt arca) *per quod fit justitia* (id eſt ſalus & conſervatio juſtorum pereuntibus malis.) Unde dixit Dominus ad *Noe*, *Geneſis* 7. Te enim vidi juſtum coram me.

Sicut autem illud lignum, quod eſt arca, dignum fuit benedictione: ita & lignum quod eſt idolum, dignum eſt maledictione propter duo. Tum ratione facientis, qui illud fabricavit; quia Deus prohibuit fabricare idolum, juxta illud *Deuter.* 27. Maledictus homo qui facit ſculptile, & conflatile, & adorat illud. Tum etiam ratione rei factæ, quæ indigne cognominatur *Deus*, in præjudicium majeſtatis divinæ & æternæ. Dicit igitur: *Idolum autem quod fit per manus, maledictum eſt & ipſum*, ſcilicet idolum ſuum. Ubi

Notandum eſt, quod *Idolum* accipiatur tripliciter Primò pro materia lignea, lapidea, vel metallina: & ſic idolum eſt aliquid. Secundo modo accipitur pro diabolo præſidente tali idolo: & ſic etiam idolum eſt aliquid. Tertio modo accipitur Idolum quaſi pro quodam compoſito ex dæmone & materia figurata, ſicut homo componitur ex corpore & anima: & ſic loquitur Apoſtolus 1. *Corinth.* 18. dicens: Scimus quod nihil eſt idolum in mundo.

Porrò in præſenti textu accipitur *Idolum* in ſecunda acceptione, unde ſubinfertur. *Etenim, quod factum eſt* (id eſt diabolus qui dicitur idolum ſecundo modo) *Et præſides illi, quod factum eſt* (nimirum materiæ figuratæ ſeu exſculptæ) *cum illo qui fecit* (nimirum idolum) *tormenta patietur in inferno.* Circa illa verba: *Benedictum lignum, per quod fit juſtitia*; Sit

ARTICULUS PRIMUS.

An in ligno S. Crucis homo per Chriſtum juſtè rependerit, quod abſtulerat; & diabolus per lignum juſtè devictus fuerit, in quo vicerat?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod in ligno Crucis homo per Chriſtum juſte rependerit, quod abſtulerat Juſtum eſt enim quod ſecundum formam, & quantitatem delicti, fiat emendatio cum reſtitutione ablati. Homo autem fructum vetitum acceperat ab arbore: & homo Chriſtus fructum vitæ reſtituit arbori. Deinde homo delectatus eſt in omni ſuo Senſu illicitè: at vero homo Chriſtus in omni ſenſu ſuo punitus eſt injuſtè. Nam Chriſtus Dominus habuit pœnam *quo ad tactum* in ſua flagellatione, coronatione, & crucifixione; *ſecundo quo ad Viſum* conſiderando ſuam caſtiſſimam Matrem, quam tenerrimè dilexit, lachrymantem, & diſcipulum quem diligebat lachrymis plenum, ac Judæos inſultantes. Tertiò quoad *Auditum*: audivit enim opprobria & blaſphemias, dicentibus Judæis: Si Filius Dei es, deſcende de cruce, & credimus tibi, & multa alia. Quartò quo ad *Guſtum* paſſus fuit Chriſtus: guſtavit enim acetum cum felle mixtum. Quintò paſſus eſt Chriſtus quo ad *Olfactum*, nam odoratus ſputorum fetorem *Iſaia* 50. Faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Et de hac juſtitia dicitur ad *Rom* 5. Sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio venit: ita per unius juſtitiam in omnes homines juſtificatio vitæ.

Explicatur ſecunda pars. Quod juſtum fuerit, ut ſicut diabolus hominem in ligno deceperat & vicerat; ita quoque per lignum falleretur & deciperetur. Juxta illud *Ovidii*

Iuſtus uterque fuit, nec eſt lex æquior ulla,
Quam necis artificem arte perire ſua.

Huc facit illud *Pſal.* Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis. Ergo benedictum lignum Crucis, per quod fit juſtitia. De hac Juſtitia loquitur *Magiſter ſententiar. lib. 3 diſtinct.* 20. reddens rationem quare Chriſtus nos non voluerit liberare per nudam ſuam potentiam, ſed per lignum Crucis ad faciendam juſtitiam. Ideo, inquit, potentia vincere noluit, quia diabolus vitio perverſitatis ſuæ amator eſt potentiæ, & deſertor, expugnatorque juſtitiæ: in quo illi homines diabolum magis imitantur, qui neglecta peroſaque juſtitia, potentiæ magis ſtudent, ejusque adeptione lætantur, vel cupiditate inflammantur. Sed ideo placuit Deo, ut non potentia ſed juſtitia vincens, hominem erueret, in quo homo imitari eum diſceret. Adeoq; manet, quod lignum crucis, per quod facta eſt juſtitia, debeat eſſe benedictum. Pro cujus majori declaratione ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum lignum S. Crucis ſit pons per quem Chriſtus tranſivit; latus in quo Chriſtus dormivit; ſcala per quam Chriſtus aſcendit; & libra in qua redemptio noſtra pependit.

Dico

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod lignum S. Crucis ſit pons per quem Chriſtus tranſivit fluvium mundanæ vanitatis; & ſuper quem calcare debemus pedibus affectionibus, ut nos ſupportet à fluctibus inundantibus peccatorum. Et ſicut quilibet contemnens pontem periclitatur, & ſubmergitur: ita is qui non ſupportatur à Cruce, nec ei innititur, ſalvari non poteſt. Unde 1. *Corinth.* 1. dicitur: Verbum enim Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, virtus Dei eſt. Unde de Cruce poteſt exponi illud *Sapien.* 10. Cum aqua deleret terram, ſalvavit iterum Sapientia per contemptibile lignum, juſtum gubernans. Ad propoſitum etiam *S. Maximus in ſermone de Martyribus* ait: Crux non ſolum intelligitur lignum patibuli; ſed piæ vitæ virtutumque propoſitum: nam omnis Chriſtiani vita, qui ſecundum Evangelium vixerit, Crux eſt atque martyrium.

Porro iſte pons Pœnitentiæ & Crucis, non eſt pons fixus & immobilis, ſed eſt pons qui levatur & attrahitur de nocte: adeoque is qui voluerit per illum pontem tranſire, debet venire de die. Dies eſt vita noſtra, mors autem eſt nox; pons vero pœnitentiæ elevatur & ſubtrahitur à pedibus noſtris in morte. Et ideo rectè ſcribitur *Eccl.* 17. Confitere Domino ante mortem, à mortuo enim, quaſi nihil, perit confeſſio. Lignum Crucis figuratum fuit per illud lignum quod Deus monſtravit *Moyſi Exodi* 15. Cum enim populus veniſſet in *Rammatha*, & homines inveniſſent ibidem aquas ita amaras, ut eas nullo modo potuerint bibere, clamavit *Moyſes* ad Dominum, qui oſtendit illi lignum, quod cum immiſſum fuiſſet in aquas, aquæ dulcoratæ ſunt, & factæ ſunt potabiles. Illo modo (moraliter loquendo) ſi quæcunque pœnitentia in hac vita nobis videatur eſſe amara, & lacrymæ à nobis fuſæ videantur eſſe amaræ, opus eſt, ut immittatur in eas lignum Crucis recogitando, quod Chriſtus ita pro nobis paſſus ſit, juſtus pro injuſtis: & tum non amplius amaræ erunt lachrymæ noſtræ, ſed per amorem Dei dulcoratæ ſuper mel & favum. Unde S. *Iſidorus de ſummo Bono* ſic inquit: Si Paſſio redemptoris ad memoriam reducatur, nihil tam durum erit, quod non æquo animo toleretur. Parva enim toleramus, ſi recordemur quod biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cœlum. Ille enim opprobria, contumelias, irriſiones, alapas, ſputa, ſpineam coronam, Crucemque ſuſtinuit: & nos miſeri uno ſermone fatigamur, & uno verbo ſæpe dejicimur. *Hæc S. Iſidorus.*

Explicatur ſecunda pars. Quod lignum Crucis ſit lectus in quo Chriſtus dormivit. Notum eſt, quod quando Domini in æſtate ſe diſponunt ad dormiendum, claudant feneſtras, ut quietius dormiant. Sic etiam quando Chriſtus fatigatus de iſta miſera vita dormire volebat in lecto Crucis, feneſtra mundi videbatur eſſe clauſa, quando factæ ſunt tenebræ ſuper univerſam terram, ab hora 6. uſque ad 9. Ut ideo merito poſſit dici illud *Paralip.* 24. Occiderunt eum in lectulo ſuo, & mortuus eſt.

Porrò hic fuerunt duo in uno lecto, nimirum Divinitas & humanitas, hæc aſſumebatur ad pœnam ſuſtinendam, illa autem manſit libera, quia Divinitas pati non potuit.

Et bene poteſt lignum crucis vocari *lectulus*, & non perfectè lectus: nam lignum crucis ita ſtrictum fuit, ut Filius hominis non habuerit, ubi caput ſuum reclinaret, nec ubi genua poſſet reinclinare. Unde de eo poteſt exponi illud *Gen.* 50. de Jacob. Finitis mandatis, quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit.

Hoc fuit ferculum quod fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani *Cant.* 3. Et dicitur *ferculum*, *à fero, fers*; non autem à *ferculo eſcarum*: ſed eſt genus vehiculi, quod vulgo lectica dicitur.

Explicatur tertia pars: Quod lignum Crucis ſit ſcala per quam Chriſtus aſcendit. Aſcendit enim ſicut Jonathas reptans manibus & pedibus 1. *Regum* 14. Hæc eſt ſcala, quam vidit Jacob in ſomnis, cujus ſummitas cœlum tangebat; & Angelos quoque Dei vidit aſcendentes & deſcendentes, & Dominum innixum ſcalæ, *Gen.* 28. Super iſtam ſcalam oportet aſcendere, ſi ad cœlum velimus venire: nec ad veram gloriam via alia eſt quàm per Crucem. Unde dicebat *Apoſtolus ad Galatas* 6. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini mei Jeſu Chriſti.

Explicatur quarta pars. Quod Crux Chriſti ſit *Libra*, in qua noſtra redemptio pependit. Divites & nobiles, quando pecuniam ſolvunt in magna quantitate, non numerant ſed librant, pauperes autem ſemper numerant. Si tamen utrumque fiat de pecunia, & iſta non ſolum ponderetur, ſed etiam numeretur, tunc certò ſcietur quantitas pecuniæ. Et quia apud Chriſtum facta eſt copioſa noſtra redemptio; ideo non ſolum voluit *numerari* (juxta illud *Pſalmi*: Dinumeraverunt omnia oſſa mea) ſed etiam voluit *ponderari*, ut oſtenderet nobis illud *Eccleſ.* 6. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Itaque Chriſtus ponebatur quaſi in uno appendiculo libræ, & homo ponebatur in alio libræ appendiculo, & inventum eſt, quod merita Chriſti utpote infiniti valoris non ſolum ſufficienter, ſed etiam abundanter ſatisfecerint pro peccatis generis humani.

Conſtat, quod quando in una libræ ſcutella aliquid ponderoſius ponitur, quam in altera, tunc ponderoſior ſcutella deſcendit, & altera levior aſcendit; ſic etiam in anima Chriſti ſeparata quidem à corpore, ſed tamen Divinitati ſemper conjuncta, fuit ſummè ponderoſa ob ſua infinita merita; & ideo deſcendit plane uſque ad inferos vinctos ex limbo educendo; hominem autē in altera libræ ſcutella poſitum exaltavit uſq; ad cœlum; & ſic verificatur illud *Ezech.* 17. Humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile.

LECTIO CLXIII.

TEXTUS.

Propter hoc, & in idolis nationum non erit reſpectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Initium enim fornicationis eſt exquiſitio idolorum: & adinventio illorum corruptio vitæ eſt: neq; enim erant ab initio, neq; erunt in perpetuum.

Super-

Digitized by Google

Supervacuitas enim hominum advenit in orbem terrarum: & ideo brevis illorum finis adinventus eſt.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione prædicit Spiritus ſanctus culpæ obſtinatorum idololatrarum irremiſſibilitatem. Dicit ergo: *Propter hoc* (quia nimirum idololatræ obſtinati, ſunt odibiles Deo) *ideo & idolis nationum* (id eſt dæmonibus præſidentibus idolis, apud diverſas nationes) *non erit reſpectus*, videlicet miſericordiæ: *quia creaturæ Dei* quæ tantum factæ & ex ſe ordinatæ ſunt ad honorem Dei & profectum hominum) *factæ* (id eſt converſæ ſunt, per abuſum hominum, & per inveſtigationem dæmonum) *in odium Dei*; ita ut Deus propter illos à malis hominibus odio habeatur, & homines decipiantur & perdantur. Et propter hoc ſubditur in Textu, *Quoniam creaturæ in odium Dei factæ ſunt*; per hoc videlicet, quod honor Deo vero debitus, auferatur ab illo, & exhibeatur creaturæ v. g. ſtatuæ alicui mutæ & factæ ex ligno inutili, quæ ſtatua colitur ab idololatris tanquam Deus.

Præterea Idolum factum eſt, *In tentationem animæ* (id eſt in perditionem animarum hominum) *& in muſcipulam deceptionis, pedibus inſipientium.* Et hæc eſt cauſa, quare idolis nationum non ſit reſpectus. Et quod hæc cauſa ſit vera, probatur ex eo: *Quia initium fornicationis animæ recedentis à Deo eſt exquiſitio idolorum: & adinventio illorum, corruptio vitæ eſt.* Vitæ videlicet creaturæ rationalis, quæ ad cultum Dei veri naturaliter eſt ordinata. In præſenti autem ly *Fornicatio*, non ſumitur pro actu venereo illicito extra connubium, inter perſonas ſolutas; ſed Scriptura ſolet vocare *Fornicationem*, omnem illicitam corruptionem, ſicut eſt idololatria & avaritia, ex quibus fit transgreſſio legis divinæ juxta illud *Pſal.* Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.

Quòd autem idola adinventa fuerint ab hominibus malis, patet ex eo; quia ſi fuiſſent facta per divinam productionem, tunc utique fuiſſent inter opera ſex dierum, quod tamen eſt falſum. Imò ſi hæc idola fuiſſent facta à Deo, manerent ſemper, quod etiam eſt falſum, quia idola omnia deſtruentur ante finem mundi. Et hoc eſt quod ſubditur in textu: *Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum.*

Supervacuitas enim; ubi ly *enim* ponitur pro quia, & ſenſus eſt; quia *ſupervacuitas*, id eſt vana hominum otioſitas, *hæc adinvenit in orbem terrarum, & ideò brevis illorum finis adinventus eſt.* Opera enim Dei perſeverant in æternum; opera verò hominum habebunt finem. Huc pertinet illud quod dixit *Gamaliel Actor. 5.* Si eſt ex hominibus conſilium, hoc opus citò diſſolvetur: Si vero ex Deo, non poteritis diſſolvere illud. Itaque in præſenti Lectione tangitur adinventio idolorum in genere, ſed in ſequentibus agitur de eorum adinventione in ſpecie. Circa illa verba; *Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Hypocritæ ſimulationem bonitatis; avari divites amplitudinem pecuniæ; Superiores idiotæ negligentiam addiſcendi; & luxurioſi mulierem comptam & ornatam, moraliter loquendo, habeant pro ſuo idolo?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Hypocritæ habeant ſimulationem probitatis pro ſuo idolo moraliter loquendo: nam ob probitatem extrinſecè duntaxat demonſtrandam, Hypocrita omnia facit, quæ certe nunquam ex amore Dei faceret. *Unde ſicut Idolum habet extrinſecus effigiem hominis vivi, intùs tamen caret corde, & aliis partibus ſpiritualibus:* ita etiam hypocritæ extrinſecus videntur vivere vita gratiæ, & tamen intrinſecè ſunt mortui per peccatum. Et tales hypocritæ plerumque magnum zelum monſtrant in caſtigando delinquentes, tantùm ut videantur eſſe ſanctiores. Et quia hujuſmodi homines ſubinde etiam reperiuntur in ſtatibus & gradibus Eccleſiaſticis, ideò merito de illis conqueritur Dominus per Prophetam dicens *Jeremiæ 32.* Poſuerunt idola in domo, in qua invocatum eſt nomen meum, & polluerunt eam. Porrò contra iſtos in Religione exiſtentes, qui ſibi ad ſanctitatem putant ſufficere habitum religioſum, dicitur metricè.

Ampla corona nimis, nigra veſtis, bota rotunda,
Non faciunt monachum, ſed mens à crimine munda.

Explicatur ſecunda pars. Quod avari divites habeant (moraliter loquendo) amplitudinem pecuniæ pro ſuo idolo. Unde rectè dicitur *Oſeæ 8.* Argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, ut interierent. Et hoc *Mammon* dicitur, quod adorant avari. Undè & avaritia idolorum ſervitus vocatur ad *Epheſ. 5.* Ubi Gloſſa dicit: Illud Idolum avarum ſignificat, cujus idolum nummus eſt. Talis nummum adorat & colit ut Deum, diligit enim nummum plus quam ſe, ſicut Chriſtianus tenetur diligere Chriſtum plus quam ſe; *Et hoc patet* exinde, quia avarus adeo diligit pecuniam, ut animam ſuam ponat pro pecunia acquirenda; & non poteſt avarus erga pecuniam majorem dilectionem oſtendere, nam ut *Joan. 15.* dicitur: Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; ſeu pro ſibi amabili pecunia. Certum autem eſt, quod tam intensè amare pecuniam, quantum Deus amari debet, ſit valde iniquum; unde *Eccleſ. 10.* Nihil iniquius eſt, quàm amare pecuniam.

Certè avarus ſemper habet animam ſuam venalem pro pecunia; nam illam continuò contemplatur, & aſſiduè de illa cogitat: unde *Geneſis 42.* dicitur: Contemplati ſunt pecuniam in ore ſacci.

Rurſus tales pecuniæ amatores nunquam à pecunia ſponte ſeparantur, ſed cor eorum ſolum in pecunia requieſcit. Undè *Matth. 6.* dicitur: Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.

Et

Et quia avarus magis ſervat obedientiam pecuniæ quàm Deo, ideò deſcendit in infernum. *Eccl.* 10. Pecuniæ obediunt omnia, & in fine deſcendunt ad inferna decepti. *Amos* 2. Exceperunt eos idola ſua, poſt quæ abierunt patres eorum.

Explicatur tertia pars. Quod Superiores ſeu Prælati idiotæ habeant pro idolo negligentiam addiſcendi. Scitur, quod idolum recipiat honores, & tamen nihil valet. Item ponitur in loco ſolemni, & tamen nihil habet virtutis. Item portat gladium vel haſtam, & tamen nunquam percutit, ſeu caſtigat. Sic etiam Prælatus negligens recipit honores, & ponitur in loco ſolemni, & habet authoritatem corrigendi defectus, & tamen nihil facit. Tali autem Superiori dicitur rectè illud *Zacharia* 11. O Paſtor, & idolum derelinqoas gregem.

Explicatur quarta pars. Quod hominis luxurioſi idolum ſit fœmina pulchra, compta, & ornata, quæ veſte & geſtu meretricio ſemper parata eſt ad capiendas animas. Et tales fœminæ pulchræ, & comptæ, ſunt illa idola, ex quibus dæmones dant reſponſa ſallacia, & libidinis incentiva: radiant auro, argento, & gemmis & veſtibus pretioſis, & tamen intrinſecus ſunt vile luium. Undè eſt illud metricum:

Auri nobilitas luteam ſi veſtiat illam:
Non tamen hinc ſequitur, hanc minus eſſe lutum.

Porrò per curioſitatem ornatus, nec vir fœminam, nec fœmina virum, ad illicitum amorem incitare debet. Undè *S. Hieronymus* in quadam epiſtola ſic ait: Si vir vel mulier ad illum amorem ſe ornaverit, ut vultum humanum ad ſe provocet, etiamſi nullum damnum ſequatur, judicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, ſi fuiſſet, qui bibiſſet. Hæc ille.

Et de iſtis idolis fœmineis poſſunt rectè exponi illa verba hodiernæ lectionis; nimirum *In idolis nationum non erit reſpectus*: id eſt, non eſt licitum viro bono & virtuoſo in tale idolum, puta fœminam comptam defigendo oculos, aſpicere. Juxta illud *Eccl.* 9. Ne reſpicias mulierem multivolam, ne forrè incidas in laqueoa illius. Et infra: Averte oculos tuos à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Rurſus hujuſmodi fœminæ ſunt creaturæ illæ, de quibus dicitur in Textu hodiernæ lectionis: *Quoniam creatura ſacta ſunt in odium* (nimirum Dei) *& in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

In hac muſcipula captus fuit David. Hoc etiam fœminæ idolum provocavit Salomonem ad cultum aliorum idolorum 3. *Reg.* 12. Hæc itaque idola fugienda ſunt, & non exquirenda per curioſitatem; quia ſicut dicitur in Textu lectionis hodiernæ: *Initium fornicationis, eſt exquiſitio idolorum.* Nam impoſſibile eſt quod homo curioſus, & laſcivus, ſe fœminis aſſocians, & ſæpè idola, id eſt earum pulchritudinem mente recolens, non cadat. Undè in vitis Patrum legitur, quod quidam Eremita nequidem cum ſua matre aut ſorore loqui voluerit, niſi oculis clauſis. Cauſam interrogatus, reſpondit: quia cogitationes ſunt ſicut picturæ inquietantes, & ex commemoratione rerum viſarum tentationem provocantes.

LECTIO CLXIV.

TEXTUS.

Acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deindè interveniente tempore, & invaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex, cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Spiritus ſanctus, quomodo idola inventa ſint, & quot ex eis fuerint mala ſecuta. Primitus autem idola inventa ſunt ex inordinato amore patris erga filium defunctum, qui ad leniendum ſuum exceſſivum dolorem, curavit ſculpi effigiem filii ſui defuncti, in cujus aſpectu parens lætabatur. Et quia unuſquiſque pro Deo colit, id quod ſummè diligit; ideò ex inordinata dilectione ad filium, cœpit talis pater imaginem filii colere tanquam Deum: & inter ſervos ſuos, qui ei contradicere non audebant, legem ſtatuit, de ſolemnitatibus & ſacrificiis eidem faciendis. Primus autem iſte parens, qui filio ſuo hoc fecit fuit in Ægypto vir ditiſſimus, nomine *Sirsphanes*: ut narrat *Magiſter in hiſtorijs*, *ſuper ſecundum caput Geneſis*, & *Fulgentius lib.* 1. *Mitologiarum.* Et juxta hoc intelliguntur prima verba hodiernæ lectionis. *Acerbo enim luctu dolens pater citò* (*id eſt pramaturè*) *ſibi rapi filium* (puta ex hac vita per mortem) *fecit imaginem* (id eſt curavit ſculpi imaginem ſeu effigiem) *& illud* (nimirum filium) *qui tunc quaſi homo mortuus fuerat*: Ubi ly *quaſi* idem valet ac *veraciter*; hoc enim modo ſumitur ly *quaſi*, *Joan.* 1. ubi dicitur: Cujus gloriam vidimus *quaſi* Unigeniti à Patre, id eſt, veri Unigeniti à Patre.

Sequitur in Textu: *Tanquam Deum colere cœpit; & conſtituit inſuper inter ſervos ſuos* (qui ipſi contradicere non audebant) *legem, ut ſacra & ſacrificia facerent*: illi effigiei filii ſui defuncti, tanquam idolo. Sed quia nequitia hominum fuit magna, res non permanſit in hoc, quod parentes filiis ſuis ſimulacra facerent, quos pro diis coluerunt: ſed etiam econtra filii parentibus ſimulacra fecerunt, quos non ſolum illi, ſed etiam alii ut Deos venerabantur. Sic *Ninus Rex Aſſyriorum* patri ſuo *Belo* fecit ſimulachrum, cui tantam fecit reverentiam, ut omnibus reis ad illud confugientibus pepercerit, & ideò divinos honores illi ſimulachræ exhibuerunt. Et ſic conſequenter factum eſt de pluribus aliis, dum nimirum bellicoſis & victorioſis viris (ut Imperatoribus & Regibus) ſimulachra fecerunt impii, quos veluti Deos venerabantur. Similiter etiam in diverſis urbibus propter virtutis alicujus excellentiam alii homines poſt mortem ſuam venerati ſunt tanquam Dii. Sic *Iſis* filia Regis *Pithi*, quia ex Græcia venit in Aegyptum, & docuit Aegyptios litteras, & culturam

terræ, ideò poſt mortem habita fuit tanquam Dea. Sic etiam *Iupiter*, dictus *à juvando*, quaſi juvans pater, fuit cultus tanquam Deus; erat autem *Iupiter* filius *Saturni* & Rex Cretæ, qui expulſo patre de Creta, regnavit ut Rea. Juxta illud metricum;

Primus Cretais, Saturnus venit aboris.

Fuit autem *Iupiter* cultus ut Deus propter multa mirabilia, quæ fecit apud Cretenſes; & maximè ideò: quia multos in neceſſitate exiſtentes glorioſè juvit, eorumque miſeriam ſuſtulit. Similiter & *Iuba* Rex Maurorum; *Faunus* Rex Latinorum, & Quirinus ſeu Romulus primus conditor Urbis Romæ, fuerunt culti ut Dii, ob ſuas virtutes & glorioſa facta.

Et juxta hæc intelliguntur verba poſteriora hujus Lectionis videlicet: *Deindè interveniente tempore* (id eſt paulatim) *invaleſcente iniquâ conſuetudine*; quæ potius aſſuetudo ſeu corruptela, quam conſuetudo *juridicè* loquendo dicenda eſt: quia conſuetudo eſt de re bona, ſed aſſuetudo eſt de re bona vel mala, & quando eſt de re mala, potius dicenda eſt corruptela. Aſſuetudo tamen in malis, poteſt etiam abuſivè & impropriè dici conſuetudo idololatrandi. Hic *error* (videlicet idololatriæ, tanquam lea â ſuperioribus poſita) *cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta* (id eſt idola) Circa illa verba: *Acerbo luctu dolens.* Sit

ARTICULUS UNICUS.

Quot modis lugeantur amici defuncti?

DIco quod lugeantur tripliciter; nam *Primò* quidem eos lugent fictè & ſimulatè; *Secundò* alii autem charitativè & ex devotione: & *Tertiò* alii eos lugent pertinaciter, exceſſivè, & ſine conſolatione.

Explicatur prima pars. Quod quidam amicos ſuos mortuos lugeant fictè & ſimulatè: & ita ſubindè rident filii mortem ſuorum parentum, quorum bona hæreditant; uxores maritos, à quorum ſocietate libenter recedunt; & legatarii ſuos teſtatores, qui ipſis bona ſua legando moriuntur. Hi omnes certè nigris veſtibus extrinſecè veſtiuntur, & facies ſuas exterminant, & tamen in corde ſuo gaudent. Sic Judas luxit mortem uxoris ſuæ, de quo dicitur *Gen.* 38. Quod poſt luctũ conſolatione ſuſcepta, aſcendit ad tonſores ovium ſuarum, & divertit ad Thamar, quam putavit eſſe meretricem. Sic etiam planxit patrem ſuum *Gallia*, de qua *lib.* 1. *de Epigrammat.* ſic dicitur:

Amiſſum non flet cum ſola eſt Gallia *patrem,*
Si quis adeſt, juſſa proſiliunt lachrymæ.
Non lugeat quiſquis, laudari Gallia quærit:
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

Tales ſimulatè lugentes figurantur per mulierem *Thecuiten* cui dixit *Ioab* 2. *Reg.* 14. Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & non ungaris oleo, ut ſis quaſi mulier plurimo tempore lugens mortuum.

Explicatur ſecunda pars. Quod quidam lugeant amicos ſuos mortuos charitativè, & ex devotione; nihil enim triſtari in receſſu amici, ingratitudinis ſignum eſt: nimis verò triſtari deſperationem arguit de ſalute recedentia. Propter tres rationes autem dolere poſſumus, dum boni viri moriuntur. *Primò*, quia pauci boni viri ſunt in Eccleſia militante; & ideò legitur de *S. Auguſtino*, quod quoties de morte alicujus Sacerdotis audivit, ſemper doluerit: non quia de ſtatu ipſius timuit, ſed quia paucos tales in Eccleſia Dei reliquit. *Secundò*, quia fortè aliqua purganda ſecum deferunt, quæ non ſatis expiarunt in iſto mundo, & tunc oportet eos juvare precibus. *Tertiò*, ex conſideratione humanæ miſeriæ, qua oportet nos ob peccatum primi parentis mori, putrefieri, & incinerari. Et hoc modo Tobias ſepeliebat & lugebat mortuos, *Tobiæ* 2.

Explicatur tertia pars. Quod quidam lugeant nimis pertinaciter, exceſſivè, & ſine conſolatione: ſed talium plangentium fatuitas magna eſt, & decem rationibus declaratur, quæ his Verſibus continentur.

Hæc bis quinque tibi, qui mortem plangis amici,
Menſuram ſtatuant, & gaudia læta reducant.
Vult Deus & ſuum eſt, lex, liberat, omnia noſcens:
Nec valet, imo nocet, obſtabit, ſurget, amabit.

Prima ergo ratio ad oſtendendam fatuitatem pertinaciter lugentium mortem amicorum accipitur ex conſolatione *divinæ voluntatis.* Cui nullo modo debemus eſſe contrarii. Undè *Seneca* ait: Placeat homini, quidquid Deo placet, ob hoc ipſum quia Deo placet.

Secunda conſolatio eſt, quod juſtum & licitum ſit unicuique repetere, quod ſuum eſt; undè *S. Hieron. in Epiſtola ad Marſilium* ait: Nihil abſtulit tuum qui dignatus eſt recipere propriũ creditum ſuum, recipere decuit Creatorem, & nihil aliud decet, quam Creatori gratias agere mutuanti. Exemplo S. Jobi, qui filiis & tota ſua ſubſtantia orbatus dixit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut placuit Domino, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.

Tertiò conſidera, quod neceſſitas moriendi ſit communis lex pro omnibus: Statutum eſt enim omnibus hominibus ſemel mori ad *Heb.* 4. Et de hac communi lege dicitur metricè:

Pauperis & Regis communis lex moriendi
Dat cauſam flendi, ſi benè ſcripta legit,
Guſtato pomo nullus tranſit ſine morte.

Quartò, quando lugere vis amicum mortuum, conſidera, quod per mortem fiat ex ſervo liber, certus de dubio, & beatus ex miſero. Undè dicitur *Iob* 11. Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis. Et *S. Auguſtin. lib.* 1. *de viſitatione infirmorum* dicit ſic: Quis numerare poteſt præſentis vitæ moleſtias; eſurire, ſitire, algere, calere, laſſari, & cætera innumerabilia, quæ ex ſola conſuetudine nobis domeſtica ſunt. Et paulò poſt ait: Denique audacter pronuncio, quod principium vitæ hominis initium doloris ſit, finis verò requies. Et ideò Philoſophi quidam hoc non ignorantes, in ortu puerorum non lugebant, in morte autem gaudebant; ſignificare per hoc volentes: quod homo ad laborem naſcitur, ad requiem autem moritur. Simile quidpiam fecit Salvator noſter, qui de morte Lazari non ploravit, ſed ſolum dixit: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos. Quando autem Chriſtus Dominus Lazarum ad vitam revocavit, ploravit, quia eum ad hujus vitæ miſeriam

cevo-

revocavit. Et paulò poſt ſubdit ſanctus Doctor; O mors deſiderabilis! O mors omnium malorum præſentium finis! O mors laboris clauſula, & quietis principium! quis cogitare poteſt, tuarum utilitates beatitudinum? Nam malè mori Chriſtianorum non eſt, benè autem mori cum Chriſto vivere eſt. Hæc S. Auguſtinus. Huc facit etiam illud, quod dicit *S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono.* Illi deplorandi ſunt in morte, quos miſeros ex hac vita infernus recipit, non quos cœleſtis aula lætificando includit.

Quintò conſidera, dum mortem plangis amici, quod Deus ſit omnia noſcens: ipſe enim novit quid cuivis expediat, vivere vel mori.

Sextò conſidera, quod luctus tuus immoderatus mortuum non juvet: neque enim ad vitam poteris eum revocare, nec per talem luctū à purgatorio liberare. Hoc ipſum benè perpendit David 2. *Reg.* 12. Qui cùm filius ſuus chariſſimus langueret, flevit & non accepit cibum: poſtquam autem mortuus eſt, ſurrexit de terra, lavit ſe, comedit ac bibit, & cum conſolatione dixit: Nunquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad Deum, ille verò non revertetur ad me.

Septimò conſidera, quod luctus irrationabilis ipſi noceat, & illi pro quo luges nihil proſit; juxta illud *Eccl.* 34. Repelle triſtitiam à te. Et infra. Neque enim eſt converſio, & huic nihil proderis, & te ipſum peſſimabis.

Octavo conſidera, quod ſubindè amici nos impediant in virtute & à via ſalutis, quia cor noſtrum ad mundana alliciunt, & ad habendam curam pro ipſis. Undè *S. Auguſtinus ſuper Geneſin ad litteram* ait: Sæpè offenditur Deus ne offendatur amicus: & ideò diſpenſatione divina plerumque contingit, ut amici, quos carnaliter diligimus ſubtrahantur, quatenus affectiones noſtræ in Deum liberius & integrius extendantur.

Nonò conſidera, ſpem reſurrectionis futuræ, quia quem modo mortuum vides, iterum aliquando vivum videbis 1. *ad Theſſalonicenſes* 4. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Undè S. *Ambroſius lib.* 2. *cap.* 3. *de morte fratris ſui* ſic ait: Ceſſabunt lachrymæ meæ, quia debet aliquid inter fidos & perfidos intereſſe. Fleant ſuos, qui eos æſtimant in perpetuum interiiſſe, & qui ſpem reſurrectionis bonæ non habent: nobis verò, quibus mori non naturæ, ſed hujus vitæ finis eſt, quia ipſa natura in melius reparatur, mortis caſus abſterget omnes fletus. Hæc S. *Ambroſ.*

Decimò conſidera, quod ſi mortuus tuus amicus, dum viveret, tibi fuit gratus & acceptus, gratior tibi erit jam ſalvatus: ſic enim amici noſtri à torrente voluptatis divinæ inebriantur, ut tamen nullatenus noſtri obliviſcantur, ut docet *S. Auguſtinus lib.* 9 *Confeſſionum cap.* 3. itaque modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit: nimirum à laboribus & miſeriis hujus vitæ. *Eccl.* 22. Et *Apocalip.* 14. dicitur: Amodo jam dicit ſpiritus ut requieſcant à laboribus ſuis.

LECTIO CLXV.

TEXTUS.

Hos, quos homines in palam honorare non poterant, propter hoc, quod longè eſſent, è longinquo figura illorum allata, evidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tanquam præſentem colerent ſua ſollicitudine.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam oſtenſum eſt, *Primò* homines allectus fuiſſe ad facienda idola propter inordinatum amorem filiorum, parentum & amicorum: nunc oſtendit Salomon, quod altera cauſa principalis idololatriæ fuerit ſuperbia, & vana ambitio Regum, & Principum, qui nimis affectabant dominationes & honores. Et ideò Principes non ſolum volebant adorari à præſentibus, ſed etiam miſerunt ſuas imagines hominibus abſentibus, ut ab iis adorarentur. Undè tales Reges & Principes obliti fragilitatis humanæ per potentiam ſuam faciebant, ut ſibi honor divinus exhiberetur. Sic *Nabuchodonoſor* præcepit Holoferni omnes Deos terræ exterminare, ut ipſe ſolus Deus diceretur à nationibus illis quæ puterant Holofernis potentia ſubjugari. Sic etiam *Cajus Caligula* dicebat ſe eſſe Jovis fratrem, & imaginem ſuam miſit per univerſum mundum, ut ab omnibus tanquam Deus coleretur. Sic etiam *Herodes Agrippa* divinos honores à ſuis adulatoribus recepit, ut dicitur *Act.* 12. qui tamen inter honores ſibi factos vidit bufonem inſiſtentem capiti ſuo, nuntium ſuæ mortis, & inclinatus ad eos, qui ſibi applauſerunt, dixit: En ego Deus veſter morior, ſtatimque percuſſus ab Angelo, & conſumptus à corrodentibus vermibus viſcera ſua expiravit. Hæc ergo vana ſuperbia, & ambitioſa elatio fuit ſecunda conſequentia idololatriæ.

Et hoc eſt quod dicitur in Textu: *Hos autem palam* (id eſt principaliter) *homines honorare non poterant* (ſcilicet colendo vel adorando) *propter quod id* (quia homines alii) *longè diſtabant* (à regionibus ſuis, nimirum iſtorum Regum ſuperborum.) *è longinquo figura* (id eſt imago) *illorum* (id eſt ſuperborum Regum) *allata eſt: & evidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum, qui aberat tanquam præſentem colerent ſuâ ſolicitudine.* Circa illa verba: *Imaginem Regis, quam honorare volebant,* ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum debeamus nos pro honoribus dignificare; honores non nimis deſiderare; & honores invicem communicare?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod nos pro honoribus debeamus dignificare, id eſt honore dignos reddere; ſola enim virtus facit hominem dignum honore: quia virtutis præmium eſt honor; & tribuitur bonis (ut dicit *Ariſtoteles* 8. *Ethicor. cap.* 4.) In cujus rei ſignum

by Google

narrat *S. Auguſtin. lib. 5. de Civ. Dei cap.* 13. quod antiqui Romani virtutem & honorem ſicut duos Deos colebant, quibus præponebant duo templa ſic diſpoſita, ut nullus poſſet venire ad templum honoris, niſi prius tranſiſſet templum virtutis; per quod indicabant, quod nullus debeat accipere honorem, niſi illum propter virtutem ſit promeritus. Et ideò dicit *Ariſtoteles 4. Ethic. c. 5.* quod ſolus bonus ſit honorandus. Et ad Rom. 2. dicitur: Honor & pax operanti bonum.

Oportet tamen attendere, ne homo propter honorem ſibi factum incidat in ſuperbiam; & ideò ad eliminandam ſuperbiam antiqui Romani, ſicut ſuis triumphatoribus tres honores exhibuerunt: ita triplicem ipſis ignominiam inferebant. *Primus* honor fuit, quod populus victori cum jubilo obviam iverit; *Secundus*, quod omnes captivi ſequebantur vincti victorem: *Tertius* honor fuit, quod victor indutus fuerit tunica Jovis, & ponebatur in curru, quem trahebant quatuor equi albi, & ita ducebatur ad Capitolium. Ne tamen talis victor iſtis honoribus ſublimatus ſui oblivisceretur, triplicem moleſtiam ſuſtinere debuit illo die. *Prima* erat quod ponebatur cum eo in curru una perſona vilis conditionis: ut daretur ſpes cuivis quantumvis ſit vilis conditionis, perveniendi ad talem honorem, ſi probus & virtuoſus extiterit. *Secunda* moleſtia erat, quod vilis illa perſona, ſeu ſervus talem Victorem ſæpè colaphizabat in curru, dicens: Noſce te ipſum, & noli de honore tibi exhibito ſuperbire. *Tertia* moleſtia erat, quod illo die cuivis licuerit impunè opprobria contra triumphatorem jacere. Undè *Iulio Cæſari* revertenti poſt multas victorias graviſſimæ contumeliæ fuerunt dictæ nulla ultione ſecuta. Huc facit illud *Eccl.* 11. In veſtitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris.

Explicatur ſecunda pars. Quod non debeamus honores nimium deſiderare. Undè ambitioſus non eſt *is*, qui appetit honores, ſed qui appetit ſibi fieri honores ultra ſua merita ab iis, à quibus non debet, aut quando non debet: & hoc eſt vitioſum. Undè *Eccl.* 10. dicitur: In manſuetudine ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum. Qui autem ultra meritum, vel ſine merito honorari deſiderat, alios ſolum ad falſum teſtimonium invitat. Undè eſt illud *Proverb.* 26. Qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ſic qui tribuit inſipienti honorem. Si autem honor alicui virtute prædito conferatur, meritò dicetur de eo illud *Eccl.* 10. Quod inſcius non honorabitur. Caveat tamen homo virtuoſus, ne nimis honores appetat; quia ſicut dicit *Seneca Epiſt.* 92. Abſtrahunt à recto, divitiæ, potentia, & honores. Narratur de quodam inſigni Priore Claravallenſi, quod electus in Epiſcopum Tornacenſem nec ab Eugenio Papa, nec à S. Bernardo tunc temporis ſuo Abbate, perſuaderi potuit ad acceptandum Epiſcopatum; undè proſtratus ad pedes Abbatis & Clericorum ſe eligentium, dicebat: Monachus fugitivus, ſi me eligitis, eſſe potero, Epiſcopus nunquam ero. Dum itaque hic Prior mortuus eſſet, poſt mortem cuidam ſuo charo apparens dixit: Ecce adſum *Gaufridus* frater tuus. Cui ille, chare mi, quomodo eſt tibi? Reſpondet *Gaufridus*, benè eſt mihi. Sed revelatum mihi eſt à ſanctiſſima Trinitate; quod ſi promotus fuiſſem in Epiſcopum, fuiſſem de numero damnatorum. Nec mirum, quia frequenter, quanquam non ſemper, per honores mutantur mores in pejus. Undè metricè dicitur:

Plurima cùm ſoleant hominum corrumpere mores
Altius evertunt mulier, Cenſus, & honores.

Et ideò dicit quidam ad ſocium ſuum jam ad dignitatem promotum:

Optimus eſſe ſoles, ſi te fecit honor meliorem,
Æſtimo, quod fies, de meliore bonus.

Itaque nemo ſe violenter honori ingerat, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, qui indicio virgæ florentis, & incendio æmulorum electus eſt, & monſtratus placere Deo ſecundum Gloſſam ad Hebr. 5.

Explicatur tertia pars. Quod debeamus honorem invicem communicare. Eſt enim triplex honor, nimirū honor ſubjectionis & obedientiæ; *Secundò* honor ſupportationis & benaficētiæ: *Tertiò* honor affectionis & benevolentiæ.

Primus honor debetur Prælatis & Principibus. Dicit enim *Ariſtot. 5. Eth. cap* 7. quod quilibet tenetur dare mercedem ei, qui pro ſe laborat, ſicut Princeps laborat pro tota multitudine. Hæc autem merces eſt honor & gloria; juxta illud 1. *Petr.* 3. Deum timere, & Regē honorate.

Secundus honor eſt ſupportationis, & beneficentiæ qui debetur parentibus; juxta illud *Deut.* 5. Honora patrem, & matrem, ut ſis longævus ſuper terram. Et *Deut.* 27. Maledictus, qui non honorat patrem ſuum, & matrem ſuā.

Tertius honor, qui eſt honor affectionis & benevolentiæ, debetur omnibus. Juxta illud 1. *Petri* 2. Omnes honorantes fraternitatem diligite. Et ad *Rom.* 12. Honore invicem prævenientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.

Refert *Magiſter Helynandus*, quod *Ælius* Adrianus factus ex ſenatore Imperator, tantum gratiæ populi & Senatus habuerit, ut Senatus ipſum rogaverit, quatenus filium ſuum vocaret *Auguſtum*. Prudens verò pater ſciens, quod grave periculum immineret regimini, reſpondit: ſufficit, quod ego invitus regnaverim. Et ſubjunxit: Alendi ſunt prius pueri, & in virtutibus exercendi; ut probentur virtutibus antecedere, quos debent honoribus anteire. Undè metricè dicitur:

Vt Ver dat florem, flos fructum, fructus odorem;
Sic ſtudium morem, mos ſenſum, ſenſus honorem.

LECTIO CLXVI.

TEXTUS.

Provexit autem ad horum culturam, & hos, qui, ignorabant artificis eximiâ diligentiâ. Ille enim volens plus placere illi, qui ſe aſſumpſerat, elaboravit arte ſua, ut ſimilitudinem in melius figuraret. Quo facto multitudo hominum abducta per ſpeciem operis, eum, qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deū æſtimaverunt. Et hæc fuit humanæ vitæ deceptio, quoniā aut affectui, aut Regibus deſervientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt.

EX-

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam actum eſt de Idolorum populi adinventione, nunc agitur de idololatriæ augmentatione. Cauſa autē promotiva idololatriæ fuit diligentia & ſubtilitas artificum, qui ſummo cum labore ex rebus pretioſis elaboraverunt idola miræ ſpeciei, & gratioſæ pulchritudinis: propter quod ſimplices, qui Idola cōſpexerunt, putabant ipſis aliquid numinis ineſſe. Iſti autem artifices ideò fecerunt idola ſic artificioſa, ut placerent Regibus, qui ipſos conſtituerunt pro iſtis idolis efformandis.

Dicit ergo ſic: *Provexit autem ad horum* (nimirū idolorum) *culturam, & hos, qui ignorabant* (id eſt homines ſimplices) *qui artificis eximiâ diligentiâ*, in fabricando idolo, fuerunt allecti ad illud colendum.

Sequitur, *ille* (nimirum artifex) *volens placere illi* (id eſt Regi vel Principi, vel Tyranno, qui ſe aſſumpſerunt ad effigiendam ſpeciem ſuam (*elaboravit*, id eſt diligenter laboravit) *arte ſuâ*, ut *ſimilitudinem* (id eſt imaginem talis Regis vel Principis) *in melius figuraret*: id eſt, ita pulchrè, uti ſcivit & potuit, formaret. *Quo facto multitudo hominum abducta* (à veritate) *per ſpeciem* (id eſt pulchritudinem) *operis*, *eum* (id eſt Principem vel Regem) *qui ante tempus* (id eſt paulò ante) *tanquam homo honoratus fuerat* (reſpectu humano ſibi tunc tanquam Regi competente) *nunc* (id eſt poſt mortem ſuam) eundem Regem vel Principem, *Deum æſtimaverunt*; exhibentes illi latriam, qui eſt cultus debitus ſoli Deo: juxta illud 2. *Machab.* 11. Rex Antiochus Lyſiæ fratri ſalutem. Patre noſtro inter Deos tranſlato, &c.

In ſequentibus verbis ponit Salomon recapitulationem cauſarum idololatriæ, quæ fuerunt principaliter duæ, ut dictum eſt: nimirum amor inordinatus erga proles, vel amicorum ad amicos & timor Tyrannorum.

Undè in hoc Textu ſubjungit: *Et hæc* (nimirum dementatio) *fuit vitæ humanæ deceptio* (id eſt cauſa deceptionis) *Quoniam aut affectui* (id eſt inordinatæ dilectioni amicorum defunctorū) *aut Regibus* adhuc viventibus præ timore *deſervientes homines incommunicabile nomen* (quod eſt hoc nomen *DEUS*) *lapidibus & lignis impoſuerunt*. Licet autem hoc nomen *DEUS* ſit commune tribus Perſonis ita ut ſigillatim quævis Perſona poſſit vocari *DEUS*; quia tamen illæ tres perſonæ ſunt una res, ſeu una eſſentia ſimpliciſſima, ideò dicitur hoc nomen *DEUS* eſſe incommunicabile. Circa illa verba: *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio.* Sit

ARTICULUS UNICUS.

An homines plerumque decipiantur in præſumptione propriæ perfectionis; in acceptatione nimiæ laudis ſeu commendationis; in delectatione fœmineæ affectionis; & in ſimulatione columbinæ compoſitionis, ſeu fictæ probitatis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod homines ſæpè decipiantur in præſumptione propriæ perfectionis: nemo enim de facile rectè judicat vel de gratiis vel etiam de culpis propriis: ſed potius gratias noſtras nimis magnificamus, & culpas noſtras nimis excuſando extenuamus. Et ideò vix eſt aliquis, qui benè judicat de ſeipſo. Undè *Terentius* inquit: Talis eſt natura humana, ut aliena melius judicet quàm ſua. Hinc eſt quod aliquis ſcientiam ſuam, vel facta ſua levia, in tantum attollat, ac ſi per ea cæteri omnes ſupportarentur. Et tales revera ſunt ſimiles illi idolo depicto, quod humeris cœlum ſuſtinere videbatur; vel illi ſtulto, qui ſemper ſub dio ſtans, noluit domum ingredi, dicens, ſe debere ſuſtinere cœlū, quod rueret ſi ipſe ingrederetur domum; quod tamen ſtabit, eſto talis ſtultus millies domum intraret. Sic etiā multi ex ſcientia ſua præſumptuoſi putant, quod per ſolam ſuam ſcientiam Eccleſia ſupportetur, caſura, ſi ipſi non eſſent. Sed certè decipiuntur tales, cùm dentur multo doctiores & humiliores ipſis. Tali tamen homini præſumptuoſo de ſua ſcientia dici poteſt illud *Iſaiæ* 44. Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te.

Explicetur ſecunda pars. Quod homines ſæpè decipiantur in acceptatione nimiæ laudis ſeu commendationis. Sed de iſta peſte dicit *Seneca in Epiſt.* 2. Incredibile eſt multis quam magnos viros dulcedo orationis abducat. Et *Epiſt* 95. Illud præcipuè impedit, quod nobis tam citò placemus: ſi invenimus, qui nos laudat, qui nos bonos dicat, qui prudentes, qui ſanctos: non ſumus modica laudatione contenti. Nunquid in nos adulatio ſine pudore eſt, dum optimos nos eſſe & ſapientiſſimos credimus, cùm ſciamus, illos, qui nos laudant, multa ſæpè mentiri. Hæc *Seneca*.

Porrò, quia hæc deceptio plerumque fit per amicos, ideò ſignanter de tali, cui fit adulatio, dicitur *Thr.* 1. Vocavi amicos meos, & ipſi deceperunt me. Item illud *Iſai.* 1. Popule meus, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Huc facit illud dictum Platonis. Homines ex inimicis magis quàm ex amicis proficiunt; quia inimici, dum eis errores improperant, ex eis corriguntur: amici verò ſuos eis non oſtendunt errores, ſed tolerant & occultant.

Explicatur tertia pars. Quod homines ſæpè decipiantur in delectatione fœmineæ affectionis. Licet enim invicem amare & amari ſit delectabile multum (ſicut dicit S. *Auguſtin. lib.* 2. *Confeſ. cap.* 1.) promanabant tamē nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & obfuſcabant cor meū, ut non diſcerneretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis, quæ facilè inducitur à fœminis. Undè *Num.* 31. dicitur: Cur fœminas reſervaſti? Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël? Harum enim natura & ars eſt hominem emollire, & emollitum decipere. Et ideò ſignanter Philiſthæi Dalilam fecerunt mediatricem, ut ſuperarent Samſonem dicentes: Decipe eum, & diſce ab eo ubi habeat tantam fortitudinem. Et certè, multa ſæpè reſciuntur per adulantem fœminam, quæ cæteroquin manſiſſent occulta. Undè eſt ille Verſus:

Fallere, nere, flere, ſtatuit Deus in muliere.

Inſuper ſæpè fit, quod poſtquam fœmina ſoliditatem bonæ vitæ accepit à viro religioſo & pio, illa reciproce viro mollitiem infirmitatis refundet. In cujus rei figuram *Gen.* 2. dicitur: quod pro fabricanda muliere fuerit ab Adamo

ablata dura coſta ſeu durũ aliquod os, loco cujus repoſuit Deus partẽ carnis in Adamo; juxta illud *Gen.* 2. Repoſuit Deus carnem pro ea. Sic etiam quantumcunque vir aliquis non ſit oſſeus ſoliditate bonæ vitæ, cavendũ tamen ſibi eſt, ne ex familiaritate fœminæ os ſolidum bonæ vitæ, commutetur in carnem ſeu carnales affectiones, & delectationes lubricas. Undè rectè dixit *Valerius ad Ruſinum*: Amice det tibi Omnipotens omnipotentis fœminæ non falli fallaciis. Huc quoque pertinet illud metricum:

Adam, Sampſonem, David, Loth, & Salomonem
Fœmina decepit; quis modo tutus erit?

Explicatur quarta pars. Quod homines ſæpè decipiantur in ſimulatione columbinæ cõpoſitionis, ſeu fictæ probitatis. Et hanc demonſtrant hypocritæ, qui incedunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autẽ ſunt lupi rapaces. Undè *Prov.* 11. dicitur: Simulator ore decipit amicum ſuum. Et ideò meritò docemur, quod hominũ ſanctitatem non debemus penſare ex ſola facie; juxta illud *Ioan.* 7. Nolite ſecundum faciem judicare. Nec oportet ſecundũ viſionem oculorũ ſtatim judicare, aut ſecundum auditum aurium ſtatim formare judicium de hominis ſanctitate. Undè rectè dixit Apoſtolus 1. *Corinth.* 4. Nolite ante tẽpus judicare. Et certè experientia ſæpè docet, quod is, quem putabas carere felle, propter levẽ cauſam agatur in rabiem: & is, quem putabas nil poſſe loqui, ſed tantùm orare, eſſe maximũ detractorem, ſintque inimici hominis domeſtici ejus: qui poſt quã plurima beneficia acceperunt, ſunt primi & maximi ſupplantatores: ita ut experiantur ſæpè multi Domini vel Superiores, ſe ſerpentes nutriviſſe in ſinu, quando tales ſimulatores & occultos detractores arctiori benevolentiæ & beneficentiæ vinculo aſtrinxerunt. Sed à talibus unumquemque miſericors Dominus cuſtodire dignetur.

LECTIO CLXVII.

TEXTUS.

Et non ſuffecerat erraſſe eos circa Dei ſcientiam, ſed in magno viv̄etes inſcientia bello, & tot & tam magna mala pac̄e appellant. Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſania plenas vigilias habentes, nec vitam nec nuptias mundas jam cuſtodiunt, ſed & alius alium occidit per invidiam, aut adulterans cõtriſtat: & omnia commixta ſunt, ſanguis & homicidium, furtũ & fictio, corruptio, infidelitas, tentatio & perjurium, tumultus, bonorum Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio Mœchia & impudicitia.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione enarrat Salomon, quod vitia ex Idololatria provenerint. Mala autem ex Idololatria orta in genere ſunt quatuor. Nam *primò* Idololatræ *quantum ad Deum* privabantur ejuſdem veri ſui Dei notitia; *quantum ad ſe ipſos autem* decipiebantur; *quantum ad dæmones*, eorũ ſervituti ſubdebantur; *& quantum ad proximos*, omnea ſibi invicem injuſta faciebant. Si ergo loquamur de notitia quã homo per fidem debet habere de Deo, tunc certum eſt, quod Idololatræ per propriam ſuam malitiam iſta Dei notitiâ privati fuerint.

Et quantum ad hoc dicitur in Textu: *Et non ſuffecerat eos erraſſe circa Dei ſcientiam* (ſupple per infidelitatem) *ſed & in magno viventes inſcientiæ bello, & tot & tam magna mala* (nimirum ex malitioſa intentione facta) *pacem appellant*. In quo idololatræ decipiuntur quoad ſeipſos, dum nimirum fuerunt in continuo bello contra Deum, & bonos mores: & tamen putabant ſe vivere in pace ſeu magna quiete.

In verbis ſequentibus declaratur qualiter idololatræ dæmonibus duriſſima ſervituti ſubdebantur per hoc; quia idololatræ *aut erant filios ſuos ſacrificantes dæmoniis*; ſicuti obſervabant in ſacrificiis *Saturni*: nam *Saturnus* in odium filii ſui *Iovis*, à quo fuit ex regno expulſus, præcepit cultoribus ſuis, ut immolarent ſibi ſuos filios. *Aut obſcura ſacrificia facientes*, vel de nocte vel de die; nimirum in antris, ſpeluncis, & lucis, ſive locis obſcuris.

Inſuper Idololatræ in hoc debebant ſervire dæmoniis, dum Diis ſuis falſis certas res debebãt offerre. Nã *Marti* debebat mactari aper; *Baccho* hircus; *Iunoni* pavo; *Iovi* taurus; *Apollini* cignus; *Veneri* columba, *Minervæ* noctua, *Cereri* farra, & *Mercurio* mel debebat offerri, ut teſtatur Didimus Rex Bragmannorum *in Ep. ad Alexand. magnum*. *Aut inſania plenas vigilias habentes*, ſicut faciebant in ſacrificiis *Bacchi*, & *Cybeles* matris Deorum: in quorum feſtivitatibus luſibus, & luxuriis turpiter vacantes totam noctem tranſiegebant.

In ſequentibus verbis declarat Salomon, quomodo idololatræ ſibi invicem injurias faciebant: vel in corporibus inferendo moleſtiam, vel in uxoribus nuptias violando.

Undè dicit ſic in Textu: *Neq; vitam* (nimirum mundam) *jam cuſtodiunt, neq; nuptias mundas, ſed alius aliũ per invidiã occidit aut adulterans cõtriſtat*.

Denique in poſtremis verbis Salomon morum corruptiones conjunctim enumerat, quæ morũ corruptiones idololatriam cõſequuntur.

Dicit ergo: *Et omnia commixta ſunt, ſanguis* ſcilicet invaſione aut vulneratione *injuſta*; *homicidium* in occiſione; *furtum* in alienæ rei iniqua detentione; *fictio* in falſa hypocriſis ſimulatione; *corruptio* in virginum defloratione; *infidelitas* in mutua proditione; *turbatio* in diſcordiarum ſeminatione; *perjuriũ* in falſa probatione; *tumultus* in rixarum contentione; *bonorum Domini immemoratio*, in beneficiorũ Dei ingrata oblivione; *animarum inquinatio*, in gulæ & luxuriæ delectatione; *nativitatis immutatio*, in vitiis contra naturam perpetratione; *nuptiarum inconſtantia*, in uxorum illicita permutatione *inordinatio Mœchia*, in inceſtus & adulterii permixtione; *& impudicitia inordinatio*, ſupple in libidinoſa contrectatione. Circa illa verba: *Et tam magna mala pacem appellant*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An carnales peccatores; mundiales & iniqui cõſpirantes; item negligentes Prælati in corrigendis defectibus ſuorum ſubditorum veram pacem poſſideant?

DIco quod non.

Expli-

Explicatur prima pars. Quod carnales peccatores non habeant veram pacem. Undè ſolū pax aliqua diabolica eſt inter adulterum & adulterā, item inter fornicatorem & fornicatricem; ita ut dicat mulier illud *Cant.* 8. Ego murus, & ubera mea ſicut turris, ex quo facta ſum corā eo, quaſi pacem reperiens. Talis pacificus fuit Salomon, de quo *Eccl.* 47. dicitur: Salomon imperavit in diebus pacis. Et paulò poſt dicitur: Inclinaſti fœmora tua mulieribus, habuiſti poteſtatem in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua.

Conſtat quod tempore belli & adverſitatis, homines non vacent libidini, ſed in diebus otii tantū. Undè David, cùm otiaretur in domo, dū Joab exſteret in bello, cōmiſſit adulteriū. 2. *Reg.* 11. Sic etiam Roma dum bellis vexata fuit cōtra Carthaginem, virtuoſis exercitiis plena fuit: ſed poſtquā Carthago ſubverſa fuit, Roma ſeſe dedit otio, gulæ & libidini. Undè Carthago everſa plus Romæ nocuit, quam Carthago adverſa, ut dicit *S. Auguſtinus 3. de Civ. Dei cap.* 19.

In horum figuram menſis Martius bello fuit conſecratus; undè iſte menſis eſt, in quo Reges ſolent ad bella procedere: ut dicitur 2. *Reg.* 11. At verò menſis ſequens nimirum *Aprilis* eſt Veneri dedicatus; ut intelligas: quod finito bello, tempore pacis & otii dominetur libido. Juxta illud *Ovidij de remedio amoru*:

Otia ſi tollas periere libidinis arcus.

Explicatur ſecunda pars. Quod mundani & iniqui conſpiratores non habeant verā pacem: talis enim ſolum eſt quædam conjuratio duorū vel plurium in pernitiem alicujus innocentis. Et hæc amicitia ſeu potius cōſpiratio figuratur per pacem & amicitiam Herodis & Pilati contra Chriſtum. Et ſicut videmus, quod inter ſpinas ſteriles & infructuoſas major eſt connexio, quā inter arbores fructuoſas: ſic etiam in malis congregationibus, & collegiis, longè fortior eſt cohærentia malarum perſonarum ad invicem ſe defendentium, quam ſit bonorum ad malos corrigendum. Undè *Naum* 1. dicitur: Sicut ſpinæ invicem complectuntur, ſic convivium eorum pariter potantium. De hac pace dicit *Pſalmiſta*: Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Ubi *Gloſſa* ſubdit: Invidi eis, & malè tuli pacem peccatorum.

Explicatur tertia pars. Quod Prælati in defectibus ſuorum ſubditorum corrigēdis negligentes, non ſervent veram pacē. Talis certè Prælatus negligens non habet pacem; quia propria conſcientia eum gravat, & conſcientiæ ſubditorum aliquando accuſabunt talem Prælatum, quod omnia reliquerit impunita: & propterea ipſi in ſceleribus inveterati, damnati fuerunt. Certè hic verificatur illud Scripturæ: Clamavi ſemper pax, pax, & non erat pax. Olim verba Prophetarū vocabantur onera. Undè *Malach* 1. dicitur: Onus Verbi Dei ad Iſraël. Et *in Iſaia* dicitur: Onus Damaſci, Onus Ægypti, Onus Tyri, & ſic de aliis. Sic etiam verba Prælati debent eſſe oneroſa contra pertinaces & rebelles, ſed conſolatoria erga humiles & devotos.

Contingit autem ſæpè (ut notat *S. Chryſoſt. ſuper Mattheum*) quod Prælati in injuriis ſibi irrogatis, ſint accurati & ſeveri, ſed in injuriis Deo irrogatis ſint valdè lenes: cùm tamē econtrario in injuriis Deo irrogatis deberent eſſe ſeveri, & in injuriis ſibi irrogatis deberent eſſe lenes. Pro hac doctrina ſtabilienda, legimus *Matth.* 4. quod quando diabolus tentans Chriſtum Dominum ei dixit: Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant; Chriſtus tunc patienter ſuſtinuit, & per authoritatem Scripturæ confutavit eum, dicens: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Similiter quando diabolus ſecunda vice dixit Chriſto Domino: Si Filius Dei es, mitte te deorſum, Chriſtus ei adhuc leniter reſpondit: quia iſtæ duæ tentationes directè ſolum erant contra humanitatem. Sed quando diabolus tertia vice Chriſto Domino poſito ſupra pinnaculum templi dixit: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidēs adoraveris me; repulit diabolum Chriſtus cum indignatione dicens: Vade Satana, ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum. Super quem locum dicit *Chryſoſtomus*. Exemplo Chriſti Domini diſcimus injurias noſtras æquanimiter ſuſtinere, Dei autem injurias, neque uſque ad auditum ſufferre; quoniam in propriis injuriis eſſe quenquā patientem, laudabile eſt: injurias verò Dei diſſimulare, nimis impiū eſt. Et de iſta mala pace negligentiæ Prælatorum, dicit iiſdem Salvator *Matth.* 10. Non veni pacem mittere, ſed gladium, id eſt, exactam correctionem vitiorū.

LECTIO CLXVIII.

TEXTUS.

Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt, & initiū & finis. Aut enim, dum lætantur inſaniunt, aut certè vaticinantur falſa, aut vivunt injuſtè, aut pejerant citò. Dū enim confidunt in Idolis, quæ ſunt ſine anima, malè jurantes noceri ſe nō ſperant. Utraq; igitur illis evenient dignè, quoniā malè ſenſerunt de Deo, oſtendentes ad idola, & injuſtè juraverunt in idolo, contemnentes juſtitiā. Non enim jurantiū eſt virtus, ſed peccantium pœna perambulat ſemper injuſtorum prævaricationem.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam enumerata ſunt vitia, & morum corruptiones, quæ ex idololatria procreantur: nunc in hac Lectione explicatur cauſalitas eorum, & oſtenditur, quod ex idololatria ſpecialiter deriventur falſitas & injuſtitia.

Dicit ergò: *Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis.* Dicuntur autem idola infanda, quia non ſunt famine, id eſt ſermone digna. Hæc ergo cultura idolorum eſt cauſa omnis initium & finis in ſuis cultoribus: nam propter idola colenda ordinantur peccata ſicut propter finem.

Qualium autem malorum idololatria ſit initium & finis, declarat Salomon in verbis ſequentibus dicens: *Aut enim dum lætantur inſaniunt*, ſicut in feſtis & ludis, quos diis ſuis faciebant: in quibus ſe per libidinem more beſtiarum fœdabant.

Aut certè vaticinantur tanquam eſſent Prophetæ; ſed quia falſi Prophetæ ſunt, vaticinantur *falſa*, ſicut Prophetæ Achab, de quibus dicitur 2. *Reg.* 22. Ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.

Aut

Digitized by Google

Aut vivunt injuſtè (proximis nocendo) *aut perjurant citò* ; id eſt de facili, imò per levi cauſa ſcienter falſa jurant : ut autem falsè jurent, animantur ex eo quia ſciunt, quod idolum nō poteſt ſe vindicare, nec eos propter perjurium iniquū punire ; & propter hoc ſubditur in Textu: *Confidunt enim in idolis, quia ſunt ſine anima* (id eſt ſine intellectu & voluntate) *malè jurantes nocere ſe* (id eſt ſibi) *non ſperant* : id eſt, non metuunt ex hoc puniri, quod jurent falſum per idolum.

In ſequentibus verbis ponitur Idololatrarum falsò jurantium pœna : nimirum quod propter utrumque damnabuntur. Undè ſubditur in Textu : *Utraq; ergo illis evenient dignè*. Id eſt pro utroque dignè punientur ; nimirum pro eo, quod malè ſenſerint de Deo attendentes idolis: & injuſtè juraverint idolo, contemnentes juſtitiam. Et ſic peccaverunt dupliciter ; videlicet primò quia juraverunt falſum : ſecundò quia juraverunt per falſum, id eſt idolum.

In poſterioribus verbis Textus allegati, natura juramenti explicatur his verbis : *Non enim juramentum eſt virtus* : id eſt jurare paſſim & abſque neceſſitate, & jurare indifferenter, tam verum quam falſum, non eſt virtus. Nec juramentum eſt per ſe appetendum, *ſed eſt peccantium pœna* : quia propter incredulitatem hominum nolentium credere, oportet jurare.

Et hac pœna perambulat ſemper (id eſt creſcit) *in juſtorum*, (id eſt juſtitiæ, vel juſtarum rerum) *prævaricationem*. Circa illa verba : *Perjurant citò*. Sit

ARTICVLVS VNICVS.

An perjuri ſint proditioſi per infidelitatē quo ad Deum ; injurioſi per falſitatem quo ad proximum, & pernitioſi per iniquitatem quo ad ſeipſos?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod perjuri ſint proditioſi per infidelitatem quo ad Deum. Hoc oſtenditur tripliciter. Nam conſtat, quod is qui habet ſigillum Regis, eſſet proditioſus & infidelis ſi pactionem aliquam ſigillaret quam Rex ſummè deteſtatur ; & ſi hoc faceret cum ſigillo Papæ vel Cæſaris, eſſet crimen Læſæ Majeſtatis. Moraliter loquendo, Nomen Dei eſt nobis commiſſum, quaſi quoddam ſigillum ad teſtificandam duntaxat veritatem : juxta illud *Deut*. 6. Dominum Deum tuum invocabis, & illi ſoli ſervies, & per nomen ejus jurabis. Et ideò dicit *Apoſtolus ad Hebr*. 6. Quod omnis controverſiæ finis eſt juramentum. Falſitas autem eſt illud quod Deus ſummè odit, ſibi tanquam primæ veritati ſummè contrarium : & ideò qui nomen Dei jurando aſſumit ad conteſtandam falſitatem, Dei proditor eſt. *Secundò* hoc idem oſtenditur, quia ſi quis caſtrum Regis ſuæ fidelitati commiſſum traderet hoſtibus, talis ſine dubio eſſet proditor Regis. Moraliter loquendo, caſtrum eſt nomen Domini, quod invocamus, & ad quod confugimus in omni noſtra neceſſitate; juxta illud *Prov*. 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad eum fugiet Juſtus, & ſalvabitur. Iſtud autem caſtrum traditur hoſti, quando dæmonibus & falſis hominibus committitur ad probitatem falſitatis. *Tertiò* idem patet, quia qui Dominum ſuum malitiosè diffamat, & involvit in aliquo crimine, ille eſt proditor illius ; ſed qui Deum inducit tanquam teſtem falſitatis, nititur Deum involvere in aliquo crimine, & auferre ipſi nomen ſuum bonum, *quo vocatur ſumma veritas* : Ergo talis falsè perjurans eſt proditor Dei.

Ex quo fit, quod perjurans, quantum in ſe eſt, plus contemnat Chriſtum, quam eundem contempſerint ſui Crucifixores ; nam iſti non intulerunt Chriſto niſi malum pœnæ : ille autem homo perjurus nititur Chriſto imponere malum culpæ, dum eum, qui eſt via, veritas, & vita, vult inducere tanquam teſtem rei falſæ, & ita reddere mendacem.

Explicatur ſecunda pars. Quod perjurus ſit injurioſus proximo per falſitatem. Decipit enim per judicem, & ſpoliat jure ſuo bonæ fidei poſſeſſorem : & ideò talis perjurus tenetur læſo ſeu proximo à ſe diffamato non ſolum famam reſtituere, ſed etiam reſarcire damna ex læſione famæ ſecuta. Legimus de dolo *Gabaonitarum*, quod ſimulantes ſe à longè veniſſe, obtinuerint à filiis Iſraël vitæ promiſſionem. Hanc autem promiſſionem ſervaverunt filii Iſraël non obſtante, quod poſtea cognoverint dolum *Gabaonitarum*. Et ideò percepto dolo, & clamante populo & murmurante, dixit Joſue : Reſerventur, inquit, & vivant, ne contra nos ira Dei concitetur, ſi perjuraverimus.

Explicatur tertia pars. Quod perjurus ſit per iniquitatem pernitioſus ſibimetipſi. Ille enim qui ſcienter perjurat, manum libro ſupponit, quâ tangit Evangelium : & eandem manum diabolo quaſi tradit & commendat, niſi dicat verum. Undè illa manus perjurantis efficitur diaboli, qua perjurum quaſi vinctum tenet, donec pœniteat.

In Miſſali verò ſuper quod jurat, quatuor ſcripta ſunt, nimirum Conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti ; *Secundò* ſuffragia ſecretorum ; *Tertiò* beatitudo bonorum ; & *quartò* damnatio reproborum. Eſt ergo ſenſus juramenti, quod facit perjurus ſuper Librum Evangelii, niſi verum ſit, quod modo juro, non me juvet Miſſarum celebratio, nec Sanctorum deprecatio, & privet omninò futura beatitudine Sanctorum & Beatorum, & denique veniat ſuper me maledictio damnatorum, *quæ ponitur Matth*. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.

Similiter perjurans genua flectendo, abrenuntiat omnibus greſſibus, quos pedibus ſuis facit, niſi dicat verum. Extendendo quoque manum ad librum, abrenuntiat perjurus bonis operibus Eleēmoſynæ ſi quas facit : & denique oſculando librum abrenuntiat omnibus bonis verbis & orationibus quas Dominus fecit. Propter quod *Eccl*. 23. dicitur : Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non recedet de domo ejus plaga, & *Levit*. 19.
Non perjurabis in nomine meo.

* * *

CAPITVLVM DECIMVMQVINTVM.

LECTIO CLXIX.

TEXTUS.

Tu autem Deus noſter ſuavis & verus, & patiens, & in miſericordia omnia diſponens. Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam; & ſi non peccaverimus, ſcimus, quoniam apud te ſumus computati. Noſſe enim te conſummata juſtitia eſt, & ſcire juſtitiam tuam, & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.

EXPLICATIO TEXTVS.

INtentio Salomonis in hoc Capitulo eſt, idololatria deſtructa, verum Dei cultum hominibus perſuadere, propter quatuor ſpeciales conditiones quæ hominem poſſunt movere ad ad ſerviendum Domino Deo. Eſt enim Dominus Deus ſuavis in communicatione, & non amarus vel iracundus. Secundò Deus non ſubitò nec rigidè procedit ad ultionem. Tertiò eſt verus in ſervandis promiſſis: & quartò facit Deus miſericordiam erga omnes, ſpecialiter autem erga ſuos famulos. Quantum ergo ad iſta quatuor, dicit ſic: *Tu autem Deus noſter ſuavis* (beneficia largiendo) *& verus es* (promiſſa adimplendo *patiens* (exſpectando delinquentes, ut per pœnitentiam ad te redeant) *& in miſericordia omnia diſponis* (dum punis citra condignum, & præmias ultra condignum.)

In ſequentibus verbis ponitur hujus de Deo commendationis declaratio Dicit ergo: *Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus ſcientes magnitudinem tuam*; id eſt ſi peccaverimus, non poterimus evadere manum tuam, ſed ſumus ſub tua potentia, qua nos potes caſtigare. *Et ſi non peccaverimus* (id eſt ſi ſimus juſti) *ſcimus* (id eſt firmiſſima fide credimus) *quia apud te computati ſumus*; id eſt numerati & electi, præmiandi à te in æternum in cœlis. Ut autem declaret Spiritus ſanctus quale ſimus præmium in cœlo accepturi propter noſtra bona opera, ideo ſubdit: *Noſſe enim te* (clarè videlicet & apertè videre Deum, prout eſt in ſe Trinus & Unus) *conſummata juſtitia eſt.* Unde *Ioan.* 17. dicitur: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum.

Ut autem ſciatur, quomodo ad hoc præmium poſſimus pervenire, ideo ſubdit; *& ſcire* (id eſt credere per dilectionem) *juſtitiam tuam* (id eſt æquitatem tuam) *& virtutem* (id eſt pietatem) *radix eſt* (id eſt principium) *immortalitatis* (id eſt beatitudinis ſempiternæ) Quaſi dicat is, qui habet fidem per charitatem firmatam & diligendo credit, quod tu ſis verè juſtus & pius; ille habet radicem beatitudinis. Circa illa verba, *Quia apud te computati ſumus.*

Notandum eſt, quod licet Deus omnium rerum & omnium hominum tam ſcilicet reproborum quam electorum ſuorum habeat notitiam, quia Deus omniſcius: ſpecialiter tamen dicitur numerus electorum tanquam amicorum ſuorum, & aliquando unà ſecum regnaturorum eſſe computatus. Unde dicit *S. Auguſtinus in Enchridio. Cap.* 22. quod electorum numerus ſoli Deo ſit cognitus. Huc etiam illud *Sapient.* 5. ubi dicitur: Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt. Et paulò poſt de reprobis dicitur: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam. Ecce quomodo computati (id eſt numerati) ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Pro cujus majori explicatione ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum Sancti electi verè ſint à Deo numerati, ſeu computati juxta ſeptem ſpecies Arithmeticæ?

DIco quod ſic.

Explicatur aſſertio adducendo, & applicando electis ſeptem ſpecies Arithmeticæ, quæ his verſibus continentur:

Addere, ſubtrahere, duplare, dimidiare,
Quintaque dividere, ſexta vero multiplicare,
Radicem trahere, pars ſeptima dicitur eſſe.

Itaque Deus has ſeptem ſpecies exercet in effectibus ſuis gratioſis quos confert electis. Nam Deus addit, ſubtrahit, duplat & dimidiat, multiplicat, dividit, & radices extrahit.

Addit enim Deus nobis peccantibus ſpatium & tempus pœnitentiæ, ut conteramur. Et hujus clarum exemplum eſt in Rege Ezechia 4. *Reg.* 20. cui dixit Dominus: Addam diebus tuis quindecim annos.

Subtrahit, etiam quandoque Deus malos, & impeditores quietis noſtræ, ut proficiamus; quia *Proverb.* 26. dicitur: Suſurrone ſubtracto jurgia quieſcunt. Et ideò Deus conſulit per Apoſtolum 2. *ad Theſſal.* 3. Subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinatè.

 Præ-

Præterea Deus nobis duplat ſpiritualia in præſenti ut ſufficiant, quando dat nobis virtutes, tam naturales quàm gratuitas. Unde *Prov.* 31. dicitur: Omnes domeſtici ejus veſtiti duplicibus. Et in futuro Deus nobis duplat gloriam; quando nobis dabit duplicem ſtolam, id eſt, quando dabit glorificationem, tam in corpore quàm in anima. Unde *Iſaiæ* 61. dicitur: In terra ſua duplicia poſſidebunt.

Dimidiat quoque Deus pœnas quas juſtè meremur, quia citra condignum punit nos. Huc facit illud *Matth.* 10. Dimidiam partem fructus ligni, quod eſt portionis meæ, relinquam vobis.

Multiplicat etiam Deus in nobis ſua dona & beneficia, orationes noſtras exaudiendo. In Pſalm. In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutem.

Dividit etiam Deus gratias gratis datas, quas diverſis perſonis diverſimode communicat, ita ut omnes fideles in Eccleſia ſe invicem valeant ſupportare; Unde dicit Apoſtolus 1. *Corinth.* 12. Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus dividens ſingulis pro ut vult.

Denique Deus etiam *Radices extrahit*, quando perverſas cogitationes, à quibus omnia mala oriuntur judicialiter denudabit; unde *Proverbior.* 15. dicitur: Cogitationes impiorum eradicabuntur.

LECTIO CLXX.

TEXTUS.

Non enim in errorem induxit nos hominum, malæ artis excogitatio; nec umbra picturæ labor ſine fructu; effigies ſculpta per varios colores, cujus aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam, & diligit imaginis mortuæ effigiem ſine anima. Malorum enim amatores digni ſunt morte, qui ſpem habent in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.

EXPLICATIO TEXTUS.

Volens Spiritus ſanctus idola prorſus extinguere, deridet ipſorum formam extrinſecam, quæ eſt vana ac inutilis; item eorum materiam, quæ eſt corruptibilis; & eorum cauſam efficientem, quæ eſt homo miſer peccatis involutus; & denique cauſam finalem; nam finis idololatrarum eſt impoſſibilis: cum enim idola ſint ſine anima, ſenſu, & intellectu, & omni momento à quovis poſſint deſtrui, utique etiam nullum auxilium ſe invocantibus præſtare poterunt.

Itaque conſiderando formam extrinſecam idolorum, Salomon in perſona Judæorum verum Deum colentium ſic dicit: *Non enim in errorem induxit nos hominum* (illorum ſcilicet qui ſculpſerunt idola) *malæ artis excogitatio.* Dicitur autem mala ars hominum fabricare idola, quia contra Deum ab hominibus adinventa ſunt. *Illa inquam cogitatio* (id eſt ars excogitata) *non induxit nos* (nimirum Hebræos) in errorem idololatrandi, vel deſerendi verum Dei cultum. Nec etiam *umbra picturæ* citò tranſituræ ad inſtar umbræ (id eſt ſpecies idolorum) *quæ eſt labor ſine fructu* (id eſt forma inutili labore fabricata) *effigies ſculpta per varios colores, cujus aſpectus* (id eſt forma aſpecta) *dat inſenſato idololatræ concupiſcentiam:* id eſt amorem reverentiæ & dilectionis idolo tribuendæ. *Et talis* inſenſatus; *diligit mortuæ* (id eſt non viventis) *imaginis effigiem exiſtentem ſine anima.*

In ſequentibus verbis ſubjungit Salomon pœnam qua idololatræ digni ſunt. *Malorum enim* idolorum *amatores*, id eſt qui ſperant aliquod auxilium ab idolo, vel diligunt, colunt aut faciunt: *digni ſunt morte* id eſt pœna infernali; de qua dicitur: Mors depaſcet eos. Circa illa verba, *Labor ſine fructu.*

Notandum eſt, quod homo in hac vita conſtitutus ſit medius inter cœlum & infernum. Unde quia in cœlo eſt perpetua quies; juxta illud *Apocal.* 4. A modò jam dicit ſpiritus: ut requieſcant à laboribus ſuis; & in inferno eſt perpetuus labor & nulla requies, juxta illud; Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem: Ideo homo aliquid de quiete, & aliquid de labore in iſta vita habet; plus tamen de labore quam de quiete habere debet juxta illud *Iob.* 5. Homo ad laborandum naſcitur. Pro hujus majori explicatione ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homini labor reddatur facilis per occupationum varietatem; propter collaborantium ſocietatem; & propter magnæ mercedis expectationem.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod homini labor reddatur facilis per occupationum varietatem, ita ut homo modo ſtudeat, modo legat, modo oret, modo laboret; juxta illud metricum:

Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora:
Sic erit hora brevis, & labor ipſe levis.

Et hoc eſt quod docet *ſanctus Auguſtinus lib. de Virginitate:* Diverſis inquit ſeminibus, pectoris tui colens agrum, tædia tolles, nunc alimoniis mediocribus, nunc jejuniis parcioribus, lectione, prece; & hæ mutationes laboris, induciæ erunt quietis.

Explicatur ſecunda pars, Quod laborem noſtrum faciliter collaborantium ſocietas, quorum unus animat alterum: & Sanctorum exempla, qui piè & ſtrenuè laborarunt ante nos, inducunt in nobis facilitatem laboris. Unde conſiderare debemus Salvatorem noſtrum dicen-

dicentem per *Pſalmiſtam*; Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea. *Apoſtolus* quoque 1. *Corinth* 4. dicit: Uſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus: & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus manibus noſtris. De fœminis quoque dicit idem *Apoſtolus ad Philippenſes* 4. Adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio. Si ergo talium collaborantium diligentiam conſideraverimus, facile erit nobis laborare in operibus meritorum. Unde S. *Gregorius lib* 5. *Moralium* ait: Si deſideras in labore perſiſtere, collaborantem videas, quia ſublevatio laboris eſt, viſio collaborantis. *Iacobi* 5. Exemplum accipite fratres laboris & patientiæ per Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini Unde ſubdit idem S. *Gregorius*: Sicut quando in itinere comes jungitur, de ſocietate ejuſdem via alleviatur: Sic etiam labor ſublevatur per ſocium.

Explicatur tertia pars, Quod laborem facilitet futuræ mercedis expectatio. Hinc Athletis proponitur bravium in fine ſtadii; ruſticus recolit in hyeme futuros fructus Autumni; & operarius quantitatem ſui ſtipendii contemplatur. De hac mercede noſtra futura & labore præſenti dicit ſanctus *Hieronymus* in quadam Epiſtola: Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Unde dicitur *Sapient.* 5. Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Et *Sapient.* 10. Reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qualiter homines delinquentes, pœnitentes, ſtudentes, & præſidentes ſeu Prælati, laborent in hac vita?

Dico quod ſoli peccatores delinquentes laborent infructuosè: veri autem pœnitentes, ex bona intentione ſtudentes, & devoti præſidentes laborent fructuosè.

Explicatur prima pars, Quod peccatores delinquentes laborent infructuosè. Unde de eis verificatur illud *Pſalmi*: In vanum laboraverunt. Conſtat quod tanto magis famulus fatigetur laborando, quanto pluribus dominis debet ſervire. Sic peccator ſerviens diabolo, carni, & mundo fatigatur laborando. Et iſti peccatores ſic fatuè laborantes, dicere poterunt illud Lucæ: Per totam noctem laborantes nihil cepimus. *Nihil*, id eſt peccatum, ſecundum illud *Ioan.* 1. Sine ipſo factum eſt *nihil*, id eſt, peccatum ut exponit S. *Auguſtinus*.

Explicatur ſecunda pars, quod verè pœnitentes fructuosè laborent in hac vita. Narrat *Sextus Iulius lib.* 1. *Stratagematum cap.* 41. quod Cyrus Rex Perſarum volens animos populatium concitare ad bellum contra Medos, tali fuerit uſus ſtratagemate. Duxit populum ad quandam ſylvam, ubi tota die maximis laboribus eos occupavit circa ligna ſcindenda, ſequenti autem die juſſit epulas lautiſſimas præparare, & omnis generis ludos & muſicas ibi inſtituit. Circumiens autem Syrus Rex interrogavit eos? an magis ipſis placeret hodierna quam heſterna dies! Reſponderunt omnes quod hodierna dies convivii lautiſſimi ipſis magis placeat. Ad hæc Rex Syrus ſubjunxit: ſicut per laborem heſternum perveniſtis ad hodiernum convivium, ſic fœlices & beati eſſe non poteritis, niſi prius Medos ſuperaveritis. Sic etiam moraliter loquendo, non poterimus pervenire ad convivium cœleſte, de quo Chriſtus; Paravi vobis locum ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: niſi prius veram pœnitentiam agendo laboraverimus. Unde *David in Pſalmis* ſic rogavit Dominum dicens: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea. Et alibi dixit: Laboravi, in gemitu meo lavabo per ſingulas noctes lectum meum.

Explicatur tertia pars, Quod labor ex recta intentione ſtudentium ſit fructuoſus. De hoc loquitur *Seneca* ſic: Non eſt, inquit, viri timere laborem: generoſos animos labor nutrit. Philoſophia nemini naſcitur, qui eam volunt habere, oportet quod laborent. Ariſtotelem non ſuſcepit Philoſophia ingenioſum, ſed effecit. Ideo S *Hieronymus*, dum in addiſcenda lingua Hebraica uſque in finem laboraret, ſe ipſum animavit dicens: Labor improbus (id eſt conſtans) omnia vincit.

Porrò iſte labor in ſtudendo, loquendo, & ſcribendo, ut poſteris poſſimus prodeſſe. Unde *Eccl*, 24. dicitur: Videte quomodo non ſolum mihi laboravi, ſed etiam omnibus exquirentibus veritatem. Advertant etiam benè ſtudentes, illam deprecationem Salomonis ad Dominum ſic clamantis: Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut mecum ſit & mecum laboret.

Explicatur quarta pars, Quod Præſidentes ſeu zeloſi Prælati fructuosè laborent dum in doctrina & bono exemplo omnibus aliis prælucent; juxta illud 1. *ad Thimoth.* 5. Qui bene præſunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.

LECTIO CLXXI.

TEXTUS.

Sed etſi figulus mollem terram premens laborioſè fingit ad uſus noſtros, unumquodque vas, & de eodem luto fingit, quæ munda ſunt in uſum vaſa, & ſimiliter quæ his ſunt contraria: horum autem vaſorum quis ſit uſus, judex eſt figulus. Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto; ille, qui paulò ante de terra factus fuerat & poſt pauſillum reducit ſe unde acceptus eſt, repetitus animæ debitum quam habebat.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam reprobata ſunt idola propter

terræ, ideò poſt mortem habita fuit tanquam Dea. hic etiam *Iupiter*, dictus *à juvanda*, quaſi juvans pater, fuit cultus tanquam Deus; erat autem *Iupiter* filius *Saturni* & Rea Cretæ, qui eapulſo patre de Creta, regnavit ut Rea. Juxta illud metricum:

Primus Cretais, Saturnus venit ab oris.

Fuit autem *Iupiter* cultus ut Deus propter multa mirabilia, quæ fecit apud Cretenſes; & maximè ideò: quia multos in neceſſitate exiſtentes glorioſè juvit, eorumque miſeriam ſuſtulit. Similiter & *Iuba* Rex Maurorum; *Faunus* Rex Latinorum, & Quirinus ſeu Romulus primus conditor Urbis Romæ, fuerunt culti ut Dii, ob ſuas virtutes & glorioſa facta.

Et juxta hæc intelliguntur verba poſteriora hujus Lectionis videlicet: *Deinde interveniente tempore* (id eſt paulatim) *invaleſcente iniquâ conſuetudine*; quæ potius aſſuetudo ſeu corruptela, quam conſuetudo *juridicè* loquendo dicenda eſt: quia conſuetudo eſt de re bona, ſed aſſuetudo eſt de re bona vel mala, & quando eſt de re mala, potius dicenda eſt corruptela. Aſſuetudo tamen in malis, poteſt etiam abuſivè & impropriè dici conſuetudo idololatrandi. Hic *error* (videlicet idololatriæ, tanquam lex â ſuperioribus poſita) *cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperia colebantur figmenta* (id eſt idola) Circa illa verba: *Acerba luctu dolens.* Sit

ARTICULUS UNICUS.

Quot modis lugeantur amici defuncti?

Dico quod lugeantur tripliciter; nam *Primò* quidem eos lugent fictè & ſimulatè; *Secundò* alii autem charitativè & ex devotione: & *Tertiò* alii eos lugent pertinaciter, exceſſivè, & ſine conſolatione.

Explicatur prima pars. Quod quidam amicos ſuos mortuos lugeant fictè & ſimulatè: & ita ſubindè rident filii mortem ſuorum parentum, quorum bona hæreditant; uxores maritos, à quorum ſocietate libenter recedunt; & legatarii ſuos teſtatores, qui ipſis bona ſua legando moriuntur. Hi omnes certè nigris veſtibus extrinſecè veſtiuntur, & facies ſuas exterminant, & tamen in corde ſuo gaudent. Sic Judas luxit mortem uxoris ſuæ, de quo dicitur *Gen. 38.* Quod poſt luctû conſolatione ſuſcepta, aſcendit ad tonſores ovium ſuarum, & divertit ad Thamar, quam putavit eſſe meretricem. Sic etiam planxit patrem ſuum *Gallia*, de qua *lib. 1. de Epigrammat.* ſic dicitur:

Amiſſum non flet cum ſola eſt Gallia *patrem,*
Si quis adeſt, juſſa proſiliunt lachrymæ.
Non lugeat quisquis, laudari Gallia quærit:
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

Tales ſimulatè lugentes ſignificantur per mulierem *Thecuiten* cui dixit *Ioab 2. Reg. 14.* Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & non ungaris oleo, ut ſis quaſi mulier plurimo tempore lugens mortuum.

Explicatur ſecunda pars. Quod quidam lugeant amicos ſuos mortuos charitativè, & ex devotione; nihil enim triſtari in receſſu amici, ingratitudinis ſignum eſt: nimis verò triſtari deſperationem arguit de ſalute recedentis. Propter tres rationes autem dolere poſſumus, dum boni viri moriuntur. *Primò*, quia pauci boni viri ſunt in Eccleſia militante; & ideò legitur de *S. Auguſtino*, quod quoties de morte alicujus Sacerdotis audivit, ſemper doluerit: non quia de ſtatu ipſius timuit, ſed quia paucos tales in Eccleſia Dei reliquit. *Secundò*, quia fortè aliqua purganda ſecum deferunt, quæ non ſatis expiarunt in iſto mundo, & tunc oportet eos juvare precibus. *Tertiò*, ex conſideratione humanæ miſeriæ, qua oportet nos ob peccatum primi parentis mori, putrefieri, & incinerari. Et hoc modo Tobias ſepeliebat & lugebat mortuos, *Tobiæ 2.*

Explicatur tertia pars. Quod quidam lugeant nimis pertinaciter, exceſſivè, & ſine conſolatione: ſed talium plangentium fatuitas magna eſt, & decem rationibus declaratur, quæ his Verſibus continentur.

Hæc bis quinque tibi, qui mortem plangis amici,
Menſuram ſtatuant, & gaudia læta reducant.
Vult Deus & ſuum eſt, lex, liberat, omnia noſcens:
Nec valet, imo nocet, obſtabit, ſurget, amabit.

Prima ergo ratio ad oſtendendam fatuitatem pertinaciter lugentium mortem amicorum accipitur ex conſolatione *divinæ voluntatis*. Cui nullo modo debemus eſſe contrarii. Undè *Seneca* ait: Placeat homini, quidquid Deo placet, ob hoc ipſum quia Deo placet.

Secunda conſolatio eſt, quod juſtum & licitum ſit unicuique repetere, quod ſuum eſt; undè *S. Hieron. in Epiſtola ad Marſilium* ait: Nihil abſtulit tuum qui dignatus eſt recipere propriū creditum ſuum, recipere decuit Creatorem, & nihil aliud decet, quam Creatori gratias agere mutuanti. Exemplo S. Jobi, qui filiis & tota ſua ſubſtantia orbatus dixit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut placuit Domino, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.

Tertiò conſidera, quod neceſſitas moriendi ſit communis lex pro omnibus: Statutum eſt enim omnibus hominibus ſemel mori ad *Heb. 9.* Et de hac communi lege dicitur metricè:

Pauperis & Regis communis lex moriendi
Dat cauſam flendi, ſi benè ſcripta legit,
Guſtato pomo nullus tranſit ſine morte.

Quartò, quando lugere vis amicum mortuum, conſidera, quod per mortem fiat ex ſervo liber, certus de dubio, & beatus ex miſero. Undè dicitur *Iob 14.* Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis. Et *S. Auguſtin. lib. 1. de viſitatione infirmorum* dicit ſic: Quis numerare poteſt præſentis vitæ moleſtias; eſurire, ſitire, algere, calere, laſſari, & cætera innumerabilia, quæ ex ſola conſuetudine nobis domeſtica ſunt. Et paulò poſt ait: Denique audacter pronuncio, quod principium vitæ hominis initium doloris ſit, finis verò requies. Et ideò Philoſophi quidam hoc non ignorantes, in ortu puerorum non lugebant, in morte autem gaudebant; ſignificare per hoc volentes: quod homo ad laborem naſcitur, ad requiem autem moritur. Simile quidpiam fecit Salvator noſter, qui de morte Lazari non ploravit, ſed ſolum dixit: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos. Quando autem Chriſtus Dominus Lazarum ad vitam revocavit, ploravit, quia eum ad hujus vitæ miſeriam

revocavit. Et paulò poſt ſubdit ſanctus Doctor; O mors deſiderabilis! O mors omnium malorum præſentium finis! O mors laboris clauſula, & quietis principium! quis cogitare poteſt, tuarum utilitates beatitudinum? Nam malè mori Chriſtianorum non eſt, benè autem mori cum Chriſto vivere eſt. Hæc S. Auguſtinus. Huc facit etiam illud, quod dicit *S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono.* Illi deplorandi ſunt in morte, quos miſeros ex hac vita infernus recipit, non quos cœleſtis aula lætificando includit.

Quintò conſidera, dum mortem plangis amici, quod Deus ſit omnia noſcens: ipſe enim novit quid cuivis expediat, vivere vel mori.

Sextò conſidera, quod luctus tuus immoderatus mortuum non juvet: neque enim ad vitam poteris eum revocare, nec per talem luctũ à purgatorio liberare. Hoc ipſum benè perpendit David 2. *Reg.* 12. Qui cùm filius ſuus chariſſimus langueret, flevit & non accepit cibum: poſtquam autem mortuus eſt, ſurrexit de terra, laviſſe, comedit ac bibit, & cum conſolatione dixit: Nunquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad Deum, ille verò non revertetur ad me.

Septimò conſidera, quod luctus irrationabilis ipſi noceat, & illi pro quo luges nihil proſit; juxta illud *Eccl.* 34. Repelle triſtitiam à te. Et infra. Neque enim eſt converſio, & huic nihil proderis, & te ipſum peſſimabis.

Octavo conſidera, quod ſubindè amici nos impediant in virtute & à via ſalutis, quia cor noſtrum ad mundana alliciunt, & ad habendam curam pro ipſis. Undè *S. Auguſtinus ſuper Geneſin ad litteram* ait: Sæpè offenditur Deus ne offendatur amicus: & ideò diſpenſatione divina plerumque contingit, ut amici, quos carnaliter diligimus ſubtrahantur, quatenus affectiones noſtræ in Deum liberius & integrius extendantur.

Nonò conſidera, ſpem reſurrectionis futuræ, quia quem modo mortuum vides, iterum aliquando vivum videbis 1. *ad Theſſalonicenſes* 4. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Undè S. *Ambroſius lib. 2. cap. 3. de morte fratris ſui* ſic ait: Ceſſabunt lachrymæ meæ. quia debet aliquid inter fidos & perfidos intereſſe. Fleant ſuos, qui eos æſtimant in perpetuum interiiſſe, & qui ſpem reſurrectionis bonæ non habent: nobis verò, quibus mori non naturæ, ſed hujus vitæ finis eſt, quia ipſa natura in melius reparatur, mortis caſus abſterget omnes fletus. Hæc S. *Ambroſ.*

Decimò conſidera, quod ſi mortuus tuus amicus, dum viveret, tibi fuit gratus & acceptus, gratior tibi erit iam ſalvatus: ſic enim amici noſtri à torrente voluptatis divinæ inebriantur, ut tamen nullatenus noſtri obliviſcantur, ut docet *S. Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum cap. 3.* itaque modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit: nimirum à laboribus & miſeriis hujus vitæ. *Eccl.* 22. Et *Apocalip.* 14. dicitur: Amodo jam dicit ſpiritus ut requieſcant à laboribus ſuis.

LECTIO CLXV.

TEXTUS.

Hos, quos homines in palam honorare non poterant, propter hoc, quod longè eſſent, è longinquo figura illorum allata, evidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tanquam præſentem colerent ſua ſollicitudine.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam oſtenſum eſt, *Primò* homines allectos fuiſſe ad facienda idola propter inordinatum amorem filiorum, parentum & amicorum: nunc oſtendit Salomon, quod altera cauſa principalis idololatriæ fuerit ſuperbia, & vana ambitio Regum, & Principum, qui nimis affectabant dominationes & honores. Et ideò Principes non ſolum volebant adorari à præſentibus, ſed etiam miſerunt ſuas imagines hominibus abſentibus, ut ab iis adorarentur. Undè tales Reges & Principes obliti fragilitatis humanæ per potentiam ſuam faciebant, ut ſibi honor divinus exhiberetur. Sic *Nabuchodonoſor* præcepit Holoferni omnes Deos terræ exterminare, ut ipſe ſolus Deus diceretur à nationibus illis quæ poterant Holofernis potentia ſubjugari. Sic etiam *Cajus Caligula* dicebat ſe eſſe Jovis fratrem, & imaginem ſuam miſit per univerſum mundum, ut ab omnibus tanquam Deus coleretur. Sic etiam *Herodes Agrippa* divinos honores à ſuis adulatoribus recepit, ut dicitur *Act.* 12. qui tamen inter honores ſibi factos vidit bufonem inſiſtentem capiti ſuo, nuntium ſuæ mortis, & inclinatus ad eos, qui ſibi applauſerunt, dixit: En ego Deus veſter morior, ſtatimque percuſſus ab Angelo, & conſumptus à corrodentibus vermibus viſcera ſua exſpiravit. Hæc ergo vana ſuperbia, & ambitioſa elatio fuit ſecunda conſequentia idololatriæ.

Et hoc eſt quod dicitur in Textu: *Hos autem palam* (id eſt principaliter) *homines honorare non poterant* (ſcilicet colendo vel adorando) *propter quod id* (quia homines alii) *longè diſtabant* (à regionibus ſuis, nimirum iſtorum Regum ſuperborum) *è longinquo figura* (id eſt imago) *illorum* (id eſt ſuperborum Regum) *allata eſt: & evidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum, qui aberat tanquam præſentem colerent ſuâ ſolicitudine.* Circa illa verba: *Imaginem Regis, quam honorare volebant*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum debeamus nos pro honoribus dignificare; honores non nimis deſiderare; & honores invicem communicare?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod nos pro honoribus debeamus dignificare, id eſt honore dignos reddere; ſola enim virtus facit hominem dignum honore: quia virtutis præmium eſt honor; & tribuitur bonis (ut dicit *Ariſtoteles 8. Ethicor. cap. 4.*) In cujus rei ſignum

narrat *S. Auguſtin. lib. 5. de Civ. Dei cap. 15.* quod antiqui Romani virtutem & honorem ſicut duos Deos colebant, quibus præponebant duo templa ſic diſpoſita, ut nullus poſſet venire ad templum honoris, niſi prius tranſiſſet templum virtutis; per quod indicabant, quod nullus debeat accipere honorem, niſi illum propter virtutem ſit promeritus. Et ideò dicit *Ariſtoteles 4. Ethic. c. 5.* quod ſolus bonus ſit honorandus. Et ad Rom. 2. dicitur: Honor & pax operanti bonum.

Oportet tamen attendere, ne homo propter honorem ſibi factum incidat in ſuperbiam; & ideò ad eliminandam ſuperbiam antiqui Romani, ſicut ſuis triumphatoribus tres honores exhibuerunt: ita triplicem ipſis ignominiam inferebant. *Primus* honor fuit, quod populus victori cum jubilo obviam iverit; *Secundus*, quod omnes captivi ſequebantur vincti victorem: *Tertius* honor fuit, quod victor indutus fuerit tunica Jovis, & ponebatur in curru, quem trahebant quatuor equi albi, & ita ducebatur ad Capitolium. Ne tamen talis victor iſtis honoribus ſublimatus ſui obliviſceretur, triplicem moleſtiam ſuſtinere debuit illo die. *Prima* erat quod ponebatur cum eo in curru una perſona vilis conditionis: ut daretur ſpes cuivis quantumvis ſit vilis conditionis, perveniendi ad talem honorem, ſi probus & virtuoſus extiterit. *Secunda* moleſtia erat, quod vilis illa perſona, ſeu ſervus talem Victorem ſæpè colaphizabat in curru, dicens: Noſce te ipſum, & noli de honore tibi exhibito ſuperbire. *Tertia* moleſtia erat, quod illo die cuivis licuerit impunè opprobria contra triumphatorem jacere. Undè *Iulio Cæſari* revertenti poſt multas victorias graviſſimæ contumeliæ fuerunt dictæ nulla ultione ſecuta. Huc facit illud *Eccl.* 11. In veſtitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris.

Explicatur ſecunda pars. Quod non debeamus honores nimium deſiderare. Undè ambitioſus non eſt is, qui appetit honores, ſed qui appetit ſibi fieri honores ultra ſua merita ab iis, à quibus non debet, aut quando non debet: & hoc eſt vitioſum. Undè *Eccl.* 10. dicitur: In manſuetudine ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum. Qui autem ultra meritum, vel ſine merito honorari deſiderat, alios ſolum ad falſum teſtimonium invitat. Undè eſt illud *Proverb.* 26. Qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ſic qui tribuit inſipienti honorem. Si autem honor alicui virtute prædito conferatur, meritò dicetur de eo illud *Eccl.* 10. Quod inſcius non honorabitur. Caveat tamen homo virtuoſus, ne nimis honorem appetat; quia ſicut dicit *Seneca Epiſt.* 92. Abſtrahunt à recto, divitiæ, potentia, & honores. Narratur de quodam inſigni Priore Claravallenſi, quod electus in Epiſcopum Tornacenſem nec ab Eugenio Papa, nec à S. Bernardo tunc temporis ſuo Abbate, perſuaderi potuit ad acceptandum Epiſcopatum; undè proſtratus ad pedes Abbatis & Clericorum ſe eligentium, dicebat: Monachus fugitivus, ſi me eligitis, eſſe potero, Epiſcopus nunquam ero. Dum itaque hic Prior mortuus eſſet, poſt mortem cuidam ſuo charo apparens dixit: Ecce adſum *Gaufridus* frater tuus. Cui ille, chare mi, quomodo eſt tibi? Reſpondet *Gaufridus*, benè eſt mihi. Sed revelatum mihi eſt à ſanctiſſima Trinitate, quod ſi promotus fuiſſem in Epiſcopum, fuiſſem de numero damnatorum. Nec mirum, quia frequenter, quanquam non ſemper, per honores mutantur mores in pejus. Undè metricè dicitur:

Plurima cùm ſoleant hominum corrumpere mores
Altius evertunt mulier, Cenſus, & honores.

Et ideò dicit quidam ad ſocium ſuum jam ad dignitatem promotum:

Optimus eſſe ſoles, ut fecit honor meliorem,
Æſtimo, quod fies, de meliore bonus.

Itaque nemo ſe violenter honori ingerat, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, qui indicio virgæ florentis, & incendio æmulorum electus eſt, & monſtratus placere Deo ſecundum Gloſſam ad Hebr. 5.

Explicatur tertia pars. Quod debeamus honorem invicem communicare. Eſt enim triplex honor, nimirū honor ſubjectionis & obedientiæ; *Secundò* honor ſupportationis & beneficētiæ: *Tertiò* honor affectionis & benevolentiæ.

Primus honor debetur Prælatis & Principibus. Dicit enim *Ariſtot. 5. Eth. cap* 7. quod quilibet teneatur dare mercedem ei, qui pro ſe laborat, ſicut Princeps laborat pro tota multitudine. Hæc autem merces eſt honor & gloria; juxta illud 1. *Petr.* 3. Deum timete, & Regē honorare.

Secundus honor eſt ſupportationis, & beneficentiæ qui debetur parentibus; juxta illud *Deut.* 5. Honora patrem, & matrem, ut ſis longævus ſuper terram. Et *Deut.* 27. Maledictus, qui non honorat patrem ſuum, & matrem ſuā.

Tertius honor, qui eſt honor affectionis & benevolentiæ, debetur omnibus. Juxta illud 1. *Petri* 2. Omnes honorantes fraternitatem diligite. Et ad *Rom.* 12. Honore invicem prævenientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.

Refert *Magiſter Helynandus*, quod Ælius Adrianus factus ex ſenatore Imperator, tantam gratiæ populi & Senatus habuerit, ut Senatus ipſum rogaverit, quatenus filium ſuum vocaret *Auguſtum*. Prudens verò pater ſciens, quod grave periculum immineret regimini, reſpondit: ſufficit, quod ego invitus regnaverim. Et ſubjunxit: Alendi ſunt prius pueri, & in virtutibus exercendi; ut probentur virtutibus antecedere, quos debent honoribus anteire. Undè metricè dicitur:

Ut Ver dat florem, flos fructum, fructus odorem:
Sic ſtudium morem, mos ſenſum, ſenſus honorem.

LECTIO CLXVI.

TEXTUS.

Provexit autem ad horum culturam, & hos, qui, ignorabant artificis eximiâ diligentiâ. Ille enim volens plus placere illi, qui ſe aſſumpſerat, elaboravit arte ſua, ut ſimilitudinem in melius figuraret. Quo facto multitudo hominum abducta per ſpeciem operis, eum, qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deū æſtimaverunt. Et hæc fuit humanæ vitæ deceptio, quoniā aut affectui, aut Regibus deſervientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt.

EX-

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam actum eſt de Idolorum populi adinventione, nunc agitur de idololatriæ augmentatione. Cauſa autẽ promotiva idololatriæ fuit diligentia & ſubtilitas artificum, qui ſummo cum labore ex rebus pretioſis elaboraverunt idola miræ ſpeciei, & gratioſæ pulchritudinis: propter quod ſimplices, qui Idola cõſpexerunt, putabant ipſis aliquid numinis ineſſe. Iſti autem artifices ideò fecerunt idola ſic artificioſa, ut placerent Regibus, qui ipſos conſtituerunt pro iſtis idolis efformandis.

Dicit ergo ſic: *Provexit autem ad horum* (nimirũ idolorum) *culturam, & hos, qui ignorabant* (id eſt homines ſimplices) *qui artificis eximiâ diligentiâ*, in fabricando idolo, fuerunt allecti ad illud colendum.

Sequitur, *ille* (nimirum artifex) *volens placere illi* (id eſt Regi vel Principi, vel Tyranno, qui te aſſumpſerunt ad effigiendam ſpeciem ſuam) *elaboravit*, id eſt diligenter laboravit) *arte ſuâ*, ut *ſimilitudinem* (id eſt imaginem talis Regis vel Principis) *in melius figuraret*: id eſt, ita pulchrè, uti ſcivit & potuit, formaret. *Quo facto multitudo hominum abducta* (à veritate) *per ſpeciem* (id eſt pulchritudinem) *operis*, *eum* (id eſt Principem vel Regem) *qui ante tempus* (id eſt paulò ante) *tanquam homo honoratus fuerat* (reſpectu humano ſibi tunc tanquam Regi competente) *nunc* (id eſt poſt mortem ſuam) eundem Regem vel Principem, *Deum æſtimaverunt*; exhibentes illi latriam, qui eſt cultus debitus ſoli Deo: juxta illud 2. *Machab.* 11. Rex Antiochus Lyſiæ fratri ſalutem, Patre noſtro inter Deos tranſlato, &c.

In ſequentibus verbis ponit Salomon recapitulationem cauſarum idololatriæ, quæ fuerunt principaliter duæ, ut dictum eſt: nimirum amor inordinatus erga proles, vel amicorum ad amicos & timor Tyrannorum.

Undè in hoc Textu ſubjungit: *Et hæc* (nimirum dementatio) *fuit vita humanæ deceptio* (id eſt cauſa deceptionis) *Quoniam aut affectui* (id eſt inordinatæ dilectioni amicorum defunctorũ) *aut Regibus* adhuc viventibus præ timore *deſervientes homines incommunicabile nomen* (quod eſt hoc nomen *DEVS*) *lapidibus & lignis impoſuerunt.* Licet autem hoc nomen *DEVS* ſit commune tribus Perſonis ita ut ſigillatim quævis Perſona poſſit vocari *DEVS*; quia tamen illæ tres perſonæ ſunt una res, ſeu una eſſentia ſimpliciſſima, ideò dicitur hoc nomen *DEVS* eſſe incommunicabile. Circa illa verba: *Et hæc fuit vita humana deceptio.* Sit.

ARTICVLVS VNICVS.

An homines plerumque decipiantur in præſumptione propriæ perfectionis; in acceptatione nimiæ laudis ſeu commendationis; in delectatione fœmineæ affectionis; & in ſimulatione columbinæ compoſitionis, ſeu fictæ probitatis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod homines ſæpè decipiantur in præſumptione propriæ perfectionis: nemo enim de facile rectè judicat vel de gratiis vel etiam de culpis propriis: ſed potius gratias noſtras nimis magnificamus, & culpas noſtras nimis excuſando attenuamus. Et ideò vix eſt aliquis, qui benè judicat de ſeipſo. Undè *Terentius* inquit: Talis eſt natura humana, ut aliena melius judicet quàm ſua. Hinc eſt quod aliquis ſcientiam ſuam, vel facta ſua levis, in tantum attollat, ac ſi per ea cæteri omnes ſupportarentur. Et tales revera ſunt ſimiles illi idolo depicto, quod humeris cœlum ſuſtinere videbatur: vel illi ſtulto, qui ſemper ſub dio ſtans, noluit domum ingredi, dicens, ſe debere ſuſtinere cœlũ, quod rueret ſi ipſe ingrederetur domum; quod tamen ſtabit, eſto talis ſtultus millies domum intraret. Sic etiã multi ex ſcientia ſua præſumptuoſi putant, quod per ſolam ſuam ſcientiam Eccleſia ſupportetur, caſura, ſi ipſi non eſſent. Sed certè decipiuntur tales, cùm dentur multo doctiores & humiliores ipſis. Tali tamen homini præſumptuoſo de ſua ſcientia dici poteſt illud *Iſaiæ* 44. Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te.

Explicatur ſecunda pars. Quod homines ſæpè decipiantur in acceptatione nimiæ laudis ſeu commendationis. Sed de iſta peſte dicit *Seneca in Epiſt.* 2. Incredibile eſt multis quàm magnos viros dulcedo orationis abducat. Et *Epiſt* 95. Illud præcipuè impedit, quod nobis tam citò placemus: ſi invenimus, qui nos laudat, qui nos bonos dicat, qui prudentes, qui ſanctos: non ſumus modica laudatione contenti. Nunquid in nos adulatio ſine pudore eſt, dum optimos nos eſſe & ſapientiſſimos credimus, cùm ſciamus, illos, qui nos laudant, multa ſæpè mentiri. Hæc *Seneca*.

Porrò, quia hæc deceptio plerumque fit per amicos, ideò ſignanter de tali, cui fit adulatio, dicitur *Thr.* 1. Vocavi amicos meos, & ipſi deceperunt me. Item illud *Iſai.* 1. Popule meus, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Huc facit illud dictum Platonis. Homines ex inimicis magis quàm ex amicis proficiunt; quia inimici, dum eis errores improperant, ex eis corriguntur: amici verò ſuos eis non oſtendunt errores, ſed tolerant & occultant.

Explicatur tertia pars. Quod homines ſæpè decipiantur in delectatione fœmineæ affectionis. Licet enim invicem amare & amari ſit delectabile multum (ſicut dicit *S. Auguſtin. lib. 2. Confeſ. cap. 1.*) promanabant tamẽ nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & obfuſcabant cor meũ, ut non diſcerneretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis, quæ facilè inducitur à fœminis. Undè *Num.* 31. dicitur: Cur fœminas reſervaſti? Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël? Harum enim natura & ars eſt hominem emollire, & emollitum decipere. Et ideò ſignanter Philiſthæi Dalilam fecerunt mediatricem, ut ſuperarent Samſonem dicentes: Decipe eum, & diſce ab eo ubi habeat tantam fortitudinem. Et certè, multa ſæpè reſciuntur per adulantem fœminam, quæ cæteroquin manſiſſent occulta. Undè eſt ille Verſus:

Fallere, nere, flere, ſtatuit Deus in muliere.

Inſuper ſæpè fit, quod poſtquam fœmina ſoliditatem bonæ vitæ accepit à viro religioſo & pio, illa reciproce viro mollitiem infirmitatis refundat. In cujus rei figuram *Gen.* 2. dicitur: quod pro fabricanda muliere fuerit ab Adamo

ablata dura coſta ſeu durũ aliquod os, locò cujus repoſuit Deus partẽ carnis in Adamo; juxta illud *Gen.* 2. Repoſuit Deus carnem pro ea. Sic etiam quantumcunque vir aliquis non ſit oſſeus ſoliditate bonæ vitæ, cavendũ tamen ſibi eſt, ne ex familiaritate fœminæ os ſolidum bonæ vitæ, commutetur in carnem ſeu carnales affectiones, & delectationes lubricas. Undè rectè dicit *Valerius ad Ruſinum*: Amice det tibi Omnipotens omnipotentis fœminæ non falli fallaciis. Huc quoque pertinet illud metricum:

Adam, Sampſonem, David, Loth, & Salomonem
Fœmina decepit; quis modo tutus erit?

Explicatur quarta pars. Quod homines ſæpè decipiantur in ſimulatione columbinæ cõpoſitionis, ſeu fictæ probitatis. et hanc demonſtrant hypocritæ, qui incedunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autẽ ſunt lupi rapaces. Undè *Prov.* 11. dicitur: Simulator ore decipit amicum ſuum. Et ideò meritò docemur, quod hominũ ſanctitatem non debeamus penſare ex ſola facie; juxta illud *Joan.* 7. Nolite ſecundum faciem judicare. Nec oportet ſecundũ viſionem oculorũ ſtatim judicare, aut ſecundum auditum aurium ſtatim formare judicium de hominis ſanctitate. Undè rectè dixit Apoſtolus 1. *Corinth.* 4. Nolite ante tẽpus judicare. Et certè experientia ſæpè docet, quod is, quem putabas carere felle, propter levẽ cauſam agatur in rabiem; & is, quem putabas nil poſſe loqui, ſed tantùm orare, eſſe maximũ detractorem, ſintque inimici hominis domeſtici ejus: qui poſt quã plurima beneficia acceperunt, ſunt primi & maximi ſupplantatores: ita ut experiantur ſæpè multi Domini vel Superiores, ſe ſerpentes nutrivisse in ſinu, quando tales ſimulatores & occultos detractores arctiori benevolentiæ & beneficentiæ vinculo aſtrinxerunt. Sed à talibus unumquemque miſericors Dominus cuſtodire dignetur.

LECTIO CLXVII.

TEXTUS.

Et non ſuffecerat erraſſe eos circa Dei ſcientiam, ſed in magno vivẽtes inſcientia bello, & tot & tam magna mala pacẽ appellant. Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſania plenas vigilias habentes, nec vitam nec nuptias mundas jam cuſtodiunt, ſed & alius alium occidit per invidiam, aut adulterans cõtriſtat: & omnia commixta ſunt, ſanguis & homicidium, furtũ & fictio, corruptio, infidelitas, tentatio & perjurium, tumultus, bonorum Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio Mœchiæ & impudicitia.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione enarrat Salomon, quod vitia ex Idololatria provenerint. Mala autem ex Idololatria orta in genere ſunt quatuor. Nam *primò* Idololatræ *quantum ad Deum* privabantur ejuſdem veri ſui Dei notitia; *quantum ad ſe ipſos autem* decipiebantur; *quantum ad dæmones*, eorũ ſervituti ſubdebantur; *& quantum ad proximos*, omnes ſibi invicem injuriabãtur. Si ergo loquamur de notitia quã homo per fidem debet habere de Deo, tunc certum eſt, quod Idololatræ per propriam ſuam malitiam iſta Dei notitiâ privati fuerint.

Et quantum ad hoc dicitur in Textu: *Et non ſuffecerat eis erraſſe circa Dei ſcientiam* (ſupple per infidelitatem) *ſed & in magno viventes inſcientiæ bello, & tot & tam magna mala* (nimirum ex malitioſa intentione facta) *pacem appellant.* In quo idololatræ decipiuntur quo ad ſeipſos, dum nimirum fuerunt in continuo bello contra Deum, & bonos mores: & tamen putabant ſe vivere in pace ſeu magna quiete.

In verbis ſequentibus declaratur qualiter idololatræ dæmonibus duriſſima ſervituti ſubdebantur per hoc; quia idololatræ *aut erant filios ſuos ſacrificantes dæmoniis*; ſicuti obſervabant in ſacrificiis *Saturni*: nam *Saturnus* in odium filii ſui *Jovis*, à quo fuit ex regno expulſus, præcepit cultoribus ſuis, ut immolarent ſib. ſuos filios. *Aut obſcura ſacrificia facientes*, vel de nocte vel de die; nimirum in antris, ſpeluncis, & lucis, ſive locis obſcuris.

Inſuper Idololatræ in hoc debebant ſervire dæmoniis, dum diis ſuis falſis certas res debebãt offerre. Nã *Marti* debebat mactari aper; *Baccho* hircus; *Junoni* pavo; *Jovi* taurus; *Apollini* cignus; *Veneri* columba, *Minervæ* noctua, *Cereri* farra, & *Mercurio* mel debebat offerri, ut teſtatur Didimus Rex Bragmannorum *in Ep. ad Alexand. magnum. Aut inſania plenas vigilias habentes*, ſicut faciebant in ſacrificiis *Bacchi*, & *Cybeles* matris deorum: in quorum feſtivitatibus luſibus, & luxuriis turpiter vacantes totam noctem tranſigebant.

In ſequentibus verbis declarat Salomon, quomodo idololatræ ſibi invicem injurias faciebant: vel in corporibus inferendo moleſtiam, vel in uxoribus nuptias violando.

Undè dicit ſic in Textu: *Neq; vitam* (nimirum mundam) *jam cuſtodiunt, neq; nuptias mundas, ſed alius aliũ per invidiã occidit aut adulterans cõtriſtat.*

Denique in poſtremis verbis Salomon morum corruptiones conjunctim enumerat, quæ morũ corruptiones idololatriam cõſequuntur.

Dicit ergo: *Et omnia commixta ſunt, ſanguis* ſcilicet invaſione aut vulneratione *injuſta*; *homicidium* in occiſione; *furtum* in alienæ rei iniqua detentione; *fictio* in falſa hypocriſis ſimulatione; *corruptio* in virginum defloratione; *infidelitas* in mutua proditione; *turbatio* in diſcordiarum ſeminatione; *perjuriũ* in falſa probatione; *tumultus* in rixarum contentione; *bonorum Domini immemoratio*, in beneficiorũ Dei ingrata oblivione; *animarum inquietatio*, in gulæ & luxuriæ delectatione; *nativitatis immutatio*, in vitiis contra naturam perpetratione; *nuptiarum inconſtantia*, in uxorum illicita permutatione *inordinatio Mœchiæ*, in inceſtus & adulterii permixtione; *& impudicitia inordinatio*, ſupple in libidinoſa contrectatione. Circa illa verba: *Et tam magna mala pacem appellant*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An carnales peccatores; mundiales & iniqui cõſpirantes; item negligentes Prælati in corrigendis defectibus ſuorum ſubditorum veram pacem poſſideant?

DIco quod non.

Eapſi-

Explicatur prima pars. Quod carnales peccatores non habeant veram pacem. Undè ſolũ pax aliqua diabolica eſt inter adulterum & adulterã, item inter fornicatorem & fornicatricem; ita ut dicat mulier illud *Cant. 8.* Ego murus, & ubera mea ſicut turris, ex quo facta ſum corã eo, quaſi pacem reperiens. Talis pacificus fuit Salomon, de quo *Eccl. 47.* dicitur: Salomon imperavit in diebus pacis. Et paulò poſt dicitur: Inclinaſti fœmora tua mulieribus, habuiſti poteſtatem in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua.

Conſtat quod tempore belli & adverſitatis, homines non vacent libidini, ſed in diebus otii tantũ. Undè David, cùm otiaretur in domo, dũ Joab exiſteret in bello, cõmiſſit adulteriũ. 2. *Reg.* 11. Sic etiam Roma dum bellis vexata fuit cõtra Carthaginem, virtuoſis exercitus plena fuit: ſed poſtquã Carthago ſubverſa fuit, Roma ſeſe dedit otio, gulæ & libidini. Undè Carthago everſa plus Romæ nocuit, quam Carthago adverſa, ut dicit *S. Auguſtinus 3. de Civ. Dei cap. 19.*

In horum figuram menſis Martius bello fuit conſecratus; undè iſte menſis eſt, in quo Reges ſolent ad bella procedere: ut dicitur 2. *Reg.* 11. At verò menſis ſequens nimirum *Aprilis* eſt Veneri dedicatus; ut intelligas: quod finito bello, tempore pacis & otii dominetur libido. Juxta illud *Ovidij de remedio amoru*:

Otia ſi tollas periere libidinis arcus.

Explicatur ſecunda pars. Quod mundani & iniqui conſpiratores non habeant verã pacem: talis enim ſolum eſt quædam conjuratio duorũ vel plurium in pernitiem alicujus innocentis. Et hæc amicitia ſeu potius cõſpiratio figuratur per pacem & amicitiam Herodis & Pilati contra Chriſtum. Et ſicut videmus, quod inter ſpinas ſteriles & infructuoſas major eſt connexio, quã inter arbores fructuoſas: ſic etiam in malis congregationibus, & collegiis, longè fortior eſt cohærentia malarum perſonarum ad invicem ſe defendentium, quam ſit bonorum ad malos corrigendum. Undè *Nahum 1.* dicitur: Sicut ſpinæ invicem complectuntur, ſic convivium eorum pariter potantium. De hac pace dicit *Pſalmiſta*: Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Ubi *Gloſſa* ſubdit: Invidi eis, & malè tuli pacem peccatorum.

Explicatur tertia pars. Quod Prælati in defectibus ſuorum ſubditorum corrigẽdia negligentes, non ſervent veram pacẽ. Talis certè Prælatus negligens non habet pacem; quia propria conſcientia eum gravat, & conſcientiæ ſubditorum aliquando accuſabunt talem Prælatum, quod omnia reliquerit impunita: & propterea ipſi in ſceleribus inveterati, damnati fuerunt. Certè hic verificatur illud Scripturæ: Clamavi ſemper pax, pax, & non erat pax. Olim verba Prophetarũ vocabantur onera. Undè *Malach* 1. dicitur: Onus Verbi Dei ad Iſraël. Et *in Iſaia* dicitur: Onus Damaſci, Onus Ægypti, Onus Tyri, & ſic de aliis. Sic etiam verba Prælati debent eſſe oneroſa contra pertinaces & rebelles, ſed conſolatoria erga humiles & devotos.

Contingit autem ſæpè (ut notat *S. Chryſoſt. ſuper Matthæum*) quod Prælati in injuriis ſibi irrogatis, ſint accurati & ſeveri, ſed in injuriis Deo irrogatis ſint valdè lenes: cùm tamẽ econtrario in injuriis Deo irrogatis deberent eſſe ſeveri, & in injuriis ſibi irrogatis deberent eſſe lenes. Pro hac doctrina ſtabilienda, legimus *Matth.* 4. quod quando diabolus tentans Chriſtum Dominum ei dixit: Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant; Chriſtus tunc patienter ſuſtinuit, & per authoritatem Scripturæ confutavit eum, dicens: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Similiter quando diabolus ſecunda vice dixit Chriſto Domino: Si Filius Dei es, mitte te deorſum, Chriſtus ei adhuc leniter reſpondit: quia iſtæ duæ tentationes directè ſolum erant contra humanitatem. Sed quando diabolus tertia vice Chriſto Domino poſito ſupra pinnaculum templi dixit: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidẽs adoraveris me; repulit diabolum Chriſtus cum indignatione dicens: Vade Satana, ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum. Super quem locum dicit *Chryſoſtomus*. Exemplo Chriſti Domini diſcimus injurias noſtras æquanimiter ſuſtinere, Dei autem injurias, neque uſque ad auditum ſufferre; quoniam in propriis injuriis eſſe quenquã patientem, laudabile eſt: injurias verò Dei diſſimulare, nimis impium eſt. Et de iſta mala pace negligentiæ Prælatorum, dicit iiſdem Salvator *Matth.* 10. Non veni pacem mittere, ſed gladium, id eſt, exactam correctionem vitiorũ.

LECTIO CLXVIII.

TEXTUS.

Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt, & initiũ & finis. Aut enim, dum lætantur inſaniunt, aut certè vaticinantur falſa, aut vivunt injuſtè, aut pejerant citò. Dũ enim confidunt in Idolis, quæ ſunt ſine anima, malè jurantes noceri ſe nõ ſperant. Utraq; igitur illis evenient dignè, quoniã malè ſenſerunt de Deo, oſtendentes ad idola, & injuſtè juraverunt in idolo, contemnentes juſtitiã: Non enim jurantiũ eſt virtus, ſed peccantium pœna perambulat ſemper injuſtorum prævaricationem.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam enumerata ſunt vitia, & morum corruptiones, quæ ex idololatria procreantur: nunc in hac Lectione explicatur cauſalitas eorum, & oſtenditur, quod ex idololatria ſpecialiter deriventur falſitas & injuſtitia.

Dicit ergò: *Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis.* Dicuntur autem idola infanda, quia non ſunt fatu, id eſt ſermone digna. Hæc ergo cultura idolorum eſt cauſa omnia initium & finis in ſuis cultoribus: nam propter idola colenda ordinantur peccata ſicuti propter finem.

Qualium autem malorum idololatria ſit initium & finis, declarat Salomon in verbis ſequentibus dicens: *Aut enim dum lætantur inſaniunt*, ſicut in feſtis & ludis, quos diis ſuis faciebant: in quibus ſe per libidinem more beſtiarum fœdabant.

Aut certè vaticinantur tanquam eſſent Prophetæ; ſed quia falſi Prophetæ ſunt, vaticinantur *falſa*, ſicut Prophetæ Achab, de quibus dicitur 3. *Reg.* 22. Ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.

Aut

Aut vivunt injuſte (proximis nocendo) *aut perjurant citò*; id eſt de facili, imò per levi cauſa ſcienter falſa jurant : ut autem falsè jurent, animantur ex eo quia ſciunt, quod idolum nō poteſt ſe vindicare, nec eos propter perjurium iniquū punire ; & propter hoc ſubditur in Textu: *Confidunt enim in idolis, quia ſunt ſine anima* (id eſt ſine intellectu & voluntate) *malè jurantes nocere ſe* (id eſt ſibi) *non ſperant* : id eſt, non metuunt ex hoc puniri, quod jurent falſum per idolum.

In ſequentibus verbis ponitur Idololatrarum falsò jurantium pœna : nimirum quod propter utrumque damnabuntur. Undè ſubditur in Textu : *Utraq; ergo illis evenient dignè.* Id eſt pro utroque dignè punientur ; nimirum pro eo, quod malè ſenſerint de Deo attendentes idolis: & injuſtè juraverint idolo, contemnentes juſtitiam. Et ſic peccaverunt dupliciter ; videlicet primò quia juraverunt falſum : ſecundò quia juraverunt per falſum, id eſt idolum.

In poſterioribus verbis Textus allegati, natura juramenti explicatur his verbis : *Non enim juramentum eſt virtus* : id eſt jurare paſſim & abſque neceſſitate, & jurare indifferenter, tam verum quam falſum, non eſt virtus. Nec juramentum eſt per ſe appetendum, *ſed eſt peccantium pœna* : quia propter incredulitatem hominum nolentium credere, oportet jurare.

Et hæc pœna perambulat ſemper (id eſt creſcit) *in juſtorum*, (id eſt juſtitiæ, vel juſtarum rerum) *prævaricationem*. Circa illa verba: *Perjurant citò*.

Sit

ARTICULUS UNICUS.

An perjuri ſint proditioſi per infidelitatē quo ad Deum ; injurioſi per falſitatem quo ad proximum, & pernitioſi per iniquitatem quo ad ſeipſos?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod perjuri ſint proditioſi per infidelitatem quo ad Deum. Hoc oſtenditur tripliciter. Nam conſtat, quod is qui habet ſigillum Regis, eſſet proditioſus & infidelis ſi pactionem aliquam ſigillaret quam Rex ſummè deteſtatur ; & ſi hoc faceret cum ſigillo Papæ vel Cæſaris, eſſet crimen Læſæ Majeſtatis. Moraliter loquendo, Nomen Dei eſt nobis commiſſum, quaſi quoddam ſigillum ad teſtificandam duntaxat veritatem : juxta illud *Deut. 6.* Dominum Deum tuum invocabis, & illi ſoli ſervies, & per nomen ejus jurabis. Et ideò dicit *Apoſtolus ad Hebr. 6.* Quod omnis controverſiæ finis eſt juramentum. Falſitas autem eſt illud quod Deus ſummè odit, ſibi tanquam primæ veritati ſummè contrarium : & ideò qui nomen Dei jurando aſſumit ad conteſtandam falſitatem, Dei proditor eſt. *Secundò* hoc idem oſtenditur, quia ſi quis caſtrum Regis ſuæ fidelitati commiſſum traderet hoſtibus, talis ſine dubio eſſet proditor Regis. Moraliter loquendo, caſtrum eſt oomen Domini, quod invocamus, & ad quod confugimus in omni noſtra neceſſitate; juxta illud *Prov. 18.* Turris fortiſſima nomen Domini, ad eum fugiet Juſtus, & ſalvabitur. Iſtud autem caſtrum traditur hoſti, quando dæmonibus & falſis hominibus committitur ad probitatem falſitatis. *Tertiò* idem patet, quia qui Dominum ſuum malitiosè diffamat, & involvit in aliquo crimine, ille eſt proditor illius ; ſed qui Deum inducit tanquam teſtem falſitatis, nititur Deum involvere in aliquo crimine, & auferre ipſi nomen ſuum bonum, *quo vocatur ſumma veritas* : Ergo talis falsè perjurans eſt proditor Dei.

Ex quo fit, quod perjurans, quantum in ſe eſt, plus contemnat Chriſtum, quam eundem contempſerint ſui Crucifixores ; nam iſti non intulerunt Chriſto niſi malum pœnæ : ille autem homo perjurus nititur Chriſto imponere malum culpæ, dum eum, qui eſt via, veritas, & vita, vult inducere tanquam teſtem rei falſæ, & ita reddere mendacem.

Explicatur ſecunda pars. Quod perjurus ſit injurioſus proximo per falſitatem. Decipit enim per judicem, & ſpoliat jure ſuo bonæ fidei poſſeſſorem : & ideò talis perjurus tenetur læſo ſeu proximo à ſe diffamato non ſolum famam reſtituere, ſed etiam reſarcire damna ex læſione famæ ſecuta. Legimus de dolo *Gabaonitarum*, quod ſimulantes ſe à longè veniſſe, obtinuerint à filiis Iſraël vitæ promiſſionem. Hanc autem promiſſionem ſervaverunt filii Iſraël non obſtante, quod poſtea cognoverint dolum *Gabaonitarum*. Et ideò percepto dolo, & clamante populo & murmurante, dixit Joſue : Reſerventur, inquit, & vivant, ne contra nos ira Dei concitetur, ſi perjuraverimus.

Explicatur tertia pars. Quod perjurus ſit per iniquitatem pernitioſus ſibimetipſi. Ille enim qui ſcienter perjurat, manum libro ſupponit, quâ tangit Evangelium : & eandem manum diabolo quaſi tradit & commendat, niſi dicat verum. Undè illa manus perjurantis efficitur diaboli, qua perjurum quaſi vinctum tenet, donec pœniteat.

In Miſſali verò ſuper quod jurat, quatuor ſcripta ſunt, nimirum Conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti ; *Secundò* ſuffragia ſecretorum ; *Tertiò* beatitudo booorum ; & *quartò* damnatio reproborum. Eſt ergo ſenſus juramenti, quod facit perjurus ſuper Librum Evangelii, niſi verum ſit, quod modo juro, non me juvet Miſſarum celebratio, nec Sanctorum deprecatio, & privet omninò futura beatitudine Sanctorum & Beatorum, & denique veniat ſuper me maledictio damnatorum, *quæ ponitur Matth. 25.* Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.

Similiter perjurans genua flectendo, abrenuntiat omnibus greſſibus, quos pedibus ſuis facit, niſi dicat verum. Extendendo quoque manum ad librum, abrenuntiat perjurus bonis operibus Eleēmoſynæ ſi quas facit : & denique oſculando librum abrenuntiat omnibus bonis verbis & orationibus quas Dominus fecit. Propter quod *Eccl. 23.* dicitur : Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non recedet de domo ejus plaga, & *Levit. 19.* Noo perjurabis in nomine meo.

* * *

CAPI-

CAPITULUM DECIMUMQUINTUM.

LECTIO CLXIX.

TEXTUS.

Tu autem Deus noſter ſuavis & verus, & patiens, & in miſericordia omnia disponens. Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam; & ſi non peccaverimus, ſcimus, quoniam apud te ſumus computati. Noſſe enim te conſummata juſtitia eſt, & ſcire juſtitiam tuam, & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.

EXPLICATIO TEXTUS.

INtentio Salomonis in hoc Capitulo eſt, idololatria deſtructa, verum Dei cultum hominibus perſuadere, propter quatuor ſpeciales conditiones quæ hominem poſſunt movere ad ad ſerviendum Domino Deo. Eſt enim Dominus Deus ſuavis in communicatione, & non amarus vel iracundus. Secundò Deus non ſubitò nec rigidè procedit ad ultionem. Tertiò eſt verus in ſervandis promiſſis: & quartò facit Deus miſericordiam erga omnes, ſpecialiter autem erga ſuos famulos. Quantum ergo ad iſta quatuor, dicit ſic: *Tu autem Deus noſter ſuavis* (beneficia largiendo) *& verus es* (promiſſa adimplendo *patiens* (exſpectando delinquentes, ut per pœnitentiam ad te redeant) *& in miſericordia omnia diſponis* (dum punis citra condignum, & præmias ultra condignum.)

In ſequentibus verbis ponitur hujus de Deo commendationis declaratio Dicit ergo: *Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus ſcientes magnitudinem tuam*; id eſt ſi peccaverimus, non poterimus evadere manum tuam, ſed ſumus ſub tua potentia, qua nos potes caſtigare. *Et ſi non peccaverimus* (id eſt ſi ſimus juſti) *ſcimus* (id eſt firmiſſima fide credimus) *quia apud te computati ſumus*; id eſt numerati & electi, præmiandi à te in æternum in cœlis. Ut autem declaret Spiritus ſanctus quale ſimus præmium in cœlo accepturi propter noſtra bona opera, ideo ſubdit: *Noſſe enim te* (clarè videlicet & apertè videre Deum, prout eſt in ſe Trinus & Unus) *conſummata juſtitia eſt.* Unde *Ioan.* 17. dicitur: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum.

Ut autem ſciatur, quomodo ad hoc præmium poſſimus pervenire, ideo ſubdit; *& ſcire* (id eſt credere per dilectionem) *juſtitiam tuam* (id eſt æquitatem tuam) *& virtutem* (id eſt pietatem) *radix eſt* (id eſt principium) *immortalitatis* (id eſt beatitudinis ſempiternæ) Quaſi dicat is, qui habet fidem per charitatem firmatam & diligendo credit, quod tu ſis verè juſtus & pius; ille habet radicem beatitudinis. Circa illa verba, *Quia apud te computati ſumus.*

Notandum eſt, quod licet Deus omnium rerum & omnium hominum tam ſcilicet reproborum quam electorum ſuorum habeat notitiam, quia Deus omniſcius: ſpecialiter tamen dicitur numerus electorum tanquam amicorum ſuorum, & aliquando unà ſecum regnaturorum eſſe computatus. Unde dicit *S. Auguſtinus in Enchridio. Cap.* 22. quod electorum numerus ſoli Deo ſit cognitus. Huc etiam illud *Sapient.* 5. ubi dicitur: Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt. Et paulò poſt de reprobis dicitur: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam. Ecce quomodo computati (id eſt numerati) ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Pro cujus majori explicatione ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Sancti electi verè ſint à Deo numerati, ſeu computati juxta ſeptem ſpecies Arithmeticæ?

DIco quod ſic. Explicatur aſſertio adducendo, & applicando electis ſeptem ſpecies Arithmeticæ, quæ his verſibus continentur:

Addere, ſubtrahere, duplare, dimidiare,
Quintaque dividere, ſexta vero multiplicare,
Radicem trahere, pars ſeptima dicitur eſſe.

Itaque Deus has ſeptem ſpecies exercet in effectibus ſuis gratioſis quos confert electis. Nam Deus addit, ſubtrahit, duplat & dimidiat, multiplicat, dividit, & radices extrahit.

Addit enim Deus nobis peccantibus ſpatium & tempus pœnitentiæ, ut conteramur. Et hujus clarum exemplum eſt in Rege Ezechia 4. *Reg.* 20. cui dixit Dominus: Addam diebus tuis quindecim annos.

Subtrahit, etiam quandoque Deus malos, & impeditores quietis noſtræ, ut proficiamus; quia *Proverb.* 26. dicitur: Suſurrone ſubtracto jurgia quieſcunt. Et ideò Deus conſulit per Apoſtolum 2. *ad Theſſal.* 3. Subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinatè.

dicentem per *Pſalmiſtam*; Pauper ſum ego, & in laboribus à juventure mea. *Apoſtolus* quoque 1. *Corinth* 4. dicit: Uſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus: & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus manibus noſtris. De fœminis quoque dicit idem *Apoſtolus ad Philippenſes* 4. Adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio. Si ergo talium collaborantium diligentiam conſideraverimus, facile erit nobis laborare in operibus meritorum. Unde S. *Gregorius lib* 5. *Moralium* ait: Si deſideras in labore perſiſtere, collaborantem videas, quia ſublevatio laboris eſt. viſio collaborantis. *Iacobi* 5. Exemplum accipite fratres laboris & patientiæ per Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini Unde ſubdit idem S. *Gregorius*: Sicut quando in itinere comes jungitur, de ſocietate ejuſdem via alleviatur: Sic etiam labor ſublevatur per ſocium.

Explicatur tertia pars, Quod laborem facilitet futuræ mercedis expectatio. Hinc Athletis proponitur bravium in fine ſtadii; ruſticus recolit in hyeme futuros fructus Autumni; & operarius quantitatem ſui ſtipendii contemplatur. De hac mercede noſtra futura & labore præſenti dicit ſanctus *Hieronymus* in quadam Epiſtola: Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Unde dicitur *Sapient.* 5. Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Et *Sapient.* 10. Reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qualiter homines delinquentes, pœnitentes, ſtudentes, & præſidentes ſeu Prælati, laborent in hac vita?

Dico quod ſoli peccatores delinquentes laborent infructuosè: veri autem pœnitentes, ex bona intentione ſtudentes, & devoti præſidentes laborent fructuosè.

Explicatur prima pars, Quod peccatores delinquentes laborent infructuosè. Unde de eis verificatur illud *Pſalmi*: In vanum laboraverunt. Conſtat quod tanto magis famulus fatigetur laborando, quanto pluribus dominis debet ſervire Sic peccator ſerviens diabolo, carni, & mundo fatigatur laborando. Et iſti peccatores ſic fatuè laborantes, dicere poterunt illud Lucæ: Per totam noctem laborantes nihil cepimus. *Nihil*, id eſt peccatum, ſecundum illud *Ioan.* 1. Sine ipſo factum eſt *nihil*, id eſt, peccatum ut exponit S. *Auguſtinus*.

Explicatur ſecunda pars, quod verè pœnitentes fructuosè laborent in hac vita. Narrat *Sextus Iulius lib.* 1. *Stratagematum cap.* 41. quod Cyrus Rex Perſarum volens animos populatium concitare ad bellum contra Medos, tali fuerit uſus ſtratagemate. Duxit populum ad quandam ſylvam, ubi tota die maximis laboribus eos occupavit circa ligna ſcindenda, ſequenti autem die juſſit epulas lautiſſimas præparare, & omnis generis ludos & muſicas ibi inſtituit. Circumiens autem Syrus Rex interrogavit eos? an magis ipſis placeret hodierna quam heſterna dies! Reſponderunt omnes quod hodierna dies convivii lautiſſimi ipſis magis placeat. Ad hæc Rex Syrus ſubjunxit: ſicut per laborem heſternum perveniſtis ad hodiernum convivium, ſic fœlices & beati eſſe non poteritis, niſi prius Medos ſuperaveritis. Sic etiam moraliter loquendo, non poterimus pervenire ad convivium cœleſte, de quo Chriſtus; Paravi vobis locum ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: niſi prius veram pœnitentiam agendo laboraverimus. Unde *David in Pſalmis* ſic rogavit Dominum dicens: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea. Et alibi dixit: Laboravi, in gemitu meo lavabo per ſingulas noctes lectum meum.

Explicatur tertia pars, Quod labor ex recta intentione ſtudentium ſit fructuoſus. De hoc loquitur *Seneca* ſic: Non eſt, inquit, viri timere laborem: generoſos animos labor nutrit. Philoſophia nemini naſcitur, qui eam volunt habere, oportet quod laborent. Ariſtotelem non ſuſcepit Philoſophia ingenioſum, ſed effecit. Ideo S *Hieronymus*, dum in addiſcenda lingua Hebraica uſque in finem laboraret, ſe ipſum animavit dicens: Labor improbus (id eſt conſtans) omnia vincit.

Porrò iſte labor in ſtudendo, loquendo, & ſcribendo, ut poſteris poſſimus prodeſſe. Unde *Eccl.* 24. dicitur: Videte quomodo non ſolum mihi laboravi, ſed etiam omnibus exquirentibus veritatem. Advertant etiam benè ſtudentes, illam deprecationem Salomonis ad Dominum ſic clamantis: Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut mecum ſit & mecum laboret.

Explicatur quarta pars, Quod Præſidentes ſeu zeloſi Prælati fructuosè laborent dum in doctrina & bono exemplo omnibus aliis prælucent; juxta illud 1. *ad Thimoth.* 5. Qui bene præſunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.

LECTIO CLXXI.

TEXTUS.

Sed etſi figulus mollem terram premens laboriosè fingit ad uſus noſtros, unumquodque vas, & de eodem luto fingit, quæ munda ſunt in uſum vaſa, & ſimiliter quæ his ſunt contraria: horum autem vaſorum quis ſit uſus, judex eſt figulus. Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto; ille, qui paulò ante de terra factus fuerat & poſt pauſillum reducit ſe unde acceptus eſt, repetitus animæ debitum quam habebat.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam reprobata ſunt idola propter

 ſuam

ſuam ſpeciem ſeu formam extrinſecatu. nunc ſimiliter reprobatur illorum cauſa materialis & cauſa efficiens. Et quamvis idolum poſſit formari ex quavis materia, ſpecialiter tamen deridetur figulus, qui eſt vilis artiſex, & ex vili materia nimirum luto, formavit ſibi Deum. Ut de quantum ad materiam non ineſt major nobilitas ſuo idolo ſeu Deo, quam inſit minimæ & abjectiſſimæ ollæ. Et per hæc explicata manent priora verba textus, uſque ad illa verba *Et cum labore vano.* Præterea ſtultum eſt, quod figulus, qui eſt de terra formatus, & in terram redigendus, idolo ſuo tanquam Deo formato de terra velit dare immortalitatem, quam nec ſibi nec terræ, de qua aſſumptus eſt, conferre poteſt. Et hoc eſt, quod dicitur in Textu; *Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto ſuo*, de quo prius fecerat figulus vaſa honeſta & inhoneſta, quantum ad uſum illorum.

Sequitur, *Ille qui paulò ante de terra formatus fuerat*; id eſt figulus tanquam homo de terra formatus eſt: juxta illud *Eccleſ.* 17. Deus de terra creavit hominem. *Et poſt puſillum ducit ſe* (id eſt ducitur merito peccatorum ſuorum) *unde acceptus eſt*; id eſt de terra, in quam revertetur: juxta illud *Eccleſ.* 41. Omnia quæ de terra ſunt, in terram revertentur. *Vel ille non ſolum ducitur in terram, ſed repetitus eſt debitum animæ, quam habebat.* Hoc debitum eſt ipſa mors, quæ nihil aliud eſt, quam ſeparatio animæ à corpore; mortem autem debet ſubire quivis homo ob peccatum primi parentis, ut patet ex *Gen.* 2. *cap.* ubi dicitur: In quocunque die comederis ex eo, morte morieris. Itaque ſenſus illorum verborum eſt: Et repetita eſt ab ipſa anima propter debitum moriendi, ſeu ſeparandi à corpore propter peccatum primi parentis. *Luca* 12. Stulte hac nocte repetent animam tuam à te. Circa illa verba, *Repetitus animæ debitum*, Sit

ARTICULUS UNICUS.

An ſimus debitores Deo tanquam ſuperiori; carni tanquam inferiori; & proximo tanquam æquali.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod ſimus debitores Deo, & quidem triplici titulo: quia ſumus ejuſdem debitores ratione delicti, ratione beneficii, & ratione depoſiti. Nam ratione delicti ſumus Deo debitores, quia omnes contra Deum peccavimus: & ideo pro offenſa debemus pœnam & emendationem. Exemplum hujus habemus 1. *Regum* 6. de Philiſthæis, qui arcem Domini detinuerunt injuſtè, & ideo diverſimode fuerunt afflicti. Unde dictum eſt eis: Quæ debetis, reddite pro peccato & tunc curabimini. Secundò ſumus Deo debitores ratione beneficii; recipimus enim à Domino Deo dona gratiæ, naturæ, & fortunæ, pro quibus omnibus meritò ei ſervire debemus. *Luca* 17. Cum omnia bene feceritis, quæ vobis propoſita ſunt, dicite, quia omnes ſervi inutiles facti ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Tertiò ſumus Deo debitores ratione depoſiti. Hæc enim omnia bona, quæ nobis videntur eſſe collata, depoſita magis ſunt quam data, & ideo reddituri ſumus Deo de omnibus rationem. Juxta illud *Matth.* 18. Mittite eum in carcerem, donec reddas univerſum debitum.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſimus debitores *Carni* tanquam inferiori: non quidem ut ſecundum eam vivamus, ſed ut eam ſpiritui ſubjiciamus. Unde ad *Rom.* 8. dicitur. Debitores ſumus non Carni, ut ſecundum eam vivamus; ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Itaque Carni tria debemus, nimirum ſuſtentationem, caſtigationem, & exercitationem. Suſtentari enim debet caro, ne deficiat; deliciari non debet, ne inſoleſcat. *Unde S. Gregor. Hom.* 8. ſecundæ partis *ſuper Ezech.* inquit: Caro nobis aliquando adjutrix eſt in bono opere, aliquando ſeductrix in malo; ſi enim ei plus tribuamus quam debemus, hoſtem nutrimus: & ſi neceſſitati ejus, quæ debemus, non reddimus, civem noſtrum necamus. Satianda itaque eſt caro, ſed ad hoc, ut in bono opere nobis ſufficiat. Hæc *S. Gregorius.* De eadem carne loquitur *Seneca Epiſt.* 44. dicens. Caro ſuſtentari debet non impinguari, ne contra ſpiritum fiat hoſtis, juxta illud metricum;

Si benè ſum paſta dicit caro non ero caſta.

Item alius dicit ſic:

O mihi chara caro, rationi conſona raro:
Dum tibi multa paro fercula, litus aro.

Secundò debemus Carni caſtigationem, & abſtinentias, vigilias, & afflictiones rationales. Undè dicit *Apoſtolus* 1. *Corinth.* 9. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſemet reprobus efficiar. Eſt enim Caro ſicut equus laſcivus, qui propter nimium & elegans pabulum, projicit Dominum ſuum in lutum. Et ideo *S. Gregorius* ſuper illud *Iob.* Verſa eſt in luctum cithara mea, dicit ſic: Si corda in cithara minus tenditur, non ſonat; ſi amplius, raucum ſonum dat: quia nimirum tanto quisque ſibimet moderamine debet præeſſe, ut ad culpam caro non ſuperbiat, & tamen in recto opere faciendo adhuc ſubſiſtat.

Tertiò debemus Carni exercitationem, non autem otium vel vacationem. De hac re loquitur *Seneca Epiſt.* 8. Nullus mihi per otium exit dies, partem noctium ſtudiis vendico; non vaco ſomno, ſed ſuccumbo; & oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo. Et *S. Hieronymus* in quadam Epiſt ait: ſemper aliquid operis facito, ut te diabolus occupatum inveniat: non enim facile capitur à diabolo, qui bono vacat exercitio.

Explicatur tertia pars, Quod ſimus debitores Proximo; cui debemus dilectionem, inſtructionem, & ſupportationem. Eandem quidem dilectionem debemus [illegible] *Rom.* 13. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Et *Ioan.* 4. Si Deus dilexit nos, & nos debemus invicem diligere. Unde *S. Gregorius in quadam Hom.* ſic ait: Habet intelle-

ctum,

ctum, curat omnino ne taceat; habens rerum affluentiam a miſericordia non torpeſcat; habens artem quâ regit, uſum illius cum proximo partiatur: habens locum loquendi apud divitem, pro pauperibus intercedat.

De hac nimirum dilectione dicit *Petrus Ravenenſis* in quadam *Epiſt.* ſic: Cum humanæ conditionis ſtatus multiplici motu varietur; nihil in temporibus invenio præter unum quod vitæ cæleſtis imaginem repræſentat. Nam ſola dilectio eſt quam non alterat caſualis eventus; quam ſeparatio corporalis non dividit; quam temporis longitudo non abolet; quæ defectui non ſuccumbit. Sola dilectio eſt per quam amicos abſentes videmus, alloquimur, amplexamur: quæ ſic quadam Angelica agilitate, & imaginario commeatu tranſvolat & recurrit, ut nihil de damno corporeæ molis, aut diſtantiæ localis injuriâ conqueramur. *Secundò* debemus Proximo inſtructionem; unde dixit *Apoſtolus ad Rom.* 1. Græcis & barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.

Tertiò debemus Proximo ſupportationem, Cujus exemplum habemus in Cervis, qui *teſte S. Iſidoro lib.* 2. *Ethym. cap.* 1. quando flumina tranſnatant, capita clunibus ſeu dorſo præcedentium Cervorum ſupponunt, ſibique invicem famulantes nullum laboris pondus ſentiunt. Sic etiam in omni congregatione & ſtatu illi, qui perfectiores & fortiores fuerint, debent infirmorum defectus & imbecillitates patienter ſupportare; juxta illud *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere.

LECTIO CLXXII.

TEXTUS.

Sed eſt illi cura non quia laboraturus eſt, nec quoniam brevis vita illius, ſed concertat cum aurificibus & argentariis; ſed & ærarios imitatur & gloriam præfert: quoniam res ſupervacuas fingit. Cinis eſt enim cor ejus, & terra ſuper vacua ſpes illius, & luto vilior vita illius, quoniam ignoravit illum qui finxit ſe & inſpiravit illi animam; & amat ea, quæ operatus eſt, & non eum qui inſufflavit ei ſpiritum vitalem.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione reprehendit Spiritus ſanctus fabricantes idola ex materia vili; unde ſpecialiter deridet figulos, qui ex materia fictili idola gentium fecerunt; Arguitque iſtos opifices Spiritus ſanctus de negligentia bonæ conſiderationis; *Secundò* de vana gloria; *Tertiò* de ſpe ſupervacua; *Et quartò* de ignorantia nimis fatua, ſunt autem tales opifices negligentes in eo, quod non curent laboris ſui quantitatem, & vitæ ſuæ brevitatem non perpendant. Et quantum ad hoc dicit ſic: *Sed eſt illi cura, non quia laboraturus eſt; Sed nec quoniam eſt brevis vita illius: Sed concertat cum aurificibus.* id eſt, qui in auro operantur: *& argentariis* (id eſt, qui operantur in argento) Per quæ verba declaratur vana gloria figuli, qui concertat cum aurificibus tanquam operari poſſit ita ſubtiliter in luto, ſicut aurifaber in auro vel in metallo.

Sed & ærarios (id eſt illos, qui operantur in ære, & in quocumque alio metallo) *imitatur* (nimirum figulus) *& gloriam præfert*, id eſt inutiliter ſe jactat quærens gloriam, præferendo opus ſuum luteum operibus aliorum nobiliorum artificum, ut ſunt aurifabri, argentarii, & ærarii. Et ideo ſe inutiliter aliis præfert, *Quoniam res ſupervacuas* (id eſt inutiles) *fingit*. Poſtquam reprobata fuit negligentia & vana gloria figulorum facientium ex luto idola, nunc reprobatur eorundem ſpes ſupervacua in idolorum cultura: quæ cultura reprobanda eſt ex mala cogitatione, affectione, & converſatione.

Quantum ad cogitationem dicit ſic: *Cinis enim eſt cor ejus*; hoc eſt cogitatio cordis illius qui adorat idolum, *eſt cinis*; id eſt, circa cinerem ficut circa ſuum objectum, Actus enim ſpecificantur ab objectis circa quæ verſantur; ſicut cogitatio avari eſt aurum, id eſt circa aurum acquirendum.

Sequitur. *Ex terra ſupervacua* id eſt in idolo formato ex terra ſeu ex luto, ſpes illius quantum ad affectionem eſt

Et luto vilior vita illius: id eſt converſatio adorantis idolum vilior eſt ipſo luto, quod adorat, & cui ſe ſubdit.

In verbis ſequentibus reprobat Spiritus ſanctus idololatras ob ignorantiam propriam, ratione cujus inciderunt in tot errores: unde ſubdit: *Quoniam ignoravit illum qui ſe finxit*; nimirum Deum. de quo in *Pſal*: dicitur: Qui finxit ſingillatim corda eorum. *Et qui illi inſpiravit animam, Gen.* 2. Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ; *Et amat*, (nimirum figulus) *id quod operatus eſt*: id eſt, amat ſua idola quæ fecit. *Et* non eum (ſupple amat) *qui inſufflavit ei ſpiritum vitalem* (nimirum Deum) Et hoc ideo, quia illud (ex culpa tamen propria) ignorat; nihil autem ignotum eſt amatum. Circa illa verba: *Brevis eſt vita illius.* Sit

ARTICULUS UNICUS.

An vita noſtra habeat durationis brevitatem; afflictionis acerbitatem: & ſalutis æternæ incertitudinem?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod vita noſtra habeat durationis brevitatem; juxta illud *Iob.* 14. Homo natus de muliere brevi vivens tempore. Et infra, Breves dies hominis ſunt. Acceleratur autem ſæpè vitæ brevitas per malum regimen corporis, & exceſſus delitiarum in cibo & potu, aliiſque voluptatibus venereis. Unde *Eccl.* 37. dicitur: In multis iſtis erit infirmitas Et paulò poſt ſubditur: Propter crapulam multi obierunt. Ubi nomine *Crapulæ* non ſolum intelligitur abundantia diverſi vini hauſti, ſed etiam ſaginatio per diverſiſſimos cibos ſumptos exceſſivè. Unde *Seneca*

Epiſt. 7. *dicit.*: Multos morbos multa fercula fecerunt, Huc pertinet illud *Sap.* 2. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ.

Explicatur ſecunda pars. Quod vita noſtra habeat afflictionis acerbitatem; Unde *S. Auguſtinus lib* 1. *de oratione* dicit ſic: Cogitemus quàm brevis ſit vita noſtra, quàm lubrica ſit vita noſtra, & quam incerta mors noſtra. Et poſt pauca; quis omnia mala hujus vitæ enumerare poſt? Pericula, morbos, perſecutiones, bonorum jacturam, filiorum privationem &c. Idem ferè habet *S. Gregorius lib.* 11. *Moralium* ubi ſic dicit: Si ſubtiliter conſideremus, quidquid hic agitur, pœna & miſeria eſt: & cum hocipſo, quod vita noſtra tantis repleatur miſeriis, miſericorditer diſpenſatur propter vitæ brevitatem, quæ ſicut umbra præterit. Hoc certè valdè bene conſideravit Salomon, quando in omnibus, quæ fiunt ſub ſole vanitatem vidit & afflictionem ſpiritûs; & ideo *Eccl.* a.dicit: Tæduit me vitæ meæ videntem mala eſſe univerſa ſub ſole, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus.

Explicatur tertia pars. Quod vita noſtra habeat ſalutis æternæ incertitudinem; Unde *Eccl.* 9. dicitur: Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo finem ſuum ſed omnia in futurum ſervantur incerta. Et ideo dicit *Seneca* quod virtuoſus debeat in opinione, & mortis contemptu mori, antequam finiat vitam ſuam, & conſummare vitam ante mortẽ. Et iterum dicit *Seneca. Epiſt* 32. Pulchrum eſt conſummare vitam ante mortem, & exſpectare ſecurè reliquam ſui temporis partem. Et tales illi erant de quibus Apoſtolus loquebatur ad *Colloſ.* 3. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

LECTIO CLXXIII.

TEXTUS.

Sed ei æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram, & converſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere undecunq; etiam ex malo acquirere, hic enim ſcit ſe ſuper omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vaſa, & ſculptilia fingit. Omnes enim inſipientes & infælices ſupra modum animæ. ſuperbi ſunt inimici populi Dei & imperantes illi.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc Textu redarguit Spiritus ſanctus idololatras, quantum ad eorum falſam opinionẽ circa vitæ humanæ moralem bonitatẽ. Fuit autem opinio iſtorum reproborum idololatrarum, quod ſola converſatio hominis debeat ordinari ad duo: nimirum ad delectationes ſeu delitias, & ad poſſeſſiones ſive divitias. Et hoc eſt quod dicit: *Sed æſtimaverunt vitam noſtram eſſe luſum*; vel ut alii legunt, *luxum*; hoc eſt, putarunt finem & perfectionem vitæ humanæ conſiſtere in hoc, quod homo circa nihil aliud ſit ſollicitus quàm ut fruatur delitiis & voluptatibus corporis, & ut abundet divitiis, Unde ſubdit: *Æſtimaverunt converſationem vitæ humanæ eſſe compoſitam*; id eſt ordinatam ad lucrum divitiarum. *Et ideo oportet undecunque* (ſivè juſtè, ſivè injuſtè) *etiam ex malo acquirere.* Exinde autem factum eſt, quod tales miſeri figuli ſtuduerint fabricare idola, ut ea caro pretio poſſint vendere idololatris. In verbis ſequentibus comparat Spiritus ſanctus figulum de vili materia idola facientem, ad alios artifices idolorum, qui illa de nobiliori materia v.g. argento, auro, vel ære fabricârunt.

Dicit ergo ſic. *Hic enim* (nimirum figulus) *Scit ſe ſuper omnes delinquere*; qui ex terræ materia fictili, vaſa fragilia & ſculptilia fingit. Et ideo expreſsè palpat talis figulus, quod non ſint plus honoranda ſua idola ſculptilia, quam alia vaſa fragilia. Porrò non ſolum talis figulus, ſed *etiam omnes alii idololatræ ſunt inſipientes*: quantum ad carentiam veræ cognitionis, quam deberent hábere de Deo, *Et infælices* (quantum ad efficientiam idolorum) *ſupra modum* id & ſupra menſuram animæ, id eſt bonitatis propriæ. *Superbi ſunt inimici populi Dei*, & bonorum virorum, eos opere perſequendo; *& imperantes illis*, puta deridendo & diffamendo viros bonos. Circa illa verba *Æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtrã*, Notandum *ex Ariſtotele.* 10. *Eth* c.7. Quod aliqui fuerint qui humanam feliciratem dicebant conſiſtere in operibus ludi: & hæc eadem ſententia eſt reprobata à Spiritu ſancto in hodierna lectione, & merito; Nam ſi in operibus ludi conſiſteret felicitas humana, ſequeretur quod ludus eſſet finis vitæ humanæ, & quod homo ſtuderet & laboraret propter ludum; quod eſt ſtultum & puerile dicere; ſed potius aliquis ludit ad horam, ut poſtea melius ſtudeat. Præterea quia cum felicitas humana debeat eſſe ſummum bonum, oportet quod in optimis & non in ridiculoſis ludis conſiſtat. Unde *Tullius de officiis* ait: Non ita à natura generati ſumus ut ad ludum & iocum facti eſſe videamur, ſed ad majora quædam & meliora.

Tertiò quia nobilioris partis animæ eſt melior operatio, & conſequenter in nobiliſſima parte debet poni felicitas, non autem in ludo, per manus allicito & facto. Et propter hoc docent Theologi quod cum melior pars animæ rationalis ſit intellectus, etiam hominis beatitudo formalis in perfectiſſima operatione intellectus circa perfectiſſimum objectum nimirum Deum clare viſum conſiſtere debeat; id eſt, quod beatitudo formalis hominis conſiſtat in clara viſione Dei, pro ut in ſe eſt, Trinus & Unus. Quia tamen luſus non eſt omnino interdictus, ideo ad explicandum, quomodo luſus licitè fiat. Sit

ARTICULUS UNICUS.

An ad ludum licitè faciendum requiratur condecentia honeſtatis; conſervatio probitatis & carentia ſuperfluitatis?

DIco quod ſic.

Explicatur prims pars. Quod ad ludum licitè faciendum requiratur condecentia honeſtatis: ut videlicet talis ludus deceat perſonam ludentem, & etiam deceat perſonas aſ-

ſiſtentes

ſiſtentes Unde alius luſus convenit Clerico,vel Prælato ſeu Religioſo, & alius luſus competit militi armigero vel famulo; alius etiam luſus decet ſenes & alius juvenes: quia non omnes omnia decent. Inter fabulas Æſopi legitur, quod aſinus videns catulum eſſe Domino ſuo ſummè charum ex eo, quia Domino redeunti domum, ſtatim occurrit, & in ſignum lætitiæ, propter reditum Domini, voce ſua exultaverit & pedibus ſuis verſus dominum ſaltaverit. Aſinus itaque ut placeret domino, imitari volens catulum, redeunti domino domum occurrit, horrendè clamare incepit, & pedibus ante & retrò ſaltavit verſus dominum: qui ſtatim vocavit ſamulos,qui debuerunt aſinum fuſtibus bene excipere; quia nullo modo rudi & inculto aſino ſic conveniebat blandiri domino, uti poteſt facere ſubtilis aliquis catellus; ſic etiam multi ſunt, qui putant, quod ipſos deceat omnis ludus,& tamen in rei veritate diſplicent etiam illis ipſis, in quibus aliis placere ſtudent.

De iſta honeſtate & decentia ſervanda in ludo loquitur *Ariſtoteles 4. Eth. cap. 16.* Ludi s, inquit, liberalis & diſciplinatus differt à ſervili in hoc, quod ludens indiſciplinatè exponat ſe duplici damno, nimirum deriſioni & ſuſpicioni. Unde indiſciplinatè ludentes in comœdiis aliquando paſſi ſunt deriſionem, quando nimirum ineptè dixerunt; aliquando ſuſpicionem, quando nimirum turpia dixerunt; quia probabile eſt, quod qui de turpibus ludunt in turpibus delectentur, Et ideo ex parvis magna ſæpè intelligimus, ſicut docet *Tullius in ſua Rhetorica.* Qui etiam *lib 1. de officiis* ſic dicit Pueris non omnem licentiam ludendi damus, ſed ſolum circa ea, quæ ab honeſtis actionibus non ſunt aliena: ut ſic in ipſo joco ſemper aliquid ingenii eluceſcat.

Sanctus quoque *Ambroſius lib. 5. de officiis* ſic ait: Caveamus, ne dum animum relaxare volumus, ſolvamus omnem harmoniam quaſi concentum quendam bonorum operum; uſus enim citò inflectit naturam. Unde Clericos non decent ſaltationes, teſtante illud S. *Chryſoſt. ſuper cap. 14. Evangelii Matthæi* ſuper illa verba; Die autem natalis Herodis ſaltavit filia Herodiadis: ubi ſic loquitur: Ubi ſaltatio ibi diabolus; nec enim ad hoc Deus dedit nobis pedes ut cum camelis ſaltemus, ſed ut cum Angelis choros faciamus: in ſaltibus exultant dæmones, & lætantur miniſtri dæmonum. Hæc ille. Porrò iſtam honeſtatem bene ſervavit illa virgo *Sara, filia Raguelis:* propter quod dicere potuit illud *Tobiæ 3.* Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui.

Explicatur ſecunda pars, Quod ad ludum licitè faciendum requiratur conſervatio probitatis ita ut ludens ſemper prævideat, quod luſus ſous ſit ſimplex, innocens & innoxius, ne aliquis inde lædatur. Unde qui nihil in dictis ſuis ponderant, niſi ut riſum faciant; nec curant, quem per dicta ſua contriſtent, detiſores ſolum ſunt & homines vani,impertinentes ac inſolentes. Et de tali loquitur Salomon *Proverb. 26.* dicens: Fraudulenter nocet amico ſuo, & cum deprehenſus fuerit, dicit ludens feci. Tales certè ludunt more Samſonis, qui ludendo tam ſe, quàm aſſiſtentes oppreſſit, *Iudicum 16.*

Explicatur tertia pars, Quod ad hoc ut luſus licitè fiat requiratur carentia ſuperfluitatis, ne vel continuè fiat, vel ne nimis diu protrahatur uſque ad ſeram noctem. Debet enim luſus fieri cum moderamine,quando, ubi, & ſicut oportet. Ad propoſitum etiam *Tullius lib. 1. de officiis* dicit ſic: Ludo & joco uti licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris: tunc videlicet, cum gravibus, ſeriis aliiſque rebus ſatisfecerimus Diſtinguit autem *S. Thomas in 4. diſt: 16. Quæſt: ultima. Arti:* 1. Triplex genus ludi. Eſt enim *Primus* ludus turpis & inhoneſtus, qui in ſe deſormitatem importat: & tales ludos fecerunt Gentiles coram diis ſuis in Theatris& templis; Et iſte luſus eſt ſimpliciter inhibitus Chriſtianis; *Secundus* ludus eſt gaudii ſpiritualis, qualem faciunt Chriſtiani in die Corporis Chriſti: &qualem fecit David coram Arca domini. *2. Reg 6.* Et iſte luſus eſt licitus. *Tertius* eſt ludus humanæ conſolationis vel ad pellendam melancholiam, vel ad lætificandum ſubinde bonum amicum; & hic ludus eſt etiam licitus. Et de tali ludo poteſt exponi illud *Zach 8.* Plateæ civitatis complebuntur infantibus & puellis ludentibus.

LECTIO CLXXIV.

TEXTUS.

Quoniam omnia idola nationum deos æſtimaverunt, quibus nec oculorum viſus eſt ad videndum, nec nares ad percipiendum ſpiritum, nec auris ad audiendum,nec digiti manuum ad tractandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum; Homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, finxit illos. Nemo enim ſibi ſimilem homo poteſt deum fingere; cùm enim ſit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione irridentur idololatræ, ratione finis ſui intenti: nam ipſi fruſtra exſpectant ab idolis ſuis mutis & inanimatis auxilium, contra occurrentes defectus vitæ humanæ; Et ideo idololatræ *omnium nationum* fruſtrà & ſtultè *idola ſua deos æſtimaverunt.* Probat autem Spiritus ſanctus in *hoc textu*, quod idola careant omnibus ſenſibus: licet autem de ſenſu tactus expreſſè non fiat mentio, ille tamen ſubintelligitur ſub ſenſu guſtus,qui eſt etiam aliquis tactus, ut dicitur *2. de anima.* Rationem autem, cur idola careant omnibus ſenſibus, adſcribit Spiritus ſanctus impotentiæ fabricantis talia idola; unde dicit: *Qui* (nimirum *fabricator, cum ſit mortalis, mortuum fingit*, id eſt, inanimatum idolum componit: Fingere enim componere dicimus, ſecundum *S. Gregorium.* Licet autem homo mortalis poſſit generare vivum per naturam: fingere tamen per artem nullatenus poteſt vivum *manibus ſuis iniquis*, id eſt, iniquitatem operantibus.

ARTICULUS UNICUS.

An mali & inſcii Paſtores ſeu Superiores moraliter loquendo careant omnibus ſenſibus?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod mali & inſcii Paſtores, ſeu Superiores moraliter loquendo, careant virtute Viſiva diſcretionis, & ſcientiæ, qua diſcernere deberent inter lepram & lepram. Item carent cognitione non ſolum ſacræ Scripturæ, ſed etiam omnis ſcientiæ naturalis & liberalis. Et tales Paſtores excæcantur pulvere terrenorum. Et ideo dicitur *Iſaiæ* 56. Speculatores ejus cæci ſunt omnes Tales paſtores ſpiritualiter nihil vident, & tamen vident temporalia ad emendum & diſponendum. Sed revera etiam videndo ſolùm hæc terrena, & opes multas, vident nihil. Unde *Ieremiæ* 4. dicitur: Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihil. Et *Sap.* 7. Divitias nihil eſſe duxi.

Explicatur ſecunda pars. Quod mali paſtores careant ſpirituali Olfactiva: qua virtute ſentitur odor ille, quo animæ devotæ currunt poſt ſponſum, *Cant.* 1. Curremus in odorem unguentorum tuorum. Conſtat quod odor ſpinæ florentis auferat cani odorem prædæ. Moraliter loquendo, Spinæ florentes ſunt divitiæ cum honoribus & dignitatibus, quæ tantum redolent in naribus Prælatorum; ut odorem prædæ cœleſtis, vel Chriſti, quem currendo in via virtutis inſequi deberent, totaliter amiſerint. Et de his dicitur à *Pſalmiſta*: Nares habent & non odorabunt.

Explicatur tertia pars. Quod careant Virtute Auditiva in auribus Deberent enim habere duas aures ſpirituales, unam ad audiendum cum delectatione Verbum Dei: & alteram ad faciliter intelligendum clamorem egeni. Prima auris eſt dextera, altera ſiniſtra: ſed mali Paſtores & Prælati adinſtar aſpidis ſurdæ obdurant aurem dexteram terrâ, & ſiniſtram aurem caudâ tegunt. Quia ſi iſtis malis Paſtoribus offeratur copia verbi Dei, dicunt, quod non habeant tempus prædicationes audiendi, eo quod de rebus terrenis, redditibus, & ſubditis debeant habere conſerentiam. Si verò clament pauperes pro eleemoſyna, obdurant aurem ſiniſtram cauda, dicendo tanta familia eſt nobis neceſſaria, tot clerici & famuli alendi, ut pro horum alimento vix ſufficiant ea, quæ de Eccleſiis poſſident. Et iſtæ duæ ſurditates reddunt ſimiles Paſtores & Prælatos execrabiles. Unde dicitur *Proverb.* 28. Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus fiat execrabilis.

Explicatur quarta pars. Quod mali Paſtores & Prælati careant virtute ſpirituali Guſtativâ: qua guſtatur à Sanctis, quam ſuavis eſt Deus. Et tales mali Paſtores patiuntur febres variorum peccatorum; quia nunc infrigidantur per timorem perdendi iſta mundana; modò caleſcunt per rancorem ſeipſos ulciſcendo de injuria; modò denique ſudant in corpore propter meras delicias. Et ideò habent infectum guſtum, ita ut non poſſint guſtare quæ Dei ſunt. Propter quod ad *Coloſſ.* 3. illis dicitur: Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Et in *Pſalmis*: Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Dicit *Ariſtoteles problemate* 5. *particula* 22. Quod comedentibus fructus putridos, vinum dulce videatur eſſe amarum, quæ amaritudo manet diffuſa in lingua eorum, & magis diffunditur per vinum Sic etiam moraliter loquendo, mali Prælati comedunt fructus putridos voluptatum carnalium, & ideo non ſapit eis vinum dulcis devotionis & contemplationis. *Lucæ* 14. Nemo virorum illorum guſtabit cœnam meam.

Explicatur quinta pars, Quod mali Prælati careant virtute Tactiva ſpirituali. Unde de ipſis verificari poteſt textus allegatus: quod *non ſint eis digiti manuum ad tractandum.* Et bene dicitur manuum in plurali: quia Prælati duas manus ſpirituales habere deberent; Nimirum dexteram, qua reverenter tractent myſteria ſacramentorum: & ſiniſtram, qua ſuaviter curent vulnera peccatorum. Prima manus debet eſſe mundiſſima, quia debet tractare Filium Dei; juxta illud 1. *Ioan.* 1. Manus noſtræ tractaverunt de Verbo vitæ. Sed prô dolor, iſta manus dextra in multis eſt leproſa, & infecta libidine, ut merito unicuique tali dicatur illud *Ioan* 2. Noli me tangere, id eſt ſubtrahe te à celebratione divinorum & adminiſtratione ſacramentorum Dei, propter immunditiam vitæ tuæ. Secunda autem manus debet eſſe ſuaviſſima, qua tractare debet vulnera peccatorum. Unde 4. *Reg.* 5. dicitur: Putabam quod egrederetur ad me, & manu ſua tangeret locum lepræ. Et Salvator noſter extendens manum ſuam tetigit leproſum, vel locum lepræ dicens: Volo, mundare, *Matth.* 8. Sed multi Curati, & Prælati, moderno tempore adinſtar canum ſola lingua lingunt vulnera peccatorum, ſed manu non contingunt: quia opera miſericordiæ non impendunt, nec operibus bonis exemplum dant ſubditis: ſed habent ſe ſicut illi, qui ſederunt ſuper cathedram Moyſis, & alligaverunt onera gravia & importabilia. & imponunt humeris hominum, quæ digito ſuo nolebant levare & movere Et tales malos Paſtores ſeu Prælatos comparat S. *Ambroſius* Aquæ Baptiſmali; quæ poſtquam alios mundavit à fæce peccati originalis, ipſa foras tanquam immunda projicitur.

LECTIO CLXXV.

TEXTUS.

Melior eſt enim ipſe his quos coluit, quia ipſe quidem vixit cum eſſet mortalis; illi autem nunquam: Sed & animalia miſerrima colunt, inſenſata enim comparata his, illis ſunt deteriora. Sed nec aſpectu aliquis ex his animalibus bona poteſt conſpicere. Effugerunt autem DEI laudem & benedictionem ejus.

EXPLI-

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hac Lectione oſtendit Spiritus ſanctus gravem culpam illorum qui colunt idola, & quam ſtultè faciant colendo idola.

Dicit ergo: *Melior eſt enim* (nimirum figulus) *his quos colit* (nimirum diis fictis ſeu idolis) *quia ipſe quidem figulus vixit, cùm eſſet mortalis, illi* autem dii ficti,ſeu idola à ſe facta, nunquam vixerunt, nec vivent. *Sed & animalia miſerrima colunt*, id eſt imagines animalium: de quibus jam ſatis ſupra *cap.* 13. In ſequentibus verbis probat Salomon,quod idololatræ ſint ſuis idolis,quæ colunt multo nobiliores: quia ipſi ſentire poſſunt,illa autem non. Undè dicit: *Inſenſata enim* (id eſt idola carentia ſenſu) *comparata his* (id eſt ſuis cultoribus) *illis ſunt deteriora*, ut de ſe patet.

Deindè ſubjungit Salomon, quod *nullum ex his animalibus* (id eſt idolis animalium) *poteſt conſpicere bona* aſpectu interiori,vel exteriori; & conſequenter etiam illa animalia non poſſunt ſuis cultoribus aliquid boni præſtare: & juxta hoc intelliguntur illa verba poſita in textu: *ſed nec aſpectu aliquis ex his animalibus bona poteſt conſpicere.*

Ex his omnibus infert Salomon pœnam generalem debitam idololatris: nimirum quod ſint indigni laude & benedictione Dei. Undè dicit ſic: *Effugerunt autem Dei laudem & benedictionem ejus.* id eſt fecerunt ſe indignos laude Dei & benedictione activa: vel ſunt indigni, ut à Deo laudentur & benedicantur. Pro majori explicatione Benedictionis Dei. Sit

ARTICVLVS VNICVS.

An reverentia erga parentes; beneficentia ad indigentes; innocentia converſationis; & benigna correptio ad inſolentes; promereatur Dei benedictionem?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars.Quod Reverentia erga parentes mereatur benedictionem Dei. Undè *Eccl.* 3. dicitur: Honora patrem tuum, ut ſuperveniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in noviſſimo maneat. Hujus rei præcipuum exemplum habemus in Salvatore noſtro, de quo dicitur, quod obtemperavit parentibus ſuis, & erat ſubditus illis *Luca* 2. Imò ad monſtrandam ſuam devotionem erga ſuam caſtiſſimam Matrem, jam tum exſpiraturus in Cruce, de ejuſdem futura neceſſitate curam habuit: & ne maneret ſine ſolatio, filium ei dedit dilectum diſcipulum Joannem, dicens beatiſſimæ Virgini Mariæ: Mulier ecce filius tuus *Ioan.* 19. Imò non ſolum tunc, ſed etiam uſque modo Chriſtus Dominus ſuæ dilectiſſimæ Matri in omnibus honorem defert, dum ipſa pro nobis intercedente, ſtatim preces ejuſdem exaudit. Sicut olim *Coriolanus* ad nullius alterius, quam ſuæ propriæ matris interceſſionem pepercit ſubverſioni Vrbis Romanæ ut refert *Valerius lib.* 4. Videnſque matrem ſuam ſupplicem dixit: Expugnaſti, inquit, chariſſima mater, & viciſti iram meam, Romanæ patriæ precibus tuis admotus parco. Huc facit illud *Anſelmi*, qui in quadam oratione loquens de beatiſſima Virgine ſic ait: O beatiſſima Domina,ſicut omnis à te averſus,& à te deſpectus, neceſſe eſt ut intereat; ita omnis ad te converſus,& à te reſpectus,impoſſibile eſt ut pereat.

Similiter etiam *Iacob* honorando patrem ſuū *Iſaac*, & afferendo ei de conſilio matris ſuæ *Rebecca* cibos, quibus libenter veſcebatur, merebatur benedictionem ab illo, *Gen.* 27. Et illa benedictio fuit ſic ordinata à Deo etiam contra intentionem patris, qui putabat tunc temporis ſe benedixiſſe Eſau.

Dices ſi Sacerdos non habeat intentionem conſecrandi, vel aliquid benedicendi, non conſecrat nec benedicit; quia tam conſecratio quā benedictio dependet ex vera intentione conſecrantis vel benedicentis, volentis conſecrare vel benedicere hoc aliquod: Ergo ſimiliter ſi *Iſaac* præter intentionem ſuam benedixit *Iacob*, illa benedictio non tenebat.

Reſpondeo quod *Iacob* fuerit conſecutus beneficium benedictionis, non quando primò benedixit ei *Iſaac*, putans ſe benedixiſſe *Eſau*; ſed quando poſtea venit *Eſau* ad *Iſaac* ſe fuiſſe deceptum, approbavit & ratam habuit benedictionem *Iacobo* antea datam; & dixit de Jacobo: Benedixi ei,& erit benedictus.

Explicatur ſecunda pars. Quod beneficentia ad indigentes mereatur Dei benedictionem: undè dediti operibus pietatis & eleēmoſynæ à Deo benedicuntur; Et ideò *Proverb.* 22. dicitur: Omnis qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur, de panibus enim ſuis dedit pauperi. Et certè hoc mirabile eſt, quod homines liberales & miſericordes, quo plus expendunt pauperibus, eò plus ſæpè abundent; & ideò *Proverb.* 11. dicitur: Alii dividunt propria & ditiores ſunt, alii rapiunt non ſua, & ſemper ſunt in egeſtate. Et tales miſericordes benedictionem habebunt finalem,quando recenſitis operibus charitatis dicetur eis: Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum. Et 2. *Corinth.* 9. dicitur: Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

Explicatur tertia pars.Quod innocentia converſationis mereatur Dei benedictionem. Undè dicitur in *Pſal.* Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo: hic accipiet benedictionem à Domino. Ubi *Pſalmiſta* quatuor ponit, nimirum ſimplicitatem operis, ſeu operationis, per ly *innocens manibus. Secundò* puritatem cordis, per ly *mundo corde*; *Tertiò* ſoliditatem devotionis, per ly *non accepit in vano animam ſuam. Quartò* ſanctitatem locutionis per ly *nec juravit in dolo proximo ſuo.* Et talis fuit Job, qui deſcribitur fuiſſe vir ſimplex, rectus, ac timens Deum; & ideò citò poſt ſubjungitur: Operibus manuum ejus benedixiſti, & poſſeſſio ejus crevit in terra. Et in fine dicitur: Dominus autem benedixit noviſſimis Job magis, principio ejus *Iob.* 24.

Quando Joſeph rogavit patrem ſuum *Iacob*, ut duobus filiis ſuis *Manaſſen & Effraim* benediceret; tunc Joſeph diligens magis *Manaſſen* poſuit eum à dextris, ſed *Effraim* poſuit à ſiniſtris, Jacob autē à Deo inſtructus cancellavit manus,

& manu dextra benedixit abundanter *Effraim*, manum autem ſiniſtram poſuit ſuper *Manaſſen*, & benedixit ei. Sic etiam moraliter loquendo facit Deus cum hominibus ſibi à mundo oblatis; nam mundus offert divites & potentes, & hos ponit à dextris, pauperes autem ponit à ſiniſtris. Quid facit Deus? cancellat manus, & manum dextram ponit ſuper pauperes, dans eis benedictionem duraturam in perpetuum in cœlo, ac vita æterna; econtra autem aliis oblatis à mundo & poſitis pro benedictione accipienda ad partem dextram, ſolum benedicit manu ſiniſtra, conferendo ipſis opes vel honorea aliquos temporales. Feliciores ergo ſunt pauperes divitibus apud Deum; Huc facit illud *Proverb.* 3. Longitudo dierum in dextera ejus, & in ſiniſtra ejus divitiæ & gloria.

Explicatur quarta pars. Quod benigna correptio ad inſolentes, mereatur Dei benedictionem. Unde *Proverb.* 24. dicitur: Qui arguunt eum laudabuntur, & ſuper ipſos veniet benedictio. Arguere enim inſolentes, & præcipuè juvenes, de quibus eſt ſpes emendationis, eſt opus maximæ charitatis, quia corriguntur in ſe ipſis, & diſcunt, quomodo ſucceſſu temporis increpare poſſint alios diſcolos. Ac denique per talem correptionem vitia præſcinduntur. Vnde *Seneca lib. de moribus* ait: Vitia transmittit ad poſteros, qui peccantibus ignoſcit: bonis nocet, qui malis parcit.

Cavere tamen debet juſtè corripiens à tribus. Nimirum *primò* à conſimili vitio. Vnde *S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono cap. 32.* ait: Non debet vitia aliena corrigere, qui adhuc vitiorum contagiis fuerit involutus: improbum enim eſt corrigere in alio, quod adhuc reprehendit in ſe ipſo.

Secundò cavere debet talis corripiens inſolentes, ne hoc faciat cum ſpiritûs impetu: quia quod impetuosè proſertur, hoc non ab amore, ſed ab ira procedere videtur, & talis nihil corrigit, quia ab amoris conſiſtorio non procedit. Unde *S. Auguſtinus* ſuper Epiſtolam *ad Galathas* ait: Quodcunque lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis: dilige & quidquid voles dic.

Tertiò corripiens cavere debet à peccantis contemptu; ſemper cogitans illud Apoſtoli: qui ſtat, videat, ne cadat. Unde *S. Auguſtinus de ſermone Domini in monte lib. 3. cap. 30.* ait: Cogitemus, cum nos aliquid reprehendere neceſſitas cogit, utrum tale quid habuimus, & jam non habeamus; & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correptionem non odium, ſed miſericordia præcedat: vel an ſit aliquod vitium quod nunquam habuimus, & tunc cogitemus nos homines eſſe, & habere potuiſſe tale vitium.

Et qui iſto modo corrigit & punit delicta, benedictionem Domini promeretur.

***

CAPITVLVM DECIMVM SEXTVM.

LECTIO CLXXVI.

TEXTUS.

Propter hæc & his ſimilia paſſi ſunt dignè tormenta, & per multitudinem beſtiarum exterminati ſunt. Pro quibus tormentis benè diſpoſuiſti populum tuum, quibus dediſti concupiſcentiam delectamenti ſui novum ſaporem, eſcam parans eis ortigometram: ut illi quidem concupiſcentes eſcam, propter ea, quæ eis oſtenſa & immiſſa ſunt, etiam à neceſſaria concupiſcentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, noxam guſtaverunt eſcam.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Spiritus ſanctus reprobavit idololatriam, & cultum idolorum, quæ venerabantur Ægyptii, & econtra ſuaſit cultum unius veri Dei, qui ſemper fuit apud Hebræos & filios Iſraël: Hunc in hoc Capitulo, & ſequenti, Juſtorum ſeu Judæorum præmia, & econtra Ægyptiorum pœnas debitas intermixtim recenſet. Ubi etiã principaliter demonſtrat, quod ſicut Ægyptii puniebantur per beſtias, elementa, & corpora cœleſtia: ita Hebræi econtra habuerint tres diverſas conſolationes, & acceperunt coturnices ſibi datas in eſcam. Sicut enim muſcæ & cinifes afflixerunt Aegyptios, ita coturnicea ſeu aves illæ nobiles conſolatæ fuerunt Hebræos, qui eos comederunt. *Secundò* ſicut grando & ignis afflixerunt per elementum aëris Aegyptios: ita manna per elementum aëris deſcendens confortavit Hebræos. *Tertiò* Hebræi habuerunt ſemper lucem à corporibus cœleſtibus, quam tamen corpora cœleſtia ſubtraxerunt Aegyptiis.

In præſenti autem Lectione ſolum oſtendit Salomon exterminationem Aegyptiorum per muſcas & cinifes, & Hebræorum conſolationem per aves ſibi miſſas, id eſt per miſſas ſibi coturnices.

Dicit ergo: *Propter hæc* (id eſt propter multiplicem idololatriam) *& his ſimilia*: quia Salomon ſolum aliquos modos idololatriæ ſpecificavit, & alios prætermiſit. *Paſſi ſunt dignè tormenta, & per multitudinem beſtiarum*, Aegyptii partim afflicti, partim exterminati ſunt.

Contrarium autem fecit Hebraico populo, ſeu filiis Iſraël, qui licet peccaverint contra Deum murmurando, & dicendo: utinam eſſemus mortui in Aegypto, quando ſedebamus ſuper ollam carnium, & comedebamus ad ſaturitatem *Exodi* 16. Poſtmodum verò Moyſes oravit ad Dominum, & rediens dixit Hebræis: Audivit Dominus murmurationes veſtras contra eum, & dabit vobis veſpere carnes: prout etiam deindè coturnices de quodam ſinu Arabico venientes ceciderunt inter caſtra ſeu tentoria

tora Hebræorum, & in abundantia ab ipſis capiebant. Licet inquam Hebræi murmurando peccaverint; quia tamen pœnituerũt & ſemper cultum veri Dei retinuerunt: ideo Deus aliter cum Hebræis proceſſit.

Vnde dicitur in textu: *Pro quibus*, nimirum tormentis Ægyptiorum paulò ante enumeratis, id eſt, loco tormentorum Ægyptiis illatorum: *benè diſpoſuiſti populum tuum*: nimirum Populum Hebraicum, dando illi beneficia: *quibus* id eſt Hebræis: *dediſti concupiſcentiam delectamenti*: id eſt delectationem concupitam: *novum ſaporem*: id eſt eſcam novi ſaporis: *Parans eis Ortigometram.* Eſt autẽ *Ortigometra* avis regia, quam Ioſephus *Ortigium* vocat, nos autem latini vocamus *Coturnicem*, aliqui autem vocant *Currilegum.* S. tamen *Iſidorus lib. 2. ethim. cap. 7.* dicit, quod illa ſola avis vocetur *Ortigometra*, quæ alias aves tanquam gregem præcedit & ducit. Alii tamen dicunt, quòd *Ortigometra* dicatur abſolutè coturnix.

Iſto ergo genere avium pavit Dominus Deus filios Iſraêl in deſerto, dum paterentur concupiſcentiam carnium, quales comederant in Ægypto: ut videlicet per iſtarum avium carnes, habentium novum ſaporem averterentur à concupiſcentia talium carnium, pro ut veſcebantur iis in Ægypto. Et hoc eſt quod dicitur in textu: *ut illi quidem*: id eſt filii Iſraël *concupiſcentes eſcam carnium*: ſcilicet de Ægypto *propter ea quæ illis oſtenſa & demiſſa ſunt*: nimirum propter miſſas coturnices, quæ pro eſca ceciderunt in caſtris Hebræorum: *averterentur à neceſſaria concupiſcentia* Vocatur neceſſaria concupiſcentia non abſolutè, ſed tantum in quantum habebant jam conſuetudinem veſcendi carnibus: conſuetudo autem eſt altera natura, & aſſimilatur naturæ, ut dicitur 7. *ethi. hi autem*: id eſt filii Iſraël: *in brevi inopes facti*; id eſt indigentes cibo: *Guſtaverunt eſcam*, de qua paulò ante dictum eſt: omnium eſcam coturnicum: circa illa verba, *Vt averterentur à neceſſaria concupiſcentia.*

Notandum eſt. Quod conſuetudo habeat magnam vim inclinandi voluntatem ad ſe; & ideo ſicut optimum eſt aſſueſieri ad bona: ita ſumme periculoſum eſt aſſueſieri ad mala. De hac malitia perverſæ conſuetudinis *S. Auguſtinus lib. 8. confeſ. cap. 5.* de ſe ipſo convertendo ad fidem ſic dicit, Ligatus eram non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido; & dum ſervivi libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſtiti, facta eſt neceſſitas. Hæc *S. Auguſtinus.* Unde rectè metricè dicitur:

Qui non aſſueſcit virtuti dum juveneſcit:
A vitiis neſcit diſcedere quando ſeneſcit.

In hujus rei figuram Salvator noſter faciliter ſuſcitavit puellam in domo, & juvenem delatum in porta filium unicum matris ſuæ. ſed Lazarum quatriduanum jam in monumento, ſuſcitavit cum gemitu, lachrymis, & clamore. *Ioan. 9.* Quam hiſtoriam exponens *S. Auguſtinus ſuper Matthæum hom. 15.* Sic ait. Moles impoſita ſepulchris ipſa eſt dura vis conſuetudinis, quâ premitur anima: nec reſurgere nec ſpirare permittitur. Dictum eſt autem, *quatriduanus eſt.* Revera ad iſtam cõſuetudinem, de qua loquor, de quodam progreſſu pervenit anima, *Prima* eſt quaſi ſcintillatio delectationis in corde; *Secunda* conſenſus in voluntate; *Tertia* factum: & *Quarta* conſuetudo. Hæc *S. Auguſtinus.*

LECTIO CLXXVII.

TEXTUS.

Oportebat enim in illis quidem ſine excuſatione ſupervenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem oſtendere tantum, quemadmodum inimici illorum exterminabantur. Etenim in illis ſupervenit ſæva beſtiarum ira, morſibus perverſorum colubrorum exterminabantur,

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hac parte aſſignat Salomon diverſitatem quomodo fuerint Aegyptii puniti per ciniſes, muſcas, & ranas, & contra quomodo puniti ſint Hebræi in deſerto per ignitos ſerpentes. Pro quo

Sciendum eſt, quod Aegyptii, qui detinuerũt Hebræos, id eſt filios Iſraël per quadringentos annos in ſervitute, poſt mortem Ioſeph, jam ſtatuerint interficere ſolum genus maſculinum Hebræorum: & ideò meritò debebant à Deo tradi ad interitum ipſimet Aegyptii ſine quocunque remedio: maximè, quia perſeveraverũt in duritia cordis ſui, nec Iſraelitas ad preces Moyſis & Aaron dimittere volebant. At vero Hebræi in deſerto multo minus peccaverunt; & ideo ſuffecit, quod tantum aliqui ex ipſis tali pœna puniti ſint, ſicut quondam Aegyptii puniti fuerunt: ut hoc modo Iſraelitæ advertentes pœnam Dei, caſtigarentur in ſe ipſis, & magis perpenderent ea, quæ Aegyptii ſuſtinere debuerunt in Aegypto. Hoc præmiſſo.

Dicitur in textu. *Oportebat enim illis*: id eſt Aegyptiis: *ſine excuſatione*: id eſt ſine pœnæ mitigatione: (*ſupervenire interitum*): id eſt mortem (*exercentibus tyrannidem*) id eſt exercentibus crudelem dominationem ſine ullo ſuo jure in alios invitos (*His autem*) id eſt filiis Iſrael: (*oportebat oſtendere tantum* per ſimilem experientiam in conſimilibus afflictionibus, quemadmodum inimici illorum, nimirum Aegyptii, *exterminabantur.* Hæc autem tormenta ſeu afflictiones Aegyptiorum perpendebant aliqui contra Deum murmurantes Iſraelitæ ſeu Hebræi ſenſibiliter: quando aliqui ex ipſis Iſraelitis morſibus colubrorum ſunt vulnerati. Et hoc eſt, quod ſubdit. *Etenim cum illis ſupervenit ſæva beſtiarum ira*) nimirum ſerpentum ignitorum, immiſſa à Deo (*morſibus perverſorum colubrorum exterminabantur*) id eſt aliqui murmurantes contra Dominum, & non pœnitentes, mordebantur; ſed tamen non *exterminabantur totaliter*, ſed ſolum diſpoſitivè: in quantum per talem morſum diſponebãtur ad internecionem. Circa illa verba, *Oportet enim illis ſine excuſatione ſupervenire interitum*, ſit

Qq 2 ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

An magnitudo ſcientiæ in peccante; ſimilitudo culpæ in judicante; & ineptitudo cauſæ in delinquente, reddant peccantes pœnâ dignos, & inexcuſabiles?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod magnitudo ſcientiæ in peccante reddat eum pœna dignum. Quanto enim aliquis majorem habet ſcientiam de Deo, tanto magis peccat, cæteris paribus. Et ideò de Philoſophis dicit Apoſtolus *ad Rom. 1.* Quod inviſibilia Dei ipſis per creaturas innotuerint, & tamen evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum, ita ut etiam idola adoraverint. Simile aliquid tale dixit Chriſtus Judæis *Joan. 15.* Si nō veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem de peccato ſuo non habent.

Explicatur ſecunda pars. Quod hominem à pœna inexcuſabilem reddat ſimilitudo culpæ in judicante. Unde judex, quando deprehenditur in illo crimine, pro quo debet alium punire, nullam excuſationē pœnæ ſubeundæ poteſt alligare. Exemplum de falſis judicibus eſt *Danielis 13.* qui volebant condemnare Suſannam; & ideo ſignanter dicit *Apoſtolus ad Rom. 2.* Inexcuſabilis es ô homo omnis, qui judicas; in quo enim alterum judicas, te ipſum condemnas.

Explicatur tertia pars. Quod hominem reddat inexcuſabilem & pœna dignum ineptitudo cauſæ in deliquente. Nam quando cauſa allegata excuſationis nulla eſt, vel mendaciter conficta, tunc non eſt excuſatio, ſed aggravatio ad præcedens delictū. Exemplum eſt de invitatis ad cœnam *Lucæ 14.* Qui falſas excuſationes allegando, fuerunt repulſi à cœna vitæ æternæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quot modis delinquentes ſe excuſare ſoleant à ſuis peccatis?

Dico quod quatuor modis ſoleant ſe excuſare delinquentes, aliqui per laſcivam ſocietatem, quidam per divinam voluntatem, nonnulli per carnalem fragilitatem, & alii per finalem utilitatem.

Explicatur prima pars. Quod aliqui peccantes ſe excuſent per laſcivam ſocietatem, quæ tamen excuſatio frivola eſt apud Deum, qui novit liberi arbitrii facultatem, ratione cujus homo malè operantibus conſentire non debet. Unde in *Proverbiis* dicitur: Omitte excuſationē, nemo peccat invitus. *S. Hieronymus* in quadam epiſtola ait: Multitudo ſociorum impunibile non facit crimen.

Explicatur ſecunda pars. Quod nullus delinquens à peccato ſuo ſe poſſit excuſare dicendo: fuit voluntas divina, & influxus aſtrorum talis, ut peccem. Sed certè tales delinquentes ita ſe excuſando, Deum blaſphemant, ponuntque Deum eſſe authorem peccati, quod ſummè falſum eſt. Et iſti aliquo modo figurantur per *Iacob* volentem decipere patrem ſuum. Nam cùm *Iſaac* quæreret ex *Iacob* filio ſuo, unde tam citò invenire potuerit aliquid ex quo ſibi cibū optatum pararet? reſpondit *Iacob* Voluntas Dei voluit, ut mihi citò occurreret, quod volebam. *Gen. 27.*

Explicatur tertia pars. Quod quidam per carnalem fragilitatem ſeſe fatuè excuſent à peccato dicentes: ſe non poſſe à libidinibus abſtinere propter talem complexionem. Contra quos arguit *S. Hieronymus in explanatione fidei.* Quem etiam allegat *Magiſter ſententiarum in 2. ſent. diſt. 36.* Execramus nos, inquit, blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo præceptum eſſe, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.

Explicatur quarta pars. Quod ineptè quidam ſe excuſent per finalem utilitatem. Et tales ſunt aliqui prædones, raptores, & injuſti exquiſitores, qui auferunt à divitibus bona ſua ſine conſcientia. Has, inquam, opes congerunt & recondunt, & pro ſua cauſa finali prætendunt ſe iſta congregaſſe, ut poſſint facere eleëmoſynas. Sciant autem tales, quod dum finis intentus eſt malus, etiam media ad talem finem electa bona non ſint.

Cùm his tamen ſtat, quod communis fragilitas, qua frequenter omnes erramus, debeat nos aliqualiter movere ad excuſandum, non tamen ad pertinaciter defendendum faciles errores aliorum. Undè *S. Bernardus ſuper Cantica ſermone 41.* ait: Noli judicare proximum, ſed magis excuſa intentionem, ſi opus non poteſt. Neque de amicis, proximis, multò minus de Prælatis, & ætate provectis, faciliter aliquid mali credere oportet. Undè S. *Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum* ait: Non eſt facilè malum de ætate provecta credendum, quam vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis. Denique pium eſt alienos defectus ſine læſione juſtitiæ, quantum fieri poteſt excuſare, & famam proximorum, quantum poſſibile eſt illæſam ſervare. Undè *Origenes ſuper Leviticum cap. 33.* ait: Non vult te Dominus, ſi fortè videris peccatum fratris, continuò evolare ad publicum, & proclamare paſſim & divulgare peccata aliena: quod utique eſſet non corrigentis ſed infamantis. Undè ſancti Apoſtoli *Simon & Iudas* interrogati de aliis, dixerunt: Hos innocentes abſolvere oportet, nocentes verò prodere non decet.

LECTIO CLXXVIII.

TEXTUS.

Sed non in perpetuum ira tua permanſit, ſed ad correctionem in brevi turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim converſus eſt, non propter hoc quod videbat ſanabatur; ſed per te omnium Salvatorem; & in hoc oſtendiſti inimicis noſtris, quia tu es, qui liberas ab omni malo. Illos autem locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inventa ſanitas animæ illorum; quoniam digni erant ab hujuſmodi exterminari.

EXPLI-

Digitized by Google

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hac Lectione proſequitur Salomon, quomodo diverſimodè fuerint Ægyptii obſtinati puniti ad ſuam damnationem, & qualiter Hebræi puniti ſint ad ſuam correctionem. Pro quo

Sciendum eſt, quod de punitione Hebræorum ſic legatur *Numeror.* 21. Cùm populus contra Dominum murmuraſſet, immiſit ipſis ſerpentes ignitos, hoc eſt parvos & veloces adinſtar ſcintillarum, quæ tactu venenoſo inflammabant & cauſabant tumorem & ruborem in carne; ad quorum puncturam vulnerati ſunt aliqui, quidam autem ſunt mortui. Venerunt ergo ad Moyſen Hebræi, rogantes eum, ut oraret Dominum pro ablatione ſerpentum ignitorum. Dum ergo Moyſes oraſſet, mandavit Dominus Moyſi, ut faceret ſerpentem de ære & poneret ſuper ſummitatem perticæ, & monſtraret eum populo dicendo, quod quicunque fuerit percuſſus à ſerpente ignito, ſtatim aſpiciat ſerpentem æneum, & ita curabitur. Iſtud remedium miraculoſum providit Deus filiis Iſraël in deſerto; & fuit pulcherrima figura Chriſti crucifixi, ut ipſe Salvator fatetur *Ioan.* 3. dicens: Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

De afflictione ergo Hebræorum per ſerpentes ignitos, & de remedio ipſis à Domino dato agit Salomon hic, declarando, quod Ægyptii tanquam incorrigibiles puniti fuerint ſine remedio: econtra autem Hebræi tanquam filii ad correctionem habiles, puniti ſunt cum remedio adjuncto. Dicit ergo: *Sed non in perpetuum ira tua permanſit. Ira tua*, id eſt, pœna, per te inflicta Hebræis peccantibus in deſerto. Quæ pœna, quia non fuit omnium omninò exterminativa, ſed caſtigativa tantum; ideò ſubditur in Textu: *Sed ad correctionem in brevi turbati ſunt.* Et tamen, quando Hebræi erant in illa turbatione, fuerunt *habentes ſignum ſalutis* (nimirum ſerpentem æneum) *ad commemorationem mandati legis tuæ.* Id eſt tiene commemoratur, & ut ſignatur in lege tua. *Numer.* 21. Fac ſerpentem æneum & pone eum pro ſigno.

Porrò quia iſte effectus curationum vulnerum acceptorum à ſerpentibus ignitis, ad aſpectum ſerpentis ænei: ab hominibus ſimplicibus ipſi ſerpenti æneo, & non Deo poſſet adſcribi: ideò ſubditur in Textu: *Qui enim converſus eſt, non propter hoc quod videbat, ſanabatur, ſed per te omnium Salvatorem.* Id eſt, qui curatus eſt, non eſt curatus & ſanatus propter hoc, quod viderit ſerpentem æneum, ſeu per ſerpentem æneum, ſed per te Chriſtum Dominum Salvatorem omnium, qui figuratus es per illum ſerpentem æneum.

Et ideò ſubditur in Textu: *Et in hoc oſtendiſti inimicis noſtris, quia tu es, qui liberas ab omni malo*; id eſt corporali & ſpirituali. Chriſtus enim legitur apud Judæos feciſſe miracula propter tria. *Primò* ad eorum, circa quos operabatur, utilitatem, quia eos frequenter in corpore & anima curabat. *Secundò* propter aliorum converſionē, quia multi videndo miracula Chriſti, ſunt converſi. *Tertiò* propter Dei gloriam & honorem. Undè *Ioan.* 9. dicitur: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Et eodem modo Deus in propoſito illud miraculum curationis vulnerum fecit ad utilitatem bonorum Iſraëlitarum. Item ad converſionem malorum & ad gloriam Dei dilatandam.

In verbis ſequentibus deſcribit Salomon, quomodò Aegyptii incorrigibiles puniti ſint ſine remedio, & dicit ſic: *Illos autem* (id eſt Aegyptios) *locuſtarum, & muſcarum occiderunt morſus.* Undè de locuſtis legitur *Exodi* 10. Dixit Dominus ad Moyſen, extende manum tuam ſuper terram Aegypti ad locuſtam, ut aſcendant ſuper eam, & devorent omnem herbam, quæ reſidua eſt grandini. De muſcis verò dicitur *Exodi* 8. Venit muſca grandis, & copioſa in domo Pharaonis, &c. Talibus ergo locuſtis, & muſcis exterminabantur Aegyptii in contemptum & deriſionem, non autem per leones vel urſos, aut fortia animalia. *Quia digni erant* (propter eorum idololatriam) *à talibus exterminari.* Circa illa Verba: *Sed per te omnium Salvatorem*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

An Chriſtus rectè fuerit figuratus per ſerpentem æneum, quantum ad morum innocentiam; ſitus eminentiam; vitæ carentiam; & ſalutis efficientiam?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Chriſtus rectè fuerit figuratus per ſerpentem æneum quantum ad morum innocentiam. Nam ſicut illa figura ſerpentis venenosè apparuit, & tamen ſerpens ille nullum venenum habuit; ita Chriſtus in carne apparuit, & tamen nullum peccatum habuit: nec eſt inventus dolus in ore ipſius. Undè ſolum Chriſtus vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra, & non ſua.

Explicatur ſecunda pars. Quod Chriſtus rectè ſit figuratus per ſerpentem æneum quantum ad ſitus eminentiam. Quia ſicut ſerpens æneus poſitus fuit ſuper perticam longam, ut à toto populo ac gentibus videri potuerit; ita Chriſtus Dominus in ligno ſanctæ Crucis in monte Calvariæ adeò exaltatus eſt, ut ab omnibus videretur: ubi etiam adhuc à devotis mentibus per fidem & piam contemplationem conſpicitur.

Explicatur tertia pars. Quod Chriſtus rectè figuratus ſit per ſerpentem æneum quantum ad vitæ carentiam. Quia ſerpens ille vitam non habuit, & tamen fuit de materia maximè durativa, nimirum ex ære, æs autem inter omnia metalla durabilius eſt, ut hic dicit *Gloſſa*. Ita Chriſtus Dominus in arbore ſanctæ Crucis verè mortuus eſt ſecundùm humanitatem, & tamen eſt maximæ durationis, & immortalis quantum ad Divinitatem.

Explicatur quarta pars. Quod Chriſtus rectè fuerit figuratus per ſerpentem æneum, quantum ad ſalutis efficientiam. Quia ſicut omnis ab ignito ſerpente percuſſus, dum ſerpentem æneum aſpexit, curatus eſt: ita quilibet

 à dia-

à diabolo vulneratus, ſi Chriſtum in Cruce conſideret per fidem, & corde contrito veniam rogat, ſanatur. Circa illa verba: *Signum habentes ſalutis*, ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum Deus humano generi oſtenderit ſigna benevolentiæ, reminiſcentiæ, providentiæ, & patientiæ?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Deus hominibus oſtenderit ſigna benevolentiæ; Et hæc ſigna ſunt omnes Creaturæ factæ, & creatæ ad ſerviendum homini. Eſt enim ſignum, quod unum offert ſenſui, aliud intellectui: & ideò omnis creatura ſenſibilis ſeipſam offert ſenſui, & Deum repræſentat Intellectui boni hominis viatoris. *Joan.* 3. Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.

Explicatur ſecunda pars. De ſignis reminiſcentiæ, quæ ſunt ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, per quæ reducimur ad Paſſionis Dominicæ memoriam *ad Hebr.* 2. Salus firmata eſt conteſtante Deo ſignis, & portentis. & variis virtutibus & Spiritus ſancti diſtributionibus.

Explicatur tertia pars. De ſignis providentiæ quod Deus dabit hominibus ante ſuum adventum, ne veniat hominibus nimis improviſus. Quia autem Chriſtus tanquam ſupremus judex venturus eſt, quando mundus erit plenus peccatis: ideo præmittet ſigna quædam notabilia, per quæ homines excitari adhuc poſſint ad pœnitentiam ſi velint, ut ita ſe bene diſponant pro Chriſti adventu. De iſtis ſignis dicitur *Luca* 21. Erũt ſigna in ſole & luna & ſtellis.

Vegetius lib. 3. de re militari cap. 5. dicit: Quod tria ſint genera ſignorum pro negotiis belli, nimirum ſigna vocalia, ſemivocalia, & muta. ſigna vocalia militaria dicuntur, quæ humana voce proferuntur; ſicut duces præordinant aliquod certum verbum, quo in conflictu utuntur. ut v. g. *Deus vobiſcum*, vel *Triumphus Imperatoris*, aut aliquod ſimile. Signa ſemivocalia ſunt, quæ fiunt per tubam, cornu, vel buccinam; Signa muta ſunt, vexilla cum aquila vel leone &c Et circa iſta ſigna ponebatur medietas donativi omnium militum euntium ad bellum propter duas rationes. Vna ratio fuit; ne ſi ea habuiſſent in cuſtodia propria, inutiliter expenderent; unde ad utilitatem eorum proviſum fuit, quod ſufficienter ſuſtentati fuerint de annona communi. Alia ratio fuit, ut per hoc animoſius & fortius ſequerentur ſigna ſua, & ea nullomodo fugiendo desererent, ſed potius ea defenderent quantum poſſent. Applicatio moralis. Iſta tria ſignorum genera faciet etiam Chriſtus Dominus in ſecundo ſuo advẽtu; Nam ſigna vocalia erunt in illa judiciali diſceptatione erga damnatos; Eſurivi & non dediſtis mihi manducare *Matth.* 25. Signa ſemivocalia erunt, quia tuba præcedet juxta illud *Apoſtoli* 1. *ad Theſſ.* 4. Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo. Signa verò muta erunt, inſtrumenta paſſionis Chriſti, & maximè Crux Chriſti Domini; juxta illud: Hoc ſignum Crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit. Imò ſignum mutum erit ſacratiſſimum Corpus Chriſti Domini vulneribus inſignitum. Huc facit illud *Danielis* 6. Ipſe eſt Salvator, & Liberator, faciens ſigna & prodigia in cœlo & in terra.

Explicatur quarta pars. De ſignis patientiæ, quæ benigniſſimus Deus nobis clarè exhibet diu nos exſpectando, ut per pœnitentiam recipiamus gratiam, & ad ipſum redeamus. Et hoc eſt, quod Deus deſiderat per os Prophetæ dicens: Convertimini ad me in toto corde veſtro in jejunio, fletu & planctu & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Et non differamus facere pœnitentiam de die in diem; nec gratiam nobis oblatam reſpuamus: alias contriſtabimus Spiritum ſanctum. Juxta illud *Apoſtoli ad Epheſ.* 4. Nolite contriſtari Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.

LECTIO CLXXIX.

TEXTUS.

Illos autẽ tuos, nec draconum, nec venenatorum vicerũt dentes, miſericordia tua adveniens ſalvabat illos. In memoriam ſermonum tuorum exterminabantur, & velociter ſanabantur: ne in altam incidentes oblivionem, non poſſent tuo uti adjutorio, etenim neque herba, neque malagma ſanavit eos: ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.

EXPLICATIO TEXTVS.

In hac Lectione explicat Salomon corruptionem Hebræorum, ſeu filiorum Iſraël in deſertu, à qua per mirabile adjutorium ſunt liberati; Dicit ergo. *Filios autem tuos* (id eſt Iſraëlitas ſeu Hebræos) *nec draconum nec venenatorum vicerũt dentes*, quia nec à magnis beſtiis in quantitate, ut ſunt dracones, nec à malitioſis beſtiis in qualitate, uti ſunt ſerpentes minores, ſunt læſi. Draco quidem habet venenum ſuum in cauda & non in dentibus: ſed tamen antequam dentibus ſuis lædat, caudâ ſua inficit dentes. Sequitur: *Miſericordia autem tua ſalvavit eos*: puta per aſpectum ſerpentis ænei, uti lectione præcedenti dictum eſt. *In memoriam enim ſermonum tuorum*, quibus ſæpè minatus es, te velle delinquentes punire: *exterminabantur*, id eſt graviter vexabantur propter vulnera accepta à ſerpentibus ignitis. *Et velociter ſanabantur*, puta per aſpectum ſerpentis ænei. *Ne in altam* (id eſt profundam) *incidentes oblivionem non poſſent uti tuo adjutorio* per deſperationem ipſis ſupervenientem. Et per hæc verba aſſignat Salomon cauſam, quare Hebræi peccantes aliqualiter fuerint afflicti.

In verbis ſequentibus excludit Salomon omnem medicinã naturalem pro curandis illis vulneribus, quæ fuerũt per ſerpẽtes ignitos inflicta Hebræis, reſtitutionem ſanitatis ipſorum ſolum adſcribit virtuti divinæ. Dicit ergo. *Etenim nec herba, nec malagma*; id eſt emplaſtrum aliquod, quod ſolet præparari ex ſucco expreſſo ex herbis diverſis, coctis cum oleo vel butyro

ſativis

Sanavit eos, id eſt Hebræos. *Sed ſermo Dei*; quo præcepit ſerpentem æneum fieri & in pertica eleuatum poni, atque poſt vulnus acceptum à læſis aſpici, *Sanavit eos*. Circa iſta verba: *Tuus ſermo Domine ſanat omnia ſit*.

ARTICVLVS VNICVS.

An Superbia phreneſi, Ira febri acutæ, Invidia febri ordinariæ, Accidia paraliſi, Avaritia hydropiſi, Gula & ebrietas epilepſiæ, & Luxuria lepræ rectè comparentur, & ſermone Dei curentur?

DIcò quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod *Superbia* rectè comparetur *Phreneſi*. Nam Phreneticus patitur mentis alienationem, & ideò non bene judicat de ſe ipſo, nec etiam de aliis: imo ſemper de ſe putat, quod quanto eſt infirmior, tanto ſit ipſo valentior. Sic etiam ſuperbus omnes contemnit, & ſe ſemper ſufficienter reputat, ſibi plus arrogando, quàm habeat, vel ſibi debeatur. Et iſtam mentis alienationem meritò paſſus eſt propter ſuam ſuperbiam *Rex Nabuchodonoſor*, qui deambulans in ſua aula dixit; Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regis in robore fortitudinis meæ, & gloria decoris mei? *Danielis* 4. Sed quid factum eſt? ſtatim virtute ſua dejectus eſt ab hominibus, & cum feris vixit, & paſſus eſt mentis alienationem, & videbatur ſibi eſſe bos in anterioribus & in poſterioribus Leo. Poſt ſeptem tamen menſes idem *Nabuchodonoſor* reſtitutus eſt ad preces *Danielis* ad ſenſum, ſed non ſtatim ad regnum. Et tunc *Nabuchodonoſor* dixit: Omnes viæ Domini judicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare. *Danielis* 4.

Porro cura phreneſis in principio, eſt evacuatio ſanguinis, & aliorum ſuperfluorum, quæ ad cerebrum aſcendunt, & perturbant uſum rationis. Sic etiam *moraliter loquendo*; Verbum vel ſermo Dei oſtendit, nos vacuos eſſe ab omni bono opere patrando, ex propriis viribus, cum ſolum ex virtute ſupernaturali nobis datum ſit operari bona opera ad ſalutem æternam conſequendam: quamdiu autem in phreneſi ſuperbiæ manebimus, tamdiu ſanitatem mentis non recuperabimus; Undè *Eccl.* 3. dicitur: Sinagogæ ſuperborum non eſt ſanitas; Et ideo oportet nos ſanguinem ſuperbiæ emittere, & ſuperfluos humores rerum temporalium; & in vera fide, charitate, & humilitate currere ad Chriſtum, de quo *Lucæ* 6. dicitur: Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

Explicatur ſecunda pars. Quod *Ira* rectè comparetur *febri acutæ*. Conſtat quod habens febrim acutam patiatur calorem magnum, & ſitim continuam. Sic etiam homo iracundus ſtatim ad quodvis verbum calorem ſuum oſtendit, geſtu, verbis & vultu. Habent etiam Iracundi ſitim magnam ſeſe vindicandi. Hac infirmitate laborabat *Herodes*, quando videbat quod illuſus eſſet à magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem & omnibus finibus ejus. Ecce in Herode præceſſit calor nimius, & ſecuta eſt ſitis irrationalis ultionis. Porro iſtam infirmitatem curat ſermo divinus prædicando de divina dulcedine & pietate Dei. In cujus figuram legimus, quod diſcipuli multos infirmos unxerint oleo & ſanabantur. Oleum autem eſt res lenis, & non dura. Re & verbo leni ſeu ſuavi utuntur mites, duris autem verbis utuntur iracundi.

Explicatur tertia pars. Quod *Invidia* rectè comparetur *Febri ordinariæ*. Nam febri ordinaria ſeu communi laborans, modò caleſit, modò frigeſcit. Sic etiam invidus modo gaudet de adverſitate bonorum proximorum, nunc dolet de eorum proſperitate. Iſtam infirmitatem habuit Saul 1. *Regum* 18. Quando juvenculas audivit canere de Davide: Saul percuſſit mille & David decem millia. Hæc inquam audiendo Saul dixit cũ invidia, & indignatione: Mihi dederunt mille, & David decem millia. Iſta invidiæ infirmitas putrefacit interiora hominis; & cura ejus eſt ſermo divinus perſuadens amicitiam & gratitudinem: quia ſicut Invidia eſt putredo animæ: ita amicitia eſt ejus ſanitas. *Prov.* 14. Vita carnium ſanitas cordis, putredo oſſium invidia.

Explicatur quarta pars. Quod *Accidia* rectè comparetur *Paraliſi*, quæ eſt membrorum diſſolutio & debilitatio, ita ut eà laborantes motum debitum perficere non poſſint. Et iſtam infirmitatem patiebatur figurativè, quando ille, qui triginta annis jacuit antè piſcinam ſalutiferam, & nunquã deſcendit in eã, ut ſanaretur. *Ioan.* 5. Et ſignificat inveteratos dierum malorum, qui continue jacent juxta Sacramentũ confeſſionis & pœnitentiæ, & nunquam curant aut volunt intrare, donec moriantur. Porro iſta infirmitas ſanatur per valdè calida; quia ſi ex una parte conſideretur pœnæ gehennalis calor, & ex alia parte calor charitatis Chriſti excitantis ad operationes virtutis: ſtatim de tanta accidia poterit habere curam. *Ierem.* 3. Convertimini filii revertentes & ſanabo infirmitates veſtras.

Explicatur quinta pars. Quod *Avaritia* rectè cõparetur Hytropiſi: cujus proprietas eſt quod quanto magis homo Hidropicus bibit, tanto plus ſitit. Sic etiam avarus, quo plus habet, eo amplius vult habere. Hanc infirmitatem patiebatur dives ille, qui dixit *Lucæ* 12. Inſtruam horrea mea, & faciam majora, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi. Porro iſtam infirmitatem ſanat ſermo divinus perſuadens Eleëmoſynam & opera pietatis, *Iſaiæ* 58. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Et ſequitur. Tunc erũpet quaſi manè lumen tuum & ſanitas tua citius orietur.

Explicatur ſexta pars. Quod Gula ſeu Ebrietas ſubvertens judicium rationis, rectè comparetur Epilepſiæ: quæ facit hominẽ cadere corporaliter. Et inſuper tanquam janua omnium peccatorum præparat ei viam ad omnia genera peccatorum. Iſtam infirmitatem habuit dives Epulo *Lucæ* 16. qui induebatur purpura & biſſo, & epulabatur quotidie ſplendide. Loth etiam inebriatus utramque filiam cognovit. *Gen.* 19. Nec mirum, quia ebrietas eſt tale vitium, quæ ſecum ſolet ſemper trahere adhuc unum vel alterum ſcelus. Porro hanc infirmitatem ſanat ſermo divinus perſuadens rationabilem abſtinentiam. *Eccl.* 31. Sanitas eſt mentis, & corporis, ſobrietas potus.

Expli-

Explicatur ſeptima pars. Quod *Luxuria* rectè cõparetur *Lepra* : eò quòd generetur ex calore corrupto & deordinato. Iſtam infirmitatem patiebatur Salomon, qui habuit uxores Reginas quaſi ſeptingentas, & concubinas trecentas; & cum ſenex eſſet, depravatũ eſt cor ejus per mulieres. 3. *Reg.* 11. Hæc eſt infirmitas contagioſa & abominabilis : nam una talis perſona poteſt inficere centum alias. Et hanc infirmitatem ſanat ſermo perſuadens homini honeſtam ſocietatẽ, pœnitentiæ ſeveritatẽ, & devotæ orationis inſtantiam. Hæc enim omnia ad curam hujus infirmitatis requiruntur. In cujus figuram Maria lepra percuſſa, per ſeptem dies fuit excluſa à caſtris & non niſi ad orationẽ Moyſis ſanata fuit. *Num.* 12. dicente Moyſe ad dominũ: Deus obſecro ſana eam. Sic ergo ſermo Dei ſanat omnia. In cujus figuram dicitur *Lucæ* 9. Quod Chriſtus convocatis duodecim diſcipulis miſit eos prædicare verbum Dei, & ſanare infirmos.

LECTIO CLXXX.

TEXTUS.

Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem : & deducis ad portas mortis & reducis. Homo autem occidit per malitiam animam ſuam, & cùm exierit ſpiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta eſt : ſed tuam manum fugere impoſſibile eſt.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus S. oſtendit adverſitatem, qualiter obſtinati Aegyptii ſine remedio puniti ſunt; Hebræi autẽ ad ſuam correctionẽ puniti ſunt cum mirabili remedio ſerpẽtis ænei, quem aſpiciendo læſi curabantur: Hunc oſtendit, quod ſoli Deo Domino, vitæ & mortis omnium miraculorũ conveniat authoritas ſeu poteſtas.

Dicit ergo. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem* : quia in Deo eſt poteſtas vitam dandi, cor ſervandi, auferendi, & iterum reſtituendi. *Et deducis ad portas mortis* : (per infirmitates periculoſas immiſſas :) *& reducis*, ſanando has infirmitates. *Homo autem occidit per malitiam animam ſuam.* Poteſt autem homo ſibi infligere triplicẽ mortem videlicet culpæ, naturæ, & gehennæ. Et quidem quantum ad mortem culpæ dicit ſic : *Homo autem per malitiam occidit animam ſuam* (ſpiritualiter loquendo) quantum ad mortem naturæ, dicitur in Textu : *Cum exierit Spiritus in die mortis non revertetur* : ad præſentem vitam naturaliter. Quantum ad mortẽ Gehennæ ſubditur in Textu: *Nec revocabit animã ſuam quæ recepta eſt* ſupple in inferno. Unde *Iaan.* 7. dicitur. Sicut conſumitur nubes & pertranſit ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet. Ut autem Salomon oſtendat, quod homo peccans non habeat facultatem impunè evadendi, dicit: *Sed manum tuam effugere impoſſibile eſt.* Cum enim Deus ſit ubique, juxta illud : Cœlum & terram ego impleo. Et iterum : Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades : nunquã peccator poterit fugere ad aliquẽ locũ, ubi tutus erit, quòd poſſit evadere pœnam ſibi infligendam à Deo propter ſua peccata. Circa illa verba: *Homo occidit propter malitiam,*

Notandum eſt, quod malitia hominis, ſit rationis perverſiva; juxta illud *Sapientiæ* 2. excæcavit eos malitia eorum. Quod etiam clarè oſtendit *S. Chriſoſt.* ſuper caput 2. *Matth.* Ubi oſtendit, quod malitia Herodis fecerit eum ſtultũ, quãdo nitebatur occidere Chriſtum. Imo etiã malitia hominis turbat converſationem, & diverſa vitia implantat. Hæc enim malitia (teſte *S. Bernardo* ſuper *Cantica*) habet ſuum currum quatuor rotis conſiſtentẽ, quæ ſunt Sævitia, Impatientia, Accedia, & Impudentia. Valde enim velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem; qui nec innocẽtia ſiſtitur, nec patientia retundatur, nec timore ſervatur, nec pudore inhibetur. Trahitur autem à duobus equis ad omnem perniciẽ, qui ſunt terrena potentia & ſæculi pompa. Porrò his duobus equis præſident aurigæ duo, videlicet tumor & livor: iſta ut tumor pompam, & livor potentiam regat, & aſcenſorem ducat ad infernum. Et ideo dicitur: Corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita ſua, & poſt hæc ad inferos deducentur. S. quoque *Greg.* 12 *moral.* ait. Mens prava ſemper in laboribus eſt, quia aut molitur mala, quæ inferat, vel metuit, ne ſibi ab aliis inferantur, & quidquid contra proximum excogitat, hoc cõtra ſe à proximis formidat, *Hæc Greg.* Unde ſignanter dicitur *Ieremiæ* 3. Arguet te malitia tua. Et *Ieremiæ* 4. Lava à malitia cor tuum Ieruſalem, ut ſalva fias. Porro licet malitia in utroque ſexu magna ſit, callidior tamen, communior, & major malitia reperitur in ſexu fœmineo; juxta illud *Eccl.* 25. Brevis eſt omnis malitia ſuper malitiam mulieris, ſors peccatorum cadet ſuper illã. Unde in eodem Capite cõparatur tribus beſtiis nocivis, videlicet Colubro, Leoni & Draconi: quas omnes mulier in malitia præcellit. Pro hujus majori explicatione ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum mala mulier rectè comparetur Colubro, Leoni & Draconi?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod mala mulier rectè comparetur Colubro, & quidem ob quatuor rationes. Nam *primò* Coluber dicitur, quaſi colens umbras; ſic etiã mulier plus umbras diligit, quam lucem.

Secundò, Coluber totum venenum habet in capite: ſic etiam mulier præcipuum ſuum ornatum habet in velis, & coronis, gemmis, & unguentis : & hunc ornatum in capite ſuo portat, ut oculos intuentium valeat intoxicare.

Tertiò, Coluber totum venenum ſuũ colligit in fauces, ut per os effundat. Sic etiã mala mulier per os & fauces, mentiendo, contẽnendo, detrahendo, & adulando venenum ſuum effundit.

Quartò, Coluber ſibilat, ut noceat. Sic etiam mala mulier cantãdo, adulãdo mirabiliter multos fallit. Unde *S. Auguſtinus de ſingularitate clericorum Cap.* 8. ait : Hoc venenoſius eſt ſuper cuncta, quod pſallere delectatur, cujus cantu eſt tolerabilius audire Baſiliſcum ſibilantem.

Expli-

Explicatur ſecunda pars. Quod mala mulier rectè comparetur *Leoni*: & hoc propter tria. Nã *primò*, ſicut Leo eſt ſummè iracundus, & ſine vindicta placari non poteſt: ita & mulier eſt valdè iracunda, juxta illud *Eccl.* 25. Non eſt ira ſuper iram mulieris.

Secundò, ſi Leonis oſſa adinvicem colliſdãtur cauſant ignem: ſic etiam mulierum confabulationes & colloquia ignẽ voluptatis accendunt. *Tertiò*, Leonis particularis cautela eſt quod veſtigia ſua tegat cum ſua cauda, ſic etiam mulierũ eſt propriũ, quòd crimina ſua excuſatiõibus ſuis & mendaciis cooperiant. Et ideo ſignãter dicitur *Eccl.* 44. In medio mulierũ nolite commorari, de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. In antiquis veſtibus, & in novis ſimiliter naſcuntur tineæ propter malam cuſtodiã: ſic etiam in antiquis vetulis adhuc nutritur tinea libidinis.

Explicatur tertia pars. Quòd mulier rectè comparetur *Draconi*, propter quatuor rationes. Nam ſicut *Draco* habet parvum os, inficit aerẽ, procedit criſtatus & ſpecialiter Elephanti inſidiatur: ſic etiam mulier habet os parvum, & in convivio præ ſe fert quandã ſimplicitatẽ tanquã non poſſet loqui, & tanquam non haberet appetitum ad comedendũ. Deindè etiam mulier inficit aerẽ aſpectu ſuo ſicut Baſiliſcus, qui ſolo viſu interficit hominem. Et ſicut teſte *Ariſtotele lib. 2. de ſomno & vigilia*, mulier menſtruata aſpectu ſuo inficit ſpeculum: & facit in eo maculam: ſic etiam mala mulier per ſuum conſortiũ, virum quantumcunque ſit ſpeculum omnem ſcientiam repræſentans, maculat. Quòd clarè patet in Salomone, de quo dicitur *Eccl.* 47. Inclinaſti femora tua mulieribus. Præterea ſicut *Draco* incedit criſtatus: ſic etiam mala mulier Criſtas habet in capite, coronis, gẽmis, & variis ornamentis diſtinctas. denique *Draco* etiã Elephanti inſidiatur. Elephas enim eſt animal caſtiſſimũ, & tantum ſemel generat *ſecundum Ariſt. 5. & 8 de animalibus*: & cum fœmina fuerit imprægnata, mas ei non appropinquat. Iſti autẽ Elephanti Draco inſidiatur per hoc, quòd pedes Elephantis ſuâ caudâ conſtringat, & poſtmodũ Draco Elephantem occidit. Sic etiam *moraliter loquendo*, quantumcunque homo ſit caſtus, ſi tamen malarum mulierum familiaritatẽ diligit, conſtringuntur ipſius pedes; id eſt affectiones ipſius: & ita captivatus amore muliebri *moraliter* occiditur. Unde S. *Auguſtinus de ſingularitate Clericorum cap. 8.* ait: Societas mulierũ gluten eſt delicatum, & viſcus toxicatus, quo Diabolus aucupatur. Ex dictis patet, quòd textus in lectione poſitus de ſola mulierum malitia convenienter poſſit exponi: Homo (ſupple per malitiam mulierum, & eidem illicitè communicando) *occidit animam ſuam.*

LECTIO CLXXXI.

TEXTUS.

Negantes enim noſſe te impii, per fortitudinem brachii tui flagellati ſunt, novis aquis, & grandinibus, & pluviis perſecutionem paſſi ſunt, & per ignem conſumpti. Quod enim mirabile in aqua erat, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat. Vindex etenim eſt orbis Iuſtorum.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Spiritus ſanctus declaravit, quomodo diverſimodè fuerint flagellati Aegyptii & Hebræi per beſtias & animalia, nunc oſtendit, quomodo diverſimodè fuerint flagellati obſtinati Aegyptii, & econtra filii Iſraël tanquam pœnitentes conſolati: & hoc per res inſenſatas, & elementa. Loquendo ergo de Aegyptiis obſtinatis, & tangendo cauſam principalem ſuæ punitionis, quæ fuit culpa ignorantiæ craſſæ.

Dicit ſic: *Negantes enim noſſe te impii*, id eſt Aegyptii. Undè Pharao *Exodi* 5. dixit: Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. In ſequentibus verbis Salomon tangit pœnam dicendo: *Per fortitudinem brachii tui flagellati ſunt*; ut, qui nolunt Deum cognoſcere in pace, confiteantur ſaltem Deum in tribulatione. Sicut Pharao fecit *Exodi* 9. Juſtus Dominus, ego autem & populus meus impius. Subjungit Salomon cauſam inſtrumentalem, qua Deus punivit Aegyptios dicens: *Novis aquis, & grandinibus, & pluviis perſecutionem paſſi ſunt, & per ignem conſumpti.* Quia ut dicitur *Exodi* 9. Deus contra Aegyptios pluit de cœlo grandinem maximam, commixtam igni cum fulgure & tonitruo, & occidit homines & jumenta, quotquot in agro reperiebantur. Quod intelligendum eſt de illis Aegyptiis, qui fuerunt obſtinati, nam alii Aegyptii qui Dominum timuerunt, & à Moyſe fuerunt de tali ſtrage præmoniti, ſalvarunt ſe, & ſua jumenta domi, & illis nihil factum eſt: alii autem qui Deum non timuerunt, unà cum jumentis ſuis in agris exiſtentes per illas tempeſtates perierunt. Hoc tamen mirandum eſt, quod ſolum in terra *Ieſſe*, ubi habitaverunt filii Iſrael, non ceciderit talis grando.

Et quod magis ſtupendum eſt tanquam aliquid contra naturam, impreſſiones illæ ſimul fiebant, fulgura, & grandines, pluviæ & tonitrua; & tamen ignis deſcendit cum grandine ſine liquefactione grandinis: nec aqua extinxit ignem, ſed potius ignis manſit in ſua activitate calida ad comburendum, & aqua in ſua naturali frigiditate ad contegendum.

De iſta ergo mirabili plaga dicit Salomon ſic: *Novis aquis & grandinibus, & pluviis perſecutiones paſſi ſunt, & igne conſumpti.* Illi videlicet Aegyptii obſtinati, qui extra domus ſuas cum pecoribus ſuis manſerunt.

Mirabile quoque eſt, quod Deus in iſta plaga duo elementa ſibi contraria nimirum ignem & aquam conjunxerit, & tamen neutrum alteri obſtiterit. ſed potius unumquodque ſuæ virtuti naturali fuerit relictum. Undè ſubjungitur in Textu: *Quod enim mirabile erat in aqua, quæ omnia ardentia extinguit, plus ignis valebat.*

In ſequentibus verbis aſſignat Salomon miraculi hujus congruitatem, & dicit: *Vindex etenim eſt Deus orbis Iuſtorum*; id eſt, ignis & aqua, & omnis creatura exerit ſe in vindictam impiorum propter informationem Juſtorum.

Circa illa verba: *Vindex enim eſt orbis Iuſtorum*, ſic

ARTICULUS UNICUS.

Utrum aliquam pœnitentiæ vindictam debeamus exercere propter noſtra peccata, aliam præcavere, & aliam prævidere?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod aliquam vindictam pœnitentiæ propter peccata noſtra in hac vita debeamus exercere. Conſtat, quod ſi aliquis puer deberet verberari, ſemper mallet verberari ab amico ſuo, quam ab inimico. Nunc autem certum eſt, quod quilibet noſtrûm mereatur verberari pro peccato; Servus enim ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis *Lucæ* 12. Ergo oportet quod vapulemus hic, vel in purgatorio, aut in inferno: Si in his duobus poſtremis locis debeamus verberari, accipiemus verbera à noſtris hoſtibus, nimirum dæmonibus. Si autem in hac vita vapulemus, verberabimur ab amico, quia unusquiſque maximè eſt amicus ſibi, ut dicitur 9. *Eth.* Præſtat ergo agendo pœnitentiam in hac vita, vindictam ſumere de ſeipſo, qui peccavit. Undè *S. Auguſt. de vera & falſa pœnitentia cap.* 8. ait: Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.

Patres noſtri antiqui agendo pœnitentiam quatuor fecerunt. Nam caput radebant, barbam præſcindebant, ſaccum induebant, & in cinere ſedebant: ut inſinuatur in gloſſa ſuper *Caput* 22. *Iſaiæ.* Sic etiam *moraliter loquendo* debemus agere pœnitentiam: Ut *primò* tondeamus caput, id eſt, ut mentem, quæ eſt caput animæ, exquiſita diſcuſſione denudemus, recogitando omnes annos noſtros in amaritudine animæ noſtræ *Iſai.* 38. *Secundò* debemus radere barbam per novaculam mundæ & exactæ confeſſionis. *Tertiò*, induamus ſaccū per auſterā ſatisfactionem. *Ion.* 3. Rex Ninive abjecit veſtimenta à ſe & indutus eſt ſacco. *Quartò* in cinere ſedeamus per memoriam mortificationis, ſeu mortalis corporis noſtri, quod in cinerem reſolvetur; juxta illud *ſap.* 2. Extinctus cinis erit corpus noſtrum.

Explicatur ſecunda pars. Quod debeamus aliquam vindictam præcavere, id eſt, non debemus eſſe judices in propria cauſa; nec nos ipſos vindicare, ſed vindictam Domino Deo relinquere; undè de ſe ipſo teſtatur. Mihi vindictam, dicit Dominus, & ego retribuam. Et ideo Chriſtus Dominus Jacobum & Joannem ſatis durè increpavit, quando ignem de cœlo venire volebant in ultionem injuriæ, quia Samaritani Chriſtum & ſe recipere nolebant. Per quod exemplum Chriſtus nobis demonſtrat, quod non ſemper, vel non ſtatim ſit exercenda vindicta in eos qui peccant. Itaque ſumere vindictam, nobis interdictum eſt ſub gravi pœna: quod ſi non remiſerimus proximo, etiam non veniam delictorum non conſequemur. Undè *Math.* 28. dicitur: Serve nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: ſic pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

Præterea remittere injuriam, & non petere Eleëmoſinam, magnum genus Eleëmoſinæ eſt. De hac ra *Cæſarius admonitione ſecunda* dicit: Qui captivos redimere & pauperes paſcere & veſtire non prævalet; & contra nullum hominem odium in corde reſervat; & inimicis ſuis non ſolum malum pro malo non reddit, ſed etiam eos diligit, & pro eis orare non deſinit: certus eſt de promiſſione & miſericordia Domini, ita ut libera conſcientia dicere poſſit, Da Domine, quia dedi; dimitte, quia dimiſi. Hæc ille. Exemplo ſuo nos præceſſit Chriſtus; Qui ut ait *S. Bernard. ſuper Cant. ſerm.* 89. tam liberaliter dimittit injuriam, ut illam nec damnet ulciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Undè & pro Crucifixoribus ſuis oravit Patrem ſuum cœleſtem dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.

Explicatur tertia pars. Quòd vindictam judicialem, quæ nobis prædicitur, debeamus continuò prævidere. Unde *S. Grego. Hom* 39. ait: Præſentis temporis agenda eſt lætitia, ut nunquam amaritudo ſequentis judicii recedat à memoria. Et Hugo *lib.* 1. *de anima* ſic ait: Memor eſto, quæ ſit futura triſtitia, quando ſeparabuntur impii à conſortio juſtorum, & à viſione Dei, & tradentur in poteſtatem Dæmonum, & ibunt cum ipſis in ignem æternum, ibique ſine fine erunt in luctu & gemitu. Vbi erit ſtridor dentium intolerabilis, fœtor incomparabilis, timor horribilis, mors animæ ſine ſpe veniæ; ubi nec qui torquet, nec qui torquetur, aliquando moritur: ſed ſic morientur, ut ſemper vivant, & ſic vivent, ut ſemper moriantur. Hæc ille. Huc facit illud *Prov.* 6. Zelus & ira viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujusquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima, & tunc Deus erit vindex orbis terrarum.

LECTIO CLXXXII.

TEXTUS.

Quodam ergo tempore manſuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios miſſa erant animalia: ſed ut ipſi videntes ſcirent, quoniam Dei judicio patiebantur perſecutionem. Et quodam tempore ſupra virtutem ignis in aqua ardebat, ut iniquam terræ nationem exterminaret.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione agit Salomon de mirabili variatione flagellorum Ægyptiis immiſſorum. Nam ignis ſolum deſtruxit homines & jumenta in agro reperta: illis autem hominibus, qui ſecundum admonitionem divinam cum ſuis pecoribus iverunt domum, nihil nocuit. Item alio tempore ignis ſupra virtutem ſuam exarſit in aqua; id eſt in locis humidis Sodomæ & Gomorræ: ubi humido non obſtante, ignis omnia conſumpſit.

Dicit ergo ſic: *Quodam ergo tempore manſuetabatur ignis* (id eſt, manſuete egit in parcendo) *ne comburerentur, quæ ad impios miſſa erant animalia*; videlicet, quæ de agris juxta ad monitionem Domini, miſſa ſeu recepta ſunt ab impiis Ægyptiis quibuſdam domi exiſtentibus. *Sed ut ipſi videntes* (id eſt percipientes) *ſcirent, quoniam Dei judicio patiebantur perſecutionem.*

Et quodam tempore (in ſubverſione videlicet Sodomæ & Gomorræ, quando pluit Dominus

igoem

ignem & ſulphur de cœlo) *in aqua ſuper virtutem ignis exarſit, ut iniquam terra nationem* (id eſt Sodomitas & Gommorræos) *exterminaret* (id eſt perderet) circa illa verba. In aqua ſupra virtutem ignis exardebat,

Notandum eſt, quod *moraliter loquendo* ignis in aqua ſit Spiritus ſanctus in muliere ſancta. Nam quod Spiritus ſanctus ſit ignis, patet ex illo *Act.* 2. Tanquam ignis ſedit ſupra ſingulos eorum Spiritus ſanctus. Nomine autem aquæ rectè deſignatur bona mulier. Nam aqua habet ſex proprietates, quæ rurſus ſex proprietatibus mulieris ſanctæ comparari poſſunt. Nam in aqua imprimis eſt liquiditas ſaporoſa, cui ex parte mulieris bonæ correſpondet promptitudo clementiæ. *Secundò* in aqua eſt luciditas radioſa, cui ex parte mulieris bonæ correſpondet gratitudo benevolentiæ. *Tertiò* in aqua eſt fœcunditas fructuoſa, cui ex parte mulieris bonæ correſpondet ſolicitudo diligentiæ. *Quarto* in aqua eſt ſinceritas ſpecioſa, cui ex parte mulieris ſanctæ correſpondet magnitudo innocentiæ. *Quintò* in aqua eſt ſoliditas ſerioſa, cui ex parte mulieris ſanctæ correſpondet certitudo confidentiæ. *Sextò* in aqua eſt facilitas miniſterioſa, cui ex parte mulieris ſanctæ correſpondet beatitudo complacentiæ. Pro horum majori explicatione, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An ſex proprietates aquæ rectè comparentur ſex proprietatibus mulieris ſanctæ?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Nam ut dictum eſt, prima proprietas aquæ eſt liquiditas ſaporoſa; quia quantumvis aqua fuerit congelata, facillimè tamen liquefit: & deſignat promptitudinem clementiæ & pietatis, quæ ineſt mulieri ſanctæ, quia eſt ſolatiū humanæ imbecillitatis, & medicamentum omnis infirmitatis. Unde *Eccl.* 29. dicitur. Ubi non eſt mulier, ingemiſcit æger. Et in hujus ſignum, quod in muliere ſit naturaliter omnia clementia, Filius Dei corpus humanæ redemptionis totaliter à muliere decrevit accipere; & ideo *Eccl.* 10. dicitur. Non eſt creata iracundia nationi mulierum. Deindè iſte ſexus fœmineus, in quo latet omnis mali remedium, rectè comparatur per aquam Piſcinæ probaticæ, per quam ſanus fiebat, quicumque prius in eam deſcendit poſt motionem aquæ. *Ioan.* 5.

Explicatur ſecunda pars. Nam in aqua ſecunda proprietas eſt luciditas radioſa; juxta illud *Proverb.* 27. In aquis reſplendent vultus proſpicientium. Sicut autem inter creaturas nihil eſt nobilius & amabilius ipſa luce: ita nihil reperitur in ſancta muliere gratioſius, quam gratitudo benevolentiæ. Et ideo luciditas radioſa, quæ in aquarum ſpecie continetur, repræſentat gratitudinem immortalis affectionis & benevolētiæ, quæ in mulieribus ſanctis ſemper viget. Unde licet Chriſtus Dominus, dum hic viveret, viros quoſdam gratos habuerit, nunquam tamē tam conſtantem gratitudinem in Petro, Jacobo vel Joanne reperit, quantam in mulieribus ſibi devotis invenit. Hæ quippè verò ſunt, quæ eū per patrias diverſas prædicantem ſequebantur, miniſtrantes eidem de facultatibus ſuis. *Lucæ* 8. Et *Marci* 15. Hæ ſunt, quæ eum in Cruce pendētem fugientibus diſcipulis comitabātur. *Matth.* 28. Hæ ſunt, quæ mortuo Chriſti corpori ſepeliendo unguēta aromatica paraverunt. Hæ ſunt, quæ nec tenebroſæ mortis caligine, nec militum armatorū furioſâ ſævitiâ deterrebantur. Et ideò præ omnibus viris Chriſtus ſexui fœmineo primum ſuæ Reſurrectionis nuntiavit triumphū, ſciens, quod ſuper omnem gratiam ſit gratia mulieris. *Eccl.* 26. Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata.

Explicatur tertia pars. De tertia aquæ proprietate, quæ eſt fœcunditas fructuoſa. Sine enim aqueo humore nihil vireſcit, nihil creſcit, nihil floreſcit aut fruteſcit; juxta illud Pſalmi: Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Hæc autem aquæ fœcunditas deſignat tertiam mulieris ſanctæ proprietatem, quæ eſt ſolicitudo diligentiæ. Mulier enim in regendo familiam circumſpecta, in operibus artificioſa, ſic ſe habet in domo: quod omnis domus ſit ſine ordine, quæ mulieris caret regimine. at ideò vir & mulier non ſolum conjunguntur ex cauſa generādæ prolis, ſed etiam propter adminiſtrationem œconomicam, quæ ſine muliere compleri non poteſt; ut docet *Ariſtot.* In cujus rei ſignum dictum eſt *Gen.* 2. Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. De muliere diligente dicitur *Prov.* 12. Mulier diligens corona eſt viro ſuo. Et *Eccl.* 26. Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum.

Explicatur quarta pars. De quarta aquæ proprietate, quæ eſt ſinceritas ſpecioſa. Aqua enim pura eſt, & omnia fœda purificat, & emundat: quod aſſignat magnitudinem Innocentiæ quæ invenitur in bona muliere. Per aquam Baptiſmalem reſtituimur ad originalem innocētiam, & per aquam luſtralem à venialibus accedente contritione noſtra emundamur. Huc facit illud *ad Epheſ.* 5. Filii diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiā, mundās eam lavacro aquæ.

Explicatur quinta pars. De quinta proprietate aquæ, quæ ſoliditas ſerioſa. Nam juxta Scripturam ſacram, terra, quæ eſt ſolidiſſima, fundatur ſuper aquam; juxta illud *Pſalmi*: Qui firmavit terram ſuper aquas. Et per hanc aquæ ſoliditatem ſerioſam, deſignatur certitudo confidentiæ, quam vir poteſt habere de bona muliere: quæ infirmū hominem non deteſtatur, pauperem nō aſpernatur, deliris & ſenibus famulatur. Huc facit illud 1. *Cor.* 7. Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. Sic ergo virorum bonitas & ſtabilitas ſæpè ſuper bonarū mulierū gratioſa ſoliditate fundatur. Mulier enim formata eſt de oſſe ſolidiſſimo: vir autem de terra arida & in pulverem facilè redigenda. In hujus rei figuram Arcam cum toto genere humano aqua ſupportavit *Gen.* 7. In qua octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. 1. *Pet.* 3.

Explicatur ſexta pars. De ſexta aquæ proprietate, quæ eſt facilitas miniſterioſa. Deus enim Sacramentū Baptiſmi in aquarum ſubſtantia condidit. Et hæc facilitas miniſterioſa ſignificat beatitudinem complacentiæ, quam vir & ſancta mulier ſortitur. Undè *Eccl.* 26. dicitur: Mulieris bonæ beatus vir. Et *Eccl.* 25. dicitur: Beatus vir, qui habitat cum muliere ſenſata. Patet ergo ex dictis quomodo ignis in aqua, ſic Spiritus ſanctus in muliere ſancta.

LECTIO CLXXXIII.

TEXTUS.

Pro quibus, Angelorum eſcâ nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis, ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem: ſubſtantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendiſti, & deſerviens unicujuſque voluntati, ad quod quilibet volebat, convertebatur.

EXPLICATIO TEXTUS.

HIc oſtendit Salomon, quod ſicut Deus Ægyptios punivit per corpora nociva deſcendentia ex aëre, ut ignem, grandinem, pluvias: ita econtra mirabiliter Deus populum ſuum Iſraëliticum pavit per cibum ex aëre miſſum, nimirum per manna, quod habebat omnis cibi, juxta cuivis beneplacitum, ſaporem & fragrantiam in ſe.

Dicit ergo: *Pro quibus* (id eſt pro igne, grandine, pluviis miſſis de cœlo in ultionem Aegyptiorum) *Angelorum eſcâ* (id eſt mannâ) *nutrivisti populum tuum Iſraeliticum.*

Dicit autem Salomon de iſto cibo mirabili quinque: nimirum quorum miniſterio datus ſit, quia per Angelos. *Secundò* ad quod dabatur ille cibus, nempe ad refectionem Iſraelitarum: & ideo dicitur in Textu: *Nutriviſti populum tuum.* *Tertiò* undè & de quo loco iſte cibus ſit miſſus: *quia panem Angelorum de cœlo* aëreo *dedit.* *Quartò* oſtendit, qualiter & quomodo eis datus ſit iſte cibus, quia *præſtitit illis ſine labore.* *Quintò* oſtendit, quod cibus ille nutriverit cum mirabili delectamento; & ideò dicitur in Textu: *Omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem*, id eſt perſectum & dulcem ſaporem. Undè *Exodi* 16. dicitur: Guſtus ejus quaſi ſimilis cum melle.

Aliis tamen manducantibus illud manna ſeu illum cibum cœleſtem, aliter ſubindè videbatur ſapere: juxta quod deſiderabant habere guſtum aut ſaporem hujus vel illius cibi. Dicit tamen *S. Auguſt. Lib. 2. Retract. cap. 2.* quod de manna dixi ad inquiſitiones Januarii *Lib. 1.* quod unicuique manna ſecundum propriam voluntatem ſapiebat, non mihi occurrit, undè poſſit probari, niſi ex Libro Sapientiæ, quem tamen Judæi non recipiunt in authoritatem canonicam, quod tamen fidelibus potuit evenire, non illis adverſus Dominum murmurantibus, qui profectò alias eſcas non deſiderarent, ſi hæc eis ſaperent, ſicut vellent.

In ſequentibus verbis oſtendit Salomon congruentiam hujus beneficii præſtiti Hebræis, per manna datum de cœlo. Congruentia autem eſt hæc, ut Deus ſuam eſſentialem ſuavitatem communicaret figuraliter creaturæ. Sicut enim illud mannæ alimentum, cuivis placuit ſecundum propriam voluntatem: ita Deus omnibus ſibi ſervientibus tantum retribuet de dulcedine, quantum meruerunt per gratiam & liberi arbitrii voluntatem. Dicit ergo in Textu: *Subſtantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendiſti, & deſerviens uniuscujuſque voluntati* (ſcilicet ex bonis Iſraeliticis, qui non murmurarunt) *convertebatur ad quod quilibet volebat.* Convertebatur, inquam, non naturâ propriâ, ſed operatione divina. Malis verò Hebræis, ſeu Iſraelitis murmurantibus contra Dominum, tale delectamentum non præſtitit, ſed potius vertebatur eis in tædium. Undè & iſti murmurantes, dicebant *Num.* 9. Oculi noſtri nihil aliud reſpiciebant niſi manna. Circa illa verba: *Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum,*

Notandum, quòd Manna fuerit vera figura ſacræ Euchariſtiæ. Nam ſicut *Hebræi* ad hoc ut venirent in terram promiſſionis paſti ſunt manna: ita nos paſcimur ſanctiſſimo Corpore & Sanguine Chriſti tanquam viatico ad patriam cœleſtem, ad quam tendimus. Vocatur autem ſacra Euchariſtia Panis Angelorum, propter conficientes ipſum. Conficitur enim Euchariſtia à Sacerdotibus, qui in ſacra Scriptura Angeli vocantur. Unde 1. *Cor.* 11. mandat Apoſtolus, ut velent in Eccleſia capita ſua propter Angelos, id eſt propter reverentiam Sacerdotum, qui ſunt nuntii Dei, & ideo *Malachiæ* 2. dicitur; labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt. Rectè autem Sacerdos vocatur Angelus, quia decet Sacerdotem, ut imitetur Angelum in undecim punctis, quæ his verſibus continentur.

Paſcit, & hortatur, ducit, vehit excitat, arcet,
Orat, congaudet, punit, laudat, ſine ſumptu.

Pro horum majori explicatione ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An aſſignatæ undecim operationes Angeli, convenire debeant bono Sacerdoti?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Angeli paſcant; Cujus exemplum habemus 3. *Reg.* 19. Ubi legimus: quod Angelus detulerit panem & aquam ad *Eliam* dormientem, & famelicum indè pavit. Surge, inquit Angelus, & comede; grandis enim tibi via reſtat. Sic etiam *moraliter loquendo* proprium officium Sacerdotis eſt paſcere populum verbo & exemplo, & ſi poſſit, etiam ſubſidio temporali. Undè ſignanter dictum eſt Petro ter: Paſce, paſce, paſce; bis autem ei dictum eſt, paſce agnos meos, & ſemel paſce oves meas: ad innuendam differentiam, qualiter ſenes, & qualiter juvenes pabulo doctrinæ nutriendi ſint. Nam ſimplex admonitio ſufficit ſenibus, ſed juvenibus opus eſt, ut tam verbis quam verberibus debitè doceantur.

Explicatur ſecunda pars. Quod Angeli nos exhortentur. Cujus exemplũ habemus *Matth.* 2. Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum. Et hanc Angeli operationem imitatur Sacerdos bona conſilia dando.

Explicatur tertia pars. Quod Angelus fideliter ducat per bonam converſationem. Hujus exem-

exemplum habemus in Raphaele *Tob.* 5. Ego, inquit, Angelus ducam, & reducam eum ad te. Et ſicut victoria exercitus eſt gloria ducis, ita ſanctitas populi meritò attribuitur Sacerdoti. Undè *S. Chryſoſt. Lib. 3. de dignitate ſacerdotali* ait: Populo benè agenti, unuſquiſque pro ſuo merito remunerabitur; Sacerdos autem pro bonis omnium, habebit enim pro bonis propriis auream; & pro acquiſitione aliorum aureolam. Hæc *S. Chryſoſt.* qui etiam *Hom. 31. ſuper Matth.* Sacerdotem rectè comparat radici arboris, & ſtomacho. Nam ſicut rami patiuntur, quando radix eſt infecta, ſic etiam populus Chriſtianus patitur in locis, ubi Sacerdotes ſunt mali. Et ſicut ſtomachus cibum ſumptum coquit non ſolum pro ſe; ſed etiam din tribuit reliquis membris: ita etiam Sacerdos Verbum Dei benè apud ſe meditatur, & intellectu ſuo penetrat, poſtea verò idem Verbum Dei à ſe benè præconceptum, aliis Chriſtianis tanquam membris Eccleſiæ proponit.

Explicatur quarta pars. Quod Angeli nos vehant, ſeu tranſportent. Deferunt enim boni Angeli animas morientium ad cœlum. Undè *Luca* 16. dicitur: Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Sic etiam Sacerdotes de terrenis deſideriis ad amorem cœleſtium pœnitentes transferunt, quando confitendo peccata priſtina, affectioni peccaminoſæ moriuntur. Undè 1. *Petri* 2. dicitur: Peccatis mortui, juſtitia vivamus.

Explicatur quinta pars. Quod Angeli nos excitent, ſic enim habetur *Act.* 12. Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris, percuſſoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter. Per Petrum in carcere dormientem deſignatur peccator irretitus mala conſuetudine peccandi. Et talis peccator verè jacet inter duos milites nimirum mortem & diabolum: quia mors inſidiatur corpori, & diabolus animæ. Eſt etiam peccator vinctus catenis duabus, nempè amore delitiandi, & pudore revelandi. Et inſuper duo cuſtodes in tali peccatore ante oſtium cuſtodiunt carcerem: & iſti duo cuſtodes, ne homo per confeſſionis oſtium exeat, ſunt præſumptio veniæ, & confidentia vitæ prolixæ. Talem ergo peccatorem efficacibus verbis Sacerdos debet excitare à ſomno peccati, & movere ad agendam pœnitentiam, dicendo eidem: Surge velociter, non autem differas pœnitentiam tuam de die in diem.

Explicatur ſexta pars. Quod Angeli boni arceant à nobis dæmonum poteſtatem. Sic fecerat Raphael de Aſmodæo, qui ſuffocaverat ſeptem viros Saræ *Tob.* 5. Taliter etiam Sacerdos debet arcere malos homines per cenſuras Eccleſiaſticas. Imò etiam Sacerdos dæmones arcere debet ab obſeſſis corporibus & per conjurationes illos propulſare, ne noceant hominibus.

Explicatur ſeptima pars. Quod Angeli pro nobis orent. Undè legimus *Act.* 16. quod Paulo apparuerit Angelus per viſum in ſpecie viri Macedonis dicens: Tranſiens Macedoniam adjuva nos. Iſte Angelus fuit præpoſitus Macedonibus, & illorum ſalutem à Paulo petiit, & rogavit. Sic etiam Sacerdos pro ſalute populi tenetur orare.

Explicatur octava pars. Quod Angeli congaudeant pœnitentibus de peccatis. Undè *Luca* 15. legitur: Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Sic etiam pœnitentia populi, debet eſſe gaudium Sacerdoti.

Explicatur nona pars. Quod Angeli etiam nos puniant. Venit enim Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum & octuaginta millia hominum, 4. *Reg.* 19. Sic etiam Sacerdos punire debet delinquentes rebelles & contumaces per Excommunicationis ſententiam.

Explicatur decima pars. Quod Angeli laudent Deum. Nam ut legitur *Iſaiæ* 6. clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Sic etiam Sacerdotes debent laudare Deum, juxta illud 1. *Eſdræ* 3. Steterunt Sacerdotes in ordine ſuo, ut laudarent Dominum.

Explicatur undecima pars. Quod Angeli ſint ſine ſumptu. Et hoc clarè patet in Angelo Tobiæ, qui magnæ fuit utilitatis & parvi ſumptus. *Tob.* 5. Sic etiam Sacerdotes boni, relictâ cupiditate rerum temporalium de decimis & & oblationibus vivunt quantum ſuſtentationi ſuæ convenit, reliquum verò pauperibus largiuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Sacerdotes debeant Angelos imitari in ſpiritualitate ſeu immaterialitate, intellectualitate, motione orbis, & regimine hominum?

Dico quòd ſic.

Explicatur prima pars. Quod Sacerdotes debeant Angelus imitare in ſpiritualitate ſeu ſeparatione ab omni materia. Angeli enim ſunt Spiritus, carnem & oſſa non habent: & tales etiam debent eſſe Sacerdotes per continentiam, ita ut paſſiones, motus, & ſenſus appetitivos non ſequantur. In cujus figuram dictum fuit S. Petro: Caro & ſanguis non revelavit tibi. *Matth.* 16. Et de talibus Sacerdotibus carni non obedientibus, ſed juxta ſpiritum ambulantibus dicitur *in Pſalmo*. Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.

Explicatur ſecunda pars. Quod Sacerdotes debeant imitare Angelos in intellectualitate: Angeli enim ſunt intellectuales pleni ſcientia & veritate. Sic etiam Sacerdotes pollere debent ſcientia ſacræ Scripturæ, ut alios inceſſanter poſſint inſtruere, & nutantes in fide per doctrinam ſuam valeant ſolidare. Atque in hunc finem rectè ſancivit Eccleſia, quòd in omnibus Canonicorum capitulis ſit aliquis Scholaſticus. Et ideo ſignanter dicitur *Aggæi* 2. Interroga Sacerdotes legem. Super quæ verba dicit *S. Hieron.* Conſidera Sacerdotum officium eſſe de lege interrogato reſpondere. Sacerdos eſt? ſciat legem Domini. Si ignorat legem Domini? ipſe ſe arguit non eſſe Sacerdotem Domini, *Malachiæ* 2. Labia Sacerdotis cuſtodiunt legem, & ſcientiam de ore ejus requirunt: quia Angelus Domini exercituum eſt.

Explicatur tertia pars. Quod Sacerdotes debeant imitare Angelos in motione orbis terrarum, Angeli enim ſunt motores orbium, à quibus cauſatur & generatur, quidquid inter corpora procedit ad eſſe. Sic officium Sacerdotis eſt movere bonis admonitionibus nobiles & potentes, quorum virtute reguntur ſubditi ad cultum Dei. Hujus rei figura eſt *Joan.* 5. de Angelo, qui deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam poſt motionem aquæ: ita ut qui primus deſcendit in aquam, ſanus factus ſit. Moraliter loquendo. Piſcina habens multas aquas, eſt homo nobilis habens multos ſubditos & magnas pecunias: in talem autem piſcinam ſeu hominem potentem & nobilem deſcendit Sacerdos, quando ejus conſcientiam examinat de delitiis inordinatis. movet etiam Sacerdos aquam hujus piſcinæ, quando per pias admonitiones movet talem nobilem ad dolendum de ſuis peccatis, & profundendum lachrymas propter ea.

Explicatur quarta pars. Quod Sacerdotes debeant imitare Angelos in regimine hominum. Angeli enim regunt & cuſtodiunt homines juxta illud *Pſalmi* 90. Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Et eodem modo ſacerdotes debent juxta officium ſibi cõcedum debitè cuſtodire homines. Et de his bonis Sacerdotibus verificatur illud *Iſaiæ* 16. Vos Sacerdotes Domini vocabimini miniſtri Dei noſtri. Tales ſcilicet, quales erant illi, de quibus dicitur *Matth.* 4. Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtraverunt ei.

LECTIO CLXXXIV.

TEXTUS.

Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant, ut ſcirent, quoniam fructus iniquorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluvia coruſcans. Hoc autem iterum, ut nutrirentur juſti, etiam ignis ſuæ virtutis oblitus eſt. Creatura enim tua tibi factori deſerviens, excandeſcit in tormentis adverſus injuſtos: & lenior fit ad benefaciendum his, qui in te confidunt.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione Salomon iterum narrat ſupplicia inflicta Aegyptiis, & beneficia præſtita Hebræis ſeu filiis Iſraël. Beneficium autem Hebræis collatum, fuit pluvia mannæ ex aëre ad eos ſuſtentandum: ſupplicium autem illatum Aegyptiis fuit pluvia nivis & grandinis, quibus admixta fuerunt ignis, fulgura & tonitrua ad flagellandum Aegyptios. Nam ut habetur *Exodi* 9. inter decem plagas hæc una fuit, quod Deus pluerit grandinem ſuper terram Aegypti, & cum grandine fuit ignis admixtus; & hac mirabili pluviâ occiſa ſunt omnia, quæ inveniebantur in agris ab homine uſque ad pecus: ligna verò & herbæ confractæ ſunt in tota terra Aegypti. At verò in terra Ieſſe, ubi habitabant filii Iſraël non erat grando talis. Comparando ergo beneficium præſtitum Iſraëlitis cum ſupplicio præſtito Aegyptiis, docet Salomon, quomodo ignis contra naturam, Dei virtuti obediens, non reſolverit nivem cum qua deſcendit: & manna, quod modicus calor ſolis liquefacit, ignis magis induraverit in hunc finem, ut per manna filii Iſraël ſuſtentarentur.

Dicit ergo ſic: *Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis*: quia videlicet non fuerunt diſſoluta & liquefacta vi ignis ſibi ſufficienter approximati, dum ignis ſimul cum ipſa nive & grandine deſcendit. Undè ignis & grando manſerunt in ſua frigiditate, ſicut ignis in ſua caliditate. *Et non tabeſcebant*: nimirum nix & grandines. Et hoc factum eſt ideò, ut pœna illa Aegyptiis inflicta eſſet diſſimilis pœnæ infernali, in qua tranſitur ab aquis nivium, ad calorem nimium *Iob* 24.

Fuit autem iſtud miraculum ideò oſtenſum Aegyptiis, & Iſraelitis, ut exirent de Aegypto; *Quoniam fructus iniquorum exterminabat ignis ardens in grandine.* Quod fuit terribile Tactui *& ignis coruſcans*, quod fuit terribile Viſui. Sicut enim ignis non exercuit activitatem propriam circa grandinem in ſupplicio, ita nec ignis exercuit activitatem propriam circa manna in beneficio. Nam hoc fuit mirabile (ut infra dicetur) quod manna, quod ad exiguum ſolis radium liqueſcebat, ad calorem ignis unà cum grandine deſcendentis, induratum fuerit.

Et hoc eſt quod additur in Textu: *Hoc autem iterum, ignis, ut juſti nutrirentur, virtutis ſuæ oblitus eſt.* Quia videlicet ignis ille non reſolvebat, ſed potius conſervabat manna in natura ſua, ad hoc, ut nutrirentur filii Iſrael in deſerto.

Totum autem hoc miraculum adſcribitur virtuti divinæ, quæ creaturâ utitur juxta beneplacitum: impediendo virtutem naturalem creaturæ, quam cæteroquin haberet ad præſtandum aliquem effectum. Et hoc modo Deus impediendo activitatem propriam ignis conſervabat tres pueros illæſus in fornace Babylonica. Quia ergo creatura obedit Domino Deo volenti magis peccatores affligere, vel minus, aliquos punire; ideò dicit: *Creatura enim tua, tibi factori deſerviens, excandeſcit in tormentis adverſus injuſtos*, puta Aegyptius: dum ignis cum nive & grandine deſcendens, non liqueſecit illa, ſed potius nivem & grandinem in ſua frigiditate reliquit. *Et lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt*, nimirum pro Iſraelitis, quorum tunc manna deſcendens, per virtutem ignis non fuit liquefactum, ſed induratum, ut deſerviret nutrimento Iſraelitarum. Circa illa verba: *Ignis ſuæ virtutis oblitus eſt.*

Notandum eſt, quod Chriſtus rectè aſſimiletur igni: undè etiam Spiritus ſanctus qui Charitas eſt Patris & Filii, in ſpecie ignis deſcendit ſuper Apoſtolos. *Act.* 2. Similitudo autem eſt in hoc, quod ſicut ignis eſt ſummè activus: ita Charitas eſt ſummè activa, & nunquã eſt otioſa, ſed ſemper operatur aliquid boni, alias enim non eſt Charitas; ut ait S. Chryſoſt. *Secundò* ſicut ignis ſemper tendit ſurſum, & non deorſum: ſic Charitas ſemper tendit ſurſum ad Deum, & omnia ordinat ad Deum. *Tertiò* ſicut ignis ſemper poteſt augeri, ita Charitas in hac vis per bona opera ſemper poteſt augeri. Tandem

Digitized by Google

dem ſicut ignis eſt quaſi forma omnium aliorum elementorum, ſic etiam Charitas eſt forma omniū virtutum; adeo quidem ut ſine charitate nec Fides aliquid valeat. Unde dicit Apoſtolus: Si tantā fidem habuerim, ut etiam montes transferam, ſine charitate tamen nihil mihi prodeſt. Modo circa illa verba: *Ignis oblit⁹ eſt virtutis ſuæ*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homines arguendi ſint de oblivione divinorum beneficiorum, propriorum delictorum, ſalutarium mandatorum, & familiarium amicorum?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod homines arguendi ſint de oblivione divinorū beneficiorum. De his namque dicitur in *Pſalmo*: Obliti ſunt beneficiorum ejus, & mirabilium eorum, quæ oſtendit eis. Undè homines multi tantum de beneficiis divinis recordātur, dum ſunt erepti de periculo mortis vel de gravi infirmitate. Sed quamdiu recordantur? Certè ſolum modico tempore, vel quando iterato egent auxilio divino, aliàs non.

Explicatur ſecunda pars. Quod homines ſint arguendi de oblivione propriorū delictorum: nam peccata haberda ſunt in memoria, ut illa defleamus, & pro eis veniam deprecemur, juxta illud *Pſalmiſtæ*. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo. Et iterum iniquitatem meā ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Moderno autē tempore fieri ſolet, quod homines ſolum aliorū delicta habeant præ oculis, deque illis malè loquātur: ſed propria peccata vel non advertunt, vel non advertere volunt. Contra quos dicitur *Geneſ. 50.* Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum.

Explicatur tertia pars. Quod homines arguendi ſint de oblivione ſalutarium mandatorum. Profunditas enim peccandi, & inveterata conſuetudo malè vivendi adimit quaſi memoriam divinorum mandatorū. Contra quos *Pſalmiſta* gloriatur, quamvis ſe peccaſſe fateatur, dicens: Erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

Explicatur quarta pars. Quod homines arguendi ſunt de oblivione familiarium amicorum: præſertim quando tales amici ſunt mortui. Sed certè magna ingratitudo eſt amicos noſtros, qui nobis omnia bona fecerunt, & ſæpè hæreditatem totā nobis reliquerunt, derelinquere, dum purgatorii flammis exuruntur, & ſubſidiū noſtrum deſiderant, illoque egent. Undè ex purgatorio clamant dicentes illud *Iob 19.* Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Occaſione hujus ſit

ARTICULUS SECUNDUS.

An animæ in purgatorio exiſtentes juſtè conquerantur contra hæredes ingratos, executores falſos, Eccleſiaſticos non ſervantes fundationem ſibi factam; & mendicantes nihil orantes pro eo, qui largas Eleëmoſynas dedit?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Mortui rectè conquerantur contra hæredes ſuos ingratos. Nam iſti totam vel ſaltem magnam partem hæreditatis obtinuerunt ſine labore proprio; cùm tamen totam illam ſubſtantiam mortui, dū in hac vita erant, magno cum labore conquiſierint: & nunc dum vident deſolatos ſuos parentes vel alios ſuos benefactores horribilibus flammis aduri, ſunt tamen adeò crudeles & tenaces, ut per unum annum vix aut ne vix quidē unam Miſſam faciant legi. O miſeras animas! ô tyrannidem hæredum talium intolerabilem! de talibus miſeris parentibus dici poteſt illud *Eccleſ. 6.* Si quis genuerit filios centum, oblivione & infra delebitur nomen ejus.

Explicatur ſecunda pars. Quod Mortui juſtè conquerantur contra ſuorum teſtamentorum falſos executores; contra quos in jure dicitur: Ultima voluntas defuncti in omnibus ſervetur. Contingit autem ſæpè moderno tempore, quod mali ſint executores teſtamenti, juſſa non exequentes. Et de talibus malis executoribus teſtamenti conqueri poteſt quivis defunctus in purgatorio atrociſſima tormenta ſuſtinens; dicendo illud Davidis: Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde. Econtra autem boni executores dicere poſſunt cum *Pſalmiſta*: Nec obliti ſumus te, nec inique egimus in teſtamento tuo.

Explicatur tertia pars. Quod Mortui juſtè poſſint conqueri contra Eccleſiaſticos, qui non ſervant fundationem ſibi factam. Sæpè namque moderno tempore contingit, quod tales Eccleſiaſtici benè fundati, pecuniam ex fundatione acceptam impendant in uſus malos, & pro anima defuncti fundatoris parum orant; imò ſubindè nec noverunt nomina ſuorum fundatorū. Et de talibus dici poteſt illud *Oſeæ 13.* Saturati ſunt, & levaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Saturati ſunt, inquam, per gulam: levaverunt cor ſuum per ſuperbiam: & obliti ſunt mei per negligentiam.

Explicatur quarta pars. Quod Mortui juſtè conqueri poſſint contra mendicantes, quibus largas eleëmoſynas dederunt, & ipſi tamen nihil orant pro eo. Tales certè tenerentur in ſua conſcientia preces ſuas pro talibus ad Deum effundere; voluerunt enim ejuſmodi eleëmoſynarii quaſi perpetuò vivere in mendicis, qui eleëmoſynis ſuis fuerunt fruiti, vel adhuc fruuntur: ut dum illi tanquam mortui Deum amplius oretenus laudare non poſſunt, ipſi ſaltem per os alienum, nimirum per os mendicorum, quos paverunt, vel ex fundatione ſua facta adhuc paſcunt, uſque in perpetuum laudent. Porrò contra tales ingratos mendicos dicitur *Eccl. 37.* Non obliviſcaris amici tui in animo tuo: & non ſis immemor illius in operibus tuis.

LECTIO CLXXXV.

TEXTUS.

Propter hoc etiam in omnia tunc transfigurata, omni nutrici gratiæ tuæ deſerviebant, ad voluntatem horum, qui à te deſiderati ſunt, ut ſcirent filij tui quos dilexiſti Domine, quoniam non nativitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus, hos, qui in te crediderunt, conſervat.

EXPLI.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hac Lectione deſcribit Salomon illam glorioſam cibationem, qua Dominus Deus populũ Iſraëliticum pavit in deſerto quadraginta annis. Fuit autem hoc mirabile in illo manna, quod bonis & nõ murmerantibus cõtra Dominum præſtiterit delectationem, vel ſaporem illius cibi, quem quivis ſibi imaginatus fuit, & quẽ libenter comediſſet. Et ideo dicitur in Textu: *Propter hoc* (id eſt, quia omnis creatura Factori ſuo deſervivit ad nutum, ut dum ignis manna deſcendens non liquefecit, ſed potius pro nutrimento Hebræorum induravit) *ideo etiam tunc in omnia transfigurata*, vel potius *transfiguratum* quodammodo fuit manna. id eſt manna ſecundum judicium vel guſtum comedentium modo habuit ſaporem hujus, modo alterius cujuſcunque cibi; ad quem Iſraelitæ appetitum habebant. Et in omnibus, *omnium nutrici gratiæ tuæ*, id eſt voluntati gratioſæ populum nutriẽti, *ſerviebat ad voluntatem horum, qui à te deſiderati ſunt*, id eſt adoptati *& dilecti.*

Vt ſcirent filij tui Domine (id eſt Iſraelitæ) *quoniam non nativitatis fructus* (id eſt fructus, qui naturaliter creverunt) *paſcant homines* (id eſt Iſraelitas) *ſed ſermo tuus*, id eſt manna cœlitus datum *ad ſermonem tuum*: hos nompè Iſraelitas ſeu Hebræos, *qui in te crediderunt conſervat.* Circa illa verba, Dilexiſti Domine, ſit.

ARTICVLVS VNICVS.

An Deus dilectione ſua præveniat tarditatem noſtræ benevolentiæ; abluat fœditatem immundæ conſcientiæ; ſuperet quantitatem noſtræ ſufficientiæ: & præparet voluptatem perennis affluentiæ?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Deus dilectionem ſuam oſtendat in hoc, quod præveniat tarditatem noſtræ benevolentiæ. Undè 1. *Ioan.* 4. dicitur. In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Undè *S. Bernardus* ait: Dulcis Jeſus primus eſt in acceſſu, & ultimus in receſſu: & ideo Deus tãtum deſiderat ſibi dari cor noſtrũ, juxta illud *Proverb.* 23. Fili præbe mihi cor tuum. Sicut enim Deus eſt primus in acceſſu præveniendo voluntatem noſtram, ut ad ipſum convertamur: ita etiam Deus eſt ultimus in receſſu. Nam prius naturâ eſt, quod homo Deum deſerat peccando, quam quod Deus ſubtrahat ſuam gratiam. Ita etiam cor humanum primum eſt, quod vivit, & ultimum quod moritur. In cujus rei figurã dicitur *Exodi* 23. Sanctifica mihi omne primogenitum, id eſt, cor humanũ: quod inter membra corporis primogenitum dici poteſt. Et propter hoc ſignanter dicitur *Matth.* 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.

Explicatur ſecunda pars. Quod Chriſtus oſtendat ſuam dilectionem ad nos, abluendo fœditatem immundæ conſcientiæ: delevit enim Chriſtus peccatum originale proprii Sanguinis effuſione. Item delet peccata actualia per Sacramenti Pœnitentiæ ablutionẽ. Et ideò rectè dicitur *Apoc.* 1. Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo. Et propter hoc anima devota tanquã ſponſa Chriſti, ſi cõſideret ſponſum amore ſui tantam Sanguinis effudiſſe copiã, meritò excitari debet, & ut ipſa flagellet corpus ſuum & ſanguinem ſuum ex amore dilecti ſui profundat. Undè *ad Hebr.* 9. dicitur: Sine Sanguinis effuſione, non fit remiſſio peccatorum. Et *Apoſtolus ad Epheſ.* 5. ait: Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.

Explicatur tertia pars. Quod Chriſtus oſtendat ſuam dilectionem erga nos in hoc, quod ſuperet quantitatẽ noſtræ ſufficientiæ. Plura enim benigniſſimus Salvator nobis tribuit, quam intelligere valeamus, nec ſufficimus amorẽ Chriſti recompenſare. Undè *Apoſt. ad Eph.* 2. vocat charitatẽ Chriſti, *Nimiam*, dicens: Propter *Nimiam* charitatem ſuam, qua dilexit nos. Sicut enim dicit *S. Chryſoſt.* Nemo amicorum carnalium ita inardeſcere poteſt in amore dilectæ ſuæ, ſicut Deus effunditur in amorem animarum noſtrarũ. Porrò in dilectione humana poſſunt intervenire quatuor defectus, à quibus tamen amor divinus omninò eſt mundus.

Nam *imprimis* inter homines ſunt aliqui, qui licet amantur, non tamen reamant amatores ſuos: Dominus Deus autem dicit *Proverb.* 8. Ego diligentes me diligo.

Secundò aliqui inter homines ſunt, qui ſolum diligunt propter aliquam utilitatem capeſſendã ex tali amore, indigent enim beneficiis amicorum. De hac re loquitur *Ariſtot.* 8. *Ethic.* dicens: Cùm ſit amicitia propter utile, propter delectabile, & propter honeſtum: ideò diligentes ſolam propter utile, ſunt minimi amici inter omnes. Et hoc ipſum deplorat *Ovid. Lib.* 1. *de Ponto* dicens:

Turpe quidem dicitur, ſed ſi modo vera fatemur:
Vulgus amicitias utilitate probat.

At verò Deus nos non diligit propter ſuam utilitatem, quia bonis noſtris non eget: ſed diligit nos ad fructum noſtrum. Undè *ad Epheſ.* 1. dicitur: Gratificat nos in dilecto Filio ſuo: id eſt gratos & ſanctos nos ſibi facit.

Tertiò ſunt aliqui qui diligunt hominem, quamdiu eſt fœlix: dum autem eſt pauper, vel in infortunio, ſpernunt illum Juxta illud metricũ:

Non ſunt perſonæ, ſed proſperitati amici:
Quos fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

At verò econtra Chriſtus tunc maximè nos diligit, quando mundus nos deſerit, & quando à malis hominibus affligimur. Undè per *Pſalmiſtam* dicit Dominus Deus. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Quartò inter homines ſunt aliqui, qui diligunt alios quamdiu vivunt, ſed quando ſunt mortui, odiunt illos. Et tales ſæpè ſunt fratres, filii, uxor, ſervus, & executores teſtamẽti. Poſtquam enim homo eſt defunctus, tunc illi enumerati, qui mortuũ de rebus à ſe relictis juvare deberent, hoc ipſum non faciunt, ſed potius prædantur de bonis illius, & ſinunt eum in purgatorio pati acerbas pœnas. Undè metricè dicitur:

Poſt

Poſt mortis morſum vertit dilectio dorſum;
Finita vita, finit & amor ita.

At vero Deus diligit amatorem ſuum non ſolùm dum vivit, ſed etiam multo amplius eum diligit poſt mortem. Unde *Ioan.* 13. dicitur: Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo in finem dilexit eos: id eſt in perpetuum dilexit eos trahendo ad vitam æternam. Huc etiam facit illud *Ieremiæ* 31. In charitate perpetua dilexi te, & attraxi te.

Explicatur quarta pars. Quod Deus oſtendat charitatem ſuam erga nos, in hoc quod præparet nobis voluptatem perennis affluentiæ. Unde 2. ad *Theſſal.* 2. dicitur: Dilexit nos, & dedit conſolationem æternam: Quæ quanta ſit, Sancti non poſſunt ſatis exprimere. Unde *S. Auguſt. de moribus Eccleſiæ* ait: Tanta eſt pulchritudo Juſtitiæ, tanta eſt jucunditas vitæ æternæ, hoc eſt incommutabilis veritatis & Sapientiæ, ut etiam, ſi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei hora, propter hoc ſolum anni hujus vitæ innumerabiles, pleni divitiis & affluentia temporalium bonorum, certo meritóque contemnerentur. Et *S. Chryſoſt.* ait. Si quotidiè oporteret tormenta perferre, ſi ipſam gehennam parvo tempore tolerare pro eo quod Chriſtum poſſemus videre in gloria viventem, Sanctorum ejus numero ſatiari, non erat dignum pati, omne, quod triſte eſt modò, ut tunc tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur.

LECTIO CLXXXVI.

TEXTUS.

Quod enim ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio ſolis calefactum tabeſcebat: ut notum omnibus eſſet, quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare. Ingrati enim ſpes tanquam hybernalis glacies tabeſcet, & diſperiet tanquam aqua ſupervacua.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione declarat Spiritus ſanctus, qualem fortitudinem mirabilem habuerit illud manna miſſum de cœlo filiis Iſrael; quia non liquefiebat à virtute ignis, ſed ſolum à modico radio ſolis.

Dicit ergo: *Quod enim manna ab igne non poterat exterminari* (id eſt reſolvi) *ſtatim ab exiguo radio ſolis* orientis, quando nimirum radii ipſius adhuc ſunt tenuiſſimi ad calefaciendum; tum quia cadit obliquè ſuper terram; tum quia frigus noctis adhuc aliqualiter dominatur in aëre. *Calefactum tabeſcebat* (id eſt deficiebat) *Exodi* 16. Cumque incaluiſſet ſol, liquefiebat, & ante ſolis ortum filii Iſrael colligebant illud manna.

Finis autem, ſeu utilitas hujus mannæ, non ab igne, ſed à calore modico ſolis liquefacti, fuit duplex. Una utilitas fuit quoad bonos, ut eſſent præmoniti, quo tempore deberent colligere manna. Et quantum ad hoc dicit: *Ut notum omnibus eſſet* (nempe Hebræis in deſerto) *quoniam oportet prævenire ſolem* (id eſt ortum ſolis) *ad benedictionem tuam* (id eſt ad colligendum manna, quod erat eis *benedictio* ſeu beneficium datum à Deo. Unde *Exodi* 16 dicitur: Colligebant autem mane, quantum ſufficere poterat ad veſperam. *Et ad ortum lucis te adorare:* pro beneficio mannæ, quod colligi debuit ſummo mane.

Secunda utilitas proveniens ex iſta liqueſcentia mannæ ad radios ſolis, & reſiſtentia ad calorem ignis, fuit ad malos. Qui, ſi neglexerunt prævenire ſolem & diutius expectando diſtulerunt colligere, fruſtrabantur ſpe ſua, quia manna diſſolvebatur & diffluebat & diſparuit ad inſtar aquæ.

Et ideo ſubditur in Textu: *ingrati enim ſpes* (id eſt manna quod ſperabat ingratus diutius eſſe duraturum, poſt ſolem jam ortum, qui homo ingratus non credidit mandato Domini, de tempore colligendi) *tanquam hybernalis glacies* (id eſt hyemalis, non vernalis) *tabeſcet, & diſperibit tanquam aqua ſupervacua.* Quia talis Hebræus murmurans contra Dominum & veniens poſt ortum ſolis, nihil amplius invenit, ſed totum erat liquefactum, & à terra aſſumptum.

ARTICULUS UNICUS.

Quotuplex ſit ingratitudo peccatorum erga Deum.

DIco quod ſit quadruplex. Nam aliqui ſunt ingrati Deo, beneficia accepta non recogitando; aliqui ſunt ingrati, Deum propter beneficia accepta non honorando; quidam Deo beneficia ſua exprobrant; & alii contra Deum per beneficia pugnant.

Explicatur prima pars. Quod aliqui ſint ingrati Deo, beneficia accepta non recogitando; unde tales homines non recogitant, quid jam acceperint, ſed ſolum cogitant de novis beneficiis habendis, & tantum mente revolvunt, quidnam in futuro recepturi ſint. Hæc autem eſt maxima ingratitudo, ſicut dicit *Seneca lib.* 3. de Beneficiis in principio. Prima, inquit, omnium & potiſſima cauſa ingratitudinis eſt; quod novis ſemper cupiditatibus mentem occupat, non quid habemus, ſed quid petamus; non in id, quod eſt, ſed in id quod petimus, intenti ſumus. Et de quolibet tali ingrato verificari poteſt illud *Eccl.* 20. Ingratus ſenſus dereliquit liberantem ſe.

Explicatur ſecunda pars. Quod aliqui ſint ingrati Deo, ipſum propter beneficia accepta non honorando. Et tales ſunt ſimiles porcis, qui glandes continuè comedunt apud arborem, & tamen oculos nunquam erigunt ad arborem, cujus fructibus paſcuntur. Contingit certè ſæpè iſto tempore, quod ii, qui plurima beneficia acceperunt à Deo, nec ipſum honorent in templis & Eccleſiis aliquid pro ipſorum ornatu tribuendo; nec eum honorent in pauperibus, in quorum ſpecie ſæpè Chriſtus apparet,

& tantum æſtimat id, quod præſtatur pauperibus; ac ſibi præſtitum fuiſſet, juxta illud: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. De gratitudine Deo præſtanda egregiè loquitur S. *Auguſtinus* in quadam Epiſtola ad *Marcellium*, ubi ita dicit: Quid melius dicere poſſumus, quam Deo gratias? Quid melius animo gerimus, vel ore promimus, vel calamo ſcribimus, quàm Deo gratias. Hoc enim nihil brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius quidquam poteſt. *Hæc S. Auguſtinus* Sed revera moderno tempore timendum eſt, quod verificabitur propheria Apoſtoli *2. ad Timoth. 3.* dicentis: In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes & ingrati.

Explicatur tertia pars. Quod aliqui homines ſint ingrati, qui Deo de beneficiis acceptis exprobrant ad modum ingratæ uxoris, pro quâ vir circulo ferreo ad collum columnæ alligatus fuerat, quod ipſum tamen uxor ei in perpetuum exprobravit. Et hanc malam uxorem imitari videntur, qui Chriſto ſuorum vulnerum aperturas fatuè jurando improperant, quæ tamen nunquam ſuſtinuiſſet, niſi ipſum charitas erga nos ad hoc faciendum coegiſſet. Huc facit illud *Eccl. 29.* Paſcet & potabit ægrotos, & adhuc amara audiet.

Explicatur quarta pars. Quod aliqui ſint ingrati, qui contra Deum per beneficia accepta pugnant; qui nempè donis Dei ad peccandum duntaxat utuntur: & illi qui ex gratia Dei divitiis abundant, & tamen ſunt pauperum oppreſſores, quibus potius deberent aliquid donare. Sic etiam multi clarent ingenio naturali, quod tamen ſolum impendunt ad diverſas petulantias exercendas & ad alios defraudandum &c. Contra tales *Greg. lib 32. Moral.* ſuper illud *Iob. 40.* Huic montes herbas ferunt, dicit ſic: Dum reprobi de rebus divinitus acceptis, nequaquam recta ſed prava cogitant, quid aliud faciunt, niſi contra Deum ſuis donis pugnant? Quam ſententiam expreſſius in Homilia quadam ſuper illa verba, Cum audieritis prælia & ſeditiones &c. confirmat dicens: Omnia, quæ ad uſum vitæ accepimus, ad uſum culpæ convertimus; tranquillitatem enim pacis humanæ, ad uſum convertimus vanæ ſecuritatis; peregrinationem terræ, diligimus pro habitatione patriæ; ſalutem corporis in uſum redigimus vitiorum: & ſubſtantiæ abundantiam, ad perverſitatem voluptatis. Hæc ille.

Tales ingrati ſunt ſimiles Cuculo, qui per quandam aviculam dicitur foveri in nido, quam poſtea cuculus ad ætatem adultam provectus, capit, occidit, & devorat.

Ex hiſtoriis notum, quod aliqui ingrati homines variè ſint puniti; nam libertus (teſte *Valerio lib. 3. cap. 1.*) ob ſuam ingratitudinem à Domino ſuo fuit libertate privatus & redactus in ſervitutem his verbis: Abi & eſto ſervus, qui liber eſſe neſciviſti. Filius etiam quidam patri ſuo ingratus, conjectus fuit in vincula, teſte *Seneca* in ſuis declamationibus, qui ait: Liberi, titulo gratitudinis propter beneficia accepta, parentes ſuos alant, aut ſi alere nolint, vinciantur ſeu in vincula conjiciantur. *Philippus* quoque Rex (teſte *Seneca de beneficiis*) militem quendam hoſpiti ſuo ingratum; juſſit ſtigmatibus perpetuis notari.

Et tamen benigniſſimus Deus in hoc mundo hominibus ſibi ingratis adhuc alia beneficia præſtare non deſinit, dum ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos & injuſtos, bonos & malos ſeu ingratos, ut dicitur *Luca 6.*

CAPITVLVM DECIMVM SEPTIMVM.

LECTIO CLXXXVII.

TEXTUS.

Magna enim ſunt judicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua, propter hoc indiſciplinatæ animæ erraverunt. Dum enim perſuaſum habent iniqui poſſe dominari nationi tuæ ſanctæ; vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt, vel latuerunt.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Salomon oſtendit, quomodo Ægyptii à Deo afflicti fuerint per beſtias & animalia, atque etiam per res inſenſatas & elementa: nunc tandem declarat qualiter eidem Ægyptii fuerint puniti per corpora cœleſtia. Quod fiebat dupliciter; uno modo per ſubtractionem luminis & per tenebras palpabiles, ſicut dicitur *Exodi 10.* Secundo modo per occiſionem primogenitorum ſuorum in magna copia, ut dicitur *Exodi 12.* Cauſa autem cur Ægyptii ſic fuerint puniti, fuit duplex; nimirum ex parte Dei juſta conſideratio & obſervatio: ex parte autem Ægyptiorum iniqua converſatio.

Dicit ergo ſic: *Magna enim ſunt judicia tua Domine*: quibus electos filios tuos Iſrael gubernaſti, & eorum adverſarios flagellaſti. *Et inenarrabilia verba tua*, id eſt facta tua; Deus enim factis loquitur: Ipſe enim dixit, & facta ſunt, in *Pſalmis.* Et *Luca 2.* Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt.

Propter hoc (quia nimirum judicia Dei & flagella ipſius non receperunt Ægyptii ad ſui correctionem) *indiſciplinatæ animæ erraverunt*: repugnantes imperio Dei ſuper dimiſſione populi ſui Iſraelitici ex Ægypto. Et quia Ægyptii uſurparunt ſibi violentam oppreſſionem Iſraelitarum, ideo ſubditur in textu: *Cum enim perſuaſum habent* id eſt dum Ægyptii firmiter credunt) *ſe poſſe dominari* (per oppreſſionem) *nationi tuæ ſanctæ*: id eſt populo Hebræorum, quem Deus ſibi ſanctis legibus deſervire ſtatuerat. *Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti*, ſunt præfati Ægyptii. *Iacuerunt incluſi ſub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ.* In quibus verbis tria notanda ſunt. Nam imprimis Salomon demonſtrat palpabilitatem tenebrarum, & ideo dicit: *Vinculis tenebrarum compediti*: Fuit enim aër tunc non ſolùm privatus lumine, ſed etiam ita condenſatus ut palpari potuerit: & ideò miſeri Ægyptii jacuerunt quaſi vinculati in iſtis tene-

tenebris palpabilibus. Unde *Exodi* 10. dicitur: Erant tenebræ in terra Ægypti, ut poſſent palpari, nec movit ſe quiſquam de loco, in quo erat.

Secundò tangit Salomon iſtius ligationis diuturnitatem, dum dicit: *Et longæ noctis*: tribus namque diebus nemo vidit fratrem ſuum. *Exodi* 10.

Tertio tangit Salomon ligatorum immobilitatem, cum dicit: *Jacuerunt incluſi ſub tectis* (quia nullibi poterant ſe vertere propter aëris denſitatem) *fugitivi perpetuæ providentiæ*: id eſt, putantes ſe poſſe fugere divinam providentiam, quæ eſt immobilis & immutabilis. *Sap.* 16. Manum tuam effugere impoſſibile eſt. *Jacuerunt* vel *latuerunt*, debet referri ad verba præcedentia, quod nimirum ſub tectis jacuerint aut latuerint. Circa illa verba, Magna ſunt judicia tua Domine, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An judicia Dei ſint magna propter Judicis infallibilitatem; juriſdictionis generalitatem, juſtitiæ inflexibilitatem & potentiæ incomprehenſibilitatem?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Judicium Dei dicatur magnum propter Judicis infallibilitatem. Humanum enim judicium fallit & fallitur: ſolus autem Deus novit occulta judicare, quia ſolus novit corda hominum. Ex hoc autem quod Judicium humanum ſæpe fallatur, fit, quod ſæpè innocenti irrogetur injuria. Unde *S. Auguſtinus lib.* 19. de Civit. Dei ait: Quod ignorantia Judicis, plerumque ſit calamitas innocentis. Debet enim in judicio diligens examinatio præcedere ſententiam, & ſententia punitionem ſive abſolutionem. Et tamen cum hoc ſæpè contingit, quod nonnulla falſa probentur probatione juris, ex quorum probatione per falſos teſtes patitur juſtus: & ita Judex propter ſuam ignorantiam, ſi non formaliter, ſaltem materialiter errat judicando talem innocentem. Deus autem tanquam omniſcius, non poteſt per ulla argumenta aut falſos teſtes falli: unde nec formaliter nec materialiter in quadam ratione alicujus innocentis errabit. Huc facit illud *Proverb.* 16. Divinatio in labiis Regis (Dei ſcilicet vel Chriſti) non errabit in judicio os ejus.

Explicatur ſecunda pars. Quod Judicium Dei dicitur magnum propter Juriſdictionis generalitatem quia ſolus Deus omnes gentes judicabit. Unde *Ioan.* 5. dicitur: Pater omne judicium dedit filio. Et *Ioelis* 3. Conſurgent & aſcendent gentes in vallem Joſaphat, quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes. Item 2. *Cor.* 5. dicitur: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum. Et *S. Chryſoſtomus Homilia* 19. *de die Iudicii*, ſic dicit: In illa die judicii univerſalis non ſic interrogatur perſona, ut conſcientia non videatur; ſed econtra conſcientia diſcutitur, & perſona confunditur: quando nemo excuſat peccatorem, ſed omnes accuſant: nec alter pro altero intervenit, ſed ſinguli ibi timebunt. Quia in illo Judicio non erunt teſtes adulatores, ſed Angeli veraces: non erunt Judices perſonarum acceptores, ſed Deus, qui juſtus eſt, reddet unicuique ſecundum opera ſua, quia omnes nos ibi manifeſtari oportet.

Narrat *Ovidius* 15. *Metamorph.* Quod apud antiquos mos erat ſententiam proferendi non verbis ſed lapillis; Si enim judicandus debebat liberari & abſolvi, projiciebantur lapilli albi; ſi autem debebat damnari, projiciebantur lapilli nigri. Sic etiam mi homo quisquis es, dum ſteteris ante tribunal Chriſti, ſi ex urna conſcientiæ tuæ poſſis projicere lapillos albos bonorum operum, ſalvaberis: ſi autem ex urna conſcientiæ coram univerſo mundo ſolum projeceris lapillos nigros peccatorum, damnaberis. Unde rectè de damnatis dicitur *Nahum* 2. Facies hominum ſicut nigredo ollæ.

Explicatur tertia pars. Quod Judicium Dei dicitur magnum propter Juſtitiæ inflexibilitatem. Humanum judicium (teſte *S. Iſidoro lib. de ſummo Bono*) perverti poteſt ex timore, cupiditate, odio & amore. Deus autem nullo modo perverti poteſt; non timore, quia omnipotens; nec corrumpi poteſt Deus ob cupiditatem auri vel argenti, quia Deus ditiſſimus eſt: ipſius enim ſunt omnia. Nec Deus poteſt corrumpi odio, quia eſt optimus; nec amore, quia eſt juſtiſſimus. Unde *Iob*, 37. dicitur: Verè enim Deus non condemnabit fruſtrà, nec omnipotens ſubvertet judicium. Et *Tob.* 3. Omnia judicia tua vera ſunt.

Fabula nota eſt, quod Leo aliquando omnia animalia citaverit ad ſe ut dicerent ſuas culpas. Venit ergo Aſinus dicens, ſe comediſſe fœnum, quod cecidit ex curru aurigæ alieni. Reſpondit Leo tanquam Judex, malè feciſti, debuiſſes enim fœnum reddere illi ad quem pertinebat, & juſſit Aſinum verberari uſque ad mortem. Venit deindè Lupus, qui dixit, ſe ſubindè ovem, ſubindè hædum & ſubindè vitulum abegiſſe, occidiſſe & comediſſe. Reſpondit Leo, chariſſime, non debes eſſe tam ſcrupuloſus, in his enim rapinis, quæ tibi ſunt naturales, non peccas. Iſtum ergo Lupum rapacem & voracem ſibi ſimilem, vel à quo ſperabat medietatem ſuæ rapinæ, abſolvit. Leo ex quodam timore lupi, ne ſibi Leoni oves quoque & vitulos deprædanti idem crimen lupus objicere poſſit. Aſinum autem miſerum curavit occidi. Sic etiam humani judices ex timore quodam rigidam ſententiam contra aliquem pauperculum pronuntiant, & econtra alios malos delinquentes impune permittunt tranſire. Veruntamen Chriſtus tanquam judex nullum timet, quantumvis ſit potens, quinimo hi potentes potenter tormenta patientur, ſi malè egerunt. Unde *Sap.* 6. dicitur: Judicium duriſſimum, his qui præſunt poteſtate regni vel provinciæ, fiet.

Explicatur quarta pars. Quod judicium Dei dicitur magnum propter ſuæ potentiæ incomprehenſibilitatem. Unde *Rom.* 11. dicitur. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Huc pertinet illud *S. Auguſtini*: Cur Deus hunc trahat, & alterum non trahat, noli ſcrutari, niſi vis errare; ad occulta quoque Dei judicia pertinet, quod Deus in hoc mundo juſtos permittat affligi, & injuſtos attolli, & ſimilia plura.

LECTIO CLXXXVIII.

TEXTUS.

Et dum putant ſe latere in obſcuris peccatis, tenebroſo oblivionis velamento diſperſi ſunt, paventes horrendè, & cum admiratione vel turbatione nimia perturbati. Neque enim, quæ continebat illos ſpelunca, ſine timore cuſtodiebat: quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes, pavorem illis præſtabant.

EXPLICATIO TEXTVS.

IN hac Lectione oſtendit Salomon, quod tenebræ affligentes Ægyptios non ſolum habuerint denſitatem palpabilem, ſed etiam quod Ægyptii non potuerint ſe ullo modo juvare contra illas tenebras.

Dicit ergo ſic: *Et dum putant* (ſupple Ægyptii) *ſe latere in obſcuris peccatis, tenebroſo oblivionis velamento diſperſi ſunt.* Aerem tenebroſum vocat velamentum oblivionis: ſicut enim lumen figurat ſcientiam, ita tenebræ oblivionem deſignant, & ignorantiam. Peccata autem dicuntur obſcura propter effectum; Tum quia auferunt cognitionem veræ lucis (juxta illud ad *Eph.* 4. Tenebris obſcuratum habentes intellectum, ne cognoſcant quæ Dei ſunt) Tum etiam quia peccata ducunt ad inferni obſcuritatem: juxta illud Pſalmi: Obſcurantur oculi eorum ne videant. Fuerunt quoque Ægyptii *diſperſi* ab invicem; quia quidam ex illis erant in domibus, quidam in agris; & illos, qui propè ſe erant propter intermediam tenebrarum palpabilium denſitatem, putabant eos longè diſtare. Et ideò fuerunt *paventes horrende, & cum admiratione perturbati.* In ſequentibus declarat Salomon, quod nec à domibus in quibus Ægyptii habitabant, nec ab igne, nec à magica arte potuerint habere medium aliquod evadendi aut propulſandi illas tenebras. Unde dicit ſic: *Nec enim illa, quæ continebat illos ſpelunca* (quia ad foveas & cavernas multi confugerunt) *ſine timore cuſtodiebat: quoniam ſonitus* ſeu ſtrepitus (quem in illis ſpeluncis audierunt) *deſcendens perturbat illos. Et perſonæ triſtes illis apparentes* (viſione imaginaria) *pavorem illis præſtabant.* Nam propter melancholicas imaginationes Ægyptii ſolum de Dæmonibus & hominibus mortuis cogitabant, & ita pavore quodam fuerunt correpti. Circa illa verba, *Et perſonæ triſtes illis apparentes*, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An invidi, perfidi, cupidi, & ſtupidi ſemper ſint triſtes?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod invidi ſemper ſint triſtes. Unde *S. Damaſcenus* dicit: quod invidia ſit triſtitia de alieno bono. Et ſicut Buſo triſtatur de bono odore florentium vinearum: ita invidia dolet de profectu virtuoſarum perſonarum. Item ſicut inferior planeta ecclipſat ſuperiorem, non autem econtra, ut patet de luna, quæ ecclipſat ſolem; ita ut regulariter illi, qui minus valent, & ſunt meritis, gratiis & dignitatibus multo inferiores aliis melioribus, hos obumbrare nituntur per invidiam. Unde tota locutio invidi ſolum eſt de defectibus aliorum; quibus dum lingua ſua malevola nocere non poteſt, ſummè ſe affligit corde tenus & triſtatur. Licet autem ſubinde accendatur invidus per iracundiam; plerumque tamen frigeſcit per defectum charitatis; quæ eſt ille ignis, quem Salvator venit mittere in terram, ſeu mundum. Porro perſonam invidi rectè deſcribit *Ovidius* his verſibus:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes.
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo.
Succeſſus hominum carpit, & carpitur unà,
Suppliciumque ſuum eſt.

Præterea idem *Ovidius* 2. *Metamorph.* fabulatur, quod Pallas iverit ad Invidiam, ut procuret mortem Aglantis. Dum itaque præfatus inſignis Poëta invidiam in gratiam Palladis euntem verſus Athenas deſcribit, ponit hos verſus:

Indoluit baculumque capit, quem ſpinea totum
Vincula cingebant; opertaque nubibus atris,
Quacunque ingreditur, florentia perdidit arva;
Exuritque herbas, & ſumma cacumina carpit;
Afflatuque ſuo populos, urbeſque domoſque
Polluit.

Ex his colligitur modus nocendi, quem habet invidus inſtructus ab invidia. Itaque invidus portat *baculum plenum ſpinis*; quia omnes proſperitates aliorum, ipſum non delectant, ſed pungunt. Secundò Invidus *atris nubibus operitur*; quia invidus & detractor, rugata fronte nunquam dicent claram ſed obſcuram ſententiam de illo cui volunt nocere. Tertiò Invidus, quacunque ingreditur, *florentia perdidit arva*; quia Invidus nulli nocet, niſi illi, qui aliqua virtute floreſcit. Quartò Invidus *exurit herbas*: id eſt juvenes in virtute proficientes proſequitur; ſicut cœca talpa, quæ moratur in terra, & radices herbarum rodit & impedit ab augmento. Et non ſolum *herbas*, id eſt, juvenes, ſed & *ſuprema cacumina*, id eſt, ſuperiores & homines in dignitate conſtitutos *carpit*; quia invidus ſemper contra ſuos Prælatos, & Dominos, quæcunque excogitare poteſt, garrit. Quintò Invidus *afflatu ſuo*, id eſt verbo malitioſo, *polluit omnem populum & urbem quam attingit.*

Ex dictis itaque patet, quomodo Invidi ſemper ſint triſtes. De talium autem triſtitia dicitur *Eccl* 30. Triſtitiam longè expelle à te, multos enim occidit triſtitia Et *Prov.* 52. Sicut tinea veſtimento, & vermes ligno, ita triſtitia nocet cordi.

Explicatur ſecunda pars. Quod perfidi & falloces communiter ſint triſtes Unde hypocritæ, ut decipiant alios, ſimulant quandam externam triſti-

triſtitiam. Contra quos monet Salvator *Matth.* 6. Cum jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Tales in occulto ſunt jucundiſſimi, & quantum ad apparentiam externam ſunt triſtiſſimi. De his *S. Ambroſius* in quodam ſermone ait: Latet plerumque ſub triſti amictu laſcivia, & deformis horror vili veſte tegitur, ut ſecreta tegantur petulantium animorum. Contra hos ſcribit *Horatius.*

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
impie ſub dulci mella venena latent.

Explicatur tertia pars. Quod cupidi & tenaces imitatores Nabal ſemper plus habere deſiderantes, plerumque ſint triſtes: quia ſemper ſunt in timore & dolore, quomodo parta teneant, & non parta acquirant. Undè de talibus dicitur *Eccl.* 2. Cuncti dies ejus ærumnis & doloribus pleni ſunt, nec per noctem mente quieſcunt. Talis fuit ille juvenis cui Chriſtus dixit *Matth.* 19. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Sed quid factum eſt? abiit juvenis ille triſtis, habuit enim multas poſſeſſiones. Sed contra tales dicitur *Eccleſ.* 4. Inclina pauperi aurem tuam ſine triſtitia.

Explicatur quarta pars. Quod plerumque ſint triſtes illi, qui ſunt ſtupidi in præſenti vita, & pertinaces, de Dei clementia & pietate diffidentes; quorum aliqui de peccatis propriis adeo triſtantur, ut pro iis delendis putent non ſufficere Sacramentum Pœnitentiæ ad ſalutem: alii ſtupidi ſunt, putantes, quod juſtitia Dei non permittat ipſum pœnitentibus miſereri. Contra quos *Pſalmiſta* alloquens animam ſuam dicit ſic: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quia adhuc confitebor illi. Siqui tamen adeo obſtinati & ſtupidi ſint, ut pœnitendo diffidant de Dei miſericordia, tales non ſolum erunt miſeri triſtes in hac vita, ſed etiam erunt triſtiſſimi & miſerrimi in altera vita. Contra quos ſignanter dicitur *Eccl.* 14. Fœlix, qui non habuit animi triſtitiam & non excedit à ſpe ſua.

LECTIO CLXXXIX.

TEXTUS.

Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumē præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horridam. Apparebat enim illis ignis ſubitaneus timore plenus: & timore illius perculſi, quæ non videbatur, faciei, æſtimabant deteriora eſſe, quæ non videbantur.

EXPLICATIO TEXTUS.

Hic oſtendit Salomon, quod nec ignis elementaris, nec ignis cœleſtis Ægyptios potuerit liberare ab illis tenebris. Dicit ergo *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam*: propter videlicet denſitatem aeris tenebroſi. Si ergo ignis communis, & ſiderum limpidæ flammæ non poterant illuminare illam noctem, & juvare Ægyptios ad pellendas illas tenebras: multo minus ignis ex impreſſione in regione aeris generatus, ut ſunt coruſcationes & fulgura, illuminare poterant illas tenebras: ſed potius per tales ignes ex impreſſione genitos, terrefiebant, unde dicit Salomon ſic: *Apparebant autem illis ignis ſubitaneus timore plenus*, id eſt ſubitanea coruſcatio fulguris. Quæ coruſcatio licet præbuerit aliquod lumen ſubitaneum, hoc ipſum tamen nullum præbuit eis ſolatium. Et hoc ſolum vult textus, quando dicit, quod *nulla vis ignis potuerit ejus lumen præbere*; puta continuum & pro ſuo ſolatio. Adeoque illa coruſcatio luminis ex fulgure proveniens potius Ægyptios terrebat. Simul enim cum illis coruſcationibus ſubito illuminantibus aerem caliginoſum & ſpiſſum, apparuerunt Ægyptiis perſonæ triſtes, & horribiles, dæmonum accipientes perſonas, effigies mortuorum, & facies larvatas ad terrendum eos: & augebatur ipſorum terror per hoc, quod ipſimet Ægyptii ex ſua melācholia imaginati ſibi ſint, ſe habere ante oculos ſuos turpiſſimos dæmones, vel facies abſurdiſſimas mortuorum. Et hoc eſt quod dicitur in textu: *Et timore illius perculſi, quæ videbantur, faciei, æſtimabant deteriora eſſe, quæ non videbantur*; quia Ægyptii ex malis & turpibus faciebus ſeu monſtris viſis, æſtimabant adhuc deteriora eſſe futura, & ſic fuerunt in maximo timore & miſeria. Circa illa verba; *Et ignis quidem nulla vis.* Sit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum ignis corporalis puniat & affligat in inferno dæmones?

Dico quod ignis inferni ſit corporalis, & tanquam inſtrumentum divinæ virtutis agat in damnatos aliquos plus, aliquos minus, conformiter ad ſua demerita affligendo.

Probatur prima pars. Quia corpori hominis damnati, rectè coaptatur pœna corporea, unde ex hoc probat *S. Greg. 4. Dialogorum.* Quod ignis infernalis ſit corporeus, quia in illum corpora damnatorum ſtatim poſt diem judicii detrudentur. Et ideo dicit S. ille Pontifex *Gregorius* Ignem infernalem corporeum eſſe non ambigo. Imo *S. Auguſtinus lib. 21. de Civ. Dei cap* 10. dicit: quod ignis, quo etiam ſpiritus affliguntur, corporeus ſit, aſſumptus tanquam inſtrumentum Dei ad torquendos ſpiritus.

Probatur ſecunda pars. Nam ex eo, quod ignis ſit inſtrumentum divinæ virtutis, non agit uniformiter in omnes & quoſcunque damnatos, ſed in aliquos magis quàm in alios ſævit, juxta voluntatem Dei tanquam principalis agentis, & conformiter ad ſua demerita.

Dices primò. Si eſſet ignis in inferno, eſſet etiam lumen in inferno, ſed hoc eſt falſum. Ergo & illud undè ſequitur. Minor probatur, quia *Matth.* 22. dicitur Ligatis manibus projicite eum in tenebras exteriores. Super quæ verba dicit *S. Greg.* Si ignis ille lumen haberet, ſervus ille non diceretur mitti in tenebras exteriores: Ergo falſum eſt, quod ignis infernalis faciat lumen.

Secundò ignis ille infernalis eſt per violentiam ſub terra in loco infernali: Ergo non

manebit, nec cruciabit in æternum damnatos. Probatur conſeq. Quia nullum violentum eſt æternum.

Reſpondetur ad primum quod locus infernalis ſic erit diſpoſitus, prout convenit maximæ miſeriæ damnatorum. Undè ibi non erit lumen aliquod involutum umbris & fumo; ita ut per lumen damnati ſolum videant ea, per quæ terreri & affligi poſſunt. Cum quo tamen ſtat, quod quia illud lumen ignis ſolum eſt in materia fumoſa & umbroſa, locus infernalis abſolutè dicendus ſit tenebroſus. Et juxta hoc explicandæ ſunt authoritates adductæ.

Reſpondetur ad ſecundum. Quod licet nullum violentùm ſit perpetuum ex ordinatione ſolius naturæ, poteſt tamen eſſe perpetuum ex ordinatione divinæ juſtitiæ.

Dices ſecundò. Si daretur locus & ignis infernalis, tunc ille locus infernalis & ignis, vel eſſet ejuſdem rationis cum loco & igne purgatorii, vel non? Sed nihil horum poteſt dici; Ergo non datur ignis infernalis. Probatur minor. Nam ſi locus infernalis ſit idem cum loco purgatorii, tunc ſequeretur, quod decedentes in charitate, cum annexis quibuſdam peccatis venialibus, puniantur propter illa in inferno, quod non videtur eſſe admittendum. Si verò dicatur, quod locus inferni non ſit ejuſdem rationis cum loco purgatorii, ſequitur quod ſancti Patres ante mortem Chriſti purgati fuerint in inferno, quod etiam eſt falſum. ergo, ſeq prob. Nam ſancti Patres non fuerunt purgati in aliquo loco ſupra Limbum, nec in ipſo Limbo, quia in illo non eſt pœna ſenſus. Ergo purgati ſunt in inferno.

Reſp. Quod idem ſit communis locus purgatorii & inferni, habent tamen ſituatiationis diſtinctionem: ſicut idem locus communis eſt plurium civium habitantium in una civitate, ità tamen, ut hi diverſi cives habeant diverſas ſituationes in diverſis domibus. Itaque locus purgatorii eſt vicinus loco infernali, ut docet *S. Thomas in 4. ſentent. diſt. 25. in ſol. ad 2.* Et ratio ipſius eſt talis; quia Limbus Patrum fuit conjunctus inferno, alias enim Chriſtus non diceretur ad infernum deſcendiſſe. Nihilominus Limbus fuit ſuperior quam locus purgatorii, & rurſus locus purgatorii fuit vicinior inferno quã Limbus Patrum. Vult ergo *S. Doctor* dicere: quod intra totum ambitum ſeu ſpatium infernale ſint quatuor ſpecialia loca diſtincta. Nam in ſummitate eſt Limbus Patrum; poſtea eſt Limbus Puerorum; tertiò eſt purgatorium ubi eſt pœna ſenſus; quartò eſt locus damnatorum.

Præterea S. Thomas *quodlibet. 8. q. 22.* docet. Quod licet ſecundum legem communem purgatorium ſit locus in quo minutiora peccata purgantur, nihilominus ſecundum diſpenſationem divinam quorundam animæ puniuntur in loco in quo peccaverunt, ad vivorum inſtructionem. Ex his patet, quomodo Limbus & purgatorium in aliquo ſenſu poſſunt dici infernus: id eſt pars aliqua ſuperior, in qua non puniuntur damnati.

Neque ex hoc quod ſit idem ignis purgatorii & inferni, ſequitur, quod animæ morientes in charitate debeant torqueri in æternum, ſicut animæ damnatæ. Quia ignis ille agit tanquam inſtrumentum divinæ virtutis, quamdiu Deus vult, & quouſque animæ illæ purgandæ reddiderint univerſum debitum; hoc autem debito per pœnas ſoluto, liberantur à Deo, & ad cœlum avocantur, & conducuntur per bonos Angelos.

LECTIO CLXXXX.

TEXTUS.

Et magicæ artis appoſiti erant deriſus, & ſapientiæ & gloriæ correptio cum contumelia. Illi enim qui promittebant timores & perturbationes expellere ſe ab anima languente, ibi cum deriſu pleni timore languebant. Nam etſi nihil eos ex monſtris perturbabat: tranſitu animalium & ſerpentum ſibilatione commoti, tremebundi peribant, & aërem, quem nulla ratione evadere quis poſſet, negantes ſe videre.

EXPLICATIO TEXTUS.

His oſtendit Salomon quod nec per Magos Ægyptii potuerint ſe liberare ab illis tenebris. Dicit ergo: *Et magicæ artis appoſiti erant deriſus*; hoc eſt tunc temporis deriſibiles monſtrabantur Magi Ægyptiaci, quia per magicam artem monſtra faciebant, quando nec ſibi, nec aliis contra tenebras prodeſſe poterant. *Et ſapientiæ & gloriæ correptio cum contumelia.* Quaſi diceret: Vana gloria, quam habuerunt dicti Magi Ægyptiaci de falſa ſapientia, nunc verſa eſt in correptionem cum contumelia, quando Pharao, & alii nobiles clamantes petierunt eorum ſubſidia; & quia eos juvare Magi non poterant, ipſis contumelias intulerunt tanquam fallacibus deceptoribus.

In ſequentibus verbis ponit Salomon cauſam deriſionis, & dicit: *Illi enim qui promittebant timores & turbationes ſe expellere ab anima languente, hi cum deriſu pleni timore languebant.* Id eſt, licet magi promiſerint ſe adjutores, cum tamen juvare non potuerint, merito deridendi ſunt tanquam fallaces deceptores.

Et quia aliquis poſſet dicere; quod Ægyptii nõ ſint afflicti ex viſione corporali vel imaginaria triſtium perſonarum, & monſtruoſarum effigierum, eo quod Ægyptii jam aſſueti fue. int talia cernere, ab aſſuetis autem non fit paſſio; ideo ſubdit Salomon, quod etiam dato hoc & non conceſſo Ægyptii adhuc turbari fuerint: ex *tranſitu animalium*, quæ juxta ipſos ſtrepitum facientia, videbantur eos conculcare. Inſuper etiam Ægyptii *turbati ſunt per ſibilationem ſerpentum, & commoti tremebundi peribant.* Id eſt timuerunt, ne intoxicati à ſerpentibus pereant. Et quia Ægyptii nec animalia magna pertranſeuntia in iſtis tenebris denſis, nec ſerpentes ſibilantes præcavere poterant (ſiquidem nihil viderunt) ideo ſubditur in textu. *Et aërem quem nulla ratione* (tanquam medium videndi) *evadere quis poſſet, negantes ſe videre.* Id eſt Ægyptii turbati ſunt, eo quod non habuerint aërem illuminatum tanquam aptum medium videndi, ſed potius tangendo aërem adeo palpabilem & ſpiſſum territi fuerunt. Circa illa verba: *Et magicæ artis appoſiti erant deriſus,*

Notan-

Notandum eſt, quod vacantes arti magicæ multipliciter derideantur ab ipſis dæmonibus. Sic deriſus fuit quidam ad dignitatem ope diaboli promotus; dum eſſet in ſuo caſtro, & inimici ejus cingerent caſtrum; conſuluit dæmonem, an eſſet ſibi fugiendum? Cui reſpondit dæmon. Non ſta ſecurè, venient inimici tui ſuaviter, & ſubdentur tibi. Manſit ergo Dominus ille in ſuo caſtro; quod deindè inimici ipſum iovadentes incenderunt. Cum autem Dominus ille conqueſtus fuiſſet contra dæmonem, quare eom ſic deceperit; Reſpondit, ego non decepi te, ſed verum dixi: dixi enim *Non ſta ſecurè*, id eſt debes fugere. Et addidi, *inimici tui ſuaviter*, id eſt ſine magno ſtrepitu & occultè venient: & *ſubdentur tibi*: non munera, ſed ligna, & ignem, quibus arcem tuam in cineres redigent. Similia habentur plura alia, ut eſt illud diaboli ex Idolo conſulti dicentis alicoi eunti ad bellum, & volentis ſcire, an ſœliciter rediturus ſit; cui dæmoo dixit; Ibis redibis non morieris in bello qui tamen deinde in bello maoſit: verba enim illa dæmonis debebant legi cum grano ſalis hoc modo: ibis, redibis non, morieris in bello.

Hos ipſos Nigromanticos, & Magos etiam bene deridet *Elias Propheta*, quando 3. *Reg.* 18. Prophetas *Baal* deriſit, dicens. Clamate voce majori, Deus veſter forſitan dormit, aut loquitur cum alio, aut in diverſorio eſt, vel in itinere. A Deo quoque tales Magici homines deridentur juxta illud *Pſalmi*. Et tu Domine deridebis eos, & ad nihilum deduces omnes gentes: id eſt omnes ſe gentiliter dæmonibus ſubmittentes per quemcunque cultum, vel artem magicam. Pro huius majori explicatione ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum ars Magica ſit hominibus naturaliter interdicta?

Dico quod ars Magica naturaliter fuerit prohibita.

Probatur. Quia ars Magica dicitur illa, quæ auxilio vel conſilio dæmonum ad hoc precibus vel pacto expreſſo aut implicito vocatorum, completur: ex quo talis formatur ratio. Iuſtum eſt prohibere, ne quis habeat pactum expreſſum vel implicitum cum dæmone ad aliquem certum effectum præſtandum. Ergo ars magica juſtè eſt prohibita. Ubi pro majori noritia

Notandum primo. Quod dæmones antiquitus tempore Idololatriæ multas obſervantias præſcripſerint, & mandaverint ad certos effectus præſtandos; quos tamen effectus ipſimet dæmones caoſabant ad decipiendum homines, & ad majorem familiaritatem cum ipſis ineundam. Sic ſuaſerunt homines, ſe acquiſituros ſcientiam per aſpectum certarum figurarum, & certas orationes, quibus ignota quædam nomina immiſcent, dicendas.

Notandum ſecundò. Quod inter ea, quæ hominibus à Dæmonibus pro certo effectu præſtando ſunt revelata, ſubindè intercedat pactum explicitum cum Dæmone, ſicut patet de modo includendi Dæmones in vitris: ſubindè autem ſolum ſunt pacta implicita cum Dæmone, ut quando Dæmones præſcribunt aliqua fieri ab hominibus, quibus poſitis ad deludendos homines, operantur aliquem effectum qui nunquam ex vi illarum rerum, quas fieri mandaverant, provenerunt; ut autem poſſis diſcernere, an effectus ſequatur ex magica arte, vel ex natura rerum creatarum,

Notandum eſt tertiò. Quod quando nulla cauſalitas naturalis invenitur, cur talis vel talis effectus ſequi debeat: & quando aliquid tanquam neceſſarium admiſcetur, quod ex ſua natura nihil cauſare poteſt: ut ſunt figuræ, characteres, vel ignota nomina: tunc omnino arbitrandum eſt, talia magica eſſe.

Notandum quartò. de Incantationibus ſerpentum. Quòd cum nulla cauſa naturalis appareat, cur voces tales habeant vim ſiſtendi ſerpentes, qui non intelligunt illa, quæ proferũtur; ideo tales incantationes per Dæmones effectum ſortiuntur, ſuntque reliquiæ veteris idololatriæ. Unde etiam incantationes, quas vetulæ per nomina quædã exotica, ſeu extranea & ignota, item per certas obſervationes pro morbis curãdis, faciunt, ſortilegia ſunt, quamvis admiſceantur quædam de Deo vel de Evangelio, quæ Dæmon ſtudio admiſceri imperat, ut magis decipiat. Nec refert, quod ſubindè per experientiam habeatur effectus fuiſſe ſecutos. Quia effectus illi non ſunt cauſati ex vi illorum verborum vel certorum characterum ſcriptorum in charta, & appenſorum ad collum, ſed fuerunt cauſati à Dæmonibus, qui ſeſe talibus rebus ingerunt, ut magis decipiant homines.

Dices primò. Licitum eſt exorciſtis per verba ſacra compellere Dæmones ad aliqua dicenda; ſed per artem magicam etiam applicantur ſæpè verba ſacra, & vocantur Dæmones ad aliqua dicenda. Ergo licitum eſt uti arte magica.

Reſpondetur. Quod Exorciſtæ per verba ſacra compellant Dæmones ad aliqua dicenda, ubi exorciſtæ non exſpectant aliquod auxilium à Dæmone, ſed potius ipſum compellũt virtute divina ſibi communicata, ut aliqua pro ſua confuſione edicat. At vero Magi applicant verba ſacra, & exſpectant aliquod auxilium vel effectum à Dæmone, quod non eſt licitum.

Dices ſecundò. *Magiſter ſententiarum* narrat in hiſtoria ſuper *Evangelia*, quod inter Iudæos quidam fuerint Exorciſtæ, qui per exorciſmos factos à Salomone, Dæmones ejiciebant, maximè appoſita certa radice alicujus herbæ in naribus obſeſſi. Ergo talem herbam adhibere erit licitum, nec ullo modo ad Magiam ſpectabit.

Reſpondetur. Quod de Salomone conſtet ipſũ aliquãdo idololatram fuiſſe, unde poſſibile eſt quod ordinaverit ſuos Exorciſmos per Dæmones; tales autem exorciſmi ſunt illiciti.

Dices tertiò. Experientia conſtat, quod ſi alicui è domo exeunti occurrat lepus, habebit infortunium, ſi autem occurrat ei bufo, habebit fortunam. Ergo cum experientia ſit optima magiſtra, talia ſigna obſervare erit licitum.

Reſpondetur ex dictis in notabili tertio. Adde quod talis occurſus animalium non ſit cauſa, ſed ad ſuñum ſit ſignum eventus boni vel mali; non tamen eſt ſignum infallibile: ſicut nec ſignum infallibile eſt, quod ſi ſacerdos occurrat alicui venatori, venatio non benè ſuccedet; cum ſæpe venatores majorem habeãt fortunã, dum ſacerdos eſt præſens, quã dum non eſt præſens. Si autẽ

ali-

aliquis iſta ſigna neque à Deo neque ab Angelo pro certo effectu cauſando inſtituta, amplecti vellet tanquam infallibilia, peccato non carebit.

LECTIO CLXXXXI.

TEXTUS.

Frequenter enim praoccupant peſſima, redarguente conſcientia. Cum ſit enim timida nequitia, data eſt in omnium condemnationem, ſemper enim praſumit ſava, perturbata conſcientia. Nihil enim eſt timor, niſi praſumptionis adjutorium, proditio cogitationis auxiliorum: & dum ab intus minor eſt exſpectatio, majorem computat pœnam ejus cauſa, de qua tormentum praſtat.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon dixit, quod Ægyptii afflicti fuerint in tenebris per maximum timorem, ratione cujus putabant ſibi adhuc majora mala eventura, quam de facto experti ſint: Nunc oſtendit hujus timoris ſuſpicioſi cauſam, tam in generali quàm in particulari.

Dicit ergo ſic. *Frequenter enim praoccupant peſſima redarguente conſcientia.* Quaſi diceret, hæc eſt cauſa tanti timoris in Ægyptiis jam afflictis, ut non ſolum torqueantur pœnis præſentibus, dum timent majora tormenta Nam tales frequenter *praoccupant* (id eſt præconcipiunt) *peſſima* (id eſt maxima tormenta) *redarguente conſcientia*; id eſt propter redarguentem conſcientiam, quæ judicat ſibi pœnam majorem deberi, quam de facto infligatur. Itaque conſcientia læſa per culpam facit hominem præoccupare. id eſt præconcipere, ſemper majores pœnas ſibi fore infligendas.

In verbis ſequentibus declarat Salomon magis in ſpeciali cauſam hujus timoris in Ægyptiis. Et dicit ſic. *Cum enim ſit timida nequitia, data eſt in omnium condemnationem.* In omnium nimirum malorum ſeu peccantium condemnationem. Unde licet peccans ſubindè lateat, nec condemnetur à Judice: ipſa tamen mala conſcientia propria ipſum damnat. Porrò in hoc ipſo, quod quis peccet, & peccando maculet ſuam conſcientiam, in hoc inquam conſcientiæ ſuæ macula pœnam habet & torquetur.

Et ideo *S. Auguſtinus lib. de vera innocentia cap.* 4. ait: Nullæ pœnæ graviores ſunt, quam pœnæ malæ conſcientiæ, in qua cum non habeatur Deus, nulla conſolatio invenitur. *Seneca* quoque de *moribus* ait: Mala conſcientia ſæpè foris eſt tuta, intus verò ſecura nunquam. Et ideo ſignanter dicitur in textu, *quod nequitia data ſit omnibus in damnationem.* Et hæc eſt ratio illius, quod ſequitur, *ſemper enim ſava* (id eſt majora tormenta) *praſumit* (id eſt præconcipit) *perturbata mala conſcientia.* Hæc autem præconceptio pœnæ majoris ſuſtinendæ, cauſat magnum timorem peccatoribus.

In verbis ſequentibus deſcribit Salomon, quid ſit iſte timor, & dicit ſic: *Nihil enim eſt timor, niſi praſumptionis* (id eſt anticipationis vel præconceptionis de majori pœna infligenda) *adjutorium*: id eſt, iſte timor juvat peccantem ad hoc, ut peccator ſemper præcogitet majora ſibi tormenta fore infligenda. Et inſuper iſte timor, *eſt proditio cogitationis auxiliorum*: prodit enim timor (id eſt manifeſtat) quod timens habeat cogitationes de auxilio acquirendo. Eo ipſo autem quod peccans videat ſibi nec ab intrinſeco, neque ab extrinſeco adventurum aliquod auxilium, eo ipſo inquam augetur timor, & judicat cauſam ſuæ pœnæ eſſe majorem. Undè ſubditur in textu: *Et dum ab intus minor eſt exſpectatio de remedio, majorem computat pœnam ejus cauſa, de qua tormentum praſtat.* Id eſt ex iſto timore fit, quod peccans majorem adhuc conſideret pœnam ſibi ſuſtinendam ratione ſui peccati: quod non ſolum eſt cauſa pœnæ, quæ de facto homini peccatori infligitur, ſed etiam eſt cauſa adhuc majoris pœnæ infligendæ. Circa illa verba: *Praoccupat peſſima, redarguente conſcientia*, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

An mala conſcientia ſit accuſatrix pravæ tranſgreſſionis, & vindicatrix fractæ profeſſionis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod mala conſcientia ſit accuſatrix pravæ tranſgreſſionis; ſicut enim puero ſubinde appenditur tabella vel ſcheda in qua ponuntur ſui defectus, ut poſtea verberetur, & nullo modo licet puero abjicere illam tabellam vel ſchedam, ſed per eam accuſabitur: ita cuivis homini alligatur conſcientia, in qua omnia peccata notantur, ut ſecundum eam in judicio accuſetur. Undè *ad Rom.* 2. dicitur Teſtimonium ipſis reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium & defendentium in die, quo judicabit Deus occulta hominum. Et ideò iſtam accuſatricem, propriam nimirum conſcientiam, maximè timere debemus, dicente *Seneca lib. de Moribus.* Nullum conſcium peccatorum tuorum magis timueris quàm te ipſum: alienum enim potes fugere, te autem nunquam.

Explicatur ſecunda pars. Quod mala conſcientia ſit vindicatrix fractæ profeſſionis. Omnes enim ſumus profeſſione fidei noſtræ Chriſtiani, & in Baptiſmate ſigillatur imago Dei in conſcientia hominis, per virtutes & gratiam quæ tunc infunduntur baptizatis. Imò etiam charactere baptiſmali indelebili ſignamur tanquam milites & ſervi Dei. Hanc ergo imaginem conſcientiæ noſtræ ſic gratiâ decoratam, *tanquam denarium* exiget Chriſtus à nobis, dum ſederit pro tribunali, per quem conſiteri debemus nos eſſe ſervos ſuos. Unde *S. Chriſoſt. ſuper caput* 22. *Matth.* ſuper illa verba, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, ſic ait: Numiſma Cæſaris aurum eſt, numiſma Dei homo. In pecunia videtur Cæſar, in hominbus autem Deus cognoſcitur: ideo divitias veſtras date Cæſari, Deo autem conſcientiæ veſtræ

Digitized by Google

veſtræ innocentiam ſervate, hæc *S. Chryſoſtomus*, caveant proindè illi mali Chriſtiani qui profeſſionem ſuam peccando, & non Chriſto ſed mundo ſerviendo infringunt; hos enim propria conſcientia non ſolum accuſabit, ſed etiam vindicabit mordendo & pungendo. Unde *Proverb.* 12. dicitur. Eſt qui promittit & quaſi gladio pungit conſcientiæ, ſupple, ſi non ſervet promiſſum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An bona conſcientia ſit elevatrix ſuæ depreſſionis, & conſervatrix bonæ poſſeſſionis?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod bona conſcientia ſit elevatrix ſuæ depreſſionis. In omni enim turbatione vel depreſſione terrena, ſingularis conſolatio eſt bona conſcientia; juxta illud 2. *Corinth.* 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Unde S. *Ambroſius de officiis* ait: Bene ſibi conſcius, falſis non debet commoveri conviciis; nec æſtimare plus ponderis in alieno convitio, quam in ſuæ conſcientiæ teſtimonio. Et *S. Greg. ſuper Ezech. homilia* 9. ait: Quid prodeſt ſi omnes laudent, & conſcientia accuſet; aut quid obeſt, ſi omnes derogent, & ſola conſcientia defendat? Si tibi teſtis eſt in cœlo, & teſtis in bona conſcientia, dimitte ſtultos foris loqui, quòd volunt. Hæc *S. Gregorius*.

Explicatur ſecunda pars. Quod bona conſcientia ſit conſervatrix bonæ poſſeſſionis. Unde *S. Bernardus* ait: Sanum vas conſcientia, & ſervandis ſecretis idoneum, nullis patens inſidiis, nullis violentiis cedens, utpote nec manu, nec oculis acceſſibilis. Quidquid ei impoſuero, ſecurus ſum, quocunque vado. Ipſa erit mecum, ſecum ferens depoſitum quod ſervandum acceperat; ubique gloria vel confuſio inevitabilis pro qualitate depoſiti. Hæc *S. Bernardus*. Eſt ergo conſcientia bona, conſervatrix bonæ poſſeſſionis. Eſt autem conſcientia noſtra ſicut pulchra charta, in qua merita noſtra ſcribuntur, per quam aſſecuramur de præmio Paradiſi. Unde hanc ſyngrapham, ſeu chartam, per quam occupaturi ſumus hæreditatem cœleſtis patriæ, benè & mundè conſervare debemus diſcutiendo, & confitendo omnia dicta, facta & cogitata noſtra quantumvis minima; juxta exemplum Apoſtoli Pauli, qui *Actorum* 24. dixit: Studeo ſine offendiculo conſcientiam habere mundam ad Deum.

S. Iſidorus 17. *Ethimologiarum cap.* 8. dicit de Cedro, quod habeat quandam reſinam, quæ *Cedria* dicitur; & hæc in ſervandis libris adeò eſt utilis, ut libri ex ea perliniti, nec tineas patiantur, nec ob temporis diuturnitatem detrupentur. Ad propoſitum ergo noſtrum deveniendo, oportet, quod quivis chartam conſcientiæ ſuæ perliniat *Cedriâ*, id eſt ſanguine Chriſti crucifixi, benè à nobis per pias meditationes contemplato. Et rectè ſanguis Chriſti crucifixi (moraliter loquendo) poteſt vocari *Cedria*, quia de Cedro fuit pes Crucis Chriſti Domini; & ſic per ſynechdochen poteſt Cedrus poni pro Cruce Chriſti, quam ſanguis Chriſti Salvatoris noſtri perunxit. Porro dum homo piè contemplatur iſtam *Cedriam* ſeu ſanguinem Crucifixi, tunc omnes vermes id eſt remorſus peccatorum extirpantur, dicente Apuſtolo *ad Hebræos* 9. Sanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis & peccatis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An aliqui habeant conſcientiam laxam, alii ſcrupuloſam, alii perturbatam, & alii conſcientiam indiſcretam?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod aliqui habeant conſcientiam laxam; & ſunt illi, qui tantum ponderant valde groſſa peccata; de levibus autem ut mendaciis jocoſis, vel juramentis inutilibus & pluribus aliis nihil curant. Tales etiam ſunt, qui ſolum æſtimant eſſe peccatum, ſi quis furetur pauperi, vel alicui privatæ perſonæ, non autem ſi quis furetur Regi, vel diviti, aut alicui Communitati. Huc etiam pertinent illi, qui multum furantur, & ex rebus furto acceptis, faciunt Eleemoſynas ad ſplendorem & laudem capeſſendam ab hominibus. Unde tales non curant, qualiter acceperint pecuniam, & ſufficit illis habere pecuniam. De talibus verificatur illud *Gen.* 43. Non eſt in conſcientiis noſtris, qui eam (nimirum pecuniam) poſuerit in marſupiis noſtris.

Esplicatur ſecunda pars. Quod aliqui habeant conſcientiam ſcrupuloſam, qui non ſolum magna ponderant, ſed etiam parva, imò plus omnia ponderant quam deberent ponderare, ſæpeque putant aliquid ex conſcientia erronea eſſe peccatum, quod tamen peccatum non eſt. Et hi nimii ſcrupuli ſuggeruntur à dæmonibus, ut homines illaqueatos, & per conſcientiam erroneam peccantes trahant ad gehennan. Talibus autem ſcrupuloſis omninò ſuadendũ eſt, ut non confiteantur, niſi id quod certo cognoſcunt ſe perpetraſſe, & ut ſequantur ductum ſui confeſſarii diſcreti, non autem proprium ſuum judicium, cui ſcrupuloſi plerumque pertinaciter inhærere ſolent. Hanc autem ſcrupuloſam ſeu infirmam conſcientiam prohibet Apoſtolus 1. *Cor.* 8. dicens. Percutientes conſcientiam eorum infirmam in Chriſto.

Explicatur tertia pars. Quod aliqui habeant conſcientiam perturbatam. Et ſunt illi, qui propter peccata ſua deſperant. Contra quos S. *Bernardus ſermone* 62. *ſuper Cantica* dicit. Quid efficacius ad conſcientiæ vulnera ſananda, nec non ad purgandam aciem mentis; quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Idem melliſluus Doctor ait: Turbabor, ſed non perturbabor, quia Vulnerum Domini recordabor.

Explicatur quarta pars. Quod quidam habeant conſcientiam indiſcretam. Et ſunt illi, qui parva ponderant, ſed de magnis nihil

curant. Tales fuerunt Phariſæi decimantes mentam & rutam, & omne olus, econtra autem graviora legis prætermittebant *Matth.* 23. Tales etiam ſunt hypocritæ; de quibus prophetavit Apoſtolus *ad Timot.* 4. dicens: In nuviſſimis diebus venient quidam Hypocritæ loquentes mendacium, & cauteriatam habentes frontem. Tales etiam fuerunt Judæi, qui non fecerunt ſibi ſcrupulum, quod fecerint pactum cum Juda Iſcariota, de Chriſto eis tradendo, pro quo etiam ſolverunt maledicto Iſcariotæ 30. argenteos: poſtquam autem Chriſtus Dominus jam fuit crucifixus, & Juda ipſis reportavit iſtos 30. argenteos, fecerunt ſibi ſcrupulum ponendi eos ad corbonam; unde & dixerunt; Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Nos ergo fratres chariſſimi hanc quadruplicem malam conſcientiam deponentes, faciamus id, quod ſcribitur ad *Hebræos* 10. Accedamus cum vero corde, & in plenitudine fidei aſperſi corde à conſcientia mala.

LECTIO CXCII.

TEXTUS.

Illi autem qui in potentem venêre noctem, & ab infimis & ab altiſſimis ſupervenientem eundem ſomnum dormientes, aliquando monſtrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione. Subitaneus enim animæ illis timor ſupervenerat, & inſperatus.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtenditur, quod plaga Aegyptiis illata per tenebras palpabiles univerſaliter apud omnes durabat per tres dies: unde Aegyptii ſive dormiebant ſive vigilabant, nullum habuerunt ſolatium, ſed fuerunt ſemper in timore.

Dicit ergo ſic. *Illi autem* (id eſt Aegyptii) *qui in potentem venêre noctem*, (id eſt in illas palpabiles tenebras, adinſtar noctis ſe habentes) *ab infimis & ab altiſſimis ſupervenientem*, (id eſt, quæ nox ab infimis terræ vaporibus & ab altiſſimis cælis lumen negantibus provenit.) *Eundem ſomnum dormientes*, (id eſt eandem noctem obſcuram vel tenebras patientes,) *aliquando monſtrorum exagitabantur timore*; videlicet in ſomnis, ſicut ſæpè contingit hominibus dormientibus per horribiles viſiones. Dum autem erant in vigilia, *aliquando animæ deficiebant traductione* (id eſt ſucceſſiva mutatione de una imaginatione in aliam.) & in *deficiebant*, (id eſt affligebantur,) *ſic traductione animæ* (id eſt in variatione animæ per tot diverſas imaginationes & phantaſmata.) Vel *deficiebant in traductione animæ*; id eſt nocte per quam animæ traducuntur de vita ad mortem; vel de corpore ad infernum; vel forte de ſenſu ad inſaniam; quia forte Aegyptii fiebant dementes præ timore. Et hoc ideo, *quia ſubitaneus & inſperatus illis in dormitione timor ſupervenerat.* Et ideo magis ab afflictione hac improviſa & ſubitanea lædebantur. Circa illa verba, *Eundem ſomnum dormientes*,

Notandum eſt. Quod ſomnus in ſacra Scriptura deſignet peccatum, & dormiens peccatorem. De talibus dicitur *ad Rom.* 13. Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Et *ad Epheſ.* 5. Surge, qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. Pro quorum majori explicatione, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Utrum peccatum rectè comparetur ſomno propter ſomni cauſationem; ſomni interpretationem; ſenſuum ligationem; & Judicii deceptionem?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod peccatum rectè comparetur ſomno propter ſomni cauſationem. Cauſatur enim ſomnus de evaporatione ſtomachi ad cerebrum, de nutrimento enim quidam vapor aſcendit, qui ſuaviter cerebrum occupat, ſenſus ligat & ſomnum cauſat. Docet autem *Ariſtoteles lib. 1. de ſomno & vigilia*, quod homo habens grande caput & collum breve atque venas graciles, ſit facile ſomnolentus. Econtra autem animalia habentia parva capita & parum de cerebro parum dormiant, ſicut aves & animalia habentia cerebrum ſiccum. Sic etiam *moraliter loquendo*, ſi perſona habeat caput grande, collum breve, & venas graciles, facilè per delitias & pigritiam poterit fieri ſomnolenta. Caput grande eſt magna dignitas; collum breve eſt parva charitas (charitas enim eſt veluti collum in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, connectens Chriſtum tanquam caput Eccleſiæ ſuæ ſeu fidelibus, tanquam membris unius corporis Eccleſiæ) vena autem gracilis, eſt vas ſanguinis, ſanguis autem compaſſionem ad Chriſtum patientem ſignificat. Itaque ſæpè contingit quod habens magnam dignitatem; habeat ad Chriſtum parvam charitatem, & erga proximum exiguam pietatem, & ita facilè ſomnolentus eſſe poteſt. Huc facit illud *Iſaiæ* 14. Omnes Reges gentium dormierunt univerſi in gloria, vir in domo ſua.

In cujus rei figuram tres Reges reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, reverſi ſunt in regionem ſuam. *Matth.* 2. At vero pauperibus paſtoribus, apparuit Angelus *vigilantibus*, ſed Reges invenit oppreſſos ſomno. Et hoc modo etiam contigit iſto tempore, quod pauperes inveniantur utcumque vigilantes ad ea, quæ ſunt ſuæ ſalutis: ſed divites & magnates multi dormiunt in peccatis, qui certe ſic dormiendo regnum cœleſte non adipiſcentur; teſtante Pſalmiſtâ; Dormierunt inquit ſomnum ſuum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis.

Explicatur ſecunda pars. Quod peccatũ rectè comparetur ſomno propter ſomni interpretationem. Dicitur vulgariter, quod ſomnia debeant verti planè ad contrarium ſenſum: Sic

etiam

etiam, moraliter loquendo, ſomniantes de honoribus, dignitatibus, divitiis & delitiis in præſenti, ponuntur per contrarium in futuro ſæculo in pœnis doloribus & miſeriis. Econtra afflicti in iſto mundo multis tribulationibus & tædiis propter Deum, tandem in futuro ſæculo gaudio replebuntur. Et hoc eſt quod Chriſtus aſcenſurus in cælum dixit diſcipulis ſuis: Plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit; vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Econtra autem de mundanis dicitur. *Ioann.* 16. Gaudium mundanorum in triſtitiam vertetur. Item *Iob.* 2. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendent.

Explicatur tertia pars. Quod peccatum rectè comparetur ſomno propter ſenſuum ligationem: dormiens enim ſic habet ſenſus ligatos, ut de ſuis operationibus nihil exerceat, ſed eſt quaſi mortuus, ita ut ipſius actiones ſint actiones ſolum hominis, ſed non actus humani. Sic etiam dormiens per conſuetudinem malæ vitæ in peccato mortali eſt veluti mortuus, quia caret charitate, quæ eſt vita animæ; & ideo nihil agit meritorium vitæ animæ, unde de talibus peccatoribus orantibus cum affectu peccati mortalis verificatur illud Prophetæ: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

Explicatur quarta pars. Quòd peccatum rectè comparetur ſomno propter deceptionem judicii de ſomnis habitis. Nam ſomnians quandoque judicat ſe eſſe in magnis feſtis collocatum inter Reges & Principes, & quando evigilat, reperit ſe forte in carcere compeditum. Eodem modo dormientes in peccatis falſum habent judicium, dum vel putant ſe adhuc diu victuros in delitiis, & ſtatim repentè moriuntur; vel dum putant ſe ſpatium pœnitentiæ reperturos in fine vitæ, quam tamen Deus ſæpè denegat ob ſcelera præcedentia. Undè Dominus Deus per os Prophetæ dicit; Pulſavi & non aperuiſtis, vocavi & renuiſtis venire, ego quoque ridebo in interitu veſtro. Et de quolibet tali peccatore dormiente dici poteſt illud *Eccleſ.* 40. Somnus noctis immutavit ſcientiam.

LECTIO CXCIII.

TEXTUS.

Deinde ſi quis ex illis decidiſſet, cuſtodiebatur in carcere ſine ferro recluſus. Si etiam ruſticus quis erat, aut paſtor, aut agri laborum operarius præoccupatus eſſet, ineffugabilem ſuſtinebat neceſſitatem: Unâ enim catenâ tenebrarum omnes erant colligati.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione oſtendit Salomon, quod pœna illa tenebrarum fuerit univerſalis reſpectu omnium Aegyptiorum.

Dicit ergo. *Deinde ſi quis ex illis*: id eſt Aegyptiis, præcipuè ex operariis, qui foris erant in agris *decidiſſet* (forte in foveam) *cuſtodiebatur* ibi per tenebras, *quaſi in carcere recluſus ſine ferro. Unde ſi fuit ruſticus, aut paſtor ovium, vel porcorum, aut vaccarum, aut etiam aliquis operarius* (qui in agro aliquid laborabant, plantando, colligendo, vel triturando;) *Si quis itaquam horum præoccupatus*, aut præventus fuit foris per tempeſtatem illarum tenebrarum, *ineffugabilem*, (id eſt inevitabilem) *ſuſtinebat neceſſitatem. Unâ enim catenâ tenebrarum* (id eſt conſimili catenâ tenebrarum;) *omnes erant colligati.* Circa illa verba, *Cuſtodiebatur in carcere*, ſit.

ARTICULUS UNICUS.

An juxta Scripturam ſacram, detur carcer corporalis coarctationis, conſuetudinalis oppreſſionis; medicinalis expurgationis; & infernalis condemnationis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod detur Carcer corporalis coarctationis. De quo Apoſtolus *ad Philipp.* 1. *ait* Coarctor enim de duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Eſt ergo anima noſtra poſt lapſum primi parentis in corpore rebelli veluti in carcere.

Licet autem anima, quæ ſecundum ſe libera eſt, debeat providere corpori tanquam ſuæ comparti de neceſſariis pro vita ſuſtentanda, non tamen de ſuperfluis; multo minus animam voluptatibus & delitiis carnis conſentire debet (ut inquit Plato,) de hoc carcere educi poſtulavit *Pſalmiſta* dicens: Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Ubi gloſſa dicit. Corpus quidem carcer eſt, non ubique ſecundum illud, quod Deus fecit bonum, ſed ſecundum quod corrumpit & aggravat animam, puta corruptione illius hominis, qui venit ex peccato. Et infra ſubdit Gloſſa: Hoc ergo corpus animæ carcer eſt propter corruptionem, in futuro autem erit domus propter corruptionem & libertatem.

Explicatur ſecunda pars. Quod detur Carcer conſuetudinalis oppreſſionis: nam peccatis & perverſis moribus ductis in conſuetudinem, homo quodammodo violenter in malitia detinetur. Et ideo dicit *Ariſtoteles* 2. *Ethic. cap.* 1. Quod habitus mali, poſtquam ſunt generati, non ſubjacent voluntati, taliter nimirum, quaſi ſtatim & abſque difficultate tolli poſſint. Undè rectè S *Greg.* 2. *Moral. dicit.* Sæpè nonnulli exire à pravis actibus cupiunt, ſed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt conſuetudo namque mala mirabiliter nocet, quia juventutem allicit & invadit, ut patet in Alexandro Magno, qui in moribus & in inceſſu vitiis carere non potuit, quibus imbutus fuerat à juventute.

Item mala conſuetudo ſenectutem conſtringit; quia ut ait *S. Gregorius lib.15. Moral.* Senectutis pravæ conſuetudinea, quas ſemel receperunt, quotidie duriores exiſtunt, & non niſi peccatoris vitâ conſumuntur. Præterea mala conſuetudo affectum fallit: quia ut ait S. *Auguſtinus, 7. ſoliloquiorum.* Conſuetudo vitium in naturam convertit, animuſque in ſceletibus conſtrictus, vix avelli poteſt ab eis.

Denique etiam mala conſuetudo ſubvertit rectum judicium rationis de delictis. Undè *S. Auguſtinus in Enchiridion cap 2.* ait. Peccata quamvis magna & horrenda, poſtquam in conſuetudinem venerunt, aut parva aut nulla eſſe creduntur; uſque adeo, ut non ſolum non occultanda ſed etiam prædicanda eſſe videantur, juxta illud *Iſaia 3.* Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt; quoniam ſicut ſcriptum eſt; Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua egerit, benedicitur. Talis iniquitas in divinis libris vocatur clamor, ſicut apud *Iſaiam habetur cap. 5.* de vinea mala. Exſpectavi, inquit ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem; & non juſtitiam ſed clamorem; ut eſt illud *Gen.* 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt coram me, eo quod peccatum ſuum in conſuetudinem perverſam traxerint. Hæc. *S. Auguſtinus.*

De illis ergo miſeris hominibus, qui mala conſuetudine peccandi ſunt irretiti, nec tamen poſſunt evadere, verificatur illud *Iſaia 42.* In domibus carcerum abſconditi ſunt, & *Apoc 2.* Ecce Diabolus eſt miſſurus ex vobis aliquos in carcerem, ut tentemini.

Explicatur tertia pars. Quod detur Carcer medicinalis expurgationis nimirum in purgatorio. Sicut enim ſæpè fit, quod homines propter debita conjiciantur in carcerem, donec ſolvant vel ſatis luant: ita animæ piorum defunctorum propter quædam levia peccata manent Deo debitorea, & mittuntur in carcerem purgatorii, ubi ſatis pati debent, & purgari tanquam aurum puriſſimum antequam veniant ad cælum. & hos incarceratos in purgatorio juvare Miſſis, precibus, Eleemoſinis & aliis bonis operibus eſt valdè meritorium & laudabile, ipſique, poſtquam liberati ad cœlum venerint, plurimum etiam rogabunt pro nobis Dominum Deum. Huc facit illud *Eccleſ.* 4. ubi dicitur: De carcere catenisque interdum egreditur quia ad regnum. Iſti pauperculi in purgatorio detenti ſeipſos juvare non poſſunt, & manus ad nos ſupplices attollunt, & quivis lamentabiliter clamat illud Jobi; Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Et iterum illud *Gen.* 40. Facias mecum miſericordiam, ut ſuggeras, non quidem Pharaoni, ſed Domino Deo, ut educat me de iſto carcere purgatorii. Exempla habentur quamplurima, quantum profuerit oratio pro talibus fuſa, & quam gratos ſeſe exhibuerint ii, qui precibus aliorum à flamma purgatorii ſunt liberati.

Explicatur quarta pars. Quod detur Carcer infernalis condemnationis, qui eſt peſſimus, & ex quo nulla eſt redemptio. In hoc carcere nullus alleviatur, nullus fugit, nullus liberatur, & nullus morte terminatur ſeu conſumitur. De hoc carcere dicitur *Matth.* 22. Ligatis manibus & pedibus mittite eum in carcerem.

Ad propoſitum noſtrum *Iacobus Ravanenſis* in quodā ſermone dicit, quod Deus pro hominibus habeat palatium, ſtabulum, hoſpitale, & carcerem. In palatio nempè, in Cœlo ponuntur ſoli boni; in ſtabulo hujus mundi ponuntur boni & mali; in hoſpitali purgatorii ponuntur quidam infirmi, & ſanantur à quibusdam levioribus infirmitatibus; in carcere autem infernali, ubi erit continuus fletus & ſtridor dentium, ponuntur ſoli mali. Porro palatium paradiſi tale quis ibi inveniet, quale hic ſibi per bona opera ædificat. ædificatur autem palatium illud de puro auro dilectionis Dei, & de auro dilectionis proximi, & de lapidibus pretioſis bonorum operum, juxta illud 1. *Cor.* 3. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, vel lapides pretioſos.

Stabulum eſt mundus, in quo tanquam in ſtabulo homo poſitus fuit, poſtquam peccavit; juxta illud *Pſalmiſta*; Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Et ideò ad liberandum hominem Salvator noſter naſci voluit in ſtabulo. Væ autem hominibus, qui ſtabulum hujus mundi præponunt palatio regni cœleſtis, & fætorem ſtabuli odoribus paradiſi.

Denique hoſpitale Dei eſt purgatorium, in quo (ut dictum eſt;) ponuntur infirmi, ut ſanentur. Et de iſto carcere ſcribitur *Iſaia* 24. de malis puta minoribus: Congregabuntur in congregatione unius faſcis ad lacum: & includentur in carcere.

LECTIO CXCIV.

TEXTUS.

Sive ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos avium ſonus ſuavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarū petrarum, aut ludentium animalium curſus inviſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo, deficientes faciebant iſtos præ timore.

EXPLICATIO TEXTUS.

Poſtquam declaravit Salomon, quod pœna timoris tempore tenebrarum fuerit univerſalis tam ex parte perſonarum, quam ex parte temporis, dum nimirum duravit per tres dies; nunc declarat, quod etiam fuerit univerſalis ex parte cauſarum timoris, & ponuntur timoris Ægyptiorum ſeptem cauſæ, quæ quidem ex natura ſua non cauſabant timorem, ſed hoc ſolum factum eſt ex conditione Ægyptiorum tunc temporis exiſtentium in tenebris; fit enim ſæpè, quod ea quæ bonis præſtant ſolatium, aliis ſibi malè conſciis, præſtent timorem.

Dicit ergo *Spiritus ſibilans*, qui Sibilus parit faſtidium in auribus, ut patet in magnis domibus, ubi ſibilus venti tranſit per rimas quaſcunque, & facit hominibus grande faſtidium.

Aut inter ſpiſſos ramos arborum avium ſonus ſuavis; quem tamen AEgyptii apprehenderunt eſſe terribilem; quia putabant illum ignotum ſonum avium eſſe deceptorium, ſicut cantus Sybillarum deceptorius eſt, faciens homines dormire, ut poſtea occidere eos valeant. Deinde etiam ipſamet ſpiſſitudo ramorum arborum crudelis eſt: quia ordinarie ſignificat crudelis negotii aut ferocis beſtiæ abſconſionem.

Aut vis (id eſt impetus) *aquæ decurrentis nimium* id eſt decurrentis in magna copia, vel nimium decurrentis à ſublimi in profundum) *aut ſonus validus præcipitatarum petrarum* (id eſt fragor quidam aquarum ſeſe ad petras intermedias collidentium.)

Aut ludentium animalium curſus inviſus: & ideo timebunt Ægyptii à talibus animalibus conculcari, vel diſcerpi. Et ideo ſubditur, *aut mugientium valida beſtiarum vox*; quæ certè magnum timorem incutit, nam Leo rugiet, quis non pavebit?

Aut reſonans de altiſſimis montibus Echo; qui etiam in auribus maximè tempore nocturno, & quando neſcitur undè proveniat, timorem cauſat, Unde etiam ſubditur: *deficientes* (id eſt debiles) *faciebat iſtos* (nempe Ægyptios) *præ timore.* Quamvis autem hic non fiat ſermo de timore, moraliter bono, ſed tantum de timore, qui eſt pœna, nihilominus pro explicando timore laudabili & moraliter bono, occaſione illorum verborum, *Præ timore*, Sit

ARTICVLVS VNICVS.

An bonus timor cauſet in bona perſona de futuris providentiam & circumſpectionem; contritionem & pœnitentiam de præteritis; diſcretionem & diligentiam in agendis; & bonam aggreſſionem atque confidentiam in periculis?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod bonus timor cauſet in bona perſona de futuris providentiam & circumſpectionem. Unde virtuoſi & timentes Deum prævident & provident ſibi de his, quæ ad ſalutem ſuam pertinent. Hujus exemplum habemus *Ioſue 9. in Gabaonitis*, qui timentes à facie filiorum Iſrael, eos cauti prævenerunt; poſtea autem requiſiti de fraude, reſponderunt; Timuimus valdè, & providimus, animabus noſtris terrore veſtro compulſi. Similiter viri ſancti multa conſiderant ſibi pericloſa futura in hac vita; & ideo cum omni diligentia provident animabus ſuis. Rectè proinde dixit *Epimeniades Philoſophus*: Beata civitas, quæ tempore pacis bellum timet. In vitis ſanctorum Patrum *lib. 2. p. 3.* legitur: quod Abbas Elias dixerit; tria timeo, *Primò*, quomodo anima mea egreſſura ſit de corpore; *Secundò*, quomodo ſim Iudici occurſurus. *Tertiò*, quomodo de me erit proferenda ſententia.

Solinus de mirabilibus mundi *cap. 2.* refert. Quod ſubinde timor faciat hominem mutum loqui. Unde cum Rex Cyrus intraſſet Sardis Aſiæ oppidum, ubi tunc latebat Cræſus filius Achia Regis mutus uſque ad illud tempus, tandem metu timoris exclamavit & dixit. Parce Patri meo Cyre, & hominem te diſce. Sic etiam peccator ſaltem metu judicii divini, ſi mutus antea fuerat, in vocem confeſſionis peccatorum ſuorum erumpat; juxta illud *Tobiæ 13.* Cum timore & tremore confitemini illi, Regemque ſæculorum exaltate in operibus veſtris.

Explicatur 2. pars. Quod Timor virtuoſus cauſet in homine de præteritis pœnitentiam & contritionem. Eſt enim Teriaca, quæ expellit venenum. Sicut enim Teriaca de *Tyro* Serpente efficitur. & eſt nihilominus antidotum contra venenum; ita timor oritur de peccatis, & tamen peccata expellit.

Explicatur 3. pars. Quod Timor bonus cauſet in agendis diligentiam & diſcretionem. Unde *Eccl. 7.* dicitur. Qui timet Deum nihil negligit, ſed diu noctuque laborat, ne quis vel de minima negligentia apud ſuperiores accuſatus pœnam ſubire cogatur, vel ne mercedem ac præmium labori correſpondens amittat.

Explicatur 4. pars. Quod bonus Timor cauſet homini periclitandi confidentiam & aggreſſionem. Multi enim putantur eſſe debiles, qui tamen, dum ſunt in timore magna quædam & fortia faciunt. Undè *S. Gregorius 5. Moral.* ait: In via Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur. Nam ſicut in via ſæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem facit. Et ſicut in via ſæculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem operatur. Undè *Proverb. 14.* dicitur. In timore Domini fiducia fortitudinis.

LECTIO CXCV.

TEXTVS.

Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur: ſolis autem illis ſuppoſita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura erat illis. Ipſi autem ſibi graviores erant tenebris.

EXPLICATIO TEXTVS.

Hic oſtendit Salomon, quomodo tenebræ afflixerint ſolos ægyptios ſine aliorum perturbatione, & dum alii habuerunt lucem abundantiſſimam. Dicit ergo. *Omnis enim orbis terrarum* (ſubintellige exceptâ ſolum illa parte, ubi Aegyptii habitabant) *limpido illuminabantur lumine* (id eſt omnes homines præter Aegyptios habuerunt clariſſimum lumen ad quævis opera facienda (Et hoc eſt, quod ſubditur in textu; *Et non impeditis operibus continebatur*: puta lux. Unde *Exodi 10.* dicitur. Vbicunque erant filii Iſrael, lux erat, *Solis autem illis* (id eſt Aegyptis) *ſuppoſita erat gravis nox*; id eſt data ipſis fuit nebuloſa & palpabilis tenebrarum obſcuritas. Seu data fuit ipſis talis nox.

quæ fuit figura, ſignum, *ſeu imago tenebrarum* infernalium. *Quæ ſuperventura erat illis:* id eſt in inferno futura.

Ipſi igitur graviora ſibi erant tenebris: puta propter malam ſuam conſcientiam, ad quam puniendam hæ denſæ tenebræ ipſis immiſſæ ſunt. Circa illa verba, *Erat gravis illis nox, imago tenebrarum*, Sit

ARTICVLVS PRIMVS.

An peccata, moraliter loquendo ſicut tenebræ naturales, cauſent errorem ſeu deceptionem; terrorem & ſtupefactionem; languorem ſeu deſolationem, & torporem ſive dormitionem?

Dico quòd ſic.

Explicatur prima pars. Quod ſicut tenebræ naturales ſunt cauſa erroris, ita etiam peccata ſint cauſa erroris. Nam qui ambulant de nocte, faciliter cadunt; & ideo *Ioan. 12.* dicitur: Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadit. Et generaliter loquendo nullus operarius vel artifex in tenebris poteſt ire ad artem ſuam ſine erroris periculo. Unde *Martialis lib. 5. Epigrammatum* refert, quod pictor aliquis ab aliquo inſolenti ſocio vexatus & interrogatus fuerit, quare pingat pulcherrimas imagines, & à contra generet turpiſſimas proles? Pictor reſpondit hoc exinde provenire, quia pingit in luce, & generat in tenebris. Unde Martialis habet hos verſus.

> *Baba bonus pictor homines pinxiſſe decoros*
> *Fertur & abſurdos progenuiſſe duos.*
> *Nec mirum eſt, inquit, prudens ſine crimine Baba*
> *Pingo die clarâ, nocte viros facio.*

Tenebras autem ſpecialiter amant, qui malè operantur. Unde ſolet dici: malè agit, qui odit lucem. Sic etiam de nocte magis ceſſat verecundia peccandi, fiuntque plerumque peiora peccata in tenebris, ſeu de nocte, quam de die vel in luce. Sic de nocte *Loth* cum filiabus ſuis commiſit inceſtum. *Gen. 19.* Sic quoque de nocte *Myrrha* patri ſe ſuppoſuit, propter inceſtum à quo imprægnata & poſtea in arborem ſui nominis mutata eſt, ut dicit *Ovidius lib. 10. Metamorph.* Sic etiam de nocte dum tenebræ eſſent, Judæi cœperunt Chriſtum; Unde *Lucæ 22.* dicitur: Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum. In tenebris Troja capta fuit prodentibus eam Ulixe, Antenora, & Aenea; ut narrat Dares in hiſtoria Trojana prope finem. Huc etiam facit illud *Iob. 24.* Perfoderunt in tenebris domos, ſicut in die condixerunt ſibi.

Sicut autem tenebræ ſunt occaſiones erroris & peccatorum, ita etiam conſuetudo jacendi in peccatis aufert homini lumen bonæ diſcretionis & inducit eum in omne genus peccati; unde de talibus in *Pſalmo* dicitur: Neſcierunt neque intellexerunt, qui in tenebris ambulant. Et ideo dicit *S. Auguſtinus* de ſentent. Proſp. *cap. 305.* Tenebræ interiores metuendæ ſunt morum non oculorum: & ſi oculorum, non exteriorum, unde diſcernitur non album & nigrum, ſed juſtum & injuſtum. Et ideo ſignanter dicitur *1. Theſſ. 5.* Omnes vos filii lucis eſtis, & filii Dei, non noctis, neque tenebrarum.

Fingunt Poëtæ (ut refert *Claudianus lib. 5.*) quod omnes peſtes infernales quæ ſunt apud inferos vitia & ſupplicia, natæ fuerint de nocte ab Acheronte. Eſt autem Acheron fluvius infernalis, ſic dictus ab *á*, quod eſt ſine, & cheron, quod eſt ſalvatio, & ideo Acheron idem valet ac *ſine ſalvatione*. Eodem modo *moraliter* omnia vitia, omneſque peſtes infernales, fuerunt de nocte generatæ, inter Diabolum & & Evam primam Matrem noſtram; quæ merito Acheronta dici poteſt, quia ſine gaudio & ſine ſalvatione ex meritis propriis exiſtens. Unde peccans Eva licet finaliter fuerit ſalvata, poſt peccatum tamen non ſtatim ſalvata, ſed maledicta fuit à Deo. *Gen. 3.* Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos. Sub hujus ergo maledictionis diſpendio manſit totum genus humanum, donec illa venit glorioſiſſima Virgo, propter quam hoc nomen *Eva*, retrogradè mutatum eſt in *Ave*; dicente Angelo ad eam: Ave gratia plena, *Lucæ 1.* Et veteris teſtamenti tenebræ in Evangelium atque lucem converſæ ſunt: quando ortum eſt in tenebris lumen rectis corde. De hoc autem verbulo *Ave*, plura dicentur articulo ſequenti.

Explicatur 2. pars. Quod tenebræ & peccatum ſint cauſa horroris & ſtupefactionis. Unde *Iſaiæ 21.* dicitur: Tenebræ ſtupefecerunt me. *Et Gen. 15.* Horror magnus, & tenebroſus invaſit Abraham. Sic etiam peccata reddunt hominem timidum, & ſtupidum, dictante conſcientiâ propria ſe fore puniendum à Deo. Sicut enim in tenebris magis potentes ſunt Dæmones, & latrones audaciores: ita ſuper peccatores plus poſſunt Dæmones, quam ſuper juſtos. Unde Chriſtianitate creſcente per orbem, & ita multiplicatis juſtis hominibus, pro majori parte ceſſaverunt illuſiones Dæmonum.

Explicatur 3. pars. Quod ſicut tenebræ ita etiam peccata ſint cauſa languoris & deſolationis. Omnis enim infirmitas plus de nocte, quam de die affligit infirmum, & magis patiuntur in tenebris quàm in luce. Unde *Tobiæ 5.* volens Tobias explicare ſuum languorem ait: Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?

Dixerunt aliqui antiqui, quod mediante quadam luce cœleſti anima intellectiva corpori jungatur, & quod omnis ſenſus operetur quadam luce mediante. Et *Ariſtoteles 3. de anima* dicit, Quod intellectus ſit ſicut lumen. Et *S. Auguſtinus* in diverſis locis aſſerit: quod veritas non videatur, niſi in quadam luce ſui generis. Sicut ergo in luce eſt vita hominis, ſalus & ſolatium, ita in tenebris eſt deſolatio & languor. Sicut autem gratia eſt lux animæ, ita abſentia gratiæ, tenebræ ſunt, quæ hominem peccatorem ſæpe in deſolationem tantam præcipitant, ut prorſus languendo deſperet. De tali peccatore dicitur *Eccl. 5.* Cunctis diebus vitæ ſuæ comedet in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, & in triſtitia.

Expli-

Explicatur 4. pars. Quod ſicut tenebræ, ita etiam peccata cauſent torporem & dormitionem. Nam abſentia gratiæ reddit potentias ſenſitivas vinctas & ligatas, ita ut nihil boni poſſit homo, & vitæ æternæ meritorium operari. Huc facit illud 1. *Reg.* 2. Impii in tenebris conticeſſent, quia non in fortitudine ſua roborabitur vir. Quorum verborum ſenſus eſt; quod naturalia hominis non ſufficiant ad vitam æternam promerendam ſine gratia cooperante.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum hoc verbum *Ave*, myſticè ſanctiſſimam Trinitatem deſignet.

Dico quod hoc verbum *Ave* myſticè unitatem eſſentiæ divinæ, & tres illius vocales, tres perſonas divinas nempè Patrem & Filium & Spiritum ſanctum deſignent.

Explicatur 1. *pars.* Quod hoc verbum *Ave* myſticè deſignet unitatem eſſentiæ divinæ. Nam ly *Ave* in ſua pronuntiatione, ut una dictio pronunciatur: & ideo per eam deſignatur unica & eadem eſſentia divina; unde & omnes perſonæ divinæ per modum unius, unica ſalutatione per Angelum facta, beatiſſimam Virginem ſalutarunt. *Ave* gratia plena Dominus tecum, Hæc pars magis patebit ex explicatione partis ſecundæ.

Explicatur 2. *pars.* Quod per primam vocalem *A.* ſignificetur Pater æternus, tanquam prima Perſona in ſanctiſſima Trinitate. Poteſt autem iſte terminus *Pater* dupliciter accipi; ſemel *eſſentialiter*, prout eſt aliquid commune toti ſanctiſſimæ Trinitati, & ita accipitur *Matth.* 6. Ubi in oratione Dominica jubemur dicere, Pater noſter, qui es in cœlis. Secundò accipitur ly *Pater notionaliter* pro illa Perſona quæ generat Filium in divinis; & ſic accipitur *Joannis* 10. ubi dicitur: Ego & Pater unum ſumus. Sic etiam *ly A.* dupliciter accipitur; uno modo *eſſentialiter*, ita ut ſupponat pro quavis perſona: & ita videtur accipi à *Ieremia Propheta* 1. *cap.* 1. Ubi dicit: *A. A. A.* Domine Deus Ubi per hoc quod *A.* Tripliciter repetit, ſignificatur Trinitas Perſonarum: per hoc autem, quod ſubjungit *Domine Deus*, ſignificatur eſſentiæ unitas. Unde etiam Deus ipſe vocatur *A Apocalypſis* 1. Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis. Secundò *ly A* accipitur *notionaliter*, ita ut ſolum ſupponat pro perſona Patris; & ita accipitur *Joan.* 16: Exivi à Patre & veni in hunc mundum. Unde canit Eccleſia: à Patre unigenitus, ad nos venit per Virginem, Baptiſma cruce conſecrans, cunctos fideles generans.

Explicatur 3. *pars.* Quod per ſecundam vocalem *V* deſignetur unius Verbi divini veritas. porro *ly V* quandoque eſt *vocalis*, quandoque *conſonans*, quandoque nota numeralis numerum quinarium ſignificans. Itaque *ly V* dicitur vocalis, quia per ſe vocem efficit & ſe ſolâ poteſt pronuntiari; ly autem *V* conſonans tunc eſt, quando ſimul cum alio ſonat, ut patet in ly *veritas, voluntas*, &c. ubi *V* non pronuntiatur ſolum: ſed unà cum alteri vocali adjuncta.

Sic etiam Verbum divinum ante Incarnationem fuit quaſi vocalis; quando nimirum habuit tantum unius naturæ divinæ ſonum: juxta illud *Joan* 1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Idem autem Verbum factum eſt *Conſonans* in Incarnatione, quaſi cum alio ſonans; quando nempe Perſona Verbi aſſumpſit naturam humanam: juxta illud *Joan.* 1. Verbum caro factum eſt. Hoc autem factum eſt per Verbum *Ave.* Et ideo *V* in hoc verbulo *Ave* non manet vocalis, ſed *conſonans*. *Tertiò* ly *V* in Verbo divino Incarnato factum eſt nota numeralis; & numerus quinarius in paſſione Dominica denotans quinque vulnera Chriſti Domini crucifixi. Patet ergo, quomodo per hanc vocalem *V.* deſignetur unius Verbi veritas.

Explicatur 4. *pars.* Quod per tertiam vocalem E ſignificetur æternæ emanationis extremitas, nimirum Spiritus ſanctus; qui eſt ultima perſona originaliter, id eſt emanando: ſicut E in hoc verbo *Ave*, eſt ultima in ſonando. Pro quo

Sciendum eſt. Quod in hoc verbulo *Ave*, prima vocalis *A* ſtet pro ſe; aliæ autem duæ vocales nempe *V & E* ad invicem ſillabizantur: & per hoc denotatur modus originis & emanationis divinarum Perſonarum. Nam, quia Pater eſt *à ſe*, & à nullo alio, ideo per ſe ſillabizatur. *V* autem & E ſimul ſillabizantur; quia utraque ab alia perſona procedit; cum hac tamen differentia, quod Verbum divinum à ſolo Patre generetur, Spiritus ſanctus autem à Patre & Filio ſimul ſpirantibus procedat.

Sciendum ſecundò. Quod iſta tantum vocalis E propriè formetur in gutture, nam *A* formatur in pectore, *I* in faucibus, O in dentibus, & *V* in labiis. Et quia E formatur in gutture, benè deſignat Spiritum ſanctum, de quo canit Eccleſia: Tu ritè promiſſum Patris, ſermone ditans guttura. Per guttur enim ſpiritus vitalis emittitur. Et ſic à Patre cœleſti ab Eccleſia petitur: Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.

Patet ergo ex dictis, quomodo hoc verbum *Ave*, quia una dictione pronuntiatur, ſignificet eſſentiæ divinæ unitatem: quia autem *ly Ave* ex tribus vocalibus componitur, ſignificat perſonarum divinarum Trinitatem.

* * * *
* * *
* *

CAPITULUM DECIMVM OCTAVVM LECTIO CXCVI.

TEXTVS.

Sanctis autem tuis maxima erat lux; & horum quidem vocem audiebant, ſed & figuram non videbant: Et quia ipſi non per eadem paſſi erant, magnificabant te: & qui ante læſi erant, quia non lædebantur, gratias agebant tibi: & ut eſſet differentia, te Deum petebant.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam Salomon declaravit, quomodo Ægyptii afflicti ſint per tenebras nunc ecōtra oſtendit, quomodo Hebræi, ſeu filii Iſrael habuerint beneficium lucis in eadem Aegypto exiſtentes. Et circa hoc duo facit. Nam *primo* commemorat beneficium lucis collatum Hebræis in Aegypto: *ſecundò* declarat beneficium lucis collatum Hebræis in deſerto.

Dicit ergo. *Sanctis autem tuis* (id eſt, Hebræis tunc in Aegypto exiſtentibus) *maxima* id eſt copioſa & abundans *erat lux.* Quia autem lucis carentia apud Aegyptios impedivit viſum, ſed non auditum; ideo ſubditur in textu: *Et horum* (nempe Hebræorum) *vocem quidem audiebant ſed figuram corporalem non videbant* (propter nimirum denſitatem tenebrarum, quæ omnium claram viſionem impediebant) licet enim exiſtentes in tenebris communibus & ordinariis, poſſint alios exiſtentes in lumine videre (ut patet experientiâ) quia tamen apud Aegyptios fuerunt tenebræ extraordinariæ, nimis denſæ & palpabiles, ideo ad eoſdem Aegyptios lux pervenire non potuit, in qua fuerunt filii Iſrael: nec potuit iſta lux penetrare uſque ad Aegyptios propter aeris vel vaporis denſitatem, quam patiebantur Aegyptii.

Et quia non ipſi (puta Hebræi, ſed ſoli Aegyptii) *hæc paſſi ſunt, magnificabant te*, canentes illud canticum: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt *Exodi 15.*

Et qui antea læſi erant (id eſt Iſraelitæ, qui antea læſi erant propter ſervitium Pharaonis, ab aliis autem plagis non lædebantur, ut dicitur Exodi 1.) *gratias agebant tibi.*

Et quia Deus differenter afflixit Aegyptios, & alio modo tractavit Iſraelitas; ideo ſubditur in textu: *Et ut eſſet differentia, te Deum petebant*; id eſt te Dominum Deum Iſraelitæ deprecabantur, ne eos tali modo affligeres Sicut afflixiſti Aegyptios. Circa illa verba, *Gratias agebant.* Sit

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Gratiarum actio ſit operatio Beatorum; perceptorum augmentatio; Divinitatis proteſtatio; & noſtræ neceſſitatis demonſtratio.

DIco quòd ſic.

Explicatur prima pars. Quod Gratiarum actio ſit propria operatio Beatorum. Hi enim ad nihil aliud vocantur niſi ad Deum laudandum, & ei de collatis beneficiis regratiandum. Et ideo illud artificium bonum eſt maturè addiſcere, de quo nos oportet perpetuo vivere, unde ſicut illi, qui ad curiam Regis debent venire, debent maturè conditiones vel ſtatum, & modum illius Curiæ addiſcere: ita etiam convenit quod in hac vita gratiarum actionem addiſcamus, ut ſciamus qualiter nos in patria debeamus habere. Huc pertinet illud *Iſaiæ 51.* ubi dicitur; Gaudium & lætitia invenitur in ea, gratiarum actio, & vox laudabilis.

Explicatur 2. pars. Quod devota gratiarum actio ſit perceptorum augmentatio; nam tunc Deum provocamus ad danda majora, ſi ipſi gratias referamus de bonis ſuis, jam antea nobis collatis. Unde S. *Bernardus ait.* Ad locum, unde exeunt flumina gratiarum, revertuntur, ut iterum fluant. Notum eſt; quod agricola illam terram diligentius colat & ſeminet, quæ fructum uberius reddit, & quanto terra eſt fœcundior, tanto meliori ſemine ſeminatur. Sic etiam *moraliter loquendo* homo eſt quaſi ager Dei (juxta illud 1. *Corinth.* 3. Dei agricultura eſtis) ipſe autem Deus eſt ſicut agricola (juxta illud *Ioan.* 15. Pater meus agricola eſt) quanto ergo majorem fructum Deo homo per gratiarum actionem rependit, tanto libentius Deus homini dona ſua tribuit. Et ideo optimus modus aliquid à Deo impetrandi eſt, Deo gratias agere pro jam receptis. Econtra autem qui gratias non agunt pro receptis, merentur puniri, & privati jam habitis. Unde dicit *S. Auguſtin.* quod Deus dedit gratis, tollit ingratis. Exemplū habemus in *Ezechia Iſaia* 38. qui punitus fuit propter ſuam ingratitudinem. Cum enim ei Dominus dediſſet magnum triumphum per hoc quod in caſtris Sennacherib centum & octuaginta quinque millia cæſa ſint: licet inquam Ezechias propter hanc victoriam (ut dicit Joſephus) hoſtias cum populo Deo immolaverit, non tamen condignè gratias egit, nec Canticum illud, quod Patres antiqui ob partam victoriam canere ſolebant, cantavit.

Explicatur 3 pars. Quod Gratiarum actio ſit quædam divinæ Majeſtatis proteſtatio. In hoc enim quod Deo propter accepta beneficia regratiemur, profitemur ipſum eſſe Dominum noſtrum & Capitaneum. In cujus rei figuram adeps ſoli Deo offerri debuit (juxta illud *Levitici* 3.) Omnis adeps Domini eſt jure perpetuo. Unde etiam Chriſtus Dominus volens de quinque panibus feſtum ſolemne facere, & paſcere quinque millia hominum, gratias agens, dedit diſcipulis; puta ut apponerent turbæ. *Marci* 8.

Explicatur 4. pars. Quod Gratiarum actio ſit noſtræ neceſſitatis demonſtratio, qui enim regratiatur, ſuam neceſſitatem proteſtatur. Sed hæc eſt ratio moralis, quare decimæ inſtitutæ fuerint, & Deo ſimpliciter dedicatæ. Eſt enim numerus decenarius ſen decem limes & perfectio numerorum; & ideo dnm nobis novem retinemus, & Deo decimum damus, fatemur,

fatemur, nobis ineſſe imperfectionem & omnem perfectionem ſoli Deo attribuimus. Eodem modo, dum Deo gratias agimus de receptis, profitemur, quod nihil poſſideamus, niſi illud, quod venit ex ejus munere & largitate.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Deo gratias agere debeamus propter beneficium creationis, redemptionis, exſpectationis, juſtificationis, conſervationis, & præmiationis.

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Deo debeamus gratias agere propter beneficium Creationis. De hoc loquens *S. Bernardus* in quodam ſermone ſic ait: Conſidera Deum in beneficio creationis; qui creavit te ſine commodo ſuo (quia bonorum noſtrorum non indiget) ſine merito tuo, quia nihil ante promeruit, qui penitus nihil fuit. Cogita qualem te fecit ſecundum corpus, egregiam creaturam; ſecundum animam vero magis egregiam, utpote ad ſimilitudinem Dei formatam, rationis participem, & beatitudinis ſempiternæ capacem. Conſidera largitatis adminiſtrationem, quanta tibi largitus eſt ad ſuſtentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad conſolationem, & delectationem.

Explicatur 2. pars. Quod Deo gratias agere debeamus pro opere Redemptionis. De quo loquens idem mellifluus Doctor in alio ſermone ait: O bone *Jeſu* quid tibi & morti? Nos debuimus, & tu ſolviſti; nos peccavimus, & tu luis. O pietas grandis! opus ſine exemplo, gratia ſine merito, & charitas ſine modo.

Explicatur 3. pars. Quod debeamus Deo gratias agere de beneficio Exſpectationis: dum nos peccatores exſpectat, ut ad ipſum convertamur. Certe quoties peccator peccat mortaliter, & non ſtatim rapitur morte ſubitanea ad gehennam, ſed relinquitur in vivis: Deo gratias referre debet pro ſpatio pœnitentiæ ſibi conceſſo.

Refert *Caſſiodorus* de opere variorum; quod ſi Elephas ſemi ſuccisæ arbori ſe inclinet, & ita cadat, ſurgere non poſſit: ſi autem aliquis homo ipſum elevet ab iſto lapſu, in tantum eidem regratiatur, ut ejus nutum in omnibus ſequatur. Si ergo talis beſtia homini ſit adeo grata, qui ipſam à lapſu erexit; quanto magis nos debemus gratias agere Domino Deo, qui nos à lapſu originali clementiſſimè erexit, & toties lapſos in millena peccata mortalia, non ſtatim condemnavit, ſed ingens pœnitentiæ ſpatium nobis conceſſit, admonendo nos ad eandem pœnitentiam agendam non ſolum per inſpirationes intrinſecas, ſed etiam per extrinſecas adhortationes prædicatorum è cathedra declamantium; quam neceſſaria ſit homini pœnitentia, & nullatenus differenda.

Explicatur 4. pars. Quod Deo gratias agere debeamus propter conſervationem in eſſe naturæ & eſſe gratiæ. Unde S. *Auguſtinus* de ſancta Virginitate inquit: Omnia peccata ſic habenda ſunt tanquam dimittantur, à quibus Deus cuſtodit, ne committantur. Et infra. Quisquis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur, & quisquis ab impudico pudicus factus eſt, ab illo corrigitur; & quisquis uſque in finem impudicus eſt, ab illo deſeritur, occulto quidem judicio, ſed non iniquo. Et ideo ſignanter dicitur in textu allegato hujus lectionis, *Quia non lædebantur, gratias agebant.* Sancti autem viri non ſolum de ſibi dimiſſis gratias agunt Deo, ſed etiam de his, à quibus ſunt per gratiam Dei præſervati.

Explicatur 5. pars. Quod Deo gratias agere debeamus pro beneficio Juſtificationis; juſtificati enim ſumus, non ex meritis propriis, ſed ex gratia ipſius. Si quis velit ſcire, quid ſit Juſtificatio, conſideret prius quid ſit peccatum, & quales effectus præſtet. Certe per peccatum fit homo filius tenebrarum, filius Diaboli, exhæreditatur à cœleſti gloria, & omnium tormentorum cauſam præbet. Econtra homo à Deo juſtificatus fit filius Dei adoptivus, hæres regni cœleſtis, & omnis felicitatis, & delectationis fit particeps in perpetuas æternitates. Ergo convenit Deo propter juſtificationem agere gratias maximas.

Explicatur 6. pars. Quod Deo debeamus agere gratias pro beneficio Præmiationis nobis promiſſæ: quæ erit certa & infallibilis, ſi in charitate Dei permanſerimus. De hoc præmio regni cœleſtis dicit *Apoſtolus*: Nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.

ARTICVLVS TERTIVS.

An debita gratiarum actio debeat habere magnitudinem, aſſiduitatem, univerſalitatem, & hilaritatem.

Dico quod ſic.

Explicatur 1. pars. Quod debita gratiarum actio debeat habere Magnitudinem. Quia homo plus accepit à Deo, quam alia creatura, & ideo decet eum magis magnificè gratias agere. Conſtat, quod lux ſit talis naturæ, ut ubi plures radii ad aliquod corpus ſolidum diriguntur, eo major ſit ibi reflexio & ſplendoris multiplicatio. Unde juxta terram eſt major calor, quam in medio interſtitio aeris propter majorem & denſiorem radiorum ſolarium multitudinem. Sic etiam *moraliter* eſſe debet. Nam quanto homines plures divinorum beneficiorum radios recipiunt, eò per gratiarum actiones, plures radios gratitudinis in Deum reflectere debent. Huc facit illud 2. *Machab.* 1. De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus ipſi.

Explicatur 2. pars. Quod gratiarum actio debeat habere Aſſiduitatem, ſeu continuitatem. Unde 1. *ad Theſſal.* 2. dicitur: Gratias agimus Deo ſine intermiſſione. Et hæc eſt ratio, quod omnes horæ Canonicæ debeant terminari per Deo gratias: in ſignum, quod omnia opera noſtra in ejus debeant gratiarum actionem terminari.

Explicatur 3. pars. Quod gratiarum actio

debeat habere univerſalitatem; ut nempè pro omnibus, non ſolum pro placentibus & proſperis; ſed etiam pro adverſis Deo gratias agamus. Unde *ad Ephes. 5.* dicitur: Gratias Deo agentes ſemper in omnibus. *Ariſtoteles 2. Politicorum propè finem*, dicit: quod Plato inter leges ſuas ordinaverit, ut cives ſe exercitarent per uſum armorum & ſtudium, ad hoc ut fiant ambidextri, & ita utraque manus reddatur utilis ad bellandum. Sic etiam, *moraliter loquendo*, nos exercitare debemus, ut ambidextri ſiamus ut videlicet non ſolum tempore proſperitatis, ſed etiam adverſitatis contra fortunam pugnare, & Deo ſemper regratiari poſſimus. Talis autem fuit Apoſtolus Paulus, qui dixit 2. *Cor.* 2. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu.

Explicatur 4. pars. Quod gratiarum actio debeat fieri cum hilaritate, ſeu jucunditate, non autem cum triſtitia vel ex neceſſitate. *Solinus de Mirabilibus mundi*, refert quod in Aleſa regione quadam, fons quietus ſit, qui ſcaturit ſemper, & infra rivos ſuos manet: ad ſonum vero citharæ, tibiæ vel alterius inſtrumenti muſici, intumeſcit, & alveum ſuum excedit. Applicatio. Fons omnis bonitatis Deus eſt, hic ad ſanctam & lætam Gratiarum actionem tanquam ad ſonum inſtrumenti muſici ſtatim exuberat, & ſibi gratias agenti beneficia pottora largitur. In cujus rei figuram dicitur *Neemia* 12. quod Judæi convocaverint Levitas, ut dedicationem facerent muri Jeruſalem in lætitia, gratiarum actione, & cymbalis, & cantico.

LECTIO CXCVII.

TEXTUS.

Propter quod ignis ardentem columnam habuerunt ducem ignotæ viæ, & ſolem ſine læſura boni hoſpitii præſtiti. Digni quidem erant illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui incluſos cuſtodiebant & filios ſanctos tuos; per quos incipiebat incorruptum legis lumen ſæculo dari.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon declaravit, quod Deus contulerit Iſraelitis beneficium lucis in Aegypto, quando Aegyptii per triduum tenebras paſſi ſunt; nunc oſtendit, quod Deus Iſraelitis aliud lumen dederit, dum per deſertum tranſirent.

De hoc legitur *Exodi* 13. Nunquam eis (nempè Iſraelitis) defuit columna nubis per diem, neque defecit columna ignis per noctem, ut dux eſſet itineris utroque tempore.

Et hoc eſt quod dicitur in textu, *Propter quod* (quia filii Iſrael tibi gratias agebant, & de nocte petebant adjutorium tuum) & habuerunt *ardentem columnam ignis ducem ignota via*, per noctem videlicet, & in die cum ſufficienti luce ſolis, habuerunt columnam nubis ne læderentur ab æſtu ſolis. Et hoc eſt, quod dicitur in textu, *Et ſolem ſine læſura boni hoſpitii præſtiti* (id eſt ſolem tranquillæ protectionis; nam interpoſitio nubis temperabat ſolis ardorem, ut eſſet illis refrigerium, quod aliis ipſis fuiſſet incendium.

Sequitur. *Digni quidem illi* (id eſt Aegyptii) *erant carere luce* (exteriori, quia carebant luce interiori gratiæ) *& pati carcerem tenebrarum, qui incluſos cuſtodiebant filios ſanctos tuos*, id eſt Iſraelitas, non permittendo exire ab illa ſervitute Aegyptiaca, cum tamen Dominus mandaverit Pharaoni per Moyſen, ut dimittat populum ſuum.

Per quos incipiebat incorruptum legis lumen, id eſt, Lex incorrupta & illuminans ſæculo dari. Quia filii Iſrael, propter miracula quæ viderant in Aegypto, præparabant ſe ad legem ſuſcipiendam, id eſt, ad eundum in deſertum, ubi legem accepturi erant. Circa illa verba, *Ardentem columnam habuerunt ducem*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An bonus Prælatus tanquam Dux, debeat habere zelum fervoris & ſanctæ correptionis; ſtatum vigoris & ſupportationis; locum amoris & communicationis; motum præceſſoris & informationis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod bonus Prælatus tanquam Dux debeat habere Zelum fervoris & ſanctæ correptionis; quia Prælatus debet eſſe ardens per induſtriam, non tepidus per ignaviam; nec fumigans per inanem gloriam; nec extinctus per infamiam: quæ omnia ſi Prælatus obſervat, erit verè columna ardens.

In cujus rei figuram dicitur *de Elia Eccl.* 48. Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat. Eſt ergo Prælatus quaſi ignis ardens per ſincerum zelum. Porrò ſi huic igni admiſceatur thus, redolebit benè totum clauſtrum ſeu monaſterium; id eſt, ſi Prælatus ſibi aſſociet & eligat bonos, & pios, atque diſcretos conſiliarios, optimè regetur communitas. Si autem huic igni admiſceatur ſulphur, id eſt, ſi Prælatus ſibi aſſociaret quosdam diſcolos & imprudentes conſiliarios, tota domus clauſtralis fœtore malæ famæ inficietur. Caveat proinde Prælatus, ne ſibi eligat malos & diſcolos conſiliarios; nam ut ait *S. Ambroſius lib. 2. de officiis*; quis utilem judicet cauſæ alienæ, quem videt eſſe inutilem vitæ ſuæ? Et quomodo eum putabo idoneum pro conſilio mihi ſuggerendo, qui non dat ſibi? Vel quomodo eum mihi vacare credam, qui ſibi non vacat? cujus animam voluptates occupant, libido devincit, avaritia ſubmergit, & cupiditas perturbat. Hæc *S. Ambroſius.*

Explicatur 2. pars. Quod Prælatus debeat habere ſtatum vigoris & ſupportationis: ut ſit columna fortiter ſupportans regiminis ſui onus. Undè de Prælato exponi poteſt illud *Ieremiæ* 1. Dedi te hodie in civitatem

munitam

Digitized by Google

munitam & columnam ferream. Qnandiu enim columna eſt recta, benè ſupportat onus ſnprapoſitum, ſed quamcitò incipit curvari, ſtatim tota fabrica cadit. Sic etiam *moraliter loquendo*, quandiu Prælatus ſervat rectitudinem benè vivendo & juſtè, bene ſupportat onus ſui regiminis: Quando autem Prælatns, tanquam columna declinat ad latus per privatas & inordinatas affectiones favendo diſcolis, permittendo defectus ſine correctione, & inſuper mortificando juſtos, tunc fabrica tota ſpiritualis in aliqua communitate petit.

Iudicum 16. legimus, quod Samſon concutiendo duas columnas, quibus tota domus innitebatur, domum non ſolum proſtraverit, ſed etiam omnes intus exiſtentes occiderit. Moraliter loquando Diabolus eſt Samſon, qui machinatur in aliqua congregatione omnes occidere per hoc quod ſatagat anferre ab omnibus in ea degentibus charitatem, quæ eſt vita ſpiritualis animæ: ut autem hoc præſtet, columnas illius congragationis collidit, id eſt, inter Prælatum, & Priorem, ſeu Vicarium monaſterii qui ſunt quaſi duæ columnæ, concitat rixas & animarum diſſectiones; per quas deindè tota communitas viſo malo exemplo perit. Hoc facit illud *Iob.* 9. Qui terram commovat de loco ſuo, & columnæ ejus concutientur.

In Hiſtoria Scholaſtica ſuper *Geneſin* refertur, quod Cham filius Noë, ſeptem artes liberales in quatuordecim columnis deſcripſerit, quarum ſeptem erant æreæ, & ſeptem lateritiæ. In figuram, quod in Prælatis (qui columnæ dicuntur) ſufficiens ſcientia debeat eſſe. Et ideo Sapientia dicitur ſibi excidiſſe columnas ſeptem *Proverb.* 9. Quia niſi Prælati Eccleſiæ fuerint ſcientiâ & ſapientiâ informati, fabrica Eccleſiæ citò rueret.

Explicatur 3. pars. quod Prælatus debeat habere locum amoris & communicationis, ut omnes ſubditos amet; juxta illud *S. Auguſtini*: Prælatus magis cupiat amari quàm timeri. Unde Prælatus debet eſſe communis Pater omniũ.

Cum *Trajanus* Imperator à ſuis argueretur, quod cum plebeis hominibus ſit ultra modũ affabilis & communis; Reſpondit *Trajanus*; Talis volo eſſe Imperator privatis hominibus, qualem mihi optarem eſſe Imperatorem, ſi eſſem particularis perſona.

Iulius quoque *Cæſar* amorem ſuorum militum concitavit, quia eos non milites ſed commilitones vocavit, uti de ipſo narrat *Suetonius l.* 1.

De Chriſto Domino ex ſacra Scriptura colligimus, quod tripliciter ſe exhibuerit erga ſuos Apoſtolos. Nam *primò* ſe exhibuit ut ſuperior *Ioan.* 13. Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. *Secundò* ſe exhibuit ut inferior. *Lucæ* 22. Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat. *Tertiò* ſe exhibuit, tanquã eſſet æqualis *Ioan.* 15. Jam non dicã vos ſervos ſed amicos meos: Amicitia autem æqualitatem requirit, ut dicitur *in* 8. *Eth.* Sic etiam Prælatus inter Subditos ſuos aliquando debet eſſe major, aliquando minor, & aliquando æqualis. Major debet eſſe in corrigendis defectibus; juxta illud *ad Titum* 2. Argue cum omni imperio. Minor debere eſſe quãtum ad humilitatis repræſentationem; juxta illud 1. *ad Theſſal.* 2. Facti ſumus parvuli in medio veſtrûm. Aequalis autem debet eſſe quantum ad amicabilitatem, operationem vel converſationem; juxtà illud *Eccl.* 32. Rectorem te poſuerunt, noli extolli: ſed eſto in illis, quaſi unius ex illis.

Explicatur 4. pars. Quod Prælatus debeat habere motum Præceſſoris & informationis. Undè ad boni Ducis ſtrenuitatem non ſufficit benè movere, præcipere & corripere, & ſatis ſermonibus ordinare; ſed neceſſe eſt, quod ipſemet ſtrennè & generosè ac virtuosè decertet: ita ut id quod præcipit aliis, prius faciat. Talis Dux fuit *Iulius Cæſar*. qui militibus ſuis non dixit ite, ſed venite mecum, & ſubjunxit cauſam: quia labor participatus cum Duce videtur eſſe minor, ſicut de eo ſcribit *Ioannes Gallenſis*. Talis etiam Dux fuit Abimelec, qui præſcindens arboris ramum, impoſitumque humeris ſuis tulit, & ſociis ſuis dixit, quod me videtis facere, citò facite; qui ſtatim ramos de arboribus præſcindentes ſequebantur Ducem, *Iudicum* 9.

LECTIO CXCVIII.

TEXTVS.

Cum cogitarẽt juſtorum occidere infantes, & uno expoſito filio & liberato, intraductionem illorum, multitudinem filiorum abſtuliſti, & pariter ipſos in aqua perdidiſti valida. Illa enim nox cognita eſt ante à Patribus noſtris, ut verè ſcientes quibus juramentis crediderunt, animæ quietiores eſſent.

EXPLICATIO TEXTVS.

C*Vm cogitarent* (Aegyptii) *juſtorum* (id eſt Iſraelitarum, ſeu Hebræorum) *occidere infantes*, ſicut ad longum narratur *Exodi* 1. *Vno expoſito filio* (id eſt Moyſe projecto in aquam in fiſcella) *& liberato* à morte per filiam Pharaonis ſororem Matris Moyſis, *Exodi* 2. *In traductionem illorum* (id eſt, ideo Moyſes liberatus fuit à ſubmerſione in aqua, ut tanquam electus à Deo Iſraelitas traduceret ex Aegypto) *multitudinem filiorum abſtuliſti* (id eſt primogenita Agyptiorum occidiſti. *Exodi* 12.) *Et pariter illos* (id eſt Ægyptios) *perdidiſti in aquâ validâ*, id eſt in mari rubro, uti habetur *Exodi* 14. Quaſi diceret, non ſolum filios Aegyptiorum, ſed etiam Patres eorum occidiſti, Moyſe tamen liberato.

Hæc autem nox (qua primogenita Aegyptiorum percuſſiſti) non fuit ſubitanea & improviſa, quia Deus iſta antea revelaverat Abrahamo, Iſaac & Jacob, dicens eis, quod confuſis inimicis, educturus eſſet in manu forti filios Iſrael de Aegypto Undè *Geneſis* 15. dicitur: Scito prænoſcens, dixit Dominus ad Abraham, quod peregrinũ futurũ ſemẽ tuum in terra non ſua, & ſubjicient omnes ſervituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamẽ gentem, cui ſervituri ſunt, ego judicabo, & poſt hæc egredientur.

Dicit ergo. *Illa nox* (quâ mortua ſunt primogenita Aegyptiorum) *præcognita eſt à Patribus noſtris* (Deo de his ipſis aliquid revelante) *Vt verè ſcientes quibus juramentis* (id eſt, quibus firmis promiſſionibus) *crediderunt*,

animæ quietiores eſſent, (id eſt libentius patientes eſſent) nam certitudo de liberatione facit hominem magis & libentius patientem in injuriis ſibi factis.

Suſcepta eſt à populo tuo ſanitas quidem Iuſtorum (id eſt debita Juſtis) *injuſtorum autem exterminatio.* Quaſi diceret : tam juſtorum ſanitas, quam injuſtorum exterminatio , facta ſunt ad utilitatem populi tui. *Nam ſicut ejeciſti adverſarios noſtros* (id eſt Aegyptios) *ſic nos provocans magnificaſti* , id eſt , te Domine magnificare feciſti. Circa illa verba : *Scientes, quibus juramentis crediderunt*, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum bona & recta fides ſeu fiducia impetret peccatorum remiſſionem ; dæmoniorum confuſionem ; optatorum conſecutionem ; & electorum benedictionem ?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod recta fides ſeu fiducia conferat credenti peccatorum remiſſionem. Unde *Actorum* 10. de Chriſto dicitur: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes , qui credunt in eum. Sic *Iona* 3. dicitur : Crediderunt viri Ninivitæ in Domino, & prædicaverunt jejunium. *Ariſtoteles docet* 1. *Rhet.* in principio , quod tria ſint, quæ faciunt dictum alicujus credibile, quamvis non demonſtrativè loquatur ; videlicet Prudentia, Virtus , & Benevolentia. Cujus cauſam aſſignat *Ariſtoteles* , quia , propter oppoſita iſtorum diſcredimus alicui non demonſtrativè loquenti, videlicet; aut propter imprudentiam, quâ reputamus eum ignarum; aut propter malitiam, quia licet verum ſciat, non eſt tamen amicus veritatis & juſtitiæ ; aut propter defectum benevolentiæ , quia ſubinde licet ſit prudens & virtuoſus , non tamen reputamus eum ita benevolum , quod nobis velit conſulere id, quod nobis expediens eſſe judicat. At vero, quando in aliquo conſiliatio iſta tria inveniuntur, nimirum quod ſit prudens, virtuoſus & nobis benevolus, tunc abſque dubio credimus dictis ejus , licet ea non demonſtret. Applicatio. Si de Chriſto loquamur , certum eſt quod venerit in hunc mundum prædicare viam ſalutis, non tamen venit, ut dicta ſua ſcientificè demonſtret. Et ideo doctrina ſua non ſcientia, ſed fides nominatur. Nihilominus dicta Chriſti Domini ſunt credibilia propter tres rationes præfatas ; tum quia in Chriſto viguit prudentia, quæ eſt Sapientia Dei Patris ; tum quia in eo fuit virtus, ſiquidem omnia benè fecit. *Marci* 7. Tum quia in eo fuit benevolentia erga nos ſiquidem dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *Apoc.* 1. Et ideò ſignanter dicit *Pſalmiſta* : Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.

Explicatur 2. *pars.* Quod recta fides ſeu fiducia operetur dæmoniorum confuſionem. Unde *Marci ultimo* dicitur : Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, In nomine meo dæmonia ejicient. Et ideo fides dicitur ſcutum ſpirituale in quo dæmonia vincimus , ad *Eph.* 6 : In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.

Explicatur 3. *pars.* Quod recta fides ſeu fiducia conferat optatorum conſecutionem. Unde *Marci* 11. dicitur. Quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis , & fiet vobis. Hujus exemplum habemus *Ioan* 4. *de Regulo* , cujus filius infirmabatur Capharnaum, qui etiam propter fidem parentis ſanatus fuit. Exemplum aliud habemus in Centurione *Matth.* 8. cui pro ſalute ſervi ſui deprecanti, reſponſum fuit. Vadè ſicut credidiſti , fiat tibi. Sic Chriſtus etiam dixit mulieri ; ô mulier magna eſt fides tua. Et iterum: Fides tua ſalvam te fecit.

Explicatur 4. *pars.* Quod recta fides ſeu fiducia conferat credenti electorum benedictionem. Unde *Ioan.* 20. dixit Chriſtus Thomæ : Quia vidiſti me Thoma, credidiſti : beati, qui non viderunt & crediderunt. Quod exponens *S. Gregorius* dicit ſic : In hac ſententia nos ſpecialiter ſignati ſumus; qui eum , quem carne non videmus mente retinemus , ſi tamen fidem noſtram operibus ſequamur : ille etenim verè credit, qui exercet operando, quod credit.

Docent autem Doctores, quod duplex *ſit Fides*, una informis , altera formata. Fides *informis* eſt illa , quæ eſt ſine charitate, & ſic fides eſt in hominibus peccatoribus. Fides autem *formata* eſt illa , quæ eſt charitate vivificata. Et ideo dicit *Magiſter* Sententiarum *lib.* 3. *cap.* 23. Quod aliud ſit credere Deum , & aliud credere Deo , & aliud credere in Deum. Nam credere Deo , eſt credere eſſe vera quæ Deus loquitur , & ſic etiam mali credunt. Secundò credere Deum, eſt credere , quod Deus ſit , & hoc etiam mali credunt. Credere autem in Deum , eſt credendo amare, & amando in eum ire. Et hæc eſt illa ſola credulitas , quæ facit hominem ſive animam hominis eſſe rectam. Unde benè dicitur , quod juſtus ex fide (puta formata) vivat. Et econtra Anima incredula non erit recta in ſemetipſo. *Abacuc.* 2.

LECTIO CXCIX.

TEXTVS.

Abſconsè enim ſacrificabant juſti pueri bonorum , & juſtitiæ legem in concordia diſpoſuerunt : ſimiliter & bona & mala recepturos juſtos , patrias decantantes laudes. Reſonabat autem inconveniens inimicorum vox , & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

EXPLI-

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam oſtenſum eſt, quod primogenita Ægyptiorum fuerint occiſa, nunc agit Salomon primo de Hebræorum lætitia, & exultatione: & ſecundò de planctu miſerabili, quem faciebant non ſolum parvuli, ſed etiam parentes parvulorum.

Dicit ergo: *Abſconsè enim ſacrificabant juſti pueri bonorum*, id eſt Hebræi filii Patriarcharum, qui occultè fecerunt *Phaſe Exod.*12. Quod etiam de nocte fecerunt, & quidem in domibus incluſi; & ideo abſconditè fecerunt, tam quantum ad tempus, quàm quoad locum, figuram & modum abſconditum fuit illud *ſacrificium*, quia fuit figura Sacrificii noſtri in nova lege.

Et Iuſtitiæ legem in concordia diſpoſuerunt (id eſt diſpoſuerunt illud bonum facere in perpetuum de celebratione *Phaſe*) *in concordia*, id eſt in conſervatione gentis illius.

Diſpoſuerunt autem ſe Deo fore obedientes, ſe fore patientes, & ſe eſſe Deo gratias acturos. Quantum ad primum, diſpoſuerunt legem in concordia, ut expoſitum eſt; Quantum autem ad ſecundum dicit, *Diſpoſuerunt ſic juſtos recepturos ſimiliter bona & mala*; id eſt diſpoſuerunt æquanimiter ſe recepturos à Deo tam proſpera quam adverſa; adverſa ſine murmuratione, & proſpera ſine elatione.

Quantum ad tertium dicit. *Quod hæc diſpoſuerint decantantes laudes patrias* (id eſt laudes, quas à patribus didicerant) Unde Iſraelitæ totaliter laudi divinæ inſiſtebant, opere, corde & ore; opere, quia Deo ſacrificabant; corde, quia ad legem iſtam perpetuo ſervandam ſe præparabant; & ore, quia laudes Deo decantabant.

In ſequentibus declarat Salomon, quid fecerint Ægyptii, & dicit ſic: *Reſonabat autem inconveniens inimicorum* (id eſt Ægyptiorum, diſcordans *Vox*) erant enim Aegyptii plangentes ſine concordia, & ſine convenienti proportione voces ſuas intonnerunt, commixtim infantes & parentes, ſeu juvenes & ſenes. *Et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.* Magna enim fuit materia doloris, quod tot innocentes parvuli occiſi fuerint ſimul. Circa illa verba, *Iuſtitia legem in concordia diſpoſuerunt*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An ad legem pro Republica debitè condendam requiratur ſubtilitas maturæ deliberationis; utilitas ſecuræ cohabitationis; authoritas manſuræ obligationis; & æqualitas menſuræ ac diſtributionis?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod ad legem pro Republica debitè condendam requiratur ſubtilitas maturæ deliberationis; non enim ſubitò vel ex abrupto poſſunt leges utiliter & univerſaliter ſtatui. In cujus figuram Moyſes cum Domino fuit quadraginta diebus, quando legem ſcriptam accepit. Per quod etiam tempus Moyſes fecit continuum jejunium, ad deſignandum, quod legiſlatores ſobrietati, non autem feſtis & conviviis vacare debeant pro illo tempore, quo leges condunt. Sunt enim Leges, quæ ordinantor ad ſalutem animæ, principaliores artibus medicaminum, quæ ordinantur ad ſalutem corporis, ut dicit *Ariſtot.* 3.*Politicorum*. Cum ergo leges medicinales non dentur hominibus ſine prævia meditatione matura; multo magis leges morales maturam deliberationem requirunt. Et ideo ſcribit, *Iuſtinianus Imperator in Prologo Inſtitutionum*, Quod cum ſumma diligentia & ſummis vigiliis per prudentiſſimorum virorum ſolertiam leges fecerit in unum volumen compingi.

Explicatur ſecunda pars. Quod ad leges debitè condendas, requiratur utilitas ſecuræ cohabitationis. Hæc enim eſt cauſa finalis legum, ut homines poſſint concorditer ſimul habitare. Undè *Ariſtot.* 3.*Politicorum* ait: Quod civitas ſit communicatio bonarum actionum propter benè vivere ex gentibus & domibus gratiâ vitæ perfectæ per ſe ſufficientis. Et 8. *Ethicorum cap.* 1. dicit: Quod concordia maximè videatur continere civitates, & legispoſitores ſummè ſtudeant circa eam. Concordia enim aliquid ſimile amicitiæ videtur eſſe. Hanc autem maximè appetunt, & econtra contentionem tanquàm inimicam expellunt. *Hæc Ariſtot.* Et ideo à *S. Iſidoro* 2. *Ethimol. cap.* 4. In deſcriptione populi ponitur Concordia. Eſt enim populus humanæ multitudinis cætus, juris conſenſu, & concordi communione ſociatus. Huic definitioni favet *S. Auguſtinus de Verbis Domini in monte, ſerm* 26. Ubi commendans unitatem dicit ſic: Unum cogitate fratres mei, & videte in ipſa multitudine ſi delectet niſi unum.

Ecce Deo propitio, quam multi eſtis? Quis vos ferret, niſi unum ſaperetis? Undè de multis quies iſta? Da unum, & populus eſt; tolle unum, & turba eſt. Hæc S. *Auguſtinus*. Ex quibus definitionibus patet, quod nulla multitudo ſine Concordia dici poſſit populus. Et ideo dicit *S. Auguſtinus* 2. *de Civit. Dei cap.* 21. Quod eſt harmonia in cantu, hoc eſt concordia in civitate. Sicut enim ex diſtinctis ſonis in fidibus, & in tibiis, concors concentus efficitur; ita ex ſummis, & mediis interjectis ordinibus, concordia civitatis conſtituitur. Hæc autem concordia & unanimitas atque dilectio mutua, finis eſt, quem legiſlator intendit. Unde 1. *ad Timoth.* 1. dicitur: Finis autem præcepti eſt charitas.

Explicatur tertia pars, Quod leges requirant in Republica authoritatem manſuræ obligationis; ut ſicut non ſine ſummo conſilio inſtituuntur leges, ita nec ſine maximis cauſis abrogentur. Undè dicit *Ariſtot.* 2. *Politic.* quod leges antiquæ debeant eſſe magnæ reverentiæ & ſtabilitatis. Nam faciliter condere leges novas & mutare antiquas nocivum eſt; quia nihil aliud eſt, quam aſſuefacere homines ad ſolvendum leges, & ad parvipendendum obligationem legis; & ideo melius eſt modicos & leves errores permittere, quam ſolvere leges antiquas. Undè finaliter concludit *Ariſt.* quod qui faciliter legem mutat, legis virtutem debilitat. In hujus rei figuram Lex Moſaica, in

lapidibus fuit ſcripta. Leges etiam Romanorum in duodecim tabulis eburneis ſcriptæ fuerunt, in ſignum ſtabilitatis & indelebilitatis perpetuæ.

Explicatur quarta pars. Quod ad legem debitè condendam requiratur æqualitas menſuræ & diſtributionis ; ita videlicet ut leges ſint omnibus communes , qui ſunt ejuſdem conditionis; & ut id,quod uni licet,alteri quoque licitum ſit.

Dixi , quod lex debeat eſſe communis, & æqualis reſpectu hominum qui ſunt ejuſdem conditionis ; ut intelligas, quod aliæ leges ſint pro militibus ; aliæ pro agricolis ; aliæ pro artificibus ; aliæ pro dominis ; aliæ pro ſervis ; aliæ pro nobilibus ; aliæ pro ignobilibus. Et ideò,qui volunt aliquam Rempublicam ſeu quamcunque communitatem conſtituere ex perſonis omnino æqualibus , neceſſario deſtruunt ordinem & pulchritudinem Reipublicæ , quæ ſtat in diverſorum graduum convenienti proportione. Ut dicit *S. Auguſtinus 19. de Civ. Dei cap.24.* Quod pax omnium rerum eſt tranquillitas ordinis;ordo vero eſt parium & diſparium rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. Adeoque per hoc , ubi eſt omnimoda paritas, ibi nullus eſt ordo. Et *Ariſtot.7.Polit.* dicit : Quod lex eſt quidam ordo, & bona legislatio eſt bona ordinatio. Et *3.Polit.* dicit :Quod juſtum ſit , æquales ſecundum virtutem æquale præmium recipere , & inæquales inæquale; quodque lex homines conditione pares æqualiter afficiat ſeu obliget. Si enim aliquis, qui eſt ejuſdem conditionis cum altero , vellet ſeſe eximere ab illa lege quæ obligat alium, qui eſt ſibi ſimilis, pax & concordia non ſervaretur in populo, quam tamen lex ſpecialiter conſervare intendit, ut dictum eſt.

LECTIO CC.

TEXTUS.

Simili autem pœnâ ſervus cum Domino afflictus eſt , & popularis homo Regi ſimilia paſſus. Similiter ergo omnes uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad ſepeliendum vivi ſufficiebant , quoniam uno momento,quæ erat præclarior natio eorum exterminata eſt. De omnibus enim non credentes propter beneficia , tunc cùm primum fuit exterminium primogenitorum, ſpoponderunt ſe populum Dei eſſe.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac lectione declarat Salomon , quam acriter exterminatio primogenitorum Agyptiorum ſit facta abſque ulla differentia nulli parcendo , ſive fuerat Dominus, ſive ſervus. Secundò quod ad ſepeliendos defunctos vivi non ſuffecerint. Et tertiò demonſtrat, quod tandem Aegyptii per tot pœnas afflicti , monſtraverint aliquam contritionem.

Dicit ergo : *Simili autem pœna ſervus cum Domino afflictus eſt . & popularis homo Regi ſimilia paſſus* ; quia tam primogeniti Regis & Dominorum, quam ſervorum & popularium occidebantur. Et ex hoc infert Salomon , *quod omnes ſimul uno nomine mortis , mortuos habebant innumerabiles* ; adeo quidem , *ut non fuerint tot vivi, qui ſufficerent ad ſepeliendum mortuos : quoniam uno momento , quæ erat præclarior natio eorum* (id eſt primogenita) *exterminata eſt.*

Sequitur : *De omnibus enim non credentes propter beneficia . tunc,cum primum fuit exterminium primogenitorum , ſpoponderunt ſe populum Dei eſſe.* Id eſt , Aegyptii poſtquam viderunt tot beneficia à Deo conferri Iſraelitis,& quod ipſis præter alias plagas exterminio ſuorum primogenitorum puniantur, promiſerunt ſe velle ſubjici Deo, ſi plaga illa ceſſaret.

Hæc tamen ultima verba etiam intelligi poſſunt de Hebræis & Iſraelitis , qui ante mortem primogenitorum , & viſis aliis plagis ipſis inflictis , & contra beneficiis ſibi præſtitis, non omnes crediderunt *perfectè* in Deum ; ſed tunc primò , quando viderunt mortem primogenitorum ex Aegyptiis , confeſſi ſunt ſe populum Dei eſſe.

Porro ſicut Aegyptii in fine ſolum monſtrarunt aliquam contritionem , ut tantum liberarentur à plaga ſibi immiſſa ; ſic etiam multi peccatores,dum ſunt in infirmitate , monſtrant aliquam contritionem de ſuis peccatis, & rogant Deum pro liberatione ab illa : poſtquam autem ſanitati reſtituti ſunt , redeunt ad priſtina peccata,ſicut de Lupo Metricè dicitur:

Infirmus Lupus Monachus mox eſſe volebat,
Sed dum convaluit,manſit ut ante fuit

Circa illa verba *Popularis homo Regi ſimilia eſt paſſus , ſit*

ARTICULUS UNICUS.

An ſit Prælationis Regiæ aliqua neceſſitas ; & inſtitutionis ejuſdem congruitas, cum executionis authoritate, & bonæ converſationis probitate?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Prælationis Regiæ ſit in Republica magna neceſſitas. De hac re pulchrè loquitur *Petrus Ravanenſis* in ſuo Epiſtolari, epiſtolâ primâ , ubi tres quæſtiones ſolvit. *Prima eſt* , an neceſſe fuerit regimen Regis inter homines introducere,cum tamen homo naturaliter deſideret libertate ſua gaudere Et reſpondet neceſsè fuiſſe introducere regimenRegis, ad hoc,ne impunita licentia ſcelerum Juſtitiam extirparet , & ideo oportuit libertatem ſubeſſe juſtitiæ. *Secunda* quæſtio eſt, quare nulla ſpecies animalis creaturæ , aſſumpta ſit pro regimine hominis ? Et reſpondet idem *Petrus Ravanẽſis*,quia homo eſt animal rationale habens in ſe imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis,& ideo homo nulli creaturæ corporali ſubjici debuit, quæ tali imagine caret. Imo nec Angelus homini prælatus eſt,ſed homo homini , ut gratiorem ſuavioremque prælaturam efficeret identitas ſpeciei.

Tertia

Tertia quæſtio eſt. Quis inter Reges teneat ſupremum faſtigium aliosque antecellat: Et reſpondet idem Doctor, quod Imperator ex ſententia Salvatoris dicentis *Matth.* 22. Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.

Legimus autem in Chronicis, & in prophetia *Danielis cap.* 7. quatuor regna Imperialia, videlicet, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum; quod quidem per Conſtantinum ad Græcos fuit devolutum, ſed poſtea illud ipſum Romanum Imperium tranſtulit Eccleſia in Teutonicos, & quidem in perſonam Caroli Magni, filii Pipini, tempore Papæ Stephani ſecundi. Ut patet *Extrav. de elect. & elect. poteſtate cap. venerabilem.* Imperator autem eſt Rex Regum & dignitate præcellit omnes; ſoli tamen Pontifici debet ſubeſſe ſicut declaratur *Extra de Majoritate & obedientia cap. ſolita.* Pontifex enim in ſpiritualibus antecellit, quæ tanto temporalibus ſunt digniora, quanto anima excellentior & dignior eſt, quam ſit corpus. Indè Pontifex Imperatorem præcellere declaratur in præfata *Decretali* dupliciter, ſeu duplici authoritate; quarum una eſt, quod Dominus Deus dixerit *Ieremiæ*, qui ſacerdos fuit: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna. *Ieremiæ* 1. Secunda deſumitur ex *cap.* 10. *Geneſis*, ubi dicitur, Quod Deus fecerit duo magna luminaria, id eſt duas poteſtates inſtituit; quæ ſunt Pontificalis & Regalis poteſtas ad Eccleſiæ firmamentum, ſed illa poteſtas, quæ præeſt diei, id eſt ſpiritualibus, major eſt; quæ vero nocti, id eſt carnalibus, & mundanis præeſt, minor eſt.

Explicatur ſecunda pars. De congruitate inſtitutionis Regis ſeu Principis alicujus. Poteſt autem inſtitutio Regis, vel Principis eſſe legitima quadrupliciter: nempè Divinâ proviſione, Eccleſiæ collatione, generis ſucceſſione & populi electione. Exemplum primi eſt in Saul, & David 1. *Reg.* 10. Exemplum ſecundi eſt, quando Moyſes præfecit populo Joſue pro Duce. *Deut.* 31. Et Samuel unxit David in Regem, in figura, quòd Vicarius Chriſti ſcilicet Papa, & Prælatus Eccleſiæ conferat principatum & Regiam poteſtatem ad utilitatem Eccleſiæ. Unde etiam vis ac auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promovendi ad imperium, ad Papam ſpectat, ſicut patet *Extra de Electione cap. Venerabilem.* Exemplum Tertii eſt de Salomone filio David, & multis aliis. Exemplum quarti eſt de Veſpaſiano, & multis aliis, qui per electionem populi vel Senatus adepti ſunt regiam dignitatem.

Explicatur tertia pars. De Regiæ executionis auctoritate; de qua exponi poteſt illud *Proverb.* 20. Rex qui ſedet in Solio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Ubi ponuntur quatuor conditiones requiſitæ ad hoc ut Regia authoritas executionem debitam ſortiatur. Requiritur ergo tranquillitas in præſidendo, quod denotatur, dum dicitur: *Rex qui ſedet.* *Secundò* requiritur æquitas in diſcernendo *quia in ſolio judicii*. *Tertiò* requiritur perſpicacitas in inquirendo, & hæc denotatur per ly *Intuitu ſuo.* Et quartò requiritur veritas in puniendo; & hæc denotatur per ly *diſſipat omne malum.*

Explicatur quarta pars. Quod ſpecialiter conſideranda ſit regiæ converſationis probitas; ut ſicut Rex præcedit & præcellit cæteros dignitate Regali, ſic etiam antecedat eos bonitate morali. Undè *Seneca Epiſt.* 2. ait: Naturæ eſt, non deterioribus potiora ſubmittere, ſed melioribus. Undè arietes, qui ducatu ſuo præſunt gregibus, aut maxima cornua gerunt, aut vehementiſſima, id eſt fortiſſima. Itaque non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine cæteros mares vincit. Item Elephantorum gregem elegantiſſimus ducit. Summa fœlicitas erat gentium in aureo ſæculo, in quo non poterat potentior eſſe, niſi melior. Hæc *Seneca*. Et *Boetius de Conſolatione lib* 2. *proſa quarta* ſic dicit: Hæc ſententia ore Platonis ſancita eſt; beatas fore Reſpublicas, ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel earum Rectores ſapientiæ ſtuderent; undè eſt illud Metricum.

Regna beata forent ſi vel contingeret eſſe,
Philoſophos Reges, vel Reges philoſophari.

LECTIO CCI.

TEXTUS.

Cum enim quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet; omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de Cœlo, à Regalibus ſedibus venit durus debellator, in mediam exterminii terram proſiliit gladius acutus, inſimulatum imperium tuum portans. Et ſtans omnia replevit morte; & usque ad cœlum attingebat ſtans in terra.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam oſtendit Salomon quod pœna exterminationis primogenitorum nulli pepercerit propter generis nobilitatem, quia æqualiter afflixit Regem & plebejum, Dominum & ſervum: nunc oſtendit Salomon, quod etiam nulli pepercerit propter temporis importunitatem. Cum enim nox ſit deputata pro humana quiete, ideo omninò adverſitas magis affligit de nocte. Tria autem ſiunt in hac lectione. Nam *primò* deſcribitur hora decurrens. *Secundò*, cauſa efficiens exterminii primogenitorum. *Tertiò* effectus ſecutus. Circa primum dicit ſic: *Cum enim quietum ſilentium tenerent omnia*; id eſt media nocte, quando homines ſunt in ſua quiete, & continent ſe à tumultu ac ſtrepitu ſcilicet intempeſto.

Et nox in ſuo curſu medium iter haberet. Pro quo ſciendum eſt, ex *S. Iſidoro* 5. *Ethimol. cap.* 33. Quod ſeptem ſint horæ noctis: nempè veſperum, Crepuſculum, Conticinium, Intempeſtum, Gallicinium, Matutinum, & Diluculum. *Veſperum* dicitur à ſtella, quæ ſolem occidentem ſequitur uno tempore, & alio tempore præcedit ſolem. Undè eadem ſtella vocatur *Heſperus*, quia ſequitur ſolem, præceditque tenebras noctis; quando autem præcedit ſolem in aurora, tunc vocatur *Phoſphorus* vel *Lucifer*. *Crepuſculum*, idem eſt quod dubia lux: nam creperum, dubium

Digitized by Google

bium dicimus, hoc eſt inter lucem & tenebras. *Conticinium* eſt; quando omnes ſolent conticeſcere, ſeu ſilere. *Intempeſtum*, medium eſt & inactuoſum tempus noctis, quando nihil agitur, ſed homines ſunt in ſuo ſopore & quiete. *Medium quoque noctis* actu caret, quia ibi homines, qui cæperunt dormire, ſunt in forti ſomno *Gallicinium* dicitur illa pars noctis, in qua galli cantu ſuo ſolent prænunciare diem. *Matutinum* dicitur in abſceſſu tenebrarum, & auroræ adventu. *Diluculum* denique dicitur, quaſi jam incipiens parva diei lux.

Itaque dum eſſet *Intempeſtum*, quando omnes in ſilentio eſſe ſolent; & *dum nox in ſuo curſu medium iter haberet*, id eſt media nocte: *omnipotens ſermo tuus Domine* (id eſt Angelus ſermonis tui nuntius vel executor tui præcepti tanquam cauſa efficiens) *Exiliens de cœlo à regalibus ſedibus venit* (id eſt ab Angelis, in quibus Deus ſedet) *durus debellator in mediam exterminii terram*) id eſt in medium Ægypti quæ tunc fuit terra exterminii (*gladius tuus*) id eſt ſermo tuus vel Angelus habens gladium acutum (*inſimulatum*) id eſt verum & non fictum (*imperium tuum portans*. Per quæ verba hora decurrens inſinuatur & perſona occidens; in verbis autem ſequentibus ponitur effectus. *Et ſtans replevit omnia morte* (id eſt omnes domos replevit mortuis) unde *Exodi* 12. dicitur. Non erat domus, ubi non jaceret mortuus. *Et uſque ad cœlos attingebat ſtans in terra*, circa illa verba, *Omnipotens ſermo tuus Domine*, ſit

ARTICVLVS VNICVS.

An Angelus exterminator Ægypti fuerit bonus?

DIco quod exterminator fuerit Angelus bonus, & hoc eſt magis conforme textui allegato.

Probatur. Nam de illo Angelo dicitur *Act.* 7. Hunc (ſcilicet Moyſen) Deus principem & redemptorem miſit in manu Angeli, qui apparuit ei in rubo, hic eduxit eos, faciens prodigia & ſigna in terra (in Ægypto) in mari, & in deſerto quadraginta annis. Item ad *Heb*. 1. dicitur: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. Super quæ verba *S. Gregorius* ait: Ad exercitium vindictæ mittit Deus Angelos ſuos, ut in Sodoma; Ergo ſicut Angeli boni fuerunt exterminatores Sodomorum, ita etiam fuerunt exterminatores Ægyptiorum. Item *Iſaia* 37. Egreſſus eſt Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octuoginta quinque millia; Ergo ſicut Angelus bonus percuſſit Aſſyrios, ſic etiam percuſſit Aegyptios. Licet autem probabile ſit, quod Angelus malus fuerit exterminator Aegyptiorum, & quod Deus poſtea miſerit Angelum bonum, de quo dicitur in textu (*attingebat ad cœlum*) qui malum Angelum cohiberet, ne ſimiliter exterminaret Hebræos. Multò tamen probabilius & textui conformius eſt, quod Angelus bonus fuerit exterminator Aegypti; quia alias nimis diſtortum eſſet primam partem textus allegati exponere de Angelo malo, & ſecundam partem de Angelo bono.

Dicit autem *Gloſſa* ſuper illa verba *Pſalmi*. Immiſſiones per Angelos malos; quod Angeli mali ſubindè etiam bonos ex permiſſione divina in rebus corporalibus affligant. Sicut patet *Iob*. 1. *&* 2. *cap*. Ubi malo Angelo de Jobo dictum eſt; Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam ejus ſerva. At vero boni Angeli ſolùm affligunt *malos*, ex mandato Dei, in rebus corporalibus; neque hoc eſt contra benignitatem bonorum Angelorum; quia hoc faciunt ex mandato Dei volentis punire ſcelera hominum; & quia omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus Dei, faciunt, quod ſibi à Deo mandatum eſt. Imò ipſi Angeli & juſti, dum vident peccatorem nolle converti, ſed poſitivè velle perſeverare in ſua malitia, lætantur dum ejusmodi homines affliguntur. Conformiter ad illud *Pſalmi*: Lætabitur juſtus cum viderit vindictam.

Dices, *S. Gregorius* ſuper illud *Ezechielis* 30. Diſſipabo terram, & ponam eam in manus alienorum, ait: Non enim boni Angeli, ſed mali tortores ſunt: Ergo etiam malus Angelus fuit exterminator Aegypti.

Reſp. ex dictis. Quod *S. Greg* ſolum velit, quod boni Angeli non ſint tortores bonorum, ſed malorum, ut patet in Sodomitis & Aſſyriis.

Dices 2. *S. Auguſtinus* ſuper illud *Pſalmi*: Miſit in eos iram indignationis, immiſſiones per Angelos malos; ait: Poſſumus ſine dubio malis Angelis attribuere mortes primitivorum & indurationes Aegyptiorum: Ergo Angelus malus fuit exterminator primogenitorum Aegypti.

Reſp. quod S. Auguſtinus in illa authoritate nihil decisivè ſeu determinando dicat; ſed ſolùm ibi facit mentionem quod potuerit Angelo malo attribui interne, ſeu exterminium Aegypti; non autem affirmat *S. Auguſtinus* quod de facto Angelo malo ſit collata poteſtas exterminandi primogenita Aegypti.

Reſp. 2. quod ſicut induratis cordis Aegyptiorum contigit ex tentatione Dæmonum; ſic etiam peccata propter quæ percoſſa ſunt primogenita Aegypti, tribuenda ſint tentationi Dæmonum, quæ Aegyptios ad peccata induxerunt. Et in hoc ſenſu rectè dixit *S. Auguſtinus*; quod poſſimus malis Angelis mortes primitivorum attribuere in tantum, in quantum mali Angeli Aegyptios induxerunt ad peccata, propter quæ punienda ſupervenit exterminatio primogenitorum. Et ſimiliter etiam malis Angelis tentantibus & mala perſuadentibus attribuere poſſumus indurationes Aegyptiorum; ſed hoc nihil eſt contra aſſertionem poſitam. Poſſet etiam dici, quod Angelus bonus uſus fuerit Dæmonibus, cogendo eos exterminare Aegyptios, & ſic iſta exterminatio fuit per Angelum bonum tanquam per principalem officialem Dei, & per Angelum malum tanquam per aliquem inferiorem executorem. Circa hoc quod dictum eſt, quod Angeli boni ſolum torqueant homines malos, non autem bonos, ſit

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum animæ in purgatorio torqueantur per Angelos bonos, vel malos?

DIco. Quod animæ in purgatorio, nec puniantur per Angelos bonos, nec per malos, ſed ſolus ignis affligit eos, divina juſtitia ſic diſponente.

Probatur 1. *pars* quod non puniantur per bonos. Nam non eſt conveniens, quod concives ſuos ita vehementer affligant, maximè cum ſint amici ſui, & certi futuri hæredes regni cœleſtis; undè potius Angeli boni ſunt animabus in purgatorio ſolatio, revelando ipſis ſæpè bona opera vivorum, quæ pro ipſis fiunt; vel faciendo ipſis ſpem liberationis accelerandæ propter ſacrificia, quæ pro ipſis fiunt. Pro-

Probatur ſecunda pars. Quod animæ in purgatorio non affligantur per Angelos malos. Quia non decet animas illas bonas torqueri per illos dæmones: quos animæ illæ in via exiſtentes vincebant reſiſtendo ipſorum ſuggeſtionibus.

Probatur tertia pars. Quia certum eſt quod animæ in purgatorio patiantur; ſed non patiuntur ab Angelis bonis vel malis: ergo patiuntur ab igne purgatorii magis vel minus, prout divina juſtitia ordinaverit.

Nihilominùs admittimus, quod Angelos bonos, qui ducunt animas ad locum pœnalem ſeu ad purgatorium, comitentur ipſi dæmones: imò etiam animabus in purgatorio afflictis aſſiſtunt, ut de eorum pœna ſatientur. Item dæmones aſſiſtunt morientibus ad explorandum in exitu, an aliquid in ipſis redarguere & pœna dignum invenire valeant. Videatur S. Thomas *in 4. diſt. 21. q. 1. art. 4.* Circa illa verba, *Cum enim quietum ſilentium teneret omnia.* Sit

ARTICULUS TERTIUS.

An virtuoſum ſilentium ſit cuſtos conſcientiæ; frænum inſolentiæ; decor innocentiæ; & ſignum Sapientiæ?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod virtuoſum ſilentium ſit cuſtos conſcientiæ. Nam in multiloquio non deeſt peccatum: undè ubicunque homo promus eſt ad loquendum, facilè conſcientia læditur. Et ſicut nullus theſaurus ſecurè ponitur in ciſta, quæ non habet ſeram: ità nec virtutes diu manent in conſcientia hominis illius, qui eſt immoderatus ad loquendum Homines tempore belli libentiùs habitant in civitatibus muro & propugnaculis circumdatis, quam extra, quia ibi eſt major ſecuritas propter fortitudinem muri: ita etiam bonæ perſonæ, & ſilentio benè muratæ, vel munitæ, ſunt quaſi fortia caſtra Dei. De talibus dici poteſt illud *Iſaiæ* 30. In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſilentium ſit frænum inſolentiæ. Notum eſt, quod nobiles equi frenentur: viles autem equi vel nullius valoris, non utuntur frænis. Sic etiam *moraliter* viri ſancti, qui Chriſtum portant per obedientiam, frænantur per ſilentium & à ſermonibus indiſcretis & periculoſis retrahuntur. Huc pertinet illud *Eccl.* 28. Verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos.

Explicatur tertia pars. Quod ſilentium ſit decor Innocentiæ. Sic Zacharias in ſilentio, dum erat mutus, genuit Joannem. Conſtat quod majorem ſonum, & ſtrepitum faciant ligna arentia, quam virentia: ita etiam aridæ, & parum intelligentes perſonæ ſæpè ſunt verboſæ, faciuntque garriendo magnum ſtrepitum. Narrat *Valerius lib. 7. cap. 2.* Quod dum quodam tempore Zenocrates maledicorum ſermoni ſummo cum ſilentio intereſſet, uni ex his loquacibus interroganti, cur ſolus taceret? Reſpondit, quia dixiſſe me aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam. Item quidam Philoſophus cuidam ſibi dicenti, malè de te iſta locutus eſt; Reſpondit, non curo, quia auditus debet eſſe robuſtior lingua: cum ſingulis hominibus ſint ſingulæ linguæ, & aures binæ. Undè quidam Poëta alicui verboſo dixit ſic

Cum nihil auſcultes, ſed plurima vana loquaris,
Una tibi ſatis eſt auris, at ora duo
Non bona ſunt.

Aures ergo binas dedit nobis Deus, unicum vero os: ut plurima tantum audiamus, ſed pauca loquamur.

Explicatur quarta pars. Quod ſilentium moderatum ſit ſignum Sapientiæ. Undè *S. Hieronymus* ſuper *Eccleſiaſten* ait: Pythagorici diſciplina eſt tacere per quinquennium, ut poſtea eruditus loquatur. Undè *Iob.* 13. dicitur: Utinam taceretis, ut putaremini ſapientes. Conſtat, quod quanto aqua eſt profundior, tanto eſt quietior. Sic etiam ſapientes, quanto profundiùs ſunt docti, tanto quietius ſilent. Undè *Prov.* 13. dicitur: Aqua profunda verba ex ore ſapientis viri. Expertum eſt, quod pauper mercator tranſiens per Pagum vel Oppidum, plura habet verba, quam mercator dives: ita etiam ſæpè fit, quod is, qui pauca ſcit, ſemper ſe per verba inania jactat. Huc facit illud *Prov.* 14. Ubi plurima ſunt verba, ibi frequenter egeſtas. Et per oppoſitum, illi, qui abundant divitiis Sapientiæ, cum modeſtia & ſilentio exprimunt ſuum ſenſum. *Iſaiæ* 8. Aquæ ſilvæ currunt cum ſilentio. Et *Eccl.* 9. Verba Sapientium audiuntur cum ſilentio, plus quàm clamor Principis inter ſtultos. Huc etiam pertinent iſti Verſus.

Scire loqui decus eſt ingens, & ſcire tacere:
Hæc duo ſi poteris ſcire, peritus eris.

LECTIO CCII.

TEXTUS.

Tunc continuò viſus malorum ſomniorum turbaverunt illos, & timores ſupervenerunt inſperati. Et alius alibi projectus ſemivivus, propter quam cauſam moriebatur, demonſtrabat; mortis viſiones enim quæ illos turbaverunt, præmonebant, ne inſcii, qualiter mala patiebantur, perirent.

EXPLICATIO TEXTUS.

In hac Lectione oſtendit Salomon, quod illa exterminatio nec pepercerit hominibus dormientibus, nec vigilantibus: addit tamen quod Deus ex miſericordia ſua per viſiones malorum ſomniorum præmonuerit dormientes de futuro ſuo exterminio: ut ita vigilantes, ſi velint per pœnitentiam ad Deum redire, hoc ipſum facere poſſint.

Dicit ergo, *Tunc continuò*; id eſt ſtatim & ſine impedimento: quia Deus decrevit illâ nocte unicâ plagam exterminii inferre Ægyptiis quoad ſua primogenita. *Viſus ſomniorum* (id eſt phantaſmatum apparentium) *turbaverunt illos, & timores ſupervenerunt inſperati*: in illis, qui ſe ad ſomnum diſpoſuerunt pro quiete capienda. Non ſolum autem ſic Ægyptii turbabantur ſpiritaliter & imaginariè, ſed etiam corporaliter transferebantur de loco ad locum. Undè dicit: *Et alius alibi projectus ſemivivus*; id eſt unus in uno loco, & alius in alio loco jacuit ſemivivus: & ita deficiendo ab actu virali omnis ſenſus & motus, *demonſtrabat cauſam, propter quam moriebatur.* Id eſt modus moriendi adeo multiplex fuit ex diverſis cauſis, ita ut non habuerint aliam cauſam efficientem harum mortium, quàm Deum, qui juſtè ſumpſit vindictam de peccatis obduratorum Ægyptiorum

Viſiones enim quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant (ex Dei miſericordia) *ne inſcii* (id eſt ignorantes) *qualiter mala patiebantur, perirent.* Per quæ verba Salomon vult dicere, quod iſtæ viſiones ideo dormientibus fuerint factæ, ut agnoſcerent reatum ſuum: & ut de peccatis præmonerentur, ne ignorarent cauſam, cur tot mala patiantur. Circa illa verba, *Et alius alibi projectus ſemivivus*,

Notandum hic eſt; quod duo faciant vitam ſpiritualem animæ: nimirum virtus & ſcientia. Virtus eſt in voluntate ſeu affectu. Scientia autem eſt in intellectu. Quando ergo virtus tollitur & remanet ſola ſcientia, tunc talis perſona relinquitur ſemiviva: ſcit enim benè agere, ſed non operatur. Et talis homo projiciendus eſt in foveam infernalem. Legitur 2. *Reg.* 10. quod Amon raſerit dimidiam barbam nuntiorum David, & decurtaverit veſtes eorum uſque ad nates. Moraliter loquendo: *dimidia pars barbæ raditur*, quando operatio virtutis omittitur & ſola claritas ſcientiæ reſervatur. Veſtes autem *præſcinduntur uſque ad nates*, quando fama ex pravis operibus orta denudatur. Vilitas autem perſonæ malè operantis *per nates* deſignatur. Et de tali homine verificatur illud *Lucæ* 10. Plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.

Item ſemivivus dicitur peccator vivens in corpore, & mortuus in anima: anima enim tunc mortua eſt ſpiritualiter, quando caret vitâ gratiæ. Undè ad *Timoth.* 5. dicitur: Vidua, quæ in delitiis eſt, vivens mortua eſt. Semivivus etiam dicitur famâ clarus, & vitâ ſordidus. Undè *Apoc.* 3. dicitur: Nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Pro explicatione illius, quod dictum eſt, Ægyptios fuiſſe per ſomnia præmonitos, Sit

ARTICVLVS VNICVS.

An divinatio ex ſomniis ſit licita?

NOtandum primo, *ex Ariſtot. lib. 2. de ſomno & vigilia*: & ex B *Alberto Magno lib. ſuo de ſomno & vigilia.* Quod ſomnium nihil aliud ſit, quam phantaſma factum à motu ſimulacrorum, ſeu ſpecierum in ſimpliciter dormiente. Oriuntur autem ſomnia diverſimodè.

Nam primò oriuntur à corpore humano, diverſimodè diſpoſito. Undè quando in corpore humano ſuperabundat humor pituitoſus, ſeu phlegmaticus, tunc inquam humor ille accedens ad organum phantaſiæ, efficit ut phantaſia ſit ſicut idolum, ſimile illi humori pituitoſo. Unde ſæpè fit, quod homo pituitâ abundans ſomniet ſe eſſe in lôco aliquo humido, ut in aliquo flumine vel pluvia. Econtra autem homo bili flavâ abundans, ſæpè habet ſomnium tanquam pugnaret cum altero. Et ex illis ſomniis tanquam ſignis medici ſæpè cognoſcunt diſpoſitionem hominis internam, & quiſnam humor in illis prædominetur.

Secundò, cauſantur ſomnia ab anima. Nam dum anima de die continuò ſeſe occupat in conſideratione alicujus objecti, de nocte etiam de illo ſomniat. Et ita ſæpè fit, quod amici vel parentes magis ſomnient de ſuis prolibus, vel amicis, quàm de aliis

Tertiò oriuntur ſomnia in homine, virtute corporum cœleſtium, quæ influunt virtutem quandam ſeu qualitatem noſtris corporibus, & illa alterant in ſomno: & hoc modo illi, qui patiuntur à Luna, ſeu illi qui ſunt Lunatici, mirabilia ſæpè ſomnia habent.

Quartò, oriuntur ſubindè ſomnia à bono Angelo; quale fuit illud *Matth.* 2. dum Angelus apparuit Joſeph in ſomnis dicens: Surge, & accipe puerum cum matre ejus & fuge in Ægyptum.

Quintò, oriuntur ſubindè ſomnia à malis ſpiritibus; ſicut patet de uxore Pilati, quæ die Paraſceves dormiebat & ſomniabat, multaque paſſa fuit per viſum de Chriſto Domino. Quem viſum exagitando phantaſiam mulieris cauſavit Diabolus, volens per tales viſiones impedire redemptionem; unde mulier mandavit viro ſuo Pilato: Nihil tibi, & juſto illi, multa enim paſſa ſum per viſum propter eum. *Matth.* 27.

Notandum 2. ex eodem *Ariſt.* loco citato; quod quædam ſomnia ſint ſigna aliorum effectuum; quædam cauſæ: & quædam impertinentia ad futuros eventus. Signa ſunt, ſicut patet ex paulò ante dictis de prædominante humore phlegmatico, qui facit hominem ſomniare tanquam eſſet in loco humido, ut flumine vel pluvia: vel ſi prædominetur humor colericus, facit talem ſomniare, tanquam cum altero decertaret. Sunt etiam ſomnia ſubindè cauſæ futurorum effectivæ, ut v. g. quando homo multùm de die ſpeculatur circa opus aliquod fabricandum, & deindè intra ſomnium de tali opere, apprehendit, vel reperit aliquem modum convenientem, quo illud opus perficere poſſit, & poſtea juxta illam phantaſiam in ſomno habitam, fabricat ſeu producit illud opus. Et hoc modo ſomnium eſt cauſa effectus futuri. Alia autem ſunt ſomnia, quæ repræſentant ſolùm quædam impertinentia ad aliquem eventum futurum, ita ut nec ſigna, nec cauſa alicujus eventus futuri ſint. Et ex iſtis ſomniis nullo modo divinatio, ſeu prædictio alicujus effectus futuri, aut ignoti, eſt exſpectanda. His præmiſſis:

Dico

Dico primò. Divinatio per ſomnia, proveniente ex indiſpoſitione corporali, ſubindè poteſt eſſe licita.

Probatur. Quia ſubindè ſomnia ſunt ſigna, ex quibus medicus poteſt devenire in cognitionem, qualis humor in patiente prædominetur: ut ſi patiens dicat, quod ſemper vel plerumque ſomniet ſe eſſe in aqua, conjiciet medicus, in tali patiente prædominari phlegma. Vel ſi patiens dicat, ſe continuo ſomniare de bello, inferet medicus, quod in ipſo prædominetur flava bilis: Ergo licitum eſt ex talibus ſignis aliquid divinare. Neque ſemper requiritur, quod divinatio ſit de futuris: ſed ſufficit, quod divinatio largè ſumpta ſit alicujus ignoti, ſive præſentis, ſive præteriti, ſive futuri. Undè divinamus an Petrus v. g habeat de pecunia par vel impar in ſua manu. Item ex ſignis divinamus an iſte fuerit in hoc, vel illo loco.

Dico ſecundò. Si homo in peccatis exiſtens ſomnium habeat tanquam eſſet ad ſupremum Judicem raptus, & æternaliter condemnatus, & evigilans excitatur ad agendam pœnitentiam, divinare poteſt ſomnium illud à Deo, vel à bono Angelo ſibi eſſe immiſſum.

Probatur. Quia iſta excitatio ad pœnitentiam tanquam bonus effectus, non poteſt cauſari niſi à Deo, vel bono Angelo: Ergo licitum eſt tali homini divinare, quod illud ſomnium à Deo (qui cupit omnes homines ſalvos fieri) ſibi fuerit immiſſum Econtra autem quando ſanctis viris in magnis ſubindè feſtivitatibus turpia ſomnia eveniunt, propter quæ deindè impediuntur in ſua devotione, ſine dubio ejuſmodi ſomnia à cacadæmone exagitante phantaſiam, oriuntur.

Dico tertiò. Univerſaliter ſomniorum divinationi indulgere, valdè eſt periculoſum.

Probatur. Quia tales homines facilè ex ſomniis divinantes, ſæpiſſimè decipiuntur à dæmone, qui per ſomnia non ſolum nititur decipere eos, qui ſomniis facilè credunt, ſed inſuper præparat eis per hoc viam, ut eos per terribilia ſomnia immiſſa, trahat in deſperationem: Ergo univerſaliter ſomniorum divinationi indulgere, eſt valdè periculoſum.

Probatur ſecundò. Eſt periculoſum indulgere divinationi ſomniorum ex eo, quia idem ſomnium æquivocè, & æqualiter multa ſignificare poteſt: & ideo homo applicans tantum ſomnium ad unum, facilè poteſt decipi.

Probatur tertiò. Quia nonnulla ſomnia debent interpretari per ſimile, & nonnulla per contrarium, quæ diſcernere eſt valde difficilè & periculoſum.

Probatur quartò. Nam ſicut dicit *Ariſtot.* licet ſomnia ſubindè ſint ſignificativa futurorum, non eſt tamen neceſſe, quod iſte eventus ad illa ſomnia ſequatur; quia poſſunt ſuperiores cauſæ impedire Sicut enim nubes, quæ ſunt cauſa pluviæ, aliquando abundant & ſignificant pluviam futuram; & tamen per aliquam cauſam ſuperiorem tales nubes diſpergentem, impeditur pluvia: ſic etiam in voluntariis operibus, quæ aliquis habet ad aliquid faciendum, & firmum propoſitum ad illud exequendum, poteſt impediri. Nec eſt neceſſe quod ſic faciat uti ſibi propoſuit; poteſt enim fortiùs conſilium ſupervenire & totum propoſitum mutare. Et ideo interpretator ſomniorum non debet dicere determinatè, quod ſic eveniet, ſicut ſomnium ſignificat: ſed cum conditione, niſi fortior cauſa ſuperveniens impediat.

Ex dictis ergo conſtat, quod per ſomnia nimis communiter divinare ſit periculoſum. Undè Poëticè dicitur.

Somnia non cures, quia fallunt ſomnia plures.

Et *Eccl.* 34. dicitur. Quaſi qui apprehendit umbram & perſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia, ſecundum hoc viſio ſomniorum.

LECTIO CCIII.

TEXTUS.

Tetigit autem tunc & juſtos tentatio mortis, & commotio in eremo facta eſt multitudinis: ſed non diu permanſit ira tua. Properans enim homo ſine querela deprecabatur pro populis, proferens ſervitutis ſuæ ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati: oſtendens, quoniam tuus eſt famulus.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon narravit pœnam inflictam Ægyptiis: nunc in iſta lectione tractat de inſolita quadam pœna mortis inflicta Hebræis propter eorum rebellionem. Pro cujus intelligentia,

Sciendum eſt. Quod ſicut narratur *Num.* 16. *Chore* filius Iſuar fratris *Amran*, qui fuit pater Moyſes & Aaron, eiſdem inviderit, murmurans contra eos, quod unus ipſorum Sacerdotium ſibi uſurparet, & alius Principatum. Voluit ergo *Chore* fieri Sacerdos, & fungi Sacerdotio, quod Deus ſoli Aaron & filiis ipſius conceſſerat. Et ideo *Chore* ex propoſito adjunxerat ſibi 250. Levitas, quos omnes dignos eſſe Sacerdotio dixit, in odium ipſius Aaron. Et inſuper in ſupplantationem ipſius Moyſis, qui erat Dux populi, adjunxerat ſibi *Dathan & Abyron*, qui fuerunt Rubenitæ, quibus dicebat *Chore*, quod potiſſimum debeatur populi principatus, eo quod erant de Ruben primogenito Jacob. Dum ergo Deus propter hoc, ultione inſolitâ ſe vendicare vellet, *Dathan & Abyron* à terra abſorpti ſunt, & ignis in maxima quantitate egreſſus de thuribulis *Chore* & aliorum Levitarum, qui conſpiraverunt cum *Chore*, omnes eos viros in favillam redegit, dum *Aaron* juxta

illos ſtaret illæſus. Sequenti die omnis multitudo Iſrael conver[illegible] dicens, vos interfeciſtis populum Domini: cumque voluiſſet populus lapidare Moyſen & Aaron, hi fugerunt in tabernaculum, & cooperuit eos nubes, & ſtatim egreſſus ignis de tabernaculo cæpit populum conflagrare. Dixitque Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum tuum, & hauſto igne de altari pone thimiama, & vade rogare pro populo. Accurrit itaque Aaron cum thuribulo, ſtetitque inter vivos & mortuos orans Deum, & ita plaga ceſſavit. Fuerunt autem ex hominibus percuſſi quatuordecim millia & ſeptingenti, abſque his qui perierant in ſeditione *Chore*. Et de hac hiſtoria ait Salomon in hoc textu. Et circa hoc duo facit. Nam *primò* narrat breviter, quomodo pœna mortis, fuerit Hebræis terribiliter illata. *Secundò* quomodo fuerit ſuaviter mitigata.

Circa primum tangit pœnam, & pœnæ cauſam cum dicit: *Tetigit autem & tunc juſtos* (id eſt Hebræos) *tentatio mortis* (id eſt plaga incendii, qua multi mortui ſunt de populo) *& tentatio mortis* in murmuratione populi, propter quam digni erant morte.

In verbis ſequentibus ponit Salomon cauſam hujus pœnæ ſeu plagæ illatæ, dum dicit: *Et commotio facta eſt in eremo multitudinis* contra Moyſen & Aaron. Murmurabat enim populus contra *Moyſen & Aaron*, quando ignis de thuribulis *Chore*, & aliorum ſuorum Levitarum, quos ipſe *Chore* conſtituit, egreſſus eſt, & eos vivos in favillam redegit. Ex iſtis autem qui murmurabant contra Moyſen & Aaron, ignis egreſſus eſt de thuribulo, & conſumpſit quatuordecim millia & ſeptingentas perſonas, ut dictum eſt. Quomodo autem hæc pœna fuerit ſuaviter mitigata, enarrat Salomon in verbis ſequentibus uſque ad finem Capituli.

Dicit ergo ſic: *Sed non diu permanſit ira tua* (id eſt, pœna ex zelo divinæ juſtitiæ proveniens, diu non duravit) *Properans enim homo ſine querela* (id eſt Aaron, qui ſe habuit piè erga Deum, ſobriè erga ſeipſum, & juſtè erga proximum) *deprecari* (id eſt preces effundere ad Deum) *pro populis* (id eſt pro his, quos incendium infeſtavit) *Et proferens ſervitutis ſuæ ſcutum*: nempè orationem (eſt enim, teſte *S. Bernardo*, officium Sacerdotis, orationes ad Deum effundere, tam pro juſtis ne cadant, quam pro injuſtis ut reſurgant) *Et per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ*: Obtulit enim Aaron *Thymiama*, & deprecatus eſt pro populo, ut dicitur: *Num.* 27. Fuit autem *Thymiama* pulvis compoſitus ex ſtacte nonycha, galbano, & thure, ſicut patet ex *cap.* 30. *Exodi.* Per ly autem *Incenſum* deſignatur devotio orationis, conformiter ad illud *Apocal.* 18. Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum. Itaque Aaron cum devotione orans, *reſtitit iræ* (id eſt pœnæ à Deo immiſſæ. *Et finem impoſuit neceſſitati* (id eſt violentiæ mortis) *oſtendens, quoniam tuus eſt famulus* (id eſt Paſtor & Prælatus) cujus munus eſt, ut ſe exponat pro grege ſibi commiſſo, Deumque pro illo [illegible]nget, Circa illa verba, *Proferens ſervitutis ſuæ ſcutum orationem*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An devota Oratio ſit ſcala noſtræ aſcenſionis; ſcutum noſtræ defenſionis; nuntius noſtræ legationis; & reditus noſtræ ſubjectionis?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod devota Oratio ſit ſcala noſtræ Aſcenſionis. Per Orationem enim devotam aſcendimus ad Deum, & à terrenis ad cæleſtia non levamus. Undè *Eccl.* 35. dicitur: Oratio humilis penetrat cælos. Oportet autem ideo Deum exorare, ut Deus ea impleat, quæ ſtatuit facere propter meritum noſtræ orationis proviſum.

Explicatur ſecunda pars. Quod Oratio ſit ſcutum noſtræ defenſionis. Undè rectè in textu dicitur: quod Aaron protulerit ſervitutis ſuæ ſcutum, id eſt, Orationem. In hiſtoriis Britonum legitur, quod Rex Areturus habuerit ſcutum, in quo intus fuit pulchrè depicta beatiſſima Virgo Maria, tenens Filium ſuum chariſſimum in brachiis & quoties Rex ille fuit fatigatus in bello; vel in periculo, reſpiciendo hanc imaginem, ſtatim omnes vires reſumpſit, glorioſè pugnavit, & vicit. Sic etiam *moraliter* loquendo, ſcutum noſtræ orationis debet ornari, ut in ſe habeat imaginem Virginis benedictæ. Si enim imaginemur nobis illam in interiori parte ſcuti orationis noſtræ ſtantem, evademus victores contra hoſtes noſtros; & ipſa ſcutum orationis noſtræ deferet ante conſpectum Filii ſui unigeniti: eritque pro nobis ſupplex, ut impetremus pro ſalute animæ noſtræ, quæ petimus. Habebimus autem glorioſiſſimam Virginem Mariam depictam intrinſecus cum Filio ſuo unigenito in orationibus noſtris, ſi devote ſanctiſſimum Roſarium recitaverimus: recolendo omnia myſteria vitæ, paſſionis, ac reſurrectionis Chriſti. Dicendo enim Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui Jeſus: habemus exactè depictam Virginem glorioſiſſimam Mariam ſecum geſtantem Filium ſuum unigenitum. Oremus ergo ſic fratres chariſſimi: & ſi per Mariæ manus obtulerimus Deo preces noſtras, ſpem bonam concipiamus impetrandi id, quod rectè petimus. Nam quidquid illa Filio ſuo offert, ſemper valdè eidem eſt acceptum. Et ideo dicit *S. Bernardus, ſuper miſſus eſt*. Crede frater, quidquid illud eſt, quod Deo offerre paras, ſanctiſſimæ Virgini Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ, gratia redeat, unde influxit.

Explicatur tertia pars. Quod oratio devota ſit nuntius noſtræ legationis. Undè *Auguſtinus* ſuper

ſuper *Pſalmum 65.* ait: Orationis puræ magna virtus eſt: nam velut fidelis nuntius mandatum peragit, & illuc penetrat, quo caro non pervenit. Unde *Pſalmiſta* ait: Intret in conſpectu oratio mea; inclina aurem tuam ad precem meam.

Explicatur quarta pars. Quod Oratio ſit redditus noſtræ ſubjectionis. Cadit enim Oratio ſub præcepto determinatè & indeterminatè. Determinatè quidem, quantum ad miniſtros Eccleſiæ, qui ex ſtatuto & præcepto ad horas canonicas perſolvendas obligantur. Indeterminatè verò quantum ad omnes: omnis enim homo tenetur ſalutem ſuam procurare, quæ ſine oratione non conceditur adulto. Et ideo orare mentaliter, vel vocaliter, eſt de jure divino; & reducitur ad præceptum illud: Memento ut diem Sabbathi ſanctifices. Tempus vero orandi videtur laicis eſſe ſtatutum ex Canone, diebus feſtivis, quando tenentur divinis officiis intereſſe, ut miniſtris pro populo orantibus, ſuam intentionem confirment. Eſt ergo Oratio, quaſi quidam redditus, quem Deus à nobis exigit ſibi dari. Unde *Oſea* 14. dicitur: Omnem auſer iniquitatem, & accipe bonum; & reddemus vitulos labiorum noſtrorum, id eſt, devotas orationes.

LECTIO CCIV.

TEXTUS.

Vicit autem turbas non in virtute corporis; nec in armatura potentia, ſed verbo illum, qui ſe vexabat, ſubjecit, juramenta Patrum, & teſtamentum commemorans. Cum enim jam acervatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit & amputavit impetum ignis, & diviſit illam, quæ ad vivos ducebat, vitam.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon dixit, quod Aaron pro ſalute populi oraverit devotè ad Deum; nunc recenſet, qualiter Aaron ad placandum Dominum Deum, allegaverit eidem priſtinam ſuam erga populum Judaicum affectionem, qua multa præſtitit Patribus eorum; ut ita Deus memor amicitiæ veteris, remittat novas offenſas Hebræorum.

Dicit ergo. *Vicit autem* (nempe Aaron) *turbas*, id eſt peſtes, ſeu homines inſolentes turbantes populum tibi ſubjectum; non inquam vicit has turbas *virtute corporis*, ſicut olim Samſon vicit Philiſtæos *Iudicum* 15. *Nec* vicit Aaron turbas *armatura potentiæ*; *ſed verbo* (puræ orationis) *illum qui ſe vexabat* (id eſt Angelum punientem populum) *ſubjecit* (id eſt à plaga incendii ceſſare fecit, ſicut Moyſes per verbum orationis vicit Amalecitas. *Exodi* 17.)

Dicitur autem de Aarone, quod vexatio populi ſui, fuerit ſua vexatio; quia bonus Prælatus tanquam caput etiam reſentit ea, quæ fiunt ſuis membris ſibi ſubjectis: juxta illud 2. *Corinth.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor.

Subjecit autem, ſeu ceſſare fecit Aaron Angelum punientem *Iuramenta Patrum* (id eſt promiſſiones Patribus factas) *& teſtamentum commemorans* (id eſt legem eis datam, in verbis ſequentibus ponit hiſtoriæ explanationem, dicens:

Cum enim jam acervatim (id eſt per acervos) *cecidiſſent ſuper alterutrum* (id eſt unus ſuper alium) *mortui* (igne eos occidente) *interſtitit* (nimirum Aaron inter vivos & mortuos opponens ſe quaſi murum pro viventibus contra ignem) *& amputavit impetum ignis, qui ad vivos ducebat* (id eſt diviſit flammam tendentem verſus vivos) Undè in *Pſalmo* dicitur: Vox Domini intercidentis flammam ignis. Sic etiam bonus Prælatus deberet ſeparare bonos & innocentes à malis & peccatoribus, ne flamma peccati innocentes quoque afficiat. Circa illa verba, *Vicit autem turbas*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An ſeptem Vitia capitalia, ſignificata per ſeptem gentes ab Iſraelitis ſuperatas, oporteat expugnare per ſeptem dona Spiritus ſancti?

DIco quod ſic.

Sciendum eſt ante explicationem, quod virtute divina Hebræi ſeu Iſraelitæ expugnaverint, & devicerint ſeptem peſtiferas ſeu malas gentes, ut dicitur *Iudicum* 3. Cognominantur autem illæ Gentes ſeu populi, Gerſezæi, Amorræi, Hevæi, Hethæi, Chananæi, Jeboſæi & Pherezæi: ut habetur *Deut.* 7. Hoc præmiſſo,

Explicatur aſſertio, adducendo ſingula Vitia capitalia applicata ſingulis Gentibus. Et quidem primò, *Gerſezæus* interpretatur *Colonum ejiciens*; Et ſignificat Superbiam: quæ primum Angelum de cœlo, & Adamum ad perſuaſionem ſerpentis Evæ factam (Eritis ſicut Dii) colonum paradiſi ejecit. Hoc autem vitium Superbiæ debet quivis homo vincere per donum timoris Domini, & tunc conſequetur talis homo victoriam contra ſuperbiam & tunc verificabitur illud quod dicitur *Apoc.* 3. Qui vicerit, faciam illum columnam in domo Dei mei. Notum eſt, quod columna ſit facta ad hoc, ut fortiter ſupportet id, quod eſt ſibi ſuprapoſitum. Econtra vero natura Superbiæ eſt, quod nihil velit tolerare, nec ſibi aliquid eſſe ſuprapoſitum; quia Superbia ſemper nititur eſſe ſuper alios, nunquam autem ſub aliis; Et ideò Deus illum, qui vicerit Superbiam, faciet columnam.

Secundò *Amorræus* interpretatur *amaricans vel amare loquens*; & ſignificat Invidum, qui totus eſt fellitus, & amaricatus in ſe: & ideo ſemper amara effundit.

Dicit *Ariſtoteles* 2. *de animalibus Cap.* 2. quod

quod *Abam* ſit aliquod animal in magnitudine alicujus cervi: illud tamen animal contra naturam omnium aliorum animalium habet ſel in aure, ſimile ſelli hominis in colore. Per hoc animal moraliter loquendo rectè ſignificatur invidus, qui ſel in aure gerit; quia quidquid audit, hoc convertit in offenſionem amaritudinis. Huc facit & illud *Ovidii* 2. *Metamorph.*

Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno
Riſus adeſt nunquam, niſi quem fecere dolores.

Iſtæ ergo *Amorraus* Invidiæ vincendus eſt per donum Intellectus; quo homo adveitens proximum ſuæ naturæ participem, dulcem & ſuavem ſe præbere debet proximo ſuo, eique compati; & homo ſic vincendo iſtum Amorræum invidiæ, conſequetur promiſſionem factam *Apocal.* 2. Vincenti dabo manna abſconditum.

Tertiò *Heraus* interpretatur *lapides colligens*, & figurat iracundum & rixoſum; nam iracundus colligit petras offenſionis, & lapides ſcandali, ut in jurgio jaceat contra proximum. Sic *Semei* gradiebatur maledicens, & mittens lapides contra David, 2. *Regum.* 16. Iſtum autem Hevæum Iracundiæ vincere oportet per Donum Conſilii, ſequendo Chriſti conſilia de patientia & tolerantia injuriarum. Et talis iracundiæ victor conſequetur promiſſionem illam factam *Apocalypſ* 2. Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda, id eſt pœna infernali.

Quartò *Hethaus* interpretatur *ſtupor vel formido*, & ſignificat accidiam: quæ facit hominem ſtupidum & formidantem opera virtuoſa. Et iſtæ *Hethaus* Accidiæ vincendus eſt per Donum Fortitudinis. De quo *S. Gregor. 6 Moral.* ita ait: Juſtorum fortitudo eſt carnem vincere, propriis voluptatibus contraire; delectationem vitæ præſentis extinguere; hujus mundi aſpera pro æternis præmiis amare; proſperitatis blandimenta contemnere; & adverſitatis metum cordis audacia ſuperare. Hæc *S Gregor.* Porrò victori hujus Hethæi Accidiæ præmium promittitur *Apocal* 3. Qui vicerit, dabo illi ſedere mecum in throno.

Quintò *Chananaus* interpretatur *Poſſeſſor vel negotiator*: & ſignificat Avarum, qui per diverſas negotiationes auget ſuas poſſeſſiones, & fit dives. Unde *S. Auguſtinus de Verbis Domini Serm.* 25. ait: Quæ eſt illa aviditas concupiſcentiæ, cum & ipſa habeat belluæ modum? Tunc enim rapiunt quando eſuriunt, parcunt verò prædæ, cum ſenſerint ſaturitatem; inſatiabilis eſt ſola avaritia divitum. Et poſt pauca. Sed quæ inſania eſt acquirere aurum, & perdere cœlum? Hæc *S. Auguſtin.* Porrò iſte *Chananaus* avaritiæ ſuperari debet per Donum Pietatis, quæ movet ad dandum pauperibus propter Deum. Qui vero ſic vicerit *Chananeum avaritia* accipiet præmium promiſſum *Apocalypſ.* 22. ubi dicitur: Qui vicerit poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ipſe erit mihi filius.

Sextò *Jebuſaus* interpretatur *Præſepe*, & ſignificat Gulam; quæ ſuadet homini ſemper ſtare ad præſepe pabuli ſicut aſinus. Et iſte *Jebuſaus* gulæ vinci debet per Donum Scientiæ, qua ſcimus vivere temperatè. Juxta illud *Apoſt. ad Philipp.* 4. Scio abundare & penuriam pati. Et ſic vincenti dabitur, quod promittitur *Apocal.* 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ.

Septimò *Pherezaus* qui interpretatur *diſſeminans terram*, & figurat luxuriam, ſeu lubricum & illecebris datum; qui illicitè ſeminat ſemen ſuum, & metit momentaneam delectationem & in fine pœnam æternam. Huc facit illud ad *Galatas* 6. Qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem. Porrò iſte *Pherezaus* luxuriæ vincendus eſt per Sapientiam; id eſt per ſaporem cœleſtium: quibus guſtatis per piam meditationem ceſſat omnis delectatio carnalis. Et qui ſic vicerit accipiet præmium promiſſum *Apocalypſ.* 3. Qui vicerit, hic veſtietur veſtimentis albis.

Iſtæ ergo ſunt ſeptem gentes ſeu ſeptem hoſtes, quos vincere debemus, ſi velimus regnare cum Chriſto.

Iulius 6. *lib.* 7. *Stratagematum cap.* 3 narrat de *Marco Furio Camillo*, quod iturus ad Bellum in exercitu proclamare mandaverit, ſe non recepturum in caſtra quenquam, niſi victorem· reductiſque militibus in aciem, victoria potitus eſt. Iſto modo Chriſtus Rex Regum, & Dux exercituum, nullum recipiet in cœlum in die Judicii, niſi prius fuerit victor. Et ideo hos ſeptem promiſſiones de præmio dando ſolum facit ſub conditione victoriæ. Propter quod dicitur *Iſaia* 9. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe; & ſicut exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia.

LECTIO CCV.

TEXTUS.

In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius erat ſcripta. His autem ceſſit, qui exterminabat, & hæc extimuit: erat enim ſola tentatio iræ ſufficiens.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione oſtendit Salomon, quod ad placandam iram Dei *Aaron* indutus Pontificalibus, præter orationem etiam adjunxerit ſacrarum veſtium repræſentationem, quæ myſteriis plenæ erant. Et circa hoc duo facit. Nam primò deſcribit ſacerdotalis ornatus convenientiam, ſecundò oſtendit quantum ipſi Aaroni in ornatu

ſuo

natu ſuo pontificali Angelus præſtiterit reverentiam. Porrò in deſcribendo ornatum ſacerdotalem, non enumerat omnes veſtes de quibus *Exodi* 28. agitur; ſed tantum tria ornamenta deſcribit, in quibus omnia alia intelligi voluit. Sunt autem iſta tria, quæ deſcribit, hæc: nempè tunica hyacinthina, rationale, & lamina aurea, quæ pendebat in fronte. In hoc autem triplici ornatu erat repræſentatio orbis terrarum, commemoratio paternæ nobilitatis, & declaratio divinæ majeſtatis.

Dicit ergo ſic: *In veſte enim Poderis*. Eſt autem Poderis veſtis aliqua talaris, & dicitur à *Pos* podis græcè, quod eſt Pes pedis latinè; quia erat tunica hyacinthina uſque ad pedes deſcendens. Unde dicitur Poderis, quaſi pedibus inhærens.

Porrò Poderis facta fuit de duabus Inciſionibus, conſuta ſuper humeros, & per latera in modum dalmaticæ facta. Manicas habuit ejuſdem coloris; capucium habuit non ex tranſverſo ſuper ſcapulas, ſed longam ſectionem habuit iſta veſtis à pectore uſque ad medias ſcapulas, cui aperturæ, ne turpiter appareret antè & retro, aſſuta erat vitta, quæ ſuper ſcapulas hinc indè vaſculis conſtringebatur. Habuit quoque hæc ſolemnis tunica pontificalis pro fimbriis 72. tintinnabula aurea, quibus erant immixta totidem vaſcula, quaſi mala punica ex hyacintho, purpura & cocco bis tincto; ita ut poſt tintinnabulum eſſet malogranatum quaſi interſcalari modo poſitum, ut audiretur ſonus, quando ſacerdos ingreſſus fuit ſanctuarium.

De hac ergo veſte Pontificali dicitur hic, *In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*. Ubi ly *Poderis* non ſolum accipitur pro tunica mox deſcripta, ſed etiam pro toto ornamento Sacerdotali, per quod ſecundum diverſas partes totus orbis terrarum myſticè ſignificabatur. Pro cujus majori intelligentia,

Notandum eſt, quod (ſicut dicit *Magiſter Sententiarum in hiſtoria ſuper Caput* 28. *Exodi*) quatuor fuerint veſtes, tam minoribus ſeu communibus ſacerdotibus, quam Principi Sacerdotum, quem *Arabarchum* appellabant, communes; ſuper has tamen veſtes *Arabarchus* portavit adhuc quatuor alias veſtes ſibi ſpeciales.

Itaque veſtes communes Sacerdotibus minoribus & Principi Sacerdotum, erant *femoralia, camiſia, talaris, & baltheus* latus ad quantitatem 4. digitorum, intextus floribus coccineis, purpureis, hyacinthinis, & thiara.

Quatuor autem veſtes pontificales, quibus ſummus tantum ſacerdos induebatur, fuerunt iſtæ: Nempè Poderis, de qua paulo ante dictum eſt. *Superhumerale*, quod habuit formam quadranguli in pectore, & duos lapides Onichinos ſuper utrumque humerum; in uno erant ſcripta provincialibus litteris ſex nomina filiorum Iſrael, & in alio, alia ſex nomina filiorum Iſrael ſeu Jacob. *Rationale* fuit tertium ornamentum & quadrangulum juxta menſuram aperturæ in ſuperhumerali ex quatuor coloribus confectum; videlicet byſſo & purpura, hyacintho, & cocco bis tincto & auro contextum, ſicut etiam ſuperhumerale. Et erant in eo duodecim lapides auro firmiter incluſi per quatuor ordines, ita ut in quovis ordine fuerint tres lapides.

In primo ordine fuerunt Sardius, Topazius, & Smaragdus. In ſecundo ordine Carbunculus, Saphyrus & Jaſpis. In tertio ordine Ligurius, Achates & Amethyſtus. In quarto ordine erant Chryſolitus, Onychinus & Berillus. In quibus lapidibus erant ſcripta nomina duodecim filiorum Iſrael juxta ordinem nativitatis ſuæ, ſingula in ſingulis lapidibus.

Quartum ornamentum ſummi Sacerdotis erat capitis; quod communiter Thiara, mitra, vel infula dicitur, ſpecialius tamen vocatur Cydaris; & intus erat totaliter hyacinthina, & exterius circumdabatur aureo circulo tribus ordinibus facto, cujus ſummitas in acutiſſimum cacumen ſuperius ſe extendebat. Super frontem autem pendebat lamina aurea, ad modum dimidiæ lunæ facta, quæ arcuationem ſuam habuit verſus ſurſum, atque per annulum aureum uncini inſerebatur, qui thiaræ affixus erat.

Porro in hac lamina ſcriptum erat, *Ayoth Adonai*; id eſt magnum nomen Domini, ſcilicet Tetragrammaton, quod ineffabile dicitur: non quia dici non poteſt, ſed quia rem ineffabilem ſignificat.

Explicatur nunc prima veſtis Pontificalis, quæ eſt Poderis. Quando ergo in textu allegato dicitur, quod Aaron coram Domino orans pro populo *ſteterit in veſte poderis*; tunc ly poderis accipitur pro totali ornamento ſummi Sacerdotis, ſeu *Arabarchi*: & in omnibus iſtis veſtibus figuratur totus orbis terrarum.

Quod ſic explicatur: Nam Femoralia & Camiſia linea, quia de lino erant, figurabant terram; Baltheus Oceanum; Tunica hyacinthina Aerem denotabat; Tintinnabula ratione ſui ſonus Tonitrum; Mala granata Coruſcationes; Ephoth verò vel Superhumerale propter varietatem ſuorum colorum figurabat Cœlum ſydereum; quod verò aurum aliis quatuor coloribus intextum erat, ſignificat quod calor vitalis penetrat univerſa. Duo Sardonices ſignificabant Solem & Lunam. Duodecim gemmæ pectorales, duodecim ſigna in Zodiaco oſtendebant. Rationale verò, quod erat in pectore, ſignificabat quod terrena adhæreant cœleſtibus. Per Cyderim, ſeu Thiaram ſignificabatur cœlum Empyreum. Lamina ſuprapoſita repræſentabat Deum omnibus præſidentem. Ex dictis ergo patet, quomodo per veſtem poderis, intelligendo nomine Poderis omnes veſtes ſacerdotales, & pontificales, totus orbis terrarum erat, puta figurativè.

Explicatur ſecunda veſtis Pontificalis, quæ eſt Rationale ſive Logyon, aut pectorale, in quo (ut dictum eſt) erant quatuor ordines, in quibus fuerunt duodecim gemmæ, in quibus ſculpta fuerunt duodecim nomina filiorum Iſrael, ſeu Jacob.

Et

Et quantum ad hoc dicitur in textu allegato. *Et parentum* (nimirum duodecim Patriarcharum filiorum Jacob) *magnalia* (id eſt magnum aliquid ſignificantia) *ſculpta erant in quatuor ordinibus lapidum* (id eſt gemmarum)

Explicatur tertium ornamentum Pontificale, quod eſt *Cydaris*, ſeu mitra aut infula pontificalis, quæ habet laminam pendentem in fronte Pontificis. Et quantum ad hoc ornamentum Pontificale, dicitur in textu ſic: *Et magnificentia tua* (id eſt magnificum & ineffabile nomen tuum) *erat ſcripta in diademate capitis illius*, (id eſt lamina aurea ad modum mediæ lunæ corniculata, quæ pendebat in fronte Pontificis) *& diademati* (id eſt Cydari, ſeu mitræ) fuit inſerta. Et ita ly *Diadema* tanquam pars ſtat pro toto, nimirum pro mitra tota.

In verbis ſequentibus textus allegati oſtendit Salomon quantam reverentiam Angelus oſtenderit Aaron, ſic induto. Dicit ergo ſic: *His autem ceſſit* (his autem, id eſt, quæ ſcribebantur & figurabantur per veſtes Sacerdotales & Pontificiales; ceſſit Angelus exterminator Ægypti.)

Et inſuper Angelus *hæc extimuit*, non timore, qui eſt paſſio; ſed timore, qui eſt reverentiæ exhibitio.

Erat enim, ubi ly *enim* idem valet ac quia, & ſenſus eſt: *Quia erat ſola tentatio iræ ſufficiens*, id eſt timor, quem habuit populus de juſta Dei vindicta, quando videbat tantam multitudinem eſſe conflagratam, ſufficiens erat ad deletionem ſui ſceleris. Sunt enim quidam facilis correptionis, quibus ſufficit verbum corripientis; quidam autem indigent, ut verbis addantur verbera; & de talibus dicitur *Proverb.* 23. Servus verbis erudiri non poteſt. Et *Eccl.* 33. Qui non obaudit, curva illum cum pedibus. Circa illa verba, *in veſte Poderis*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

An moraliter loquendo quævis perſona Eccleſiaſtica debeat habere Poderem in corpore; Rationale in pectore; & Diadema in capite?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod quivis Eccleſiaſticus debeat habere Poderem in corpore. Nam ſicut Poderis ſignificat continentiam caſtitatis, ita religioſus debet omnes motus laſciviæ reprimere & petulantiam ac inſolentiam compeſcere. Et ſicut Poderis eſt veſtis talaris, per totum corpus ſe extendens, ſic etiam religioſus in toto corpore debet ſervare continentiam, & nec in motu vel geſtu aliquid laſcivi facere. Fingunt Poetæ, quod mater Achillis eundem intinxerit in aquis ſtigiis, id eſt in aquis cujuſdam fluminis infernalis quantum ad totum corpus, excepto talo. Cum ergo captus amore Polixeoæ in templo thorum perſonæ ſtatuiſſet, à Paride in talo percuſſus occubuit. Et quia Paris ſub ſimulacro Apollinis latuit in templo abſconditus, Apollo talum Paridis direxit in talum Achillis, qui ex illo vulnere mortuus eſt. Applicatio moralis. Venæ, quæ ſunt in talo, pertingunt uſque ad renes, ſœmora & virilia. Undè Orpheus principalem locum libidinis dixit eſſe in talo. Achilles eſt homo perfectus, quem virtus tanquam mater intinxit in aquis ſtigiis, quia virtus munit homines contra omnes labores; attamen ſolum talum non tinxit, quia quantumcunque homo per humanam virtutem fuerit munitus, ſemper tamen ad libidinis ictum eſt vulnerabilis, niſi per divinam gratiam præſervetur. Et ideo ſignanter dicit Salomon *Sap.* 8. Scivi, quia aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. Rogandus proinde continuò Deus eſt pro hac virtute continentiæ, quæ tantum per frequentes preces impetrari poteſt; juxta illud *Eccl.* 27. Si ſequaris juſtitiam, quæ eſt continentia (qua corpus rectè agitur) apprehendes illam, & indues illam quaſi Podarem honoris. Vocatur etiam Talaris continentia, quia uſque ad finem vitæ continuari debet. 2. *Reg.* 12. Thamar erat induta hujuſmodi talari tunica. Filiæ autem Regum virgines hujuſcemodi tunica utebantur.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſecundum ornamentum perſonæ Eccleſiaſticæ debeat eſſe Rationale ſcientiæ, & veritatis. Conſtat ex dictis, quod in Rationali ſummi Sacerdotis ſcribebantur doctrina & veritas: ita etiam principalis intentio clerici debet eſſe, ut poſſit vera addiſcere, & vera docere.

Legitur in collationibus Patrum *lib.* 10. *cap.* 29. Abbatem Palladium dixiſſe, quod anima ſecundum Chriſti voluntatem conſervantem, oportet aut diſcere fideliter, quæ neſcit, aut docere manifeſtè, quæ novit. Si autem utrumque poſſit & non velit, inſaniæ morbo laborat. Initium enim recedendi à Deo, eſt faſtidium doctrinæ, & quando non appetit id, quod anima ſemper eſurit, quæ diligit Deum. De illo ornamento Scientiæ & Veritatis dicitur *Eccleſ.* 21. Ornamentum aureum prudentis, doctrina.

Explicatur tertia pars. Quod tertium ornamentum, quo ſe debet induere Religioſus vel perſona Eccleſiaſtica, ſit Diadema capitis. Eſt enim Diadema, inſigne regale, per quod diſcernitur Rex ab aliis. Sic etiam ſola charitas dividit inter filios regni & perditionis, ſecundum S. *Auguſtinum*. Undè *Eſther* 3. dicitur in figura: Homo, quem Rex honorari cupit, debet indui veſtibus Regiis, & imponi equo, qui de ſella Regis eſt, & accipere regnum diadema ſuper caput ejus. Veſtes autem Chriſti tanquam noſtri Regis, ſunt virtutes; equus autem de ſella Regis, ſuit Crux dominica; & diadema Regis Chriſti ſuit charitas. Et ideo per hæc tria nos honorabiles faciemus apud Deum, & apud homines, videlicet virtutibus, pœnitentia, & charitate.

CAPI-

CAPITULUM DECIMUMNONUM ET ULTIMUM.

LECTIO CCVI.

TEXTUS.

Impiis autem uſque ad noviſſimum ſine miſericordia ira ſupervenit. Præſciebat enim & futura eorum. Quoniam cum ipſi reverſi eſſent, & permiſiſſent, ut ſe ſeducerent, & cum magna ſolicitudine permiſiſſent illos, conſequebatur illos actus pœnitentiæ. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam ſibi aſſumpſerunt cogitationem inſcientiæ: & quos rogantes projecerant, hos tanquam fugitivos perſequebantur.

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hoc Capitulo commendat Salomon Dei Sapientiam in terribili ſubmerſione Ægyptiorum in mari rubro; deinde de multiplici patrocinio Hebræorum in deſerto; & de his duobus agit alternatim uſque ad finem hujus Libri. In hac autem Lectione narrat Salomon tria. Primò, quomodo juſti & impii à Deo diverſimodè ſint puniti. Secundò, quomodo malorum præſentia & futura ſcelera non fuerint abſcondita. Tertiò, oſtendit quàm juſtè Ægyptii meruerint ſubmerſionem in mari rubro.

Dicit ergo ſic: *Impiis autem uſque in noviſſimum ſine miſericordia ira ſupervenit.* Quaſi diceret: Hebræi rebelles & murmurantes contra Dominum, occiſi ſunt pro aliqua parte per ignis incendium; non tamen totaliter deſævit ignis ille in populum, quia ſedatus fuit per Aaronis Pontificis ſupplicantis remedium. At vero *impiis* (id eſt Ægyptiis perſequentibus Hebræos, intra mare rubrum abſque remedio) *uſque in noviſſimum ſine miſericordia ira Dei ſupervenit. Ira*, id eſt vindicta juſta conſumpti ſunt; quia uſque ad mortem, vel *uſque ad noviſſimum*, id eſt quemlibet (nullus enim ab illa ſubmerſione liberatus eſt hæc *ira Dei ſupervenit* à Deo, tanquam pondus quod ſuſtinere non poſſent.

Ratio autem hujus variæ punitionis juſtorum & impiorum ſubjungitur, quod *Dominus præſciebat*, quod ipſi Hebræi pœnitentiam acturi, & ſe correcturi ſint. Et ideo Deus illis pepercit. Econtra autem præſciebat, quod Ægyptii finaliter in ſua obſtinatione permanſuri ſint; & ideo hos finaliter exterminavit per ſubmerſionem in mari rubro.

In verbis ſequentibus declarat, quomodo juſtè Ægyptii meruerint ſubmerſionem in mari rubro propter ſuam malitiam, quam dupliciter demonſtrarunt in exitu Iſrael de Ægypto. Nam poſtquam viderunt Ægyptii decimam plagam qua fuerant occiſi primogeniti, aſcenderunt, & permiſerunt, quod filii Iſrael intrarent deſertum ad ſacrificandum Deo ſuo; imò compellebant eos exire, ſicut patet *Exodi* 13. Et tamen hoc non obſtante, ſtatim diſplicuit eiſdem Ægyptiis, quod Iſraelitas permiſiſſent recedere; & ideo illos Iſraelitas à ſe dimiſſos tanquam fugitivos perſequebantur. Hæc ergo falſitas & inconſtantia in ſuo propoſito aggravat malitiam & injuriam. Præterea quia Ægyptii, non obſtante, quod adhuc occupati eſſent circa ſepulturam mortuorum ſuorum primogenitorum, tam citò redierunt ad malitiam & injuriam contra Hebræos exercendam, dum voluerunt eos revocare, ſatis oſtenditur, quod Ægyptii in ſua malitia obdurati fuerint, nec pœnitere voluerint. Et ideo dixit Salomon eos fuiſſe dignos mirabili ſubmerſione in mari rubro.

Ex dictis proinde patet, quod præſciverit Ægyptios finaliter fore ma os; quod ex hoc patuit: *Quoniam cum ipſi* (nempe Ægyptii) *reverſi eſſent ad cor* (videlicet ad aliqualem cognitionem Dei) *quod permiſiſſent* (licentiando Hebræos) *ut ſe ſeducerent* (ſcilicet de Ægypto) vel *ut ſeducerent* (id eſt ſeorſim ducerent Ægyptii Hebræos inter montes & mare rubrum. *Et cum magna ſolicitudine permiſiſſent illos* (nempe Hebræos) *Conſequebatur illos actus pœnitentiæ*; quia videlicet Ægyptii pœnituerunt de facto præſtito Hebræis, per hoc, quod permiſerint eos exire ex Ægypto. In ſequentibus verbis oſtendit Salomon, quam inſipienter doluerint Ægyptii, ſe Hebræos dimiſiſſe, quos adhuc injuſtè revocare volebant in Ægyptum. Unde dicit ſic: *Adhuc inter manus luctum habentes* (id eſt funera ſuorum primogenitorum) *& deplorantes* (id eſt valde plorantes) *ad monumenta mortuorum, aliam ſibi aſſumpſerunt cogitationem inſcientiæ* (id eſt per quam facti ſunt inſipientes & fatui) *& quos projecerant* (id eſt ejecerant de Ægypto) *hos tanquam fugitivos perſequebantur*; uti narratur *Exodi* 13. Induravit enim Dominus cor Pharaonis Regis Ægypti, & perſecutus eſt filios Iſrael. Circa illa verba *Uſque in noviſſimum ira Dei* (quæ teſte *S. Auguſtino lib* 5. *de Civit. Dei cap* 25. Nihil aliud eſt, quam juſta Dei vindicta de peccato) *ſupervenit*, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Quomodo ira Dei ſit indeclinabilis, & mitigabilis?

DIco 1. Ira Dei eſt indeclinabilis per virium humanarum poteſtatem.

Explicatur aſſertio. Quia licet ab ira hominis poſſit aliquis ſe abſcondere, vel eam effugere; aut etiam iræ alterius reſiſtere per ſuas vires & robur: Iræ tamen Dei nemo reſiſtere poteſt. Unde *Nahum.* 1, dicitur: Quis ſtabit ante

faciem indignationis ejus, & quis reſiſtet iræ furoris ejus? Et in *Pſalmo.* Quis novit poteſtatem iræ tuæ? Et præ timore iræ tuæ quis reſiſtet? quaſi dicat: nemo. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt; Ipſe quoque ſi velit punire, pœna certè ſequetur; quia nemo de manu ejus poteſt eruere; quia Deus ubique eſt.

Dico 2. quod ira Dei non debilitetur temporis tarditate.

Explicatur aſſertio. Quia ſi Deus diu exſpectet, gravius ferit. Unde *Valerius lib. 7. cap. 7.* ait: Lento enim gradu ad vindictam ſui Dei ira procedit, & tarditatem ſupplicii gravitate ſui compenſat. Et ideo *Eccl. 16.* dicitur: In gente incredibili exardeſcet ira. Fertur de quadam civitate, quæ bello laceſſita miſit ad quendam Principem pro auxilio; & ut animum Principis magis diſponeret ad ferendum ſuccurſum, curavit ei civitas per ſuos delegatos exponi, qualiter urbs ſit benè circumquaque munita fortiſſimis muris, profundis foſſis, & altis robuſtiſque turribus. Princeps iſtis delegatis reſpondit: Si urbs veſtra eſt ſuperius cooperta, ita ut ira Dei intrare non poſſit, vobis ſuccurram; ſi autem ſuperius ira Dei ad punienda veſtra peccata intrare valear, non poſſum iræ Dei reſiſtere, & ideo vobis non ſuccurram. In Nortfolthia quadam parte Angliæ dicitur contigiſſe, quod quadam æſtate propter ſupervenientes raras muſcas in magna multitudine, blada quidam copioſe creverit, ſed per eaſdem muſcas adeo abſumpta ſit, ut in tota Anglia non niſi unus medius modius de blada collectus ſit. Homines ergo raras illas muſcas ceperunt, & invenerunt, quod in alis earum erant ſcripta hæc verba, nempe in una ala, *Ira*, & in altera ala, *Dei*. Et per hoc Deus demonſtravit, quod propter peccata gentem illam punivent, conformiter ad illud *Jeremiæ* 12. Seminaverunt triticum, & meſſuerunt ſpinas; hæreditatem acceperunt & eis non proderit: confundemini à fructibus veſtris propter iram furoris Domini.

Dico 3. Quod ſubindè propter unius tantum hominis peccatum ira Dei erga plures ſeſe effundat.

Explicatur aſſertio. Nam propter unius hominis malitiam flagellat Deus ſubinde unam magnam multitudinem, aut provinciam, vel aliquam civitatem. Exemplum hujus eſt *Exodi* 21. ubi dicitur: quod tota domus Abimelech, & totus populus Iſrael propter peccatum Achor punitus fuerit. Unde dicitur ibi: Non poteris ſtare contra inimicos tuos, donec deleatur ex te, qui contaminatus eſt hoc ſcelere, dicit Dominus ad Joſue. *Joſue* 7. Propter quod etiam legimus, quod Phinees dixerit quibuſdam filiis Iſraël, *Joſuæ* 22. Vos hodie Dominum reliquiſtis, & cras in univerſum Iſrael ira ejus deſæviet.

Nonne Achor filius Zare præteriit mandatum Domini & ſuper omnem populum Iſrael ira ejus incubuit? Dominus enim ſubindè punit propter peccatum unius hominis alterum hominem corporaliter; ſed non æternaliter.

Dico 4. Ira Dei non mitigatur, niſi per humilitatem.

Explicatur aſſertio. Conſtat quod natura Leonis ſit, non iraſci niſi lædatur; proſtratis autem hominibus parcere dicitur: juxta illum verſum.

Parcere proſtratis ſcit nobilis ira Leonis.

Eodem modo Deus non iraſcitur niſi læſus: ſed ſi quis proſtratus ante Deum humiliter veniam deprecetur, placatur ira Dei. Hunc autem modum deprecandi Dominum Deum habemus *Iſaiæ* 64. ubi dicitur: Ne iraſcaris Domine, & ne ultra memineris iniquitatum noſtrarum. Et 2. *Paralip* 12. dicitur: Quia humiliati ſunt, averſa eſt ira Dei ab eis.

LECTIO CCVII.

TEXTUS.

Ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas: & horum, quæ acciderunt, commemorationem amittebant, ut ea, quæ deerant tormentis, repleret punitio, & populus quidem tuus mirabiliter tranſiret. Illi autem novam mortem invenerunt.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam oſtendit Salomon, quod Ægyptii radicata, & magna malitia uſi ſint contra Hebræos, nunc oſtendit, quod juſtè puniti ſint per ſubmerſionem in mari rubro.

Dicit ergo: *Ducebat enim illos* (id eſt Ægyptios, qui fuerunt perſecutores filiorum Iſrael) *ad hunc finem* (non ut Iſraelitæ periclitarentur in mari rubro) *digna neceſſitas* (id eſt exigentia culpæ; quæ talem mortem meruit)

Et quia Ægyptii omnium plagarum ſibi antea à Deo inflictarum, obliti ſunt ex pertinaci ſua malitia; ideo ſubditur in textu; *Et horum, quæ acciderunt, commemorationem amittebant. Ut ea, quæ deerant tormentis* (jam antea Ægyptiis inflictis) *repleret* (id eſt perfectè conſumeret) *punitis* uſque ad mortem.

In verbis ſequentibus exprimitur cauſa, cur Ægyptii ſubmerſi ſint in mari rubro. Et hujus ſubmerſionis fuit duplex ratio. Prima fuit, ut populus Dei Iſraeliticus magis mirabiliter tranſiret. Secunda fuit, ut Ægyptii inuſitata morte miſerabiliter perirent, dum mare ex utraque parte ſtetit ſicut murus, ut filios Iſrael ſicco pede per illud potuerint tranſire. Poſtquam autem Iſraelitæ jam totaliter tranſierunt, & Ægyptii eos inſequentes in medio mari ſteterunt, concluſit mare fluctus ſuos ſuper eos, & omnes ſimul conſumpſit ac occidit. Et hoc eſt, quod dicitur in textu, *Et populus quidem tuus mirabiliter tranſiret, illi autem novam mortem invenirent.* Dicitur autem nova mors, non quod nunquam antea aliquis fuerit ſubmerſus, ſed quia mare rubrum ſtans ex utraque parte ſicut murus, omnes

Ægy-

Ægyptios ſimul abſumpſit. Circa illa verba, *Ducebat enim illos digna neceßitas ad hunc finem*, ſic

ARTICULUS UNICUS.

An quidam homines ſeducantur illecebroſa ſenſualitate; præſumptuoſa temeritate; malitioſa ſeveritate; & pernicioſa familiaritate?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod aliqui homines ſeducantur illecebroſa ſenſualitate. Et tales homines non ſecundum rationem, ſed ſecundum paſſionem vivunt, qui non quod honeſtum, ſed, quod tantum ſenſui delectabile eſt quærunt. Sic ductus eſt juvenis ille vecors, quem mulier loquacitate ſua irretivit, & blanditiis labiorum ſuorum pertraxit, ut illam ſtatim fuerit ſecutus, veluti bos ductus ad victimam *Proverb.* 7.

Narrat *Fulgentius* 1. *Metalogiorum*, quod cùm Admetus Rex Alceſtam duxerat in uxorem, is infirmatus eſt. Conſulens verò Apollinem pro ſanitatis recuperandæ remedio, reſponſum accepit, quod non poſſit ſanari; niſi aliquis ex amicis ſuis pro ipſo moreretur. Quo intellecto Alceſta mortem ſponte ſubiit, & deſcendit ad infernum. Hercules vero Alceſtæ compatiens deſcendit ad infernum, & devicto Cerbero, Alceſtam liberavit ab inferis. Moraliter loquendo: Mens humana & ſenſualitas adinvicem copulantur, ſicut ſponſus & ſponſa, vir & uxor. Porrò vir infirmatur, quando cogitationibus laſcivis & variis agitatur; clamat proindè ad Deum cum *Pſalmiſta*. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine. Reſpondet autem Dominus Deus homini infirmo ſic precanti per Scripturas ſacras; quod oporteat, ad hoc ut Spiritus conſequatur ſalutem, unus de propinquis ſuis voluntariam mortem ſubeat; id eſt, quod caro voluntariis pœnitentiis mortificetur; quia niſi caro moriatur, Spiritus vitam gratiæ non habebit. Et hoc eſt, quod dicitur ad *Rom* 8. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Porrò caro mortificata per pœnitentiam deſcendit ad inferos, quando in terram, à qua ortum habet, finaliter revertetur. At verò per fortem Herculem (nimirum per Chriſtum Dominum) eripitur à terræ ſepulchro caro noſtra, & per generalem reſurrectionem, viro ſuo, id eſt animæ ſeu ſpiritui perpetuò conjungetur. Itaque caro in hac vita ductrix noſtra eſſe non debet; nec debemus duci juxta ſenſuales illecebras, ſed magis debemus duci ſecundum ſpiritum: juxta illud *Apoſtoli ad Galathas* 5. Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Et infra. Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege videlicet carnalis concupiſcentiæ, quæ lex carnis dicitur; juxta illud ad *Rom.* 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.

Explicatur ſecunda pars. Quod quidam ſeducantur præſumptuoſa temeritate, quales ſunt plerique adhuc inexperti, qui proprio ſenſui nimis capritioſè adhærent. De his dicit *Vegetius lib.* 3. *de re militari*. Imperita ruſticitas plura promittit & credit ſe ſcire, quæ neſcit. Et ideo propter inexperientiam paſſio juventutis eſt præſumptio timiditatis in ſenectute; ſicut dicit *Ariſtot.* 2. *Reth.* Et de talibus benè verificatur illud *Matth.* 15. Cœci ſunt & duces cœcorum. Huc quoque facit illud *Pſalmi*. Oculos habent, & non videbunt.

Explicatur tertia pars. Quod quidam ſeducantur malitioſa ſeveritate. Et iſti plerumque ſunt potentes & nobiles, qui utuntur malis conſiliariis, quorum inſtigationibus ad varias injurias aliis inferendas agitantur; nunc ad pauperum deceptiones & defraudationes; nunc ad injuſtas perquiſitiones; nunc ad iniquas ſeditiones; per quas Reſpublica diſſipatur; pax civilis turbatur; & quod pejus eſt, Eccleſia Dei pedibus conculcatur. De his verificatur illud *Iſaiæ* 5. Propterea ductus eſt populus meus captivus, quia non habuit ſcientiam; & nobiles ejus interierunt fame; & multitudo ejus ſiti exaruit. In quibus verbis non ſolum tangitur culpa præterita, ſed etiam pœna futura.

Explicatur quarta pars. Quod quidam ſeducantur pernitioſa familiaritate cum hominibus vitioſis. De hac re dicit *Hugo à S. Victore* in ſuo libro de *arrha animæ*, ſic. Ea eſt vis amoris, ut te talem eſſe neceſſe ſit, quale eſt illud, quod amas; & cui per affectum conjungeris, in ipſius ſimilitudinem dilectionis ſocietate conformaris. Nec mirum. Nam ſecundum *S. Dionyſium cap.* 4. *de divinis nominibus*. Amor habet quandam vim excitativam, unitivam & transformativam, quæ non dimittit amatorem ſui ipſius eſſe, ſed rerum amatarum. Et à conditionibus illius, quem amat, poteſt homo veriſſimè deſcribi. Nam

Noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe.

Unde ſignanter ſcribit *Valerius ad Rufinum*. Cui des amorem tuum, videto. Quaſi diceret: ex re amata poterit colligi, qualis ſis. Et hæc pauca Valerii verba juveni ſunt benè imprimenda. Ad quæ attendiſſe videtur ſenex, qui ſuum filium informare volens, ne cum vitioſo, aut cum meretrice familiaritatem contraheret, dixit ei: Talem quemque fore, qualem ſibi nectit amore. Huc etiam pertinent illi verſus:

Quiſquis amat reprobos, reprobis ſe praſtat amicum:
Se negat eſſe probum, ſe facto clamat iniquum.

Et rurſus:

Qui tangit picem, tingit cum labe colorem:
Sic pice fœdaris, qui flagras turpis amore.

Et tandem in fine bonus ille ſenex alloquens filium ſuum, ſic ait:

Ergo cave fili turpatos crimine vili,
Ne tu conſimili turperis fine ſenili.

LECTIO CCVIII.

TEXTUS.

Omnis enim creatura ab initio ad ſuum genus refigurabatur, deſerviens tuis præceptis, ut pueri tui cuſtodirentur illaſi. Nam nubes eorum caſtra obumbrabat; & ex aqua, quæ ante erat terra, apparuit arida; & in mari rubro via ſine impedimento; & campus germinans de profundo nimio; per quem omnis natio tranſivit, quæ regebatur manu tua, videntes tua mirabilia & monſtra.

EXPLICATIO TEXTVS.

POſtquam oſtenſum eſt, qualiter Ægyptii ſubmerſi ſint in mari rubro, nunc agit de favorabili patrocinio collato Iſraelitis in recedendo ex Ægypto; ita ut primo commemoretur divina gubernatio, & qualiter omnis creatura divinæ voluntati famulabatur pro liberatione Iſraelitarum; Secundò autem oſtendit Salomon exultationem Iſraelitarum, per hoc, quod ſicco pede tranſierint mare rubrum. Pro intelligentia textus

Sciendum eſt, quod omnis creatura, ſicut libera Dei voluntate producta eſt de nihilo, ita etiam omnis creatura exercendo vel ſuſpendendo ſuam operationem, voluntati divinæ ſubſervit. Et ita ſi Deus velit, poteſt ſtatim ſiſtere motum Solis & Lunæ; & cum voluerit, lucem Solis & Lunæ ſplendeſcere, & motum eorum continuare facit. Undè miraculoſè factum fuit tempore Paſſionis dominicæ, quod Sol & Luna obſcurata fuerint; & quod tempore Joſue Sol ſteterit. Idem cum proportione dicendum eſt de quavis creatura, quæ Deo tanquam Creatori in omnibus ad nutum deſervire debet.

Et hoc eſt, quod dicitur in textu. *Omnis enim creatura ad ſuum genus refigurabatur*: reflectendo ſe ad Deum, qui eſt ſuum genus, & conformabatur divinæ voluntati. Et rectè Deus poteſt vocari genus: quia ut ait *Ariſtot. 5. Meta. Cap. de genere.* Genus uno modo dicitur illud, à quo multitudo aliqua ſicut à primo generante, vel cauſa producente producitur. Et in hoc ſenſu Deus poteſt vocari genus conformiter ad illud *Apoc.* 22. Ego ſum radix & genus omnium.

Ad hoc genus *omnis creatura refigurabatur* (id eſt revertendo conformatur) *deſerviens tuis præceptis*; ſiquidem omnis creatura obtemperare debet in omnibus ſuo Creatori. *Vt pueri tui* (nimirum famulantes tibi Hebræi, vel Iſraelitæ) puer enim dicitur famulus, *cuſtodirentur illaſi*: nempe in Ægypto, in mari rubro, ac in deſerto.

Hanc autem obedientiam creaturæ ad Deum pro ſolatio Hebræorum declarat Salomon ſpecialiter in columna nubis, quæ eos protexit per diem, ne calore Solis comburerentur; & in receſſu maris rubri, in quo Deus Iſraelitis dedit viam ſiccam. Undè ſequitur in textu: *Nam nubes illorum caſtra obumbrabat*: quæ etiam nubes compeſcuit Solis ardores, & lucebat per noctes. *Et ex aqua, quæ antea erat* (ſupple in loco ſuo) *terra, apparuit arida, & in mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio*, id eſt, locus ſpatioſus & ita ſecurus & amœnus pro itinere, ac ſi fuiſſet campus germinans. Per quem campum, ſive locum ad inſtar campi ſe habentis, *omnis natio Hebræorum tranſivit, quæ regebatur manu tua* (id eſt poteſtate) *videntes tua mirabilia* (quoad tranſitum ejus ſicco pede) *& monſtra* (quoad ſubmerſionem Ægyptiorum in illo) Circa illa verba, *Ad genus ſuum refigurabatur*, Sit

ARTICVLVS VNICVS.

Utrum genus noſtrum conſiderare debeamus ſervando ex parte Patris noſtri, Dei, nobilitatem; ex parte Matris noſtræ, terræ humilitatem; ex parte fratrum noſtrorum, Angelorum ſtabilitatem in bono; & ex parte filiorum noſtrorum (id eſt bonorum operum) utilitatem?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod conſiderando genus noſtrum ex parte Patris noſtri (qui eſt Deus) debeamus ſervare nobilitatem; adeoque debemus eſſe nobiles & non degeneres; & propter hoc *Actor.* 6. dicitur. Igitur cum ſimus genus Dei, non debemus æſtimare, auro & argento, aut lapidi ſculpturæ artis, aut cogitationi hominis, divinum eſſe ſimile. Porro hæc nobilitas quam monſtrare debemus, ſolum eſt virtus moralis, & perfecta bonitas. Nam omnis virtuoſus eſt nobilis, omnis autem vitioſus eſt deneger & ignobilis, teſte *Boetio* 3. *de Conſolatione, metro,* 6 ubi dicit: Quod Deus ſit pater omnium hominum, tam divitum, quam pauperum: & addit, quod omnis virtuoſus ſit nobilis, ſolúſque ille efficiatur deneger, qui deſerens Deum implicat ſe vitiis. Recogitantes ergo genus noſtrum ex parte Patris noſtri. qui eſt Deus, ſimus tales in moribus, ut non mentiamur dum dicimus: Pater noſter, qui es in cœlis. *Matth.* 6. Sed potius ſimus virtuoſi & boni, ut poſſit veraciter de nobis dici illud 1. *Petri* 2. Vos autem eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, & populus acquiſitionis.

Adde, quod homo ſit de parentela divina tripliciter, eſt enim in homine triplex cognatio; nimirum legalis, quia homo eſt filius Dei per adoptionem, juxta illud ad *Eph.* 1. Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum Dei. Secunda eſt cognatio ſpiritualis per ſacramenti Baptiſmi ſuſceptionem, quo regeneramur: unde *Ioan.* 1. dicitur: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Denique etiam habemus cognationem carnalem cum Deo, per hoc quod Deus de noſtra pro-

progenie humanam naturam aſſumpſerit; juxta illud ad *Hebraeos* 1. Nuſquam Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Cogitemus igitur dignitatem & nobilitatem generis noſtri, & in virtutum nobilitate nos exerceamus.

Explicatur ſecunda pars. Quod conſiderando genus noſtrum ex parte Matris noſtræ, quæ eſt terra, debeamus ſervare humilitatem. Terra enim eſt mater noſtra, quia omnes de terra ſumpti ſumus, & in terram ſeu cinerem & pulverem revertemur. Narrat *Valerius lib.* 7. *cap* 3. de Bruto; quod cum à Rege Tarquino avunculo ſuo omnem nobilitatis indolem vi deret extirpari, & inter cæteros fratrem ſuum, qui erat optimi ingenii, fuiſſe interfectum, ſimulavit Brutus ſe eſſe obtuſi & parvi ingenii,& hac fallacia & ſimulatione maximas ſuas virtutes texit. Miſit autem Tarquinius filios ſuos, ut honorarent Apollinem ſacrificiis, quibus peractis, quæſiverunt ab Apolline, quiſnam ex ipſis Romæ poſt Patrem ſuum Tarquinum regnaturus ſit. Reſpondit Apollo quod is Romæ regnabit, qui ante omnes oſculum matri dederit. Tunc Brutus ſtatim procideris in terram, eandem tanquam communem omnium noſtrûm matrem oſculatus fuit. Et hoc terræ tanquam communi matri noſtræ impreſſum oſculum urbi Romanæ libertatem, & Bruto primum in faſtis locum obtinuit. Sic etiam *moraliter* loquendo, quicunque aſpirant ad regnum cœleſte, neceſſariò ſe in præſenti vita debent humiliter tenere; debent etiam eſſe ſimplices juxta illud: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes,& ſimplices ſicut columbæ. Inſuper oportet, quod terram tanquam matrem per mortis meditationem oſculentur: & ſciat quilibet, cujus generis ſit ex parte matris. Et hoc benè perpendit *Salomon Sap.* 7. ubi dicit: Sum quidem ego mortalis homo, & ex genere terreni illius, qui priùs factus eſt.

Explicatur tertia pars. Quod conſiderando genus noſtrum ex parte fratrum noſtrorum qui ſunt Angeli, debeamus ſervare ſtabilitatem in bono. Dicitur enim naturam humanam eſſe ſororem Angelorum. Unde cum Tobias vellet à Raphaele genus ſuum inquirere, reſpondit Angelus: Ego ſum Azarias magni Ananiæ filius. Cui reſpondit Tobias, Ex magno genere es tu. *Tobiæ* 5. In quibus verbis Angelus ſecundum nominis interpretationem erat adjutor gloriæ Dei: nam *Azarias* interpretatur *adjutor*, *Ananias* verò interpretatur *gloria Dei*. Erat itaque Angelus adjutor gloriæ Dei. Quando ergo recogitamus Angelos fratres noſtros germanos eſſe in tanta gloria, & nos ad ipſos non poſſe pertingere, niſi fratribus noſtris aſſimulemur: conari debemus totis viribus noſtris ipſos fratres noſtros imitari, ſervando conſcientiam mundam. Porrò in ſignum hujus fraternitatis Tobias Raphaelem (qui etiam Azarias dicitur, ut paulò antè dictum eſt) fratrem ſuum vocat *Tobiæ* 6. dicens: Obſecro te Azaria frater. Et *Tobiæ* 9. Frater peto à te, ut auſcultes verba mea. Et reciprocè Raphael ad Tobiam dixit *Tobiæ* 11. Tobia frater ſcis, quemadmodum reliquiſti patrem tuum.

Explicatur quarta pars. Quod conſiderando genus noſtrum ex parte filiorum noſtrorum debeamus ſervare in bonis operibus utilitatem: Filii enim noſtri ſunt opera noſtra à nobis producta. Unde *Eccl.* 11. dicitur: Ante mortem ne laudes hominem, quoniam in labiis ſuis agnoſcitur vir: id eſt, in operibus perfectis, ſecundum gloſſam ibidem. Et *Apoc.* 20. dicitur: Judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera eorum. Et *Apoc.* 14 Opera enim illorum ſequuntur illos. In iſtis ergo filiis bonorum operum procedentium ex gratia & charitate penſemus utilitatem noſtram. Mala autem noſtra opera procedentia ex inſtinctu Diaboli, ſolùm ſunt filii ſpurii, qui hæreditate cœleſti carebunt. Satagite itaque chariſſimi ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis: quia qui ſtrenuè & virtuosè operando hic ſeminaverit in benedictionibus, de benedictionibus etiam metet incorruptionem & immortalitatem in regno cæleſti.

LECTIO CCIX.

TEXTUS.

Tanquam enim equi depaverunt eſcam, & tanquã agni exultaverunt, magnificantes ſe Domine, quia liberaſti illos. Memores enim adhuc erant eorum, quæ in incolatu eorum facta fuerant; quemadmodum pro natione animalium produxit terra muſcas: & pro piſcibus eructavit fluvius multitudinem ranarum. Noviſſimè autem viderunt novam creaturam avium: cum adducti concupiſcentia poſtulaverunt eſcas epulationis. In allocutione enim deſideriorum deſcendit illis de mari ortygometra.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam actum eſt de mirabili Hebræorum gubernatione tam in mari rubro, quam in deſerto: nunc agit Salomon de maxima eorum exultatione in utroque loco. Et hæc exultatio deſcribitur ſub figura equorum & agnorum. Unde dicit ſic: *Tanquam equi depaverunt eſcam* (id eſt ſicut equi juvenes habentes bonum pabulum, illud cum lætitia ſumunt, & præ lætitia hinniunt, & tripudiant) *Et tanquam agni*, habentes pinguia paſcua lætantur & lætitiam ſuam diverſis motibus ſe agitando demonſtrant: Sic etiam Iſraelitæ non ſolum corde, ſed etiam ore & diverſis lætitiæ ſignis. *Exultaverunt magnificantes te Domine*: id eſt magnificum te laudantes, & cantantes illud canticum, de quo legitur *Exodi* 15. Cantemus Dominoglorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem ejus dejecit in mare. *Quia liberaſti eos* de jugo Pharaonis & ſervitute Ægypti.

In ſequentibus verbis enarrat Salomon gaudium Iſraelitarum propter tranſitum maris rubri. Recordabantur enim tunc temporis, quando videbant eis cedere aquas maris rubri, quomodo aquæ contra Ægyptios pugnaverunt, & quaſi contra naturam ſuam illos affixerunt, præbentes eis ranas pro piſcibus. Similiter terra exhibi-

exhibuit Ægyptiis muſcas pro utilibus animalibus. Et illa recordatio multum augmentabat lætitiam Hebræorum, quando perpendebant terram & aquam Ægyptiis tanquam ſuis inimicis reſiſtere: & econtra tam terrã quàm aquam ſibi Iſraelitis benè facere. Et hoc eſt, quod dicitur in textu: *Memores enim adhuc erant, quæ in incolatu eorum, dum adhuc Accolæ Ægypti fuerunt, quemadmodum pro natione utilium animalium produxit terra muſcas.* Juxta illud *Exodi* 8. Venerunt muſcæ graviſſimæ in domo Pharaonis.

Et *pro piſcibus* (id eſt loco piſcium) *eructavit fluvius in littore multitudinem ranarum.* Undè *Exodi* 8. dicitur: Aſcenderunt ranæ, & operuerunt terram Ægypti. In ſequentibus verbis ponit Salomon, quomodo Iſraelitæ in deſerto lætati fuerint propter delitioſum convivium cujuſdam novi cibi; quando videlicet ipſi deſiderabant manducare carnes, & Dominus illis dedit coturnices (ſicut expoſitum fuit ſuperiùs cap. 16.) Dicit ergo Salomon ſic: *Noviſſimè autem viderunt novam creaturam avium*: non quidem de novo creatam, ſed tunc de novo ipſis miſſam à Deo vel adductam. Ly *Noviſſimè* ponitur in textu, ut diſtinguatur triplex tempus; videlicet tempus moræ in Ægypto: tempus exitus de Ægypto, & tempus progreſſus in deſertum. Et in hoc noviſſimo tempore progreſſus in deſertum, datum fuit eis illud convivium.

Sequitur in textu. *Cum adducti concupiſcentia poſtulaverint eſcas epulationis* (id eſt eſcas delectabiles carnium, quibus uſi fuerant in Ægypto, quorum deſiderio Deus ſatisfecit)

In allocutione enim deſideriorum (id eſt ſecundum deſiderium eorum, quod eſt quædam allocutio apud Deum) *deſcendit illis de mari ortygometra*, id eſt coturnix. De qua re ſupra *cap.* 16. jam dictum eſt ſufficienter. Circa illa verba, *Quemadmodum pro natione animalium produxit terra muſcas*

Notandum eſt. Quod in primitiva Eccleſia fuerint perſonæ omni genere virtutum & ſcientiâ excellentes, & pro honore Dei fortiter laborantes tanquam fortia animalia. De quibus dicitur *Apoc.* 4. Animalia requiem non habentia, & die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. At verò moderno tempore loco iſtorum fortium, & fructuoſorum animalium ſæpè reperiuntur muſcæ volantes per ſuperbiam, fœtentes per luxuriam: mordentes per iracundiam; & mugientes per avaritiam. De quibus poteſt dici illud *Sap.* 16. Illos autem muſcarum & locuſtarum occiderunt morſus, & non eſt inventa ſanitas animæ eorum.

Similiter in primitiva Eccleſia ſancti Patres noſtri fuerunt quaſi boves propter maturitatem ſolitæ converſationis; propter mugitum ſonoræ prædicationis: propter ſciſſam ungulam rectæ diſcretionis: & propter cornua debitæ prælationis. Sed modo loco boum ſæpè ſuccedunt muſcæ volantes per diſcurſus vanos; fœtentes per vitæ ſcandaloſam converſationem, mordentes per malitioſas detractiones: & mugientes per ſuſpicioſas imputationes.

Pariformiter antiquitus fuerunt ſtudentes, rimantes, & ſcrutantes Phyloſophiæ & Theologiæ profunda, adinſtar piſcium, qui ſcrutantur profunda fluviorum. Jam verò ſæpè fit, quod loco piſcium conſurgant ranæ garrulantes, ſaltantes, in luto morantes, & aquam turbantes. Garrulantes per exceſſivam loquacitatem; ſaltantes per omiſſionem majorum difficultatum tantum ad facilia; in luto morantes per carnis deſideria: & aquam turbantes, per ſcientiæ, ineptè intellectæ, traditionem. Verùm non tales, ſed qui ſciẽtiæ conjũgendo virtutem, cum debito fundamento ad juſtitiam erudiunt plurimos, hi fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.

LECTIO CCX.

TEXTUS.

Et vexationes peccatoribus ſuperveniebant, non ſine illis, quæ antea facta fuerunt, argumentis, per vim fluminum. Juſtè autem patiebantur ſecundum ſuas nequitias: etenim in deteſtabiliorem inhoſpitalitatem inſtituerunt. Alii quidem ignotos non recipiebãt advenas; alii autem bonos hoſpites in ſervitutem accipiebant: & non ſolum hoc, ſed & alius erat reſpectus illorum; quoniam invitè recipiebant extraneos. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eiſdem uſi erant, inſtitutis ſæviſſimis afflixerunt doloribus. Percuſſi ſunt autem cæcitate, ſicut illi in foribus juſti: cum ſubitaneis cooperti eſſent in tenebris, unusquiſque oſtii ſui tranſitum, quærebat, nec invenire poterant.

EXPLICATIO TEXTUS.

ENarrato patrocinio facto Hebræis, & deſignatâ eorum lætitiâ & exultatione, redit Salomon ad explicandum exterminium Ægyptiorum. Ubi etiam explicat eorum malitiam & prævaricationem. Et circa hoc tria facit. Nam *primò* ponit eorum pœnam. *Secundò* explicat pœnæ juſtam cauſam: & *tertiò* ponitur eorum pœna nova.

Dicit ergo: *Et vexationes* (id eſt punitiones) *ſupervenerunt peccatoribus* (nempè Ægyptiis) *per vim fluminum* (in mari rubro) *non ſine illis argumentis* (id eſt miris ſignis, vel argumentationibus, quæ præceſſerunt Ægyptiorum correctionem, ſi voluiſſent ſe convertere)

Explicatâ pœnâ ſubditur culpa, quæ fuit juſta cauſa pœnæ. Undè dicit ſic: *Juſtè enim patiebantur illas vexationes* (id eſt punitiones) *ſecundum ſuas nequitias.* Fuit hæc nequitia Ægyptiorum in hoc, quod quadrupliciter peccaverint circa piam hoſpitalitatem. Nam quidam Ægyptii Hebræos non receperunt in Ægypto. Alii verò illos receperunt, ſed cum mala voluntate. Alii ipſos receperunt, ſed receptos poſtea ſervitute & aliis doloribus afflixerunt. Alii verò non ſolum ipſos non receperunt ſed inſuper eorum receptores magnis doloribus afflixerunt.

Dicitur ergo in textu ſic: *Juſtè enim patiebantur*

bantur ſecundum ſuas nequitias. Etenim in deteſtabiliorem inhoſpitalitatem inſtituerunt, ipſi Ægyptii: quia nimis in hoſpitales erant iſti Ægyptii, & crudeles. *Nam aliqui*, qui totaliter erant inhumani, *ignotos non recipiebant advenas.*

Alii verò illos accipiebant, *ſed bonos hoſpites in ſervitutem*, ſeu pro ſervis accipiebant: quando in luto & latere eos ſibi ſervire cogebant, ut dicitur *Exodi* 1. Alii non ſolùm hoc fecerunt, ſed etiam amariſſimè ipſos cruciarunt; *Quia & alius erat reſpectus eorum*, id eſt intentio illorum: quia non ſolum fecerunt illiberaliter, & inhumanè in hoc, quod vexaverint Iſraelitas tanquam hoſpites ſervitute, ſed quia etiam habuerunt malam voluntatem & nullam affectionem erga Iſraelitas, ex eo præcisè, quia extranei ſunt. Et ideo dicitur in textu: *Quoniam invitè recipiebant extraneos.*

Deindè hoc fuit peſſimum in Ægyptiis, quod ii erant aliqui, qui cum lætitia receperunt peregrinos ex naturali compaſſione; illi tamen, qui non receperunt, eos qui Iſraelitas recipiebant, graviſſimis doloribus afflixerunt. Et ideo dicitur in textu: *Quia cum lætitia receperunt* (puta Hebræos & alios peregrinos recipientes) *hos* (nempè receptores) *qui & eiſdem inſtitutis uſi erant* (nimirum propter Deum recipiendo extraneos) *ſaviſſimis afflixerunt doloribus.*

Inſequentibus verbis ponitur juſta & conveniens pœna. Sicut enim inhoſpitales Sodomitæ Angelos in forma humana à Loth receptos, in hoſpitio ignominiosè trucidare volebant, & ideo meritò puniti ſunt cæcitate & tenebris. Ita etiam Ægyptii inhoſpitaliter tractantes Hebræos, palpabilibus tenebris per triduum puniti ſunt; ſicut ſupra dictum eſt *cap.* 17. Et propter hoc ſubjungitur in textu hodiernæ lectionis. Percuſſi autem ſunt (Ægyptii nempè) *cæcitate & tenebris, ſicut & illi* (id eſt Sodomitæ, quos Salomon in deteſtationem ſui nefandiſſimi vitii Sodomitici non dignabatur nominare) *in foribus juſti* (ſcilicet Loth, cum ſubitaneis eſſent cooperti tenebris, ut patet *Gen* 19. *Vnuſquiſque tranſitum hoſpitii ſui quærebat* (ſcilicet introitum oſtii ipſius Loth) *nec invenire poterant.* Undè dicitur *Gen* 19. Percuſſi ſunt cæcitate à minimo uſque maximum, ita ut oſtium invenire non poſſent. Circa illa verba: *Alii autem bonos hoſpites*, ſit

ARTICVLVS PRIMVS.

An hoſpitalitas Deo grata debeat habere hilaritatem ſine murmuratione; ſecuritatem ſine turbatione; ſaturitatem ſine diminutione; & pietatem ſine negotiatione?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod hoſpitalitas Deo grata debeat habere hilaritatem ſine murmuratione, juxta illud 1. *Pet.* 4. Hoſpitales invicem ſine murmuratione, hilarem enim datorem diligit Deus. Certum eſt, quod quivis miles cum magna hilaritate reciperet Regem, ſi is dignaretur venire ad ſuum hoſpitium. Rex noſter eſt Chriſtus, qui in ſpecie pauperis toties recipitur, quoties pauper recipitur in nomine Chriſti: unde Salvator noſter *Matth.* 25. dicit: Hoſpes eram, & non collegiſtis me. Ad rectas leges hoſpitii pulcherrimè attendit *S. Benedictus* qui in regula ſua Religioſis ſuis mandavit, ut hoſpites adinſtar Chriſti benevolè acceptentur.

Itaque hoſpites cum hilaritate tractandi ſunt exemplo Patriarchæ Abrahæ *Gen.* 18. Qui cum vidiſſet tres viros, occurrit eis, & adoravit in terra. Similiter Loth. *Gen.* 19. recepit Angelos in forma humana apparentes, cum lætitia. Diſcipuli quoque *Lucæ ultimo*, coëgerunt Chriſtum manere ſecum Ubi dicit *Gloſſa*, quod hoc exemplo doceamur, quod peregrini ad hoſpitium non ſolum vocandi, ſed etiam trahendi ſint.

Explicatur ſecunda pars. Quod grata Deo hoſpitalitas debeat habere ſecuritatem ſine turbatione. Defendebant enim antiquitus homines ſuos hoſpites contra omnes ſuos adverſarios, ſicut narratur in *Policrato lib.* 8 *cap.* 1. Ubi etiam dicitur, quod criminis incurrebat notam, quiſquis per quinque dies peregrino hoſpitium denegaſſet, vel hoſpites ſuos ſtrenuè non propugnaſſet. Exemplum habemus de *Loth. Gen* 19. Qui pro hoſpitibus ſuis defendendis, ne ſcilicet Sodomiam attentarent cum ſuis hoſpitibus, filias ſuas obtulit Sodomitis, quamvis Loth non ſano conſilio, ſed ex perturbatione animi iſta dixerit, & ideo in hoc imitandus non eſt, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Hoc tamen Loth ideo dixit, quia mos erat fidelium hoſpites ſuos ab omni injuria defendere, ſicut dicit *Magiſter ſententiarum in ſuis hiſtoriis.*

Explicatur tertia pars. Quod grata Deo hoſpitalitas, debeat habere ſaturitatem ſine diminutione, ita ut omnia neceſſaria hoſpiti miniſtrentur Undè cum *Levita* dixiſſet ſeni *Iudicum* 19. Nulla re indigemus niſi hoſpitio. Reſpondit ſenex Gabaonita, ego ſum, præbebo omnia quæ neceſſaria ſunt tibi: tantum quæſo in platea ne maneas. Exemplum etiam habemus in *Sunamite* 4. *Regum* 4. Quæ dixit viro ſuo. Animadverti quod vir ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter, faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Hoc autem eſt contra nonnullos, qui ſerviunt hoſpitibus ſuis pulchris tantum, & de pejori potu, quem habent in domo, dant ipſis ad bibendum.

Explicatur quarta pars. Quod hoſpitalitas Deo grata debeat habere pietatem ſine negotiatione; nimirum ut pro divino amore, non autem pro lucro vel pro pecunia hoſpes admittatur: ſi enim recipiatur pecunia ab hoſpitibus, tunc jam tales receperunt mercedem ſuã in terris, nec pro receptione hoſpitum præmium habebunt in cœlis. Itaque fratres mei Chariſſimi, charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite oblivisci, ad *Hebr.* 13.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An hoſpes receptus debeat eſſe contentus per acceptionem ſui, pro ea gratias agere; in domo ſe recipiẽtis nihil dominari, & cavere nimiam frequẽtationem unius loci?

Dico quod ſic.

Expli-

Explicatur prima pars. Quod hoſpes receptus debeat eſſe contentus ſui receptione, & gratanter accipere ea, quæ ſibi apponuntur. Hunc modum docuit Chriſtus diſcipulos ſuos *Luca* 10. In eadem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt. Undè dicitur metricè:

Cum tibi præbemus læto vultu quod habemus:
Quod tibi ſit gratis, accipe, ſitque ſatis.

Narrat Seneca, quod cùm Socrates ſuos hoſpites parvâ cœnâ tractate paraverat, & amicus ei hoc improperaret, reſpondit Socrates: Si hoſpites mei boni ſunt, æquanimiter ſerent: ſi mali, turbabuntur, ſed tales nec hac modicâ cœnâ digni ſunt.

Explicatur ſecunda pars. Quod hoſpes ſe recipienti debeat gratias agere, & gratus eſſe. Narrat Dares Frigius, de *bello Trajano*, quod Thelephus impediverit ſocium ſuum Achillem. ne Regem Teveratem occideret, in ſignum gratitudinis, quod olim cum patre ſuo Hercule apud Teveratem hoſpitatus fuerit. Item *Seneca lib. 4. de beneficiis* narrat, quod miles ingratus hoſpiti, ſtigmatibus inſignitus fuerit. In libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narratur, quod cum S. Gregorius Epiſcopus urgente temporis anguſtia in alpibus, in ſano Apollinis divertiſſet, officioſiſſimè receptus ſit à Sacerdote prophano ibidem exiſtente: poſt diſceſſum Gregorii, ille ſacrificola deindè acceſſit pro more ſuo Apollinem, ut conſilia & reſponſiones ab illo acciperet, ſed non accepit ullum reſponſum, donec tandem multiplicatis ſacrificiis Dæmon ei in ſomnis apparuit, dicens, ſe nihil poſſe reſpondere, eo quod expulſus ſit per adventum Gregorii, nec aliter ſe intrare poſſe fanum niſi Gregorius admitteret. Quibus auditis perrexit ſacrificola ad S. Gregorium, & rogavit eum, ut admitteret, quod ſuum numen iterum intrare poſſit ſanum & date reſponſa: Tunc S. Gregorius ſcripſit Epiſtolam his verbis. Gregorius Apollini. Permitto te redire ad locum tuum, & agere quod conſuevisti. Quam Epiſtolam, cum Sacerdos poſuiſſet juxta ſimulacrum, ſtatim adfuit dæmon & reſponſa petenti dedit. Tandem iſte ſacrificola agnovit, quod S. Gregorius major eſſet ſuo Numine, & clauſis januis ſani abiit ad S. Gregorium, & proſtravit, rogans ut illi ſe Deo offerret, cujus virtute Gregorius Diis gentium imperavit. Quod dum feciſſet Gregorius, ſacrificola converſus eſt, & baptizatus, & ad o in virtutibus profecit, ut S. Gregorio ſucceſſerit in Epiſcopatu. Laudanda ergo fuit hoſpitalitas illius Sacerdotis infidelis, & veneranda ſanctitas D. Gregorii & miranda Dei pietas, quâ Deus ſacrificolam ad veram fidẽ traxit.

Explicatur tertia pars. Quod hoſpes debeat cavere, ne dominetur in domo ſe recipientis, ſed potius Domino domus ſtudeat obedire in omnibus. Eſt enim nimis reprehenſibile, ſi peregrinus receptus, vellet ordinationem à Domino domus factam reprobare. Undè eſt illud metricum,

Cum facis ingreſſum, ſtudeas ſic eſſe modeſtus:
Vt poſt diſceſſum, poſt te ſit rumor honeſtus.

Explicatur quarta pars. Quod hoſpes debeat cavere nimiam frequentationem unius loci; juxta illud *Proverb. 25.* Subtrahe pedem de domo proximi tui, ne fortè ſatiatus oderit te. Caveatque ne cum hoſpite ſuo nimis effuſa familiaritate agat, quia nimia familiaritas parit contemptum.

ARTICVLVS TERTIVS.

An recta hoſpitalitas diſponat ad Dei cognitionem; conferat temporalium multiplicationem; excludat divinam ultionem & mereatur Dei & Angelorum ſuſceptionem?

Dico quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod recta hoſpitalitas diſponat ad Dei cognitionem. Hujus exemplum habemus *Luca ultimo*, de duobus diſcipulis, qui cognoverunt Deum in fractione panis. Sic etiam divina cognitio ſubito de homini infunditur occaſione alicujus viri ſancti in hoſpitio ſuſcepti.

Explicatur ſecunda pars. Quod recta hoſpitalitas conferat temporalium multiplicationem. Quod patet ex 3. *Regum* 17. De vidua, quæ Eliam ſuſcepit hoſpitio ſuo; cui farinula ſua non defecit, nec oleum diminutum eſt.

Explicatur tertia pars. Quod recta hoſpitalitas excludat divinam ultionem. Quod patet manifeſtè ex *cap. 6. Ioſue.* Ubi dicitur ſola Raab meretrix vivat, eo quod exploratores hoſpitio recepiſſet.

Explicatur quarta pars. Quod recta hoſpitalitas mereatur Dei & Angelorũ receptionem, Unde *Matth.* 10. *dicitur*: Qui vos recipit, me recipit Et ad *Hebræos* 13. Hoſpitalitatis nolite oblivisci, per hãc enim quidã placuerũt Deo, Angelis hoſpitio receptis; ſicut Abraham *Gen.* 19.

Narratur, quod quidam Senator caſtrum ſibi conſtruxerit pulcherrimum, ſuper cujus januam poſuit hunc Rhithmum.

Decretum detur, ne dormiat, aut epuletur
Hic gens villana: ſed Achilles, Plato, Diana.

Voluit per hæc verba iſte ſenator mandare, quod nullus ad hoc ſuum caſtrum ad hoſpitium vel prandium reciperetur, niſi eſſet miles, aut Philoſophus, aut pulchra nobilis Domina. Huic Senatori poſtea Chriſtus apparuit in ſomnis dicẽs, me & meos à caſtro tuo conaris excludere, propter quod ego etiam te à caſtro meo, quod eſt cœlum, excludam. Cum ergo ſenator ſententiam damnationis jamjam deberet accipere, interpoſuit ſe beatiſſima Virgo Maria & obtinuit Senatori prolongationem ſuæ vitæ: præcepit tamen illi Senatori, ut hoſpitalitatem ſectaretur; & loco illius Rhithmi januæ caſtri ſui inſcripti, ſequentem Rhithmum januæ ſeu portæ caſtri ſui mox inſcriberet:

Muta Decretum, Sanctorum ſuſcipe cœtum,
Nudum Martinum, Iacobum, Lazarum peregrinum.

LECTIO CCXI.

TEXTUS.

In ſe enim Elementa, dum convertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiũt. Vndè æſtimari ex ipſo certè viſu poteſt. Agreſtia enim in aquatica convertebantur, & quæcunque erant natantia in terrã tranſibãt. Ignis in aqua valebat ſupra virtutem ſuam & aqua extinguẽtis virtutis ſuæ obliviſcebatur: flammæ e contrario corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec diſſolvebant illam, quæ facilè diſſolvebatur, ſicut glacies bonam eſcam.

EX-

EXPLICATIO TEXTUS.

IN hac Lectione redit Salomon tractare de divina poteſtate in operãdo mirabilia pro filiis Iſrael in tranſitu maris rubri, & in itinere per deſertum. Dixit enim ſuperius in iſto Capitulo, quod omnis creatura ſe conſormet voluntati divinæ, eidem in omnibus obediendo ad gubernandum ſuos electos Iſraelitas. Et hoc idem pertractat Salomon in iſta Lectione. Et circa hoc duo facit. Quia primò declarat obedientiam creaturæ tam in elementis, quam in elementatis in generali. Secundò, applicat obedientiam iſtam ad res geſtas in ſpeciali. Inſuper etiam declarat Salomon, quod licet elementa tunc temporis receſſerint Deo jubente à naturæ ſuæ conſuetudine, non tamen receſſerint à conſonantia harmonicæ diſpoſitionis. Ac denique etiam declarat, quomodo alia inter ſe quadam nova viciſſitudine ſuas proprietates communicaverint.

Dicit ergo primò ſic: Quod ſicut organizator in quocunque inſtrumento muſico efficit harmoniam, ex diverſa moderatione cordarum juxta ſcientiam artis ſuæ; & pro libitu voluntatis ſuæ facit muſicus eandem cordam modo altius modo remiſſius ſonare, & tamen ſervatur bona harmonia & conſonantia delectabilis in ſuo operatione: ſic etiam Deus utitur pro voluntate ſua elementis, & cæteris creaturis, ad beneficia electorum, & ſupplicia reproborum: & tamen hoc non obſtante conſonantia harmonica, quæ eſt inter elementa, non diſſolvitur.

Dicit ergo Salomon in textu allegato per ſimilitudinem. *Dum elementa in ſe convertuntur*: id eſt dum elementa ſuas virtutes mutant vel intermittunt, ſicut in organo quocunque muſicali qualitas ſoni immutatur pro voluntate organizantis: *Et omnia elementa ſuum ſonum cuſtodiunt*, quoad modulationem; ita ut ſicut non tollitur melodia per mutationem ſonorum in diverſis cordis inſtrumenti: ita nec in elementis tollitur earum proportio, & harmonia propter mirabiles operationes, quas Deus facit per ea. Non enim condidit Deus creaturam voluntati ſuæ contrariam, ſed ſuæ voluntati conſentaneam, Et ad hoc oſtendendum

Subditur in textu. *Agreſtia enim* (id eſt homines & alia animalia) *in aquatica convertebantur* (id eſt ad modum piſcium aquaticorum in fundo maris ambulabant) *Et quæcunque erant natantia* (puta ranæ, piſces enim omnes erant mortui, juxta illud *Exodi* 7. Piſces, qui erant in fluvio, mortui ſunt, & pro piſcibus eructavit fluvius ranas, adeoque tunc non erant alia ibi natantia quam ranæ) *in terra tranſibant*. Et hæc quantum ad animalia dicta ſunt à Salomone.

In ſequentibus autem Salomon loquens de elementis dicit ſic: *Ignis in aqua valebat ſupra virtutem*: id eſt ignis mixtus cum grandine de cœlo veniebat, ita ut nec ignis aquam, nec aqua ignem impediverit Et ideo ſubdit. *Et aqua extinguentis naturæ obliviſcebatur*: id eſt aqua nõ extinxit ignẽ, cũ quo de cœlo deſcendit, ſicuti expoſitũ eſt *c.* 16.

In ſequentibus verbis ponit Salomon effectus mirabiles divinę gubernationis in ſpeciali quantum ad elementa. Et quia ignis ſeu flam̃a naturaliter comburit ſiccum & diſſolvit humidum congelatum, ut v. g. glaciem: ideo mirabile fuit, quod flam̃a Deo volente etiam paſſivis approximata, neutrum horum fecerit. Et ideo ſubdit Salomon in textu allegato. *Flammæ econtrario* (id eſt contra naturam ſuam) *non vexaverunt carnes* (inflam̃abiles) *corruptibilium animalium coambulantium per deſertum*. Quæ verba etiam poſſunt intelligi de ſerpentibus ignitis, quorum corpora per flam̃am intus contentam non fuerunt conſumpta. Vel etiam illa verba poſſunt intelligi de hominibus, qui per ſerpentes non lædebantur, poſtquam ſerpentem æneum aſpexerunt. Vel de animalibus & jumentis, quæ non lædebantur per ſerpentes, *Nec flammæ diſſolvebant illam bonam eſcam* (ſcilicet manna) quod alias facile ſicut glacies diſſolvebatur ad calorem ignis. Sicut ſupra dictum eſt *cap.* 16.

LECTIO CCXII.

TEXTUS.

In omnibus enim magnificaſti populum tuum Domine, & honoraſti, & non deſpexiſti: in omni tempore, & in omni loco aſſiſtens eis.

EXPLICATIO TEXTUS.

POſtquam Salomon à Capitulo 16. uſq; huc, juſtam oſtendit tam circa bonos quàm circa malos gubernationem: nunc in finali clauſula agit gratias Domino Deo pro miris beneficiis, & magnis oſtenſis miraculis populo Iſraelitico ſeu Hebræis. Regratiatur autem Salomon de tribus magnis beneficiis; nimirum de inimicorum ſubjectione; de miraculorum pro eis oſtenſione, & de indeficiente ſuæ bonæ voluntatis continuatione.

Dicit ergo ſic: *In omnibus enim magnificaſti populum tuum Domine*; nimirum in deſtructione hoſtium; & in liberatione Iſraelitarum de Ægypto. Per hoc enim factus eſt populus Iſrael magnus in terra, quod populos vicerint, & eorum terras poſſederint. Unde *Ier.* 5. dicitur: Magnificati ſunt & ditati, incraſſati ſunt & impinguati.

Et honoraſti (puta in miraculorum oſtenſione) Hoc enim mirabiliter ceſſit ad honorem populi illius, quod Deus pro eis tanta miracula fecerit, ut patet ex ſupradictis de plagis Ægyptiacis. Sicut etiam patuit in ſtatione ſolis tempore Joſue, & etiam de ejuſdem ſolis regreſſu tempore Ezechiæ, & de multis aliis mirãdis; propter quę populus Iſraëliticus honorabilis fuerat, juxta illud *Pſal.* Honorabile nomen eorum coram illo.

In verbis ſequentibus ponitur affectionis divinæ continuatio. Undè dicitur in textu. *Non deſpexiſti eos*, id eſt Iſraelitas, videlicet contemnendo; etiamſi tibi peccaverint, & tu propter ſcelera ſua eos clementer flagellaveris; nihilominus eras *aſſiſtens eis in omni tempore* (puta tribulationis) juxta illud *Pſalmi*: Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos. *Et in omni loco*. Non enim Deus eſt longè ab unoquoque noſtrûm: in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus, ut dicitur *Actorum* 17. Circa illa verba, *Magnificaſti populum tuum Domine*, ſit.

ARTICULUS PRIMUS.

An Jactatores pomposi; ſimulatores doloſi; perquiſitores pecunioſi; & peccatores monſtruoſi, ſeſe inaniter magnificent in hac vita?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars. Quod Jactatores pompoſi ſe inaniter magnificent. Iſti enim ſolum ſunt, qui ſibi mendaciter attribuunt gratias aliquas,

quas, quas non habent: aut certè gratias quas habent, nimis attollunt. Hi ſunt, qui alios ſuos ſervos, vel magis confidentiales conſtituunt, ut de ipſis omnia bona evulgent; quæ aliis fortè, ſi narrarent, non crederentur. Qui ſpreta propria conſcientia, ſolùm confidunt in excellentia laudis humanæ; unde dicit *S. Auguſt.* 12. *de Civ. Dei cap.* 8. Eſt vitium animæ perverſæ amantis laudem humanam, ſpreto teſtimonio propriæ conſcientiæ. Tales ſunt aliqui milites, qui ſubindè facta aliqua glorioſa de ſe confingunt; & attribuunt ſibi ipſis ea, quæ per alios geſta ſunt. Tales etiam ſunt aliqui pſeudophiloſophi, qui ſibi attribuunt quæſtionum aliquarum difficiliorum reſolutiones, qui nec minores quæſtiones penetrare potuerunt; & quod pejus eſt, ea, quæ fuerũt ab aliis authoribus compilata, ſibi attribuunt & ea tanquam marte propria fabricata in ſcholis aliis tradunt. Talis fuit *Fidentinus*, qui libros, quos *Martialis* ediderat, dum adhuc recentes erant, ſurripuit, & diſcipulis ſuis tanquam à ſe compoſitos dictavit, quos tamen perficere non potuit. Et hunc *Martial. l.* 1 *epigram* ita deridet:

Quem recitas, meus eſt, ô Fidentine libellus:
Sed malè dum recitas, incipit eſſe tuus

Tales ergo jactatores malè magnificant ſeipſos. Ipſi enim ſunt, qui magis amant vocari Rabbi, quàm eſſe; magis appetunt ſapientes apparere quàm eſſe; amant honores & fugiunt labores, appetunt faſtigium, & neſciunt fundamentum De his dicitur *Matth* 23. Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. De iſtis quoque loquitur *Pſalmiſta* dum ait: Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam, qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus.

Explicatur ſecunda pars. Quod ſe vitiosè magnificent Simulatores dololi; ut ſunt adulatores, qui magnificant alios, ut econtra ipſi etiam magnificentur ab ipſis: laudando enim alios, ſperant reciprocè laudari ab ipſis. Senes, quorum viſus deficit, adhibent perſpicilia, & tunc per illud vitrum, per quod vident & legunt, apparent characteres multo majores, quam ſint in ſe. Sic ergo adulator, homini quaſi opponit perſpicilia, dum facta ſua parva laudando ſupra modum extendit, ut appareant eſſe magna; & ſic homo, qui in ſe parvus eſt, propter laudem ab adulatore acceptam ſtultè ſe æſtimat eſſe magnum. De adulatoribus facta aliorum magnificantibus pulchrè ſcribit *Alanus de planctu naturæ*, dicens: Hi ſunt, qui magnifica commendationis tuba in divitum auribus intonant; qui melliræ adulationis favos foris emittunt, qui ut emungant munera, caput divitis oleo adulationis ungunt; Prælatorum auribus pulvinaria laudum ſubjiciunt; qui ab eorum palliis aut fictitium pulverem excutiunt, aut veſtem ſophiſticè deplumant inplumem: foris vultu applaudunt virgineo, intus ſcorpionis pungunt aculeo, foris mellitos ſpargunt adulationis imbres, intus detractionis evomunt tempeſtates. Hæc *Alanus*.

Contra hos magnificatores dicitur *Eccl.* 10. Gloria divitum honoratorum, & pauperum, timor Domini eſt. Noli deſpicere hominem juſtum pauperem, & noli magnificare virum divitem peccatorem.

Explicatur tertia pars. Quod vitiosè ſe magnificent perquiſitores pecunioſi: qui dilatãt horrea ſua, pecora & armenta, & familiã multiplicant, & ſupervacuas habitationes ædificant. Sic magnificatus fuit *Nabal, de quo Regum* 1. 3. Homo ille magnus nimis erat, dives & durus, peſſimus & malitioſus. Talis etiam aliquando fuit Salomon, qui dicebat, magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plãtavi vineas, feci hortos & pomeria, & plantavi in eis cuncti generis arbores. *Eccl.* 2. Sed de iſta magnificentia excuſat ſe Pſalmiſta dicens: Neque ambulavi in magnis.

Explicatur quarta pars. Quod vitiosè ſe magnificẽt peccatores monſtruoſi. Notum eſt, quod quando in aliquo individuo nimia magnitudo reperitur, & quando in uno individuo diverſæ ſpecies concurrunt, dicitur monſtrum naturæ: ut ſi unum individuum eſſet ex parte porcus & ex parte bos, rectè diceretur monſtrum, & quanto ſpecies illæ magis diſtarent, quæ apparent in uno individuo, tanto monſtrum eſſet turpius: ut ſi monſtrum eſſet compoſitũ ex bove & homine, hoc monſtrum eſſet turpius, quam ſi eſſet compoſitum ex bove & aſino. *Moraliter* loquendo, Peccatores dicuntur multipliciter monſtruoſi; quia vel ex exceſſiva magnitudine unius peccati, vel ex aggregatione diverſorũ peccatorum ſpecie diſtinctorum. Unde ſi homo aliquis eſſet ſummè ſuperbus & ſummè luxurioſus, talis poſſet dici monſtrum: quia eſſet homo per naturã, dæmon per ſuperbiam, & taurus per luxuriam. De tali autem homine monſtruoſo turpiter per peccata ſua magnificato dicit Dominus per Prophetam *Iſaiæ* 10. Viſitabo ſuper fructum magnifica cordis Regis Aſſur. *Aſſur* interpretatur *arguens* vel *convincens*: talis autem peccator arguitur vel convincitur à ſeipſo Juxta illud *Ieremiæ* 2. Arguit te malitia tua & increpabit te.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Deus magnificet hominem producendo artificiosè; redimendo copiosè; juſtificando gratiosè; & beatificando gloriosè?

DIco quod ſic.

Explicatur prima pars Quod Deus magnificet hominem producendo artificiosè. Nam cũ magno artificio videtur fuiſſe productus homo. Undè in productione hominis Deus nõ dixit fiat homo, ſed, Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram *Gen.* 1. *& Iob.* 7. Quid eſt homo, quia magnificas eum?

Explicatur ſecunda pars. Quod Deus magnificet hominem redimendo copiosè. Ita ut meritò Chriſtus Dominus poſſit dicere illud 1. *Regum* 26. Magnificata eſt hodie anima tua in oculis meis. Inſuper paſſio Chriſti fuit tanta, ut ſi adhuc millies & millies eſſent plures homines, quàm de facto ſint, vel fuerint, eoſdem tamen pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemiſſet.

Explicatur tertia pars. Quod Deus magnificet hominem juſtificando; eo quod Deus hominem non perdat, qui tamen eſſet dignus perditione ob ſcelera ſua: ſed quia benignus eſt, & omnes homines vult ſalvos fieri, juſtificat eos in præſenti. Juxta illud ad *Rom.* 8. Quos autem juſtificavit, illos & magnificavit.

Explicatur quarta pars. Quod Deus magnificet hominẽ eum beatificãdo gloriosè, & dãdo illi pro meritis ſuis vitam cœleſtem, in qua eſt perpetua fœlicitas; fœlix trãquillitas, tranquilla jucũditas, jucunda ſuavitas, ſuavis amœnitas, &

amœna gloria. De qua Apoſtolus ait: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. In hac beatitudine Deus ſeſe ipſum dat homini, uniendo ſeſe ipſi in ratione ſpeciei impreſſæ & expreſſæ, ut ipſum clarè cognoſcendo prout in ſe eſt, ſit beatus. Talis proindè homo beatus rectè poterit dicere illud 1. *Regum* 26. Magnificetur anima mea in oculis Domini, & hanc magnificentiam concedat nobis is, qui ſine fine vivit & regnat. Amen.

LECTIO CCXIII. ET EPILOGALIS.

Thema pro Epilogo

Os juſti meditabitur Sapientiam Pſalm. 36.

EXPLICATIO TEXTUS.

Cum omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſint (teſte Doctore gentium) ideo in artibus & ſcientiis addiſcendis talis ordo eſt, ut ſcientiæ addiſcantur duntaxat ſecundū capacitatem, habilitatem & idoneitatem ſtudentium. Undè alia addiſcunt pueri, alia juvenes, alia ſenes. Nam *teſte Ariſtot. Ethic. cap.* 6. Pueri addiſcūt grammaticam Rhetoricā & Logicam, juvenes Phyſicam; & adultioris ætatis homines Ethicam. Quia videlicet unus habet diſpoſitionem & habilitatē ad hoc, alius ad aliquid aliud addiſcendum. Ex quo fit quod quantò ſcientia aliqua eſt dignior & nobilior, tantò etiam major diſpoſitio & habilitas requiritur ad ipſius notitiam adipiſcendam. Et ideo cum ſacra Scriptura (quæ ſingulariter Sapientia vocatur, ut ſupra lectione prima oſtenſum eſt) omnē tranſcendat Sapientiam ſæcularem, utpotè cujus materia nobilior, cujus forma præſtantior, cujus finis utilior, & cujus efficiens ſublimior eſt; ideo inquā neceſſe eſt, quod ſtudens ſacræ Scripturæ & ſacræ Theologiæ, habeat ſpeciales & convenietes diſpoſitiones. Ad hanc autem diſpoſitionem præſtandam, non ſufficiunt Grammaticorum rudimenta, Rhetorū ornamenta, Dialecticorum documenta, nec Medicorum experimenta: plus namque ad ſacram Scripturam intelligendam prodeſſe poterit devota deprecatio, quàm profunda perſcrutatio ſine oratione: plus confert immaculata converſatio, quàm intricata diſputatio, plus quoque cōducit divinæ bonitatis contemplatio, quàm mundanæ curioſitatis occupatio: & multò plus valet mentalis ſuavitatis deguſtatio, quam ſermocinalis indagatio.

Hujus ergo ſacratiſſimæ Facultatis Theologicæ ſolus ille auditor reperitur idoneus, qui fuerit moraliter virtuoſus. Et quia virtus generalis eſt juſtitia generalis; juſtitia autem generalis ab *Ariſtot.* 5. *Eth. cap.* 1. dicitur Sapientia; ideo ſacræ Theologiæ auditori tanquam virtuoſo appropriatur nomen juſti. Et ideo thema allegatum fuit hoc:

Os juſti meditabitur Sapientiam.

In quibus verbis informatur devotus Theologus, quod ſacræ Scripturæ notitia acquiratur per officioſam ſupplicationem; & hæc denotatur per ly *Os*; per fructuoſam converſationem, quæ denotatur per ly *Iuſti*; per ſerioſam conſiderationem, & hæc denotatur per ly *Meditabitur*: & per ſaporoſam delectationem, quæ denotatur per ly *Sapientiam*. Ut autem omnia iſta exactius explicentur, ſit

ARTICULUS UNICUS.

Quomodo notitia ſacræ Scripturæ obtineri poſſit.

Dico primo. Quod notitia ſacræ Scripturæ ſit obtinenda à Deo per officioſam ſupplicationē. Explicatur aſſertio. Nam quantū ad hoc rectè præmittitur in textu allegato, *ly Os*. Undè & *Pſalmiſta* ait: Os meum aperui & attraxi Spiritum: id eſt de Scriptura ſacra non literalem, ſed ſpiritualem ſenſum: quia littera occidit, ſpiritus autem vivificat 2. *Cor.* 3. Notum eſt, quod illi pulli facilius reficiuntur à matre, quæ capita ſua altius levant, & os ſuum magis dilatant; ita etiam devoti Scholares in nido Scripturæ jacentes, tanto uberiori notitia à Deo reficiuntur, quanto magis ipſum devotis orationibus interpellant. Undè Deus per os *Pſalmiſtæ* dicitur: Dilata os tuum & implebo illud. Et *Lucæ* 21. dicitur: Ego dabo vobis os & Sapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes adverſarii veſtri. Et hoc quod dicit *S. Gregor.* 1. *Moral. cap.* 27. Ea, quæ perſcrutari in nobis nitimur, ſæpè melius orando quam inveſtigando penetramus. Hinc *Hieronymus ad Metriadem Virginem* ſcribit: Lectionem ſequatur oratio, & animam jugiter adhærentem Deo grata viciſſitudo ſanctæ occupationis accendat. Sic etiam *S. Auguſtinus* in omnibus ſuis libris communiter cum ſtudio devotam orationem adjunxit. Sic etiam Angelicus Præceptor *Divus Thomas de Aquino*, quoties perplexibus difficultatibus angebatur, confugit ad devotiſſimam orationem: & ſic ſuam angelicam Scientiam non tam ſtudio, quam oratione dicitur acquiſiviſſe. Undè idem S. Doctor Fratri ſuo *Reginaldo* dixit: Se, quidquid ſciret, non tam ſtudio, quam per orationē divinitus ſibi traditam accepiſſe. Sic etiam *S. Paulus* ſe commendat Epheſiis *ad Epheſ.* 6. dicens. Orantes ſtis omni tempore in Spiritu, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere myſterium Evangelii.

Dico ſecundò. Os juſti Theologi, ad hoc ut dignè ſacræ Scripturæ difficultatē attrahat, debet ſeparari à luto lubricæ vilitatis, expurgari per calculum cœleſtis ſanctitatis, cibari libro ſolidæ veritatis, & armari gladio veritatis.

Explicatur prima pars. Quod Os devoti Theologi ſeparari debeat à luto lubricæ vilitatis. Undè *Ieremiæ* 15. dicitur: Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris; *pretioſum à vili*, id eſt animam pretioſā à carnalibus deſideriis vilibus & lutoſis. Undè de homine lubrico dicitur *Sap.* 15. Luto vilior vita illius.

Explicatur ſecunda pars. Quod Os juſti debeat expurgari per calculum cœleſtis ſanctitatis. Huc facit illud *Iſaiæ* 6. Volavit unus ad me de Seraphin, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum dicens: Ecce tetigi hæc labia tua & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. *Moraliter* loquendo, *Altare* eſt ſacra Scriptura; *calculus* eſt difficilis Scripturæ ſenſus; *forceps* eſt ſubtilis ejuſdem difficultatis penetratio. Undè ex iſto loco ſacræ Scripturæ colligitur, quod Angelici Spiritus devotè ſtudentes illuminent, & expurgent, ne in Scripturis errent.

Explicatur tertia pars. Quod Os devoti Theologi cibari debeat libro ſolidæ veritatis. Et de hoc libro dicitur *Apoc.* 10. Accepi librum de manu An-

tu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce. Iſte liber eſt Scripturæ ſacra, quæ non debet dentibus diſputationum conteri, ſed potius devorari: quia credi debet integraliter per fidem & ſummatim, & non per rationem diſcuti: & ſic fiet Scriptura eam credenti tanquam mel dulce. Juxta illud *Pſalmi*: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.

Explicatur quarta pars. Quod Os devoti Theologi armari debeat gladio rigidæ ſeveritatis ad deſtruendum hæreſes & errores, vitia & malos mores: & quantum ad hoc dicitur *Iſaiæ 49.* Poſuit Os meum, ut gladium acutum, ut illi aſſimiletur. De hoc quoque dicitur: *Apoc.* 19. vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum vocabatur fidelis & verax: & ex *ore* ejus procedebat gladius acutus, ut in ipſo percutiat omnes gentes: Et *Apoc.* 2. Pugnabo cum illis in gladio oris mei. Sed dolendum de quibuſdam Theologis moderni temporis, quorum Os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Item in quibuſdam Theologis moderni temporis, invenitur Os diſſolutionis; In aliis Os detractionis, in quibuſdam Os ambitionis: & in aliquibus Os adulationis. Et quidem Os diſſolutionis habent illi, quorum omnis ſermo turpiloquio & ſcurrilitatibus admiſcetur. Contra quos ad *Coloſſ.* 3 dicitur: Deponite turpem ſermonem de ore veſtro. Os detractionis habent illi, qui non ceſſant detrahere paupertati, quam docuit Chriſtus; caſtitatem deridens, quam Chriſtus conſuluit: pauperes parvipendunt, quos Chriſtus elegit. Et iſti Pſeudoprophetæ, de quorum ore nihil aliud, niſi ranæ vanæ garrulitatis procedunt *Apoc.* 6. Os ambitionis habent illi, qui ſacræ Scripturæ notitiam ad humanos honores ordinant ad hoc, ut conſequantur Eccleſiaſticas dignitates, & pinguia beneficia ſimplicia vel curata. Illi pro ſe allegant quod ter dictum eſt Petro: Paſce oves meas *Ioan* 2. Item illud 1. *ad Titum* 3. Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Debent tamen ſcire tales, quod potius ſapiant aliquod terrenum & tranſitorium pro oſtentatione humana, quam quod quærant ſalutem ſpiritualem ſuæ animæ: & ideo tales ſunt viles hypocritæ, qui ſola terrena anhelant, de cœleſtibus verò nihil curant. Juxta illud *Pſalmi*. Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra. *Lingua* id eſt, linguæ interio corrupte.

Os adulationis habent illi, qui ſtatum Prælaturæ tenentes, & in ſuis ſubditis peccata ſcandaloſa videntes ſemper cantant *Placebo*, ſed *dirige* nunquam cantant. Et de his verificatur illud *Pſalmi* 40. Hæc via illorum ſcandalum ipſis, & poſtea in *ore* ſuo complacebunt.

Dico tertiò. Quod ſacra Scriptura ſit à Theologo exercenda per fructuoſam converſationem: ut nempè Theologus ſit doctus non ſolũ in ſciẽtia, ſed etiã in vita.

Explicatur aſſertio. Cui favet illud, quod in themate allegato adducitur: nimirum Os juſti meditabitur Sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium: adeoque non ſufficit ſolum multa pia meditari, ſed etiam oportet multa pia opera actu exercere & facere. Nec ſufficit ad juſtificationem, quod quis audiat legem & Dei mandata, ſed etiam debet illa actu ſervare. Et ideo dicit rectè *Apoſtolus ad Romanos* 2. Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. *Ariſtot.* 5. *Eth.* diſtinguit quadruplicem Juſtitiam, nempè diſtributivam, commutativam, dominativam, & paternam. Et hanc quadruplicem Juſtitiam debet etiam habere devotus Theologus moralis; Nam primo debet habere *Juſtitiam diſtributivam*, ut id, quod ſine fictione didicit, ſine invidia communicet, alios liberaliter inſtruendo: juxta illud *Proverb.* 1. Labia juſti erudiunt plurimos. Item debet habere *juſtitiam commutativam*, ut pro ſua doctrina non intendat vanam laudem & gloriam tanquam præmium. *Matth.* 5. Attendite, ne juſtitiam veſtram facietis coram hominibus, ſeu propter temporale lucrum; ſed propter præmium cœleſte. De quo dicitur: *Dan.* 12. Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

Tertiò debet habere *Juſtitiam dominativam*, inſtinctus beſtiales compeſcendo ſecundum regulas rationis. Et de talibus Theologis dicitur in *Pſalmis*: Dominabantur eorum juſti in matutino. Denique etiam devotus Theologus debet habere *Juſtitiam paternam*: id eſt debet & errantibus redire volentibus exhibere benignitatem Patris. Huc facit illud *Sap.* 12. Docuiſti populum tuum per talia, quoniam oportet juſtum & humanum eſſe.

Dico quartò. Quod ſacra Scriptura ſit à Theologo perſpicienda per ſeriam conſiderationem.

Explicatur aſſertio. Nam hoc ipſum deſignatur in themate allegatu per ly *Meditabitur*. Huc facit etiam illud *Pſalmi*: In lege Domini fuit voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et hæc ſeria ſacræ Scripturæ meditatio, temperat corporis voluptatem: mitigat mundi tempeſtatem; prædicat Dei pietatem: & excitat hominis charitatem.

Et quidem *primò* ſacræ Scripturæ meditatio, temperat corporis voluptates. Undè S. *Hieronymus* dicit: Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Secundò Hæc meditatio mitigat mundi tempeſtatem. Undè S. *Hieronymus* ſuper *Epiſtolam ad Epheſios*. Si aliquid eſt, quod in hac vita virum ſapientem teneat, & inter preſſuras & tempeſtates mundi æquo animo permanere ſuadeat, illud primum eſſe reor meditationem & ſcientiam Scripturarum.

Tertiò hæc meditatio prædicat Dei pietatem; juxta illud *Pſalmi*: In matutinis Domine meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus.

Quartò iſta meditatio excitat hominis charitatem; juxta illud *Pſalmi*: In meditatione exardeſcet ignis.

Addo quod iſta meditatio Scripturæ non debeat eſſe tranſitoria, ſed debet eſſe continua; imò eo ferventior, quo homo eſt ſenior. Et ideo meritò dicitur: *Eccl.* 14. Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia meditabitur. Et S. *Hieron. ad Demetriadem Virginem* ſcribens ait: Sacrarum Scripturarum ardor, nulla prorſus ætate extinguitur: imò ut ſæcularis authoris ſententia utar, ſcientiæ potius ætate inflammatur. Et S. *Gregorius* 20. *Moral. cap.* 1. ait; Scriptura ſacra parvulis humili ſermone blanditur, quæ non ſic clauſa eſt, ut paviſci debeat; nec ſic patet ut vileſcat. ſed uſu faſtidium tollit, & tantò diligitur, quantò plus meditatur.

Dico quintò. Quod principaliter Scriptura ſacra ſit recolligenda cum ſaporoſa delectatione.

Explicatur aſſertio. Quia ideo ſacra Scriptura ſpecialiter vocatur Sapientia, id eſt quaſi *ſapida ſcientia*. De hac loquens *Hugo de S. Victore lib.* 2. *de anima* dicit ſic: Nihil in hac vita dulcius ſentitur, & nihil avidius ſumitur; nihil ita mentem ab amore mundi ſeparat, nihil ſic animam contra tentationes roborat; nihil ita hominem excitat & adjuvat ad omne bonum: ſicut ſtudium ſacræ Scripturæ. Et in eodem volumine *lib.* 3. ait: In refectorio ſacræ Scripturæ tres menſæ ponuntur, nempè tres ſenſus, puta ſenſus hiſtoricus, myſticus, & moralis. Ex quibus prima menſa eſt, pro ſimplicibus, ſecunda pro Doctoribus, & tertia eſt communis utriſque. In prima menſa eſt cibus groſſior; in ſecunda ſubtilior: & in tertia dulcior. Prima continet ſaporem exemplorum, ſecunda vim geſtorum, tertia dulcedinem morum. Et infra. In hac Scriptura ſacra, quidquid docetur, veritas; quidquid præcipitur, bonitas; quidquid promittitur, fœlicitas eſt. Nam Deus veritas eſt ſine fallacia, bonitas ſine malitia, & fœlicitas ſine miſeria. Hæc Hugo.

Addo quod iſta ſcientia ſeu potius Sapientia Scripturæ ſacræ ſit inobſuſcabilis in decore; juxta illud *Sap* 6. Clara eſt & quæ nunquam marceſcet Sapientia. *Secundò* eſt inſuperabilis in vigore; juxta illud Sap. 5. Melior eſt ſapientia quàm vires. Tertiò eſt inappretiabilis in valore; juxta illud *Proverb.* 8. Melior eſt Sapientia cunctis opibus pretioſiſſimis. Et *quartò* eſt interminabilis in honore; ut dicitur: *Sap* 6. Concupiſcentia Sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Ad quod nos perducat Pater ingenitus, Filius unigenitus, & Spiritus ſanctus Paraclitus, tota ſanctiſſima, & individua Trinitas: cujus honor, gloria & magnificentia cum beatiſſima Maria Virgine ante partum, Virgine in partu, & Virgine poſt partum, inter immortales ſidereorum ſpirituum & omnium Electorum applauſus perſeveret in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS PHOENICIS REDIVIVÆ,

Omnia ad majorem Dei Deiparaque Virginis Mariæ, S. Patris Dominici, Angelici Doctoris Divi Thomæ Aquinatis, & S. Raymundi gloriam & honorem.

Index

INDEX PRIMUS

Rerum Memorabilium, in hoc toto Opere contentarum, in quo ſingula citantur juxta partem Operis, primam vel ſecundam, Lectionem, Articulum; partem concluſionis, explicationis textus; vel aliquid notabile. Undè ly 1. vel 2. pars: deſignat primam vel ſecundam partem Operis; *Lect* Lectionem; *Art.* Articulum, *In Expl. 1. vel 2. p.* deſignat explicationem primæ vel ſecundæ partis concluſionis, in articulo poſitæ. *Ly in Expl. text.* deſignat explicationem textus poſiti. Et denique *ly in Not.* deſignat notabile poſitum. *Fol.* folium deſignat.

A.

A ſumitur eſſentialiter & notionaliter; & quid deſignet? 2.p.Lect.195.Art.2.in expl. 2.p.fol. 336.

Aaron & Moyſes; quia dictis Domini non perfectè crediderunt, ideo ipſi in e. populum Iſraeliticum in terram promiſſionis non induxerunt, 2.p.lect.136.in expl.text.fol. 246.

Aaron indicio virgæ florentis electus eſt, 2.p. lect.165.art.un.in expl.2.p.fol. 294.

Aaronis totale ornamentum Pontificale, quomodo figuraverit totum orbem terrarum, 2.p.lect.205.in expl.1.veſtia Pontificalis, quæ eſt *poderis* fol.353.

Albane animal magnum adinſtar cervi habet vel in ante, & deſignat iracundiam, 2.p.lect.142. art.un.in expl.3.p.fol.256.

Abraham conjuravit Eleazarum, ut filio ſuo Iſaac non accipiat uxorem de filiabus Chanaan, 1.p.lect.45.art.2.in fine, expl.1.p.fol.84.

Abraham qualiter rogaverit Deum ut parceret Sodomæ, 2.p.lect.127.in expl.text.fol.228.

Abimelech ſacerdos noluit ſervis Davidis permittere, ut manducent; niſi eſſent mundi à mulieribus, 1 p.lect.119.art.un.fol.210.

Abimelech Dux ſociis ſuis, 1.dixit quod me videtis facere, hoc facite, 2.p.lect. 197. art.un in expl.4.p.fol.341.

Abſentia gratiæ cauſat tenebras animæ, 2.p. lect.195.art.1, in expl.3.p. fol. 336.

Abſalon interpretatur Patria mei amaricatio, & figurat Diabolum 1.p.lect.3.art.1.in expl. 1.p.fol.4.

Acceptio perſonarum eſt peccatum, 1.p.lect. 79.art.un.fol 148.

Achillem mater ſua intinxit in aquis ſtygiis excepto talo, 2.p. lect.205. art.un.in expl.1.p. fol.336.

Accidioſos non antecedit ſapientia, 1. p. lect.95.art.2.fol.169.

Accidia rectè comparatur paralyſi, 2. p. lect. 179. art.un.in expl.4.p.fol.313.

Actus conjugalis poteſt fieri ſine peccato, imo meritoriè, 1.p.lect.44.art.un.fol.83.

Actus excellentis victoriæ eſt contra carnem mundũ, & diabolũ, 1.p.lect.40.art.2.not.3.f.74.

Adam ſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet, habuiſſet immortalitatem corporis ex gratia divina, non autem ex propria ſua natura, 1. p. lect.30.art.1.fol.52.

Adamo ſapientia quinq; prærogativas contulit, 2.p.lect.125 in expl.text.fol.224.

Adam in ſtatu innocentiæ fuit ſufficienter cuſtoditus à Deo, 2.p.lect.125.art.un.fol.224.

Adamo Deus loco coſtæ, de qua formata ſuit Eva, replevit carnem, & quid Deus per hoc voluerit indicare? p.2. lect.127. art.1. propè finem, fol.228.

Adulator apponit ei quem laudat, perſpicilla, reddendo facta ejus majora, quam ſint, 2.p. lect.212.art.1.in expl.2. p.

Adulatores exactè deſcribuntur, ib.

Adulatores debet homo repellere per agnitionem propriorum defectuum, 2.p lect.31. art. un.in expl.1.p.

Adulterii gravitas cognoſcitur ex gravi punitione, perverſa prolis procreatione, & datæ fidei violatione, 1.p.lect.42. art.2.fol.78. & 75.

Adulterii prohibitio in decalogo ſtatim ponitur poſt prohibitionem homicidii, & cur? ib. in expl.1.p.fol. 78.

Adulterium gravius eſt quàm furtum, ibid.

Adultera peccat contra Deum, virum, & prolem, ibi in expl.3.p.

Advocati falſi ſunt deteriores meretricibus, 1.p.lect.56. artic. un. fol 105

Advocati falſi rectè aſſimilantur ſtellis errantibus, linguæ literæ, & Cherubino tenenti gladium flammeum atque verſatilem, ib.

Agamemnon bello decennali cum ſummo periculo Trojam devaſtavit, 1.p lect.121. art.un. in expl.3.p.fol. 214.

Alceſta per ſuam ſpontaneam mortem, ſalvavit Admetum Regem ſuum maritum, 2. p.lect. 207.art.un. in explicat.1.p.fol.

Alexander Magnus libenter audivit ſibi dici ſuos defectus, 1.p.lect.55 in expl.text.in not.fol. 102.

Alexander inter epulas amicũ ſibi chariſſimũ occidit, 1.p.lect.122.art.2.in expl.4.p.fol.216.

Aman fuit malus conſiliarius, 2.p.lect. 131. art.un.in expl.2.p.fol.237.

Ambitioſus quis ſit? 2. p. lect.165.art. un. in expl.2.p.fol. 294.

Ambitioſi cantant invitatorium. *venite* faciamus civitatem & turrim, 1. p.lect. 20.art.2.in expl.3.p.fol.35.

S.Ambroſius contra malos Prælatos pulchrè ſcripſit, 1.p.lect.78 art.un.in expl.4.p.fol.147.

S.Ambroſius de morte fratris ſui non flevit; & cur? 2.p.lect.164.art.un. in expl.3.p.fol. 292.

Amicitia fit propter bonũ utile, honeſtũ vel delectabile, 1.p.lect.45. art.2 in expl.1.p.fol.85.

Amicitia viri ad uxorem non debet fundari in ſola pulchritudine corporis vel divitiis, 1.p. lect.45.art.2.in expl.1.p.fol.85.

Amon Rex raſit dimidiam partem barbæ nuntiorum David, & decurtavit veſtes eorum uſque ad nates. Applicatio moralis, 2.p.lect.202.

A a 2 post

poſt expl.text. in not.fol. & t.p. lect.10.in expl. text.fol. 16.

Amor inordinatus cauſat ſterilitatem,diſſolubilitatem,& gravitatem,1.p.lect.92.poſt expl. text.in not.fol.164.

Amor mulieris devicit Alexandrum ut pomum aureum adjudicaverit Veneri , 2.p.lect. 156.art.2.poſt expl.conclus,fol.280.

Amor transformat amantem in amatum, 2. p.lect 207. art.un.in expl. 4. p.item 2. p. lect. 149.art,un.in expl.3.p.fol,270.

Amorræus interpretatur amaricans,& figurat invidum,2.p.lect.204.art.un.in expl.2.p. fol. 35.

Amorræus invidiæ vincendus eſt per donum intellectus,ibid.

Angeli cuſtodes provinciarum , clamabunt omnibus ad provinciam ſuam ſpectantibus voce aliqua ſenſibili à ſe formata,mediante aliqua creatura, ut omnes corporaliter compareant in extremo judicio,1.p.lect.58.art.1.fol.109.

Angelorum undecim qualitates explicantur, 2.p.lect.183. art.1.fol,318.

Angelus exterminator Ægypti, fuit Angelus bonus,2.p.lect.201 art.1.fol. 346.

Angelus Aaroni veſtibus Pontificalibus induto reverentiam exhibuit,2.p.lect 205. in fine expl. text.fol. 253.

Angeli ſunt fratres noſtri , 2. p.lect,207.art. un.in expl 3.p.fol.319.

Anima rationalis eſt immortalis, 1.p.lect.15. art.1.fol,24.

Animæ juſtorum in hac vita ſunt in manu Dei ſupportantis , confortantis, caſtigantis & conſervantis,1.part.lect.31.art.31.fol. 55.

Animæ defunctorum habent diſtincta receptacula in altero mundo , 1.p. lect. 31. art. 1. fol.54.

Anima hominis eſt pretioſa apud Deum propter tria,1.p.lect.52.art.1 fol. 97.

Animæ damnatorum ab hora nona ſabbati, uſq; ad horam nonam diei dominicæ non ſunt liberæ à pœna,ut aliqui finxerunt,1.p.lect.56.in expl.text.fol.104.

Anima poſt peccatum habet ſibi corpus conjunctum ſicut inſtrumentum ad ſerviendum,ſicut indumentum ad tegendum , & ſicut afflictorium ſui ad puniendum , 1. p. lect.123.art.un. fol 217.

Animæ in purgatorio exiſtentes juſtè conqueruntur contra hæredes ingratos, executores falſos , Eccleſiaſticos non ſervantes fundationem ſibi factam ; & contra mandicantes nihil orantes pro eo, qui largam eleemoſinam dedit. 2 p.lect.184.art.2. fol. 321.

Animæ in purgatorio exiſtentes nec puniuntur per Angelos bonos, nec per Angelos malos ſed ſolus ignis affligit eos divinâ juſtitiâ ſic permittente,2.p.lect,201.art.2,fol.347.

Antichriſtus regnabit 42.menſibus,id eſt tribus annis cum dimidio,1.p.lect,58.art.3.fol.110.

Antichriſtus occidetur à Chriſto Domino, vel à S.Michaele Archangelo,ibid.

Antichriſtus occidetur in monte Oliveti in papilione , & in illo loco, circa quem Chriſtus Dominus aſcendit in cœlum,ibid.

Antichriſto mortuo dabuntur adhuc 45.dies pro agenda pœnitentia, ibid.

Antichriſtus naſcetur de tribu Dan. ibid.

Antichriſti tempore erit Chriſtus tanquàm ſol juſtitiæ in ſigno Capricorni,1.p.lect.61. art. 3.in expl.10.ſigni fol.116.

Antiqui ſolebant ſententiam proferre non verbis,ſed lapillis albis vel nigris, 2 p. lect.187. art.un.in expl.2.p. fol. 325.

Apoſtoli in Eccleſia introduxerunt uſum imaginum,2.lect.158.art.un.dico 1.fol.282.

Apria avis habet faciem quaſi hominis , eſt tamen adeo crudelis,ut ex fame occidat hominem,deindè vero ita dolet,ut moriatur,2 p.lect. 144.art.un. in expl.1.p.fol.260.

Aqua maris dulceſcit per ſolis elevationem, terræ tranſitionem,& terræ diſtillationem, 2.p. lect.134.art.2.fol.243.

Aqua propter tria comparatur ſapientiæ ſalutari,2.p.lect.381.art.1.fol.249. Aqua pluvialis plus conducit piſcibus, quam aqua fluminis vel fontis. Applicatio moralis, 2.p.lect.138 art.1.in in expl.2.p.fol.250.

Aqua ſapientiæ ſeu ſacræ doctrinæ moralis convertitur in vinum ad preces beatiſſimæ virginis MARIÆ ibid.

Aqua rectè comparatur ſalutari pœnitentiæ,quia lavat ſordida , flectit rigida,& coquit cruda,2.p.lect.138.art.2 fol.250.

Aquæ ſex proprietates pulchrè comparantur ſex proprietatibus mulieris ſanctæ.2.p.lect. 182.art.un.fol.317.

Aquila habet pedem dextrum majorem ſiniſtro,& aliæ ejus proprietates deſcribuntur,1. p. lect. 65.art.un.in expl.3.p.fol.122.

Arca Noë qualis & quanta fuerit ? 2.p.lect. 126.in expl.text.fol.226.

Arbor in India ſummè frugifera pulchrè comparatur beatiſſimæ Virgini, lect.41.art.un. in expl.1.p.fol.76.

Arcturus Rex aſpiciendo imaginem beatiſſimæ Virginis,quam in interiori parte ſui ſcuti geſſit,ſemper fuit confortatus,2.p.lect,203.art. un.in expl.2.p. fol. 350.

Arcus mortis mittit ſagittas ſuas ante nos, retro nos, juxta nos,ſupra nos,& infra nos, 1.p. lect.66.art.2.in expl.2.p.fol. 124.

Argentum rectè comparatur luto ratione deturpationis,tenacitatis retentivæ, & indurationis damnificativæ,1.p.lect 92.art. 1.fol.165.

Argos cum ſuis centum oculis ſolum cuſtodiendam habuit unam vaccam ex virgine pulcherrima paulo ante transformatam, 1. p. lect. 37.poſt expl.text.fol.65.

Argumentoſi & impii cavillatores repelluntur à ſupremo judice abſque reſponſione , 1. p. lect.56.in expl.text.fol. 104.

Ariſtoteles dixit , non eſt philoſophi timere mortem,ſed magis gaudere : multaque alia moriturus diſcipulis ſuis dixit, 2.p. lect.153.art. un. in expl.2.p.fol. 276.

Arma quibus Diabolo reſiſtere debemus ſunt ſobrietas & vigilantia , item amor Dei & humilitas,2.p. lect.127.art.1.in expl.1.p.fol.228.

Ars magica habet expreſſum vel implicitum pactum cum Dæmone, eſtque hominibus interdicta,2.p.lect.190.art.un.fol.32.

Aſinus verſus ſcapulas portat crucem, & eſt debilis ; ſed verſus partem poſteriorem eſt fortis ad portandum,& rectè deſignat pigrum , 2. p.lect.142.art.un.in expl.4.p.fol.256.

Aſſur interpretatur arguens vel convincens, 2.p.lect.212.art.1.in expl.4.

Athalan-

Digitized by Google

Athalanta virgo pulcherrima & velociſſima in currendo victa fuit ab Hippomene, & quomodo, 1. p. lect. 14. art. 3. fol. 23.

Athenienſes Philoſophiam tripliciter depinxerunt, 1. p. lect. 95. poſt expl. text. in not. fol. 169.

Avari ambulant viam difficilem & ſpinoſam, 1. p. lect. 62. art. 4. in expl. 2. p. fol. 117.

Avari inſipienter ſe jactant de ſuis divitiis, 1. p. lect. 63. art. 2. fol. 119.

Avari propter difficultatem terrenæ occupationis inepti, ſe excuſant à vocatione divina, 2. p. lect. 145. art. 2. in expl. 2. p. fol. 262.

Avari pecunioſi in facto negant ſe noſſe Deum quatenus eſt charitas, 2. p. lect. 174. art. un. in expl. 1. p. fol. 277.

Avari divites moraliter loquendo habent amplitudinem pecuniæ pro ſuo idolo, 2. p. lect. 163. art. un. in expl. 2. p. fol. 290.

Ly *Ave* myſtice ſanctiſſimam Trinitatem deſignat, quod pulchrè explicatur, 2. p. lect. 195. art. 2. fol.

Auceps ſpargendo eſcam & abſcondendo funiculum, aliquas aves capit in pede, alias in collo, & alias in toto corpore. Applicatio moralis, 2. p. lect. 141. art. un. in expl. 2. p. folio 255.

Auceps volens iterum capere falconem, ſtat in loco ſublimi, & monſtrat ipſi rubrum pannum. Applicatio ad Chriſtum crucifixum. 2. p. lect. 145. art. 2. in expl. 2. p. fol. 262.

S. Auguſtinus pulchrè deſcribit Chriſtum patientem, 1. p. lect. 28. art. 3. in expl. 2. p. fol. 49.

S. Auguſtinus pulchrè deſcribit redemptionem noſtram factam per ſanguinem Chriſti, 2. p. lect. 137. artic. un. in explicat. 1. & 2. p. fol. 248.

Avaritia rectè comparatur hydropi, p. 2. lect. 179. art. un. in expl. 5. p. fol. 313.

Avis paradiſi pulcherrima eſt, & ſi capiatur, in tantum plangit & gemit, donec emittatur. Applicatio moralis, 2. p. lect. 144. art. un. in expl. 2. p. fol. 260.

Aureola virginitatis quibus datur, & quibus non datur, 1. p. lect. 40. art. 2. poſt 5. argumentum uſque ad finem artic. fol. 74.

Aureola virginitatis an debitur pueris & puellis, ante uſum rationis mortuis, 1. p. lect. 40. art. 2. in fine. fol 75.

Author ſacræ Scripturæ eſt Deus, 1. p. lect. 1. in expl. text. fol. 1. & 2.

Aegyptiis Deus 10. plagas immiſit, 2. p. lect. 137. in expl. text. fol. 247.

Aegyptios Deus ſiti punivit ad ſuam damnationem, 2 p. lect. 139. in expl. text. folio 251.

Aegyptii per ſitim intolerabilem ſibi à Deo immiſſam adducti ſunt, ut confiterentur Deum, & ut Moyſen Dei prophetam venerarentur, 2. p. lect. 140. in expl. text. fol 253.

Aegyptios Deus facilè potuiſſet per beſtias ferociores punire quam de facto puniverit, 2. p. lect. 142 in expl. text. folio. 255.

Aegyptii juſtè fuerunt puniti per tenebras palpabiles, & occiſionem primogenitorum, 2. p. lect. 187. in expl. text. fol. 324.

Aes cum ſtanno non commiſcetur, benè tamen cum argento, 1. p. lect. 97. art. un. in expl. 2. p. fol. 174.

B.

Baba pictor egregius pinxit pulcherrimos pueros, ſed genuit turpiſſimas proles: cauſam quæſitus, quid reſponderit, 2. p. lect. 195. art. 1. in expl. 1. p. fol. 336.

Babylon interpretatur confuſio, 2. p. lect. 127. art. 1. in expl. text. fol. 228.

Barlaam Magiſter Joſaphat filii Regis, quid ei reſponderit quæſitus de ſua ætate, 1. p. lect. 54. art. un. in expl. 4. p. fol. 102.

Beatitudo eſſentialis vocatur corona vel aurea 1. p. lect. 40. art. 2. not. 4. fol. 74.

Beatitudo accidentalis vocatur aureola, & cur, ibid.

Beati per ſe tantum gaudebunt de divina juſtitia, per accidens tamen etiam gaudebunt de pœnis damnatorum, 1. p. lect. 71. art. 1. fol. 131.

Belmolothi qui ſint, 1. p. lect. 60. poſt expl. text. not. 3. fol. 112.

Bellum eſt juſtum & licitum, ſi adſint tres conditiones, videlicet primò, ſi adſit juſta cauſa; ſecundò, ſi adſit recta intentio ad promovendum bonum, & malum impediendum; & tertiò, ſi accedat authoritas Eccleſiæ vel principis terræ, 1. p. lect. 114 art. un. fol. 202.

Bellantes ſolent adhibere tria ſigna, vocalia, ſemivocalia & muta, 2. p. lect. 178 art. 2 in expl. 1. p. fol.

Benedicta tu in mulieribus, pulchrè applicatur, 1. p. lect. 41. artic. unic. in explicat. 1. p. fol. 76.

Beneficium potiſſimum homini collatum eſt redemptio, quæ pulchrè explicatur, 1. p. lect. 110. art. un. in expl. 2 p. fol. 194.

Beneficentia ad indigentes, meretur Dei benedictionem, 2 p. lect. 175. artic. unic. in expl. 2. p. fol. 307.

Benigna correctio ad inſolentes, meretur Dei benedictionem, 2. p. lect. 175. artic. unic. in expl. 4. p. fol. ib.

S. Bernardus pulchrè deſcribit Chriſtum patientem, 1. p. lect. 28. art. 3. in expl. 2. p. fol. 49.

S. Bernardus pulchrè ſcribit, qualis debeat eſſe prælatus, vel ſuperior, p. lect. 78. art. un. in expl. 3. p. fol. 147.

S. Bernardus contra malos Prælatos pulchrè ſcribit ibidem in expl. 4. p. fol. ibid.

S. Bernardus quantam ſpem habuerit erga Deum, 2. p. lect. 153. artic. un. in explicat. 3. p. fol. 276.

Beſtialitas ſummè eſt homini fugienda, 1. p. lect. 6. art. 1. fol. 9.

S. Bonifacius Martyr, quid ſcripſerit de adulteriis Regi Angliæ? 1. p. lect. 42. art. 3. fol. 79.

Bonæ conſcientiæ domus debet habere fundamentum ſolidæ doctrinæ, ornamentum virtutum & exemplorum ſanctorum. Patrum; tegumentum honeſtæ converſationis, & frequens expurgamentum per converſationem, 1. p lect. 115. art. un. fol. 203.

Bonum regimen requirit quinque conditiones, 1. lect. 114. in expl. text. fol. 201.

Bona & recta fides, ſeu fiducia, impetrat peccatorum remiſſionem, Dæmoniorum confuſionem, optatorum conſecutionem, & electorum benedictionem, 2. p. lect. 198. artic. un. fol 342.

Buſo triſtatur de bono odore vinearum florentium, 2.p.lect.188.art.un.in expl.1.p.fol.326.

C.

CAjus Caſar egregio dicto milites ſuos animavit, 2.p.lect.153.art.un.in expl.1.p.fol.276.

Cajus Caligula volebat adorari tanquam Deus, 2.p lect.165.in expl.text.fol.293.

Chaldæi adoraverunt ignem, & figurant homines libidinoſos, 2.p.lect.128.art.1.in expl.2.p.fol.230.

Cham videns patris ſui verenda, ſervitute damnatus eſt, 1.p. lect. 21. art. 2. in expl. 1. p. fol.36.

Cham filius Noë ſeptem artes liberales in quatuordecim columnis deſcripſit, 2.p. lect. 197.art.un.in expl.2.p.fol.340.

Cambiſes Rex fuit ſummè ſeverus, 1. p. lect. 85.in fine expl.text.fol.157.

Camelus habet magnam memoriam verberum, eſtque vindicativus. Applicatio, 1.p. lect. 113.art. un.in expl. 3. p. fol.201.

Chananæi occiderunt proprias proles, easq; dæmoniis immolarunt, 2.p.lect.147.in expl.text. fol.266.

Chananæus interpretatur poſſeſſor, vel negotiator, & ſignat avaritiam, quæ vinci debet per donum pietatis, 2.p.lect.204.art.un.in expl. 5.p.fol.350.

Cantores plures ſunt in choro Diaboli, vel mundi, quam in choro Chriſti, 1.p.lect 20 art.2. in expl.1.p.fol.34.

Carnades Philoſophus uſque ad annum nonageſimum, eundem ſtudendi morem retinuit, 1.p.lect.55.art.1 in expl.4.p.fol.103.

Carcer hominibus eſt quadruplex, nempè carcer corporalis coarctationis; conſuetudinalis oppreſſionis; medicinalis expurgationis; & infernalis condemnationis, 2.p.lect 193. art. un. fol.333.

Ex carcere infernali nulla eſt ſperanda redemptio, 2.p.lect.193.art.un.in expl.4.p.fol.334.

Carnem & mundum tanquam hoſtes fugere debemus, 2.p.lect.127.1.art.1.in expl. 2. & 3. p. fol. 228.

Caro pugnat contra nos duplici manu, 2. p. lect.136.art.un.in expl.2.p.fol.246.

Carni debemus ſuſtentationem, caſtigationem, & exercitationem, 2.p.lect.121.art.1.in expl.2.p.fol.302.& 1.p.lect.80.art.un.in expl 4. p.fol.151

Carthago everſa plus Romæ nocuit, quàm Carthago adverſa, 2.p.lect.167. art.un. in expl. 1.p.fol.297.

Carolus Magnus quid ſenſerit de Rege illiterato, 1.p.lect.55.art.3.fol.104.

Carolus Magnus ſtudium Româ Pariſios tranſtulit, ibid.

Carolus Magnus habuit in ſuo palatio omnes artes liberales miro modo depictas, ibid.

Carolinus ad ſolas preces ſuæ matris pepercit Romæ, 2.p.lect.175.art.un.in expl.1.p.fol.307.

Caſtor & pollux ſummè dilexerunt ſe, & per eos deſignantur gemini, ſuntque ſignum cœleſte, 1.p.lect.61.art.3.in expl.3.ſigni. fol.115.

Caſtratus dicitur quaſi caſtus natus, eſtque frigidus & impotens ad coëundum, 1. p. lect. 40.in expl.text.fol.73.

Caſtare ſripſum homini non eſt licitum, 1. p.lect.40.art 1.fol.73.

Cauſæ principalis reſurrectionis erit virtus divina aſſiſtens illi voci Angeli clamantis, Surgite mortui venite ad judicium, 1.p.lect. 57. art. un.fol.107.

Cauſæ inſtrumentalis reſurrectionis, erit vox illa Angeli, ibid.

Cauſa diluvii fuit peccatum Cain, & ſuorum poſterorum, & quomodo, 2.p.lect.126. in expl.text.fol.226.

Cauſidicus quidam ex clerico pauperrimo factus eſt ditiſſimus, morti tamen proximus bonam egit pœnitentiam, 1.p. lect. 56. art. un. poſt expl.4.p. folio 106.

Centipes piſcis marinus, quomodo ſe liberet ab hamo, viſceribus ſuis inhærente, 2.p.lect. 148 art.un.in expl.3.p. folio 268.

Cervus devorato ſerpente moritur, niſi ſtatim perveniat ad aquam, 1.p.lect.101.art.un.in expl.1.p.fol. 180.

Cete quid ſit, 1. lect. 64. art. 2. in expl.3.p. fol.121.

Cœlum eſt regnum decoris, 1.p.lect. 70. art. 2 in expl.1.p.fol. 132.

Chore ex invidia contra Aaron volens fieri ſacerdos adjunxit ſibi 250.Levitas; ſed poſtea graviter punitus eſt, 2.p.lect. 203. in expl. text. fol. 349.

Chriſtus voluntariè eſt mortuus, & tamen violenter eſt occiſus à Judæis, 1.p.lect. 28.art. 2. fol.48.

Chriſtus comparatur hortulano, 1. p. lect.50. art.2.in expl.1.& 2.p.fol.95.

Chriſtus in ſecundo ſuo adventu non veniet cum humilitate, nec equitabit ſuper aſinam, nec bajulabit ſibi crucem: ſed veniet in majeſtate, 1 p.lect 57.in expl.text.fol.106.

Chriſtus quomodo præcipiat recolligi pulveres.ſeu quaſcunque partes mortuorum, 1. p. lect.50.art.1.fol. 109.

Chriſtus quomodo præcipiat corpora reformari, & corporibus formatis animas reuniri, ibid.

Chriſtum deriſerunt divites avari, principes præclari, milites amari, & ſimplices ignari, 1.p. lect.60.poſt expl.text.in not.fol.112.

Chriſtus rectè comparatur ſoli propter operationem vivificantem, apparitionem ſignantem, & declarationem manifeſtantem, 1. p. lect. 61.art.1.fol. 113.

Chriſtus quomodo fuerit ſol manè & veſperi rubens; & quid ambæ rubedines ſignificent? 1.p.lect.61.art.1.in expl.2.p.fol.114.

Chriſtum tanquam ſolem, ejusque radios ſubtrahunt & abſcondunt, terra mundialis cupiditatis, nubes temporalis vanitatis, & Luna carnalis voluptatis, 1. p. lect. 61. art. 12. fol. 114.

Chriſtus tanquam ſol moraliter loquendo pertranſivit 12.ſigna Cœleſtia, 1.p.lect.61.art.3. fol.114.

Chriſtus habet triplicem arcum, nempè lucis ſcripturæ, mortis naturæ, & legis cenſuræ, 1. p.lect.66.art.2.fol.124.

In Chriſto tanquam in noſtro brachio eſt noſtra munitio, tuitio, & fruitio, 1.p.lect.70.art. 1.fol.131.

Chriſtus

Chriſtus à nobis exigit cor, manus & antes. 1. p. lect. 76 poſt expl. text: art. 2. fol. 144.

Chriſtus diligenter diſcuſſit cauſam mulieris, quam Phariſæi de adulterio accuſabant. 1. p. lect. 77. art. 2. in expl. 3. p. fol. 145.

Chriſtus quid tunc ſcripſerit in terra? ibid.

Chriſtus tanquam ſupremus Judex nulli parcet propter benevolentiam, impotentiam, aut negligentiam. 1. p. lect. 79. in expl. text. fol. 148.

Chriſtus oblatus eſt, quia ipſe voluit 1. p. lect. 88. poſt expl. text. in fine reſponſionis ad quæſitum. fol. 161.

Chriſtus Dominus legitur quater fleviſſe. 1. p. lect. 90. poſt expl. text. not. 1. fol. 163.

Chriſtus fuit cādor lucis honeſtiſſimè vivendo, ſpeculum ſine macula rectiſſimè dicendo, & imago bonitatis, benigniſſimè redimendo. 1. p. lect. 102. art. un. fol. 181.

Chriſtus nobis fecit convivium de ſeipſo, in quo ſunt tria fercula delicatiſſima; nempè caro mundiſſima, anima ſanctiſſima, & Deitas infinita. 1. p. lect. 111. art. 3. fol. 197.

In Chriſto eſt magnitudo miſericordiæ ex naturali proprietate, generali poteſtate, & experimentali hominum neceſſitate. 1. p. lect. 118. art. un. fol. 207.

Chriſtus liberat homines ſicut medicus ægrotos, ſicut princeps milites obſeſſos, & ſicut Judex injuſta patientes. 2. p. lect. 129. art. 2. fol. 232.

Chriſtus rectè comparatur ligno frugifero. 2. p. lect. 161. poſt expl. text. in not. fol. 287.

In Chriſto tanquam in ligno fructifero, ſunt duodecim conſideranda. 2. p. lect. 161. art. un. fol. 287.

Chriſtus dat homini triplicem vitam, nempè naturæ, gratiæ, & gloriæ. ibidem.

Per Chriſtum in ligno crucis homo juſte rependit, quod abſtulit, & Diabolus victus eſt in ligno, in quo vicerat. 2. p. lect. 162. art. 1. fol. 288.

Chriſtus eſt pro nobis in omnibus ſenſibus. ibidem.

Chriſtus Dominus cur cum indignatione repulerit Dæmonem, volentem, ut Chriſtus eundem Dæmonem adoraret. 2. p. lect. 167. art. un. in expl. 3. p. fol. 297.

Chriſtus cur lazarum cum gemitu, clamore, & lachrimis reſuſcitaverit? 2. p. lect. 176. poſt expl. text. in not. fol. 309.

Item 2. p. lect. 164. art. un. in expl. 3. p fol. 292.

Chriſtus ad utilitatem bonorum, converſionem malorum & honorem Dei patravit miracula 2. p. lect. 178. in expl. text. fol. 311.

Chriſtus fuit rectè figuratus per ſerpentem æneum quantum ad motum innocentiam, ſitus eminentiam, vitæ carentiam, & ſalutis efficientiam. 2. p. lect. 178. art. 1. fol. ibid.

Chriſtus humano generi oſtendit ſigna benevolentiæ, reminiſcentiæ, providentiæ, & patientiæ. 2. p. lect. 178. art. 2. fol. 312.

Chriſtus etiam ſecundo ſuo adventu faciet tria ſigna, nempè vocalia, ſemivocalia & muta. 2. p. lect. 178. art. 2. in expl. 3. p. fol. ibid.

Chriſtus erga ſuos Apoſtolos, monſtravit ſe ut ſuperior, ut inferior, & ut æqualis. 2. p. lect. 197. art. un. in expl. 3. p. fol. 341.

Chriſtus conſiderando præciſè principia naturæ humanæ, neceſſariò eſt mortuus, potuiſſet tamen ſe præſervare à morte ratione unionis hypoſtaticæ, ſi voluiſſet. 1. p. lect. 88. poſt expl. text. in Reſponſ. ad quæſitum. fol. 161.

S. Chryſoſtomus pulchrè ſcripſit de voce tubæ nos vocantis ad univerſale judicium. 1. p. lect. 57. in expl. text. fol. 107.

Ciconiis ineſt mirabilis pietas erga parentes. 2. p. lect. 139. art. 2. in expl. 1. p. fol. 252.

Circulum ex terra hibernica formatum, nullum animal venenatum poteſt intrare. 1. p. lect. 11. art. un. fol. 18.

Circes pulcherrima Domina, miſcuit pocula & ex eis bibentes transformavit in beſtias. 1. p. lect. 64. art. 2. in expl. 2. p. fol. 121.

Circis pocula, quomodo Ulyſſes evaſerit, & eandem coegerit ad ſuorum ſociorum reſtitutionem. ibidem.

Clandeſtinum homicidium clamat ad Deum pro vindicta. 1. p. lect. 69. art. 1. in expl. 2. p. fol. 129.

Cleonymus Princeps per pulchrum ſtratagema liberavit civitatem ſuam ab hoſtibus cinctam. 2. p. lect. 128. art. 2. in expl. 2. p. fol. 230.

Clericus peccator eſt ſimilis Argo 1. p. lect. 37. poſt expl. text fol. 64.

Clerici religioſi ſubinde ſunt negligentes, in reverendo Dei majeſtatem 1. p. lect. 37. art. 1. in expl. 3. p fol. 65.

Codrus Rex Athenienſium pro civitate ſua liberanda depoſuit regium diadema, & permiſit ſe occidi. 2. p. lect. 129. art. 2. in expl. 3. p. fol. 233.

Cogitationes infidelitatis ſeparant à Deo, & cur? 1. p. lect. 5. in expl. text. fol. 7.

Cogitationum malarum quatuor genera explicantur. 1. p. lect. 5. art. 2. fol. 8.

In conceptione hominis, conſideranda ſunt loci qualitas, formæ debilitas, temporis quantitas, materiæ fœditas, & vitæ infirmitas. 1. p. lect. 89. in expl. text. fol. 161.

Concupiſcentia oculorum deſignatur per Cattum. 2. p. lect. 142. art. un. in explicatione 7. p. fol. 257.

Congruentia aſſignatur cur Deus Iſraelitis in deſerto ſitientibus dederit abundanter aquam ad potandum. 2. p. lect. 138. in expl. text. fol. 249.

Conjunx bona obediendo viro, educando prolem, & diſponendo familiam, poteſt tamen mereri, ut attingat meritum virginis 1. p. lect. 45. in expl. text. fol. 84.

Conjugatus reſuſcitatus à morte non tenetur iterato uxori ſuæ relictæ conjungi, ſed poſſet aliam uxorem ducere. 1. p. lect. 45. art. 1. fol. 84.

Conopæ, quomodo conſiderint Chaldæos, qui colebant Baal pro vero Deo 2. p. lect. 155. in expl. text. fol. 278.

Conſcientia bona eſt elevatrix bonæ depreſſionis & conſervatrix bonæ poſſeſſionis. 2. p. lect. 191. art. 2. fol. 33.

Conſcientia mala eſt cauſatrix pravæ tranſgreſſionis; & vindicatrix fractæ profeſſionis. 2. p lect. 191. art. 2. fol. 330.

Conſcientiam laxam ſcrupuloſam, perturbatam & indiſcretam oporter vitare. 2. p. lect. 191. art. 3. fol. 331.

Conſilium diverſimodè accipitur. 1. p. lect. 123. in expl. text. fol. 216.

Cooſtantino Imperatori conſultum fuit, ot balnearet in calido ſangvine puerorum 2. p. lect. 137. art. un. in expl. 2. p. fol 248.

Cooſoetudo mala eſt ſummè periculoſa, & eſt quaſi altera oatura. 2. p. lect. 176. in fine expl. text. & in not. fol. 309

Conſuetudo mala invadit juventutem, conſtriogit ſenecturem, fallit affectum, & ſubvertit rectum judicium rationis. 2. p. lect. 193. art. un. in expl. 2. p. fol. 333.

Contentio quid ſit: 1. p. lect. 27. art. 2 fol. 47.

Contumelia quid ſit? ibidem.

Contumelioſi perterriiotes affligontur cum cum deſpectione. 1. p. lect. 56. io Expl. text. fol. 104.

Convitium quid ſit? 1. p. lect. 27. art. 2. fol. 47.

Cor noſtrum Deo præbete debemus integraliter & perpetualiter. 1. p. lect. 4. art. 3. fol. 6.

Corallus in aqua creſcit adinſtar planiæ. 2. p. lect. 138. art. 2. in expl. 2. p. fol. 251.

Corpora humana ſecundum legem communem rediguntur in cineres, & quomodo? 1. p. lect. 16. art. 10. fol. 26.

Corpora damnatorum habebunt inexplicabilem gravitatem. 1. p. lect. 52. art. 2. in expl. 4. p. fol. 98.

Corpus humanum ſecundum Platonicos, eſt moles obliviosa. Applicatio. 1 p. lect. 113. art. un. in expl. 1. p. tertio. fol. 200.

Corporalis corruptionis ſunt quatuor modi. 1. p lect. 30. art. 1. fol. 52.

Corvus ab eductione ſuorum pullorum ex ſuis ovis poteſt impediri per einerem 1. p. lect. 16. art. 3. in expl. 1 p. fol. 27.

Criſyppos anno ætatis nonageſimo magnæ ſubtilitatis volumen edidit. 1. p. lect. 55. art. 1. in expl. 4. p. fol. 103.

Cræſus filius Regis Achis mutus, ex timore incœpit loqui, & Cyrum Regem pro ſalute patris ſui deprecari. 2. p. lect. 194. art. un. io expl. 2. p. fol. 335.

Credere Deo, Deum, & in Deum, ſunt diverſa. 2. p. lect. 198. art. un. in expl. 4. p. fol. 342.

Crux ſancta fuit Chriſto Domino pons, lectus. ſcala, & libra 2. p. lect, 162 art. 2. fol. 289.

Crux Chriſti potius lectulus quàm lectus dicitur. ibidem, in expl. 2.

Cupido filius Veneris, quomodo pingatur? 1. p. lect. 66. art. 1. in expl. 1. p. fol. 123.

Cur Spiritus ſanctus dicatur non habitare in corpore ſobdito peccatis? 1. p. lect. 5. art. 1. fol. 7.

Cur Spiritus ſanctus in animam ſobditam peccatis ne quidem intret? ibidem.

Cur homines non ita ſtrenuè laboreot pro cœleſtibus præmiis ſicut tenerentor? 1. p. lect. 27. art. 2. in expl. 1. p. fol. 47.

Cydaris ſeu infula Pontificalis Aaronis qualis foerit? 2 p. lect. 205. in expl. 3. fol. 354.

D.

DAmnati in inferno non agont Pœnitentiam fructuoſè pœoitendo de peccato, ut eſt offenſa Dei: pœnitent tameo per accidens ratione pœnæ, qoam ſuſtinere debent 1. p. lect. 68. art. un. fol. 128.

Dædalus primus fecit Idola ſe moventia. 2. p. lect. 158. in expl. text. fol. 281.

David poſtquam filius ſuus chariſſimus mortuus eſt, monſtravit ſigna lætitiæ; & cur? 2. p. lect. 164. art. un. in expl. 3. p. fol. 243.

Defectus corporales alicujus ſenis ſunt ſupportandi. 1. p. lect. 49. art. 2. in expl. 3. p. fol. 93.

Defraudatio mercedis rectè ſervientiam clamat ad Deum pro vindicta. 1. p. lect. 69. art. 1. in expl. 4. p. fol 129.

Defunctorum aliqui rem pro ſpe locrantur; aliqui ſpe & re privantur; & alii ſub ſpe rem præſtolantur. 1. p. lect. 43. art 1. fol. 80.

Defunctis, ut ſuccurramus, oos quatuor cauſæ movere debent. 1. p. lect. 43. art. 2. fol. 80.

Defuncti in purgarorio detenti juſtè conqueruntur contra falſos executores teſtamenti, perverſos Eccleſiaſticos, & ingratos hæredes. 1. p. 43. art. 3. fol. 81.

Defunctos in carcere purgatorii poſitos juvare, eſt valdè meritorium. 2 p. lect. 193. art. un. in expl. 3. p. fol 334

Dehoneſtaotes ſenectutem ſuam malis moribus, redarguendi ſunt 1. p. lect. 49. art. 3. fol. 93.

Delectatio homini chara perdit ioteotiorem ipſius inclinationem. 1. p lect. 116 in expl. text. fol. 204.

Delectatio eſt triplex, naturalis, beſtialis, & rationalis. 1. p. lect. 116. art. un. fol. 204.

Denti canis, fidei mulieris, & pedi equi non eſt fidendum. 1. p. lect. 38. art. uo. in expl. 4 p fol. 70.

Dentes Eccleſiæ ſunt ipſi Doctores 1. p. lect. 102. in expl. text. fol. 181.

Dentes ſunt ſtupidi, rari, & duri. 1. p. lect. 102. in expl. text. in fol. 182.

Diram conſommatiooem accelerant peccatores, oolentes ſe convertere. 1. p lect. 43. poſt expl. text. oot. 2. fol. 80.

Deriſio quid ſit? 1. p. lect. 28. art. 1. fol. 48. Item 1. p. lect. 60. poſt expl. text. not. 2. fol. 112. Ubi oſtenditur, quod deriſio ſit locutio deordinata cum riſu de defectu proximi ad ludum, jocum, vel cootemptum.

Deriſor demonſtrat propriam ſtultitiam, ſuſpendit amicitiam, tollit juſtitiam, & intendit malitiam 1. p. lect. 60. art. un. fol. 113.

Deriſores oon ſunt arguendi de iniquitate, & inſtruendi de fatuitate, ſunt ejiciendi ex ſocietate, & deridendi à Dei majeſtate 1. p. lect. 60. art. un. io fine fol. 113.

Deſcriptio ſenis cum ſuis qualitatibus. 1. p. lect. 49. art. 2. io expl. 3. p. fol. 93.

Deſcriptio juſti. 1. p. lect. 69. art. 2. fol. 130.

Detractio quid ſit? 1. p. lect. 26. art. un. fol. 44.

Detrahens turpiter vexat ſuam linguam. 1. p. lect. 10. art. 1. fol. 16.

De detractoribus rectè dicitur in Pſalmo: Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant. 1. p. lect. 10. art. 2. fol. 17.

Detractores ſunt receptivi immunditiæ, effectivi injuſtitiæ, & infectivi omnis nequitiæ. 1. p. lect. 10. art. 2. ibid.

Detrahendi ſunt tres modi, 1. p. lect. 10. art. 3. ibid.

Contra detractionem quatuor modis nos armare debemus. 1. p. lect. 10. art. 4. ibid.

Detractores ſunt falſificatores monetæ Regalis, impeditores legati Regalis, & exhauſtores

humatores cadaveris fraternalis 1. p. lect. 10. art. 4. fol. 18.

Detractio eſt ſagitta Diaboli in arcu invidiæ. 1 p. lect. 66. art. 1. in expl. 2. p. fol 123.

Detractio tres occidit, nempè loquentem, audientem, & abſentem. ibid.

Dextra & ſiniſtra, quomodo explicetur à S. Auguſtino, 1. p. lect. 60. poſt expl. text. in fine not. 1. fol. 112.

Deus quæritur & invenitur per amorem & dilectionem. 1. p. lect. 4. in expl. text. fol. 5.

Deus ſolicitè quærendus eſt. 1. p. lect. 4. art. 3. in expl. 4. p. fol. 6.

Deus dat divitibus divitias propter pauperes. 1. p. lect. 26. art. un. in expl. 11. p. fol. 43.

Deus aliter habet animas juſtorum, & aliter animas peccatorum ſub ſe. 1. p. lect. 31. art. 3. in fine. fol. 55.

Deus electos ſuos tentari permittit propter tria. 1. p. lect. 32. art. un. fol. 56.

Deus ante diluvium univerſale dedit peccatoribus in ſpatium pœnitentiæ centum & viginti annos. 1. p. lect. 43. poſt expl. text. not. 2. fol. 80.

Deus antequam peccata Sodomorum punivit, valde lentè proceſſit. 1. p. lect. 77. art. 2. in expl. 3. p. fol. 145.

Deo contra nos demonſtrativè arguenti, debemus reſpondere cum humilitate. 1. p. lect. 80. in expl. 1. p. fol. 150.

Deus pro homine prima veſtimenta adinvenit, & cur? 1. p. lect. 90. poſt expl. text. not. 2. fol. 163.

Deus plus confert ſubindè homini de bonis temporalibus, quam ei abſtulit; plus largitur, quam petitum ſit: & plus tribuit in effectu, quam ipſimet promiſit. 1. p. lect. 94. art. un. fol. 168.

In Deo tanquam in fonte gratiarum eſt perpetuitas pretioſa, ſuavitas ſaporoſa, & communitas copioſa. 1. p. lect. 101. art. un. fol. 181.

Deus eſt gubernator omnium, mediantibus tamen cauſis ſecundis. 1. p. lect. 105. art. 1. fol. 186.

Deus diſponit omnia miſericorditer. 1. p. lect. 105. art. 2 fol. 187.

Deus exigit ab homine convivium ſpirituale cum tribus ferculis, nempè contritione, confeſſione, & ſatisfactione. 1. p. lect. 111. art. 4. fol. 197.

Deum tanquam patrem ſanctitatis debemus deprecari per devotionem; patrem poteſtatis revereri per ſubjectionem: & patrem pietatis imitari per aſſimilationem. 2. p. lect. 139. art. 1. fol. 252.

Deus per ſuam benevolentiam non ſolum liberè creaturas produxit, ſed etiam eas conſervat & diligit, ſpecialiter autem hominem 1. p. lect. 144. in expl. text. fol 259.

Deus peccatores ad ſe vocat verbo, ſigno, & nuntio. 2. p. lect. 145. art. 1. fol. 262.

Deus ſpecialiter nos vocat oſtenſionibus exemplorum, promiſſionibus præmiorum, & percuſſionibus flagellorum. 2. p. lect. 145. art. 4. fol. 263.

Deus influit dulcedinem mentibus juſtorum, & cum magna manſuetudine corripit malos. 2. p. lect. 146. in expli. text. fol. 264.

Deus homini ex auxilio gratiæ ſupernaturalis benè operanti, infallibiliter infundit novam gratiam. 2. lect. 146. art. 2. dico. 2. fol. 265.

Deus hominibus facientibus quod in ſe eſt ex viribus naturæ, ex ſua tantum liberalitate, non autem ex neceſſitate, pacto, vel condignitate meriti ad præmium conferre ſolet gratiam. ibid. in dico 1.

Deus erga malos Chananæos adhuc oſtendit ſuam pietatem. 2. p. lect. 148. in expl. text. fol. 267.

Deus Chananæos non punivit in unico momento, ſed paulatim. 2. p. lect. 149. in expl. text. fol. 269.

Deus ita clementer providit naturæ, ut ordinariè conjunxerit clementiam & potentiam, fortitudinem & manſuetudinem. 2. p. lect. 150. poſt expl. text, in not. 1. fol. 271.

Deus aliter punit peccatores corrigibiles, & aliter peccatores incorrigibiles. 2. p. lect. 153. in expl. text. fol. 275.

Dei miſericordiam ſperare debemus imminente tempeſtate temporalis tribulationis; & ſuperveniente perplexitate criminalis deſperationis. 2. p. lect. 153. art. un. ibid.

Deus eſt rigidus contra eos, qui contemnendo ſua flagella ſe non emendant. 2. p. lect. 154. in expl. text. fol. 276.

Deus non invenitur in laſcivis voluptatis, nec in divitiis inordinatæ vanitatis. 2. p. lect. 157. art. un. in expl. concluſionis. fol. 282.

Deo ſumus debitores ratione delicti, ratione beneficii, & ratione depoſiti. 2. p lect. 171. art. un. in expl. 1. p. fol. 302.

Deus dilectione ſua prævenit tarditatem noſtræ benevolentiæ; abluit fœditatem immundæ conſcientiæ; ſuperat quantitatem noſtræ ſufficientiæ; & præparat voluptatem perennis affluentiæ. 2. p lect. 185. art. un. fol. 322.

Deus tanquam judex nullo modo corrumpi poteſt 2. p. lect 187. art. un. expl. 3 p. fol. 325.

Deus pro hominibus habet palatium, ſtabulum, hoſpitale & carcerem, quæ omnia pulchrè explicantur. 2. p. lect. 193. art. un. in expl. 4. p. fol. 333.

Deo gratias agere debemus propter beneficium creationis, redemptionis, exſpectationis, juſtificationis, conſervationis, & præmiationis. 2. p. lect. 198. art. 2. fol. 339.

Deus in aliquo ſenſu poteſt vocari genus. 2. p. lect. 207. in expl. text. fol. 357.

Deus magnificat hominem producendo artificiosè, redimendo copiosè, juſtificando gratiosè, & beatificando gloriosè. 2. p. lect. 212. art. 2.

Diabolus habet tres arcus contra homines 1. lect. 66. art. 1. fol. 123.

Diabolo contra nos argumentanti ſophiſticè, debemus reſpodere negativè, 1. p. lect. 80. art. un. in expl. 3. p. fol. 150.

Diabolus invitat homines ad convivium & apponit eis tria fercula; nempè perdices injuſtitiæ, venationes iracundiæ, & pavones ſuperbiæ 1. p. lect. 111. art. 1. 2. fol. 198.

Diabolo fortiter reſiſtere debemus 2. p. lect. 127. art. 1. in expl. 2. p. fol. 228.

Diabolus pugnat contra nos duplici manu, 2. p. lect. 136. art. un. in expl. 2. p. fol. 247.

Diabolus interrogatus, quid faceret inter pœnitentes, reſpondit, reddo pudorem, quem

eis ab-

eis abſtuli. 2. p. lect,144. art, un. dico 2. in expl. 1. p. fol. 261.

Diabolus ſuos cultores variè decepit, 2. p. lect, 190. poſt expl. text. in not fol. 329.

Diadema quid ſit? 1. p. lect. 70. in expl. text. fol. 131.

Dicta Chriſti erant credibilia quia in eo fuit prudentia, virtus, & benevolentia, 2. p. lect, 198. art. un, in expl. 1. p. fol. 342.

Dies judicii univerſalis non erit antequam Antichriſtus veniat, 1. p. lect. 58. art, 3. fol. 110.

Differentia magna eſt inter ea quæ ſcribuntur in pavimento. & in celaturâ ſeu oſtio domus. 1. p. lect, 18. art. 1. circa finem, ſol. 31.

Differentia magna eſt inter bonos & malos, timituros judicem ſupremum, 1. p. lect. 57. in expl. text. fol. 106. & 107.

Differentia inter theſaurum divitiarum, & theſaurum ſcientiarum. 1. p. lect. 97. poſt expl. text. not. 1. fol 173.

Dignus Deo, debet pefectè mundum contemnere. 1. p. lect, 32. poſt expl text. not 1, fol. 56.

In digito medico cur veteres antiquitus annulum portarint? 1. p. lect. 98. art. un. in expl. 4. p. fol. 176.

Dilectio penſatur ex intenſione actus, & ex quantitate boni voliti. 1. p. lect, 20. art. 1. fol. 34.

Dilectio eſt duplex, naturalis & rationalis ibidem.

Dilectio pulchrè deſcribitur 2. p. lect, 171. art. un in expl. 3. p. fol. 303.

Dilectio ſeu charitas pulchrè comparatur igni. 2. p. lect, 184. poſt expl. text. in not. fol. 320.

Dilectio humana poteſt habere quatuor defectus à quibus tamen amor divinus omnino eſt liber & mundus. 2. p. lect 185. art. un. in expl. 3. p. fol. 322.

Diſciplina accipitur tripliciter in ſacra ſcriptura, 1. lect. 107. poſt expl. text. in not. fol. 188.

Diſciplina Dei eſt patienter à nobis ſuſcipienda propter caſtigantis dilectionem peccantis correctionem, & tentantis Diaboli, mundi & carnis dejectionem. ſeu ſuperationem. 1. p. lect. 107. art. un. fol. 189.

Diverſis Diis diverſa debebant immolari. 2. p. lect, 167. in expl. text. fol 296.

Divitis nomen Chriſtus voluit memorare & cur? 1. p. lect 18. art. 1. in fine. fol. 31.

Divitiæ recte vocantur ſpinæ 1. p. lect. 62. art. in expl 2. p. fol. 117.

Divitiæ cur dicantur eſſe nihil. 1. p. lect. 90. in expl. text. fol. 162. & 163.

Divitiæ aliquæ temporales & periculoſæ, aliquæ ſpirituales & virtuoſæ, aliquæ æternales & gloriosæ. 1. p. lect. 108. art. 1. fol. 190.

Divitiæ temporales intensè quæſitæ repellunt veritatem à cognitione ſui, Dei, & proximi. 1. p. lect. 108. art. 2 fol 191.

Divitiæ repellunt ſecuritatem ab æſtimatione. & unitate ab affectione, ibidem.

Doctor quidam iſta tria (in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei) dicit ſulum diſtingui ſecundum tria præcepta Chriſti 1. p. lect 58 art. 1. fol. 109.

Ex doctoribus aliqui paſcunt populum de quinone panibus & alii de ſeptem. 1. p. p. lect. 97 poſt expl. text. not. 2. fol. 173.

Dolor de peccatis commiſſis, cauſatus ex ſummo Dei amore, eſt optimus. 1. p. lect. 59. art. un. fol. 111.

Duo Chriſti miracula pulchrè expenduntur. 1. p. lect. 97. poſt. expl. text. in fine not. 1. ibidem.

Duo Dracones in montibus Armeniæ habitantes, viam regiam tanta peſte infecerunt, ut nullus potuerit tranſire. Applicatio 2. p. lect, 142. art. un in expl. 5. p fol. 257.

Devotus ſacræ Theologiæ ſcholaris debet in addiſcendo præponere utilitatem ſubtilitati; humilitatem ſublimitati; & ſoliditatem vanitati. 1. p. lect, 96. art. 1. fol 170.

Dux in exercitu Alexandri debebat ad minus eſſe ſexagenarius. 1. p. lect, 49. art. 2. in expl. 3. p. fol. 93.

Dux quidam Africanus ſtratagemate per fugam ſimulatam, & relicto in caſtris vino ſomniero devicit. 1. p. lect, 82. art. un. in expl. 1. p. fol. 153.

E.

IBrietas eſt denudatrix omnium ſecretorum infatuatrix ſenſatorum, alligatrix robuſtorum, & imperatrix flagitiorum. 1. p. lect. 122 art. 2. fol. 221.

Ebrius Philippus Rex mulierem quandam condemnavit quam ſobrius innocentem declaravit. 1. p. lect, 122. art 2. in expl. 1. p. ibid.

Eccleſiaſtici perverſi defraudant defunctos orationibus, abutuntur eorum legatis, & faciunt ſe indignos Dei & ſanctorum exauditionibus. 1. p lect. 43. art. 3. in expl. 2. p. fol. 81.

In Eccleſia primitiva erant multi virtute & ſapientiâ pollentes, & ſicut animalia fortia pro honore Dei laborantes. 2. p. lect, 209. poſt, expl. text.

In Eccleſia moderno tempore multi ſunt veluti muſcæ volantes per ſuperbiam, mordentesque per iracundiam, & ranæ garrulantes, atque in luto morantes per carnis deſideria 2. p. lect, 209. poſt expl. text.

Eleazarus ſenex bonum exemplum dedit juventibus. 1. p. lect, 113. in expl. text. fol. 199.

Electus à Chriſto probatur, ſicut Clericus ante promotionem, ſicut Novitius ante profeſſionem, ſicut Bacalaurius ante Magiſterium, & ſicuti denarius ante ſolutionem. 1. p. lect, 35. art. un. fol. 57.

Electis omnibus in judicio univerſali convenit actus judicandi per approbationem ſententiæ latæ à Chriſto. 1. p. lect, 35. art. 2. fol. 61.

Electos ſuos Deus transfert de rebellione ad reconciliationem, de diſſolutione ad religionem, & de peregrinatione ad quietem. 1. p. lect. 50. art. 2. fol. 95.

Electores non tenentur eligere illum, qui eſt melior abſolutè & ſimpliciter, habendo charitatem Dei & proximi, ſed illum, qui eſt melior in ordine ad talem ſtatum prælaturæ. 2. p. lect, 120. art. 1 fol. 212.

Elegantia pulchritudinis, vigor fortitudinis & ſuavitas vocis, rarò ſunt ſine zizaniis. 1. p. lect, 93. art. 2. p. fol. 167.

Elephas

Elephas eſt animal homini propter beneficia præſtita gratiſſimum. 2. p. lect. 196. art. 2 in expl. 3. p. f. 339. eſtque maximæ fortitudinis 2. p. lect, 148. art. un. in expl. 4. p. f. 269.

Elias & Enoch venient tempore Antichriſti, & prædicabunt mille, ducentis & ſexaginta diebus, amicti ſaccis, ut homines provocent ad pœnitentiam, 1. p. lect, 58. art. 3. f. 118.

Elias reſtitit contra Achab 2. p. lect, 133 art. 2. in expl, 2. p. f. 241.

Elias Abbas tria timuit, & quæ? 2. p. lect. 194. art. un. in expl. 1. p. f. 335.

Eleazar interpretatur Dei mei ſanctificatio, & deſignat Prælatum 1 p. lect. 78. art. un. in expl. 3. p. fol. 147.

Eliſæus quale dederit conſilium Regi Joab. 1. p. lect, 66. art. 2. in expl. 1. p. f. 124.

Ephraim interpretatur frugifer & figurat Apoſtolos. 1. p. lect, 123 art. un. f. 217.

Epimenides dixit; Beata civitas, quæ tempore pacis bellum cogitat. 2. p. lect. 194. art. un. in expl. 1. p. f. 335.

Ethites lapis continet in ſe alium lapidem, & figurat Beatiſſimam Virginem. 1. p. lect, 36. art. 2 in expl. 1. p. fol. 63.

Eva cupiens per Deitatem ſuperbire, & Deitate Adamum præcedere, prius momordit pomum. 1. p. lect, 63. art. 1. in expl. 2 p. fol. 119.

Eva poteſt dici Acharunta. 2. p. lect, 195. art. 1. in expl. 1. p. f. 336.

Euchariſtia cur vocetur panis Angelorum? 2. p. lect, 183. poſt expl. in not. fol. 318.

Eunuchus eſt ille, qui voluntariè ſe caſtrari permittit. 1. p. lect. 40. in expl text. f. 75.

Excuſantes ſe à vocatione divina puniuntur tripliciter; nempè per ſegregationem à conſortio bonorum; per ſubſannationem peccatorum; & per cruciationem perpetuam tormentorum. 2. p. lect. 145. art. 3. f. 263.

Exempla multa ex ſacra Scriptura adducuntur, quod Deus homines punivérit in illis, in quibus peccarunt. 2. p. lect, 141. poſt expl. text. fol. 254.

Exempla diverſa adducuntur hilaris hoſpitalitatis. 2. p. lect, 210. art. 1. in expl. 1 p. fol. 361.

Exechias Rex, quia non compoſuit novum canticum pro obtenta magna victoria, percuſſus eſt gravi infirmitate à Deo. 1. p. lect, 93. art. 1. in expl. 3. p. f. 166.

F.

Facile ſurgunt, qui ex infimo cadunt, non autem ii, qui cadunt ex alto. 2. p. lect, 145. art. 2. in expl. 1. p. f. 262.

Facinoroſi ſupportatores deſtituuntur authenticatione. 1. p. lect. 56. in expl. text. fol. 103.

Fallaces & perfidi, plerumque ſunt triſtes. 2. p. lect. 188. art. un. in expl. 2. p. fol. 326.

Falco benè habetur dum vivit. 1. p. lect. 56. art. un. in expl. 1. p. fol. 112.

Falſi Aſſeſſores filii veritatem vendunt. 2. p. lect, 132. art. un. in expl. 2. p. fol. 239.

Falſorum teſtium figuram geſſerunt Judæi. 2. p. lect, 154. art. un. in expl. 3. p. fol. 277.

Falſi Advocati pertinent ad liſtam perjuriorum. 2. p. lect. 154. art. un. in expl. 3. p. ibidem.

Falſi Advocati pulchrè deſcribuntur. 2. p. lect. 154. art. un. in expl. 3 p. ibid.

Famæ vanitas quinque nominibus refellitur à Boëtio. 1. p. lect, 18. art. 1. in expl, 2 p. fol. 30.

Faſcinatio eſt infectiva viſio alicujus perſonæ nocivæ inferens latenter per radium viſualem nocumentum rei viſæ 1. p. lect, 51. poſt expl. text. fol. 96.

Fatui fuerunt gentiles, qui circa naturales inveſtigationes multum ſtuduerunt, & tamen Dei notitia caruerunt. 2. p. lect. 155. in expl. text. f. 278.

Fœlicitas generis humani non conſiſtit in operibus ſuis, & hoc triplici ratione oſtenditur. 2. p. lect. 173. poſt expl. text. in not. fol. 304.

Fœlix eſt, qui pro Chriſto deridetur & contemnitur. 1. p. lect. 60. poſt expl. tex. in not. fol. 112.

Fœminæ ſunt fugiendæ, quia ſunt libidinoſæ in alliciendo; malitioſæ in convivendo; litigioſæ in colloquendo; & perditioſæ in conſulendo. 1. p. lect, 38. art. un. f. 69.

Fœminæ ſunt frigidioris complexionis, & tamen ſunt ferventioris libidinis 1. p. lect, 38 art. un. in expl. 1. p. Ibid.

Fœminæ quantumvis vetulæ, imò etiam religioſæ, ſunt fugiendæ. 1. p. lect, 38. art. un. in expl 1. p. ibidem.

Fœmina eſt fugienda ſicut venenum colubri 2. p. lect. 128. art. 2. fol. 230.

Fœminæ malæ qualitates pulchrè deſcribit Petrus Bleſenſis. 1. p. lect, 128. art. 1. Ibidem.

Fœmina lædit virum, voce, viſu, & tactu. 1. p. lect, 128. art. 3 f. 231.

Fœtus Aſinæ & Capræ quanto eſt ſenior, tanto eſt turpior. Applicatio. 1. p. lect. 112. art. 1. in expl. 1. p f. 198.

Ficui arboris fructuoſiſſimæ in India rectè comparatur Beatiſſima Virgo. 1. p. lect, 41. art. un. in expl. 1. p. f. 76.

Ficus non portans fructus, deſignat avaros divites. 1. p. lect, 41. art. un. in expl. 2. p. ibidem.

Ficti ſimulatores Spiritus ſancti ſanctitatem vendunt. 2. p. lect. 132. art. un. in expl. 3. fol. 239.

Fides eſt duplex, nempè informis & formata. 2. p. lect. 198. art. un. in expl. 4. p. fol. 326.

Fides non ſalvat ſine charitate 1. p. lect, 4. in expl, text. p. fol. 6.

Fidem penſando, qua vir uxori, & uxor viro eſt obligata, non peccat gravius vir quàm mulier adulterando. 1. p. lect, 46. art. 1. fol. 87.

Fidem rectam multorum reſpexit Deus, eoſque ſervavit. 2. p. lect, 198. art. un. in expl. 3. p. fol. 326

Fili mi præbe mihi cor: hæc verba pulchrè explicantur. 1. p. lectio 4. articulo tertio fol. 6.

Filius Dei debet habere quatuor zonas. 1. p. lect, 24. art. 2. in expl. 1. p. f. 42.

In filiis Dei adoptivis apparet Patris potentia per carnis mortificationem; Filii ſapientia per ſanctam informationem; & Spiritus ſancti clementia per injuriarum remiſſionem. 1. p. lect. 24. art. 2. ibid

Filius quidam medicus patrem ſuum propter confidentiam in ſuam perſonam curavit, non autem novercam ſuam, quæ diffidentiam habuit. 1. p. lect. 36. art. 2. in expl. 3. p. fol. 64.

Filio illegitimo irrogatur damnum duplex, negativum vel privativum. 1. p. lect. 42. art. 1. fo. 78.

Filius Dei incarnatus ob tres cauſas aſſumpſit ſibi novum nomen. 2. p. lect. 135. art. un. in expl. 1. p. f. 244.

Filii parentibus ingrati, ſunt conjiciendi in vincula. 2. lect. 186. art. un. in expl. 4. p. f. 324.

Finis libri Sapientiæ quis ſit? 1. p. lect, 2. art. 3. fol. 3.

Fons quidam in Aleſa regione eſt, qui ad ſonum inſtrumenti muſici intumeſcit 2. p. lect, 196 art. 3. in expl. 4 p. fol. 340.

Formatio corporis Chriſti in inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfecta, quantum ad omnia lineamenta membrorum. 1. p. lect. 89. poſt expl. text. not. 2. fol. 162.

Fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale. 1. p. lect. 22. art. 1. fol. 37.

Fornicando ſecundum unum reſpectum vir, & ſecundum alium reſpectum fœmina gravius peccant. 1. p. lect. 46. art. 2. fol. 87.

Frequentia & conſuetudo jurandi eſt homini valdè periculoſa, & parum reverentialia erga Deum. 2. p. lect. 152. art. un. Dico 3. fol. 274.

Fructus eſt quadruplex, nempè virginalis fœcunditatis, moralis ſanctitatis, doctrinalis fertilitatis, & æternalis fœlicitatis. 1. p. lect. 41. art. un. fol. 75. & 76.

Fructus ſapientiæ eſt habere rectam viam ad vitam æternam. 1. p. lect. 55. art. 3. fol. 103. & 104.

Fructus ſacræ Scripturæ pulchrè deſcribuntur ab Hugone de S. Victore. 2. p. lect. 213. art. un. dico 5.

G.

GAllinæ fortuna creſcit poſt mortem 1. p. lect, 65. art. un. in expl. 1. p f. 122.

Gallus annuntiat horas noctis, & excitat homines à ſopore. 1. lect. 65 art. un. in expl. 4. p. f. 123.

Gallus gallinaceus ſi in ventre deplumetur, & urticis verberetur, fovet pullos more gallinæ. ibidem.

Gaudium virtutis excedit gaudium mundi continuitate, puritate, dignitate, & ſalubritate. 1. p. lect. 67. art. 1. f. 126.

Gaufridus Prior Claravallenſis à S. Bernardo perſuaderi non potuit ad acceptandum Epiſcopatum Tornacenſem. 2. p. lect. 165. art. un. in expl. 2. p. f. 294.

Gellia fictè ſolum flevit ſuum patrem coram aliis, quia in privato riſit. 2. p. lect. 139. art. 2. in expl. 3. p f. 253 item 2. p. lect 164. art. un. in expl. 1. p. f. 292.

Gentes ſeptem fuerunt à Deo ejectæ ex terra promiſſionis, nempè, Hethæi, Amorræi, Chananæi, Pherezæi, Hævæi, Jebuſæi, & Gerezæi. 2. p. lect. 147. in expl. text. f. 266.

Gentes iſtæ ſeptem peccaverunt contra Deum & proximum. Oſtenditur etiam quare gentes iſtæ fuerint puniendæ, quomodo, per quos & ad quid? ibid.

Gentiles caſtraverunt pueros propter tres rationes. 1. p. lect. 40. poſt expl. text. not. 2. f. 73.

Gentiles juventutem informabant ſcripturis librorum, picturis geſtorum, & ſignis ſignorum. 1. p. lect. 54. art. un. in expl. 1. p. fol. 101.

Gentilis quidam converſus ad fidem, in quatuor partibus ſuorum lineaminum inſcripſit hoc nomen Jeſus, & liberavit ſe à multis anguſtiis 2. p. lect. 135. art. un. in expl. 3. p. fol. 243.

Genus noſtrum conſiderare debemus ex parte Patris, Matris, Fratrum, & filiorum noſtrorum moraliter loquendo 2. p. lect. 207. art. un. fol. 357.

Gerezæus interpretatur colonum ejicens, & ſignificat ſuperbum. 2. p. lect. 204. art. un. in expl. 1. p. fol. 351.

Glorioſum corpus habet quatuor dotes, nimirum claritatem, impoſſibilitatem, agilitatem & ſubtilitatem. 1. p. lect. 34. art. 2. f. 59. item in expl. text. ibid.

Gratia gratum faciens, non poteſt eſſe in homine inimico Dei, gratia autem gratis data poteſt etiam eſſe in hominibus malis. 1. p. lect. 103. art. un. fol. 183.

Gratia Prophetiæ licet ſecum compatiatur, malitiam morum, ordinariè tamen non admittit malitiam quorumcunque vitiorum 1. p. lect. 103. art. un. ibid. & f. 104.

Gratiarum actio apud Deum debet habere magnitudinem, aſſiduitatem, univerſalitatem & hilaritatem. 2. p. lect. 196. art. 3. fol. 339.

Gratitudo rectè à Seneca comparatur ludo pilæ. 1. p. lect. 113. art un. in expl. 2. p. fol. 200.

Gravitatem morbi medicus poteſt ſcire tripliciter. Applicatio 1. p. lect. 118. art. un. in expl. 3. p. fol. 208.

S. Gregorius pulchrè declarat, quomodo homo ſemper experiatur ſe vivere inter peccatores. 1 p. lect. 50 art. 1. f. 94.

S. Gregorius pulchrè declarat per duo exempla, quomodo Deus, quando iraſcitur, non omnino iraſcatur, ſed dum culpas perſequitur, adhuc tamen protegit peccatores. 1. p. lect. 118. art. un. in expl. 1. p. fol. 207. & 208.

S. Gregorius Papa propheticè prædixit & nominavit ordinem Prædicatorum. 2. p. lect. 145. art. 1. in expl. 3. p. f 262.

S. Gregorius Epiſcopus ſcripſit epiſtolam Apollini, permittendo ipſum redire ad locum ſuum, & agere quæ conſueverat. 2. p. lect. 210. art. 2. in expl. 3. p. fol. 362.

Grues ſunt aves vigilantes. 1. p. lect. 82. art. un. in expl. 1. fol. 153.

Gula Urſæ comparatur. 2. p. lect. 142. art. un. in expl. 1. p. fol. 256.

Gula rectè comparatur epilepſiæ. 2. p. lect. 179. art. un. in expl. 6. p. fol. 313.

Guloſi ambulant per viam difficilem ſumptuoſam 1. p. lect. 62. art. 1. in expl. 5. p. fol. 117.

Guloſos rectè deſcribit Innocentius 1. p. lect. 119. art. un. in expl. 3. p. f. 210.

Guloſi ventrem ſuum tanquam Deum colentes, quærunt templum inſolentiæ, altare affluentiæ, ſabbatum ſomnolentiæ; ſacrificia ſuperfluitatis, oblationes iniquitatis, incenſum voluptatis; ſacerdotes laborioſos, cantores luxurioſos, & lectores mendoſos 2. p. lect. 141. art. un. fol. 254.

H.

HAnibal, Hector & Hercules nomen ſuum magnificare ſtuduerunt per bellum. 1. lect. 18. in expl. 1. p. fol. 30.

Hebræi ſeu Iſraelitæ deſcribuntur, quomodo in ſuo exitu de Ægypto fuerint ditati, & quam mirabilem habuerint peregrinationem. 2. p. lect. 134 in expl. text. f. 241.

Hebræi ex punitione Chananæorum animari debuerunt ad confidentiam, & ſpei conſolationem. 2. p. lect 151. in expl. text. f. 272.

Hæredes ingrati varii numerantur. 1. p. lect. 43. art. 3. in expl. 3. fol. 81.

Heli ſacerdos non punivit ſufficienter delicta ſuorum filiorum, & ideò ipſemet punitus eſt à Deo 1. p. lect. 54. art. un. in expl. 2. p. f. 101.

Helius Adrianus Imperator non potuit perſuaderi, ut filium ſuum ſtatim vocaret Auguſtum; & cur? 2. p. lect. 165. art. un. in expl. 3. p. f. 294.

Herodes Agrippa volebat honorari ſicut Deus, & quomodo punitus eſt à Deo? 2. p. lect. 165. in expl. text. f. 293.

Herodes interpretatur glorians in pellibus, & figurat illos homines, qui tantum in pulchritudine pellis ſuæ extrinſecæ gloriantur. 1. p. lect. 93. art. 2. in expl. 3. p. f. 167.

Hethæus interpretatur ſtupor, ſeu formido, & figurat accidioſum, qui vinci debet per donum Fortitudinis. 2. p. lect. 204. art. un. in expl. 4 p. fol. 352

Hevæus interpretatur lapides colligens, & figurat iracundum, qui vinci debet per donum Conſilii. 2. p. lect. 204. art. un. in expl. 3. p. fol. ibid.

S. Hieronymus qualiter deſcripſerit fœminas fugiendas eſſe clericis. 1. p. lect 38. art. un. in expl. 1. p. fol. 69.

S. Hieronymus pulchrè ſcripſit de tuba nos vocante ad ſupremum judicium. 1. p. lect. 57. intra expl. text. f. 107.

S. Hyacinthus Ordinis Prædicatorum cum ſuis ſociis Vandalum flumen ſicco pede tranſivit. 2. p. lect. 161. in expl. text. f. 286.

Hypocritæ moraliter loquendo habent ſimulationem ſanctitatis pro ſuo idolo. 2. p. lect. 163. art. un. in expl. 1. p. f. 290.

Holofernem nimio vino ſopitum Judith proprio gladio occidit. 1. p. lect. 122. art. 2. in expl. 3. p. f. 216.

Homo difficulter regit renes, cor & linguam. 1. p. lect. 7. art. un. fol. 11.

Homines mundani quatuor modis murmurant contra Deum 1. p. lect. 9. art. un. f. 15.

Homo ex creatione aliorum propter ſe, tenetur ad Dei amorem, honorem, ſtuporem, timorem, & laborem pro Deo. 1. p. lect. 13. art 2. fol. 21.

Homo dilectione rationali debet Deum plus diligere quàm ſeipſum. 1. p. lect. 20. art 1. f 34.

Homini ad finem ſupernaturalem elevato revelanda fuerunt media ſupernaturalia ad ſalutem conſequendam. 1. p. lect. 29. art. 1. fol. 50.

Homines mundani ſunt negligentes in addiſcendo morum ſanctitatem, in diſcutiendo propriam perverſitatem, in reverendo Dei majeſtatem, & in ſufferendo proximi neceſſitatem. 1. p. lect. 37. art. 1. f. 67.

Homines rectè aſſimilantur arboribus, vivendo, creſcendo, fructum afferendo, & finaliter decidendo. 1. p. lect. 47. art. 1. f. 88.

Homines mali faciunt fructus inutiles plenos vermibus corroſivis, repletos ſaporibus amaricativis, & refertos humoribus inflativis. 1. p. lect. 47. art. 2. f. 89.

Homo in hac vita ſemper experitur ſe vivere inter peccatores. 1. p. lect. 50. art. 1. f. 94.

Homines mundani mundum valdè amant putantes bona mundana eſſe maxima bona. 1. p. lect. 51. poſt expl. text. not. 3. f. 96.

Homines fatuè decipiuntur, qui ſibi imaginatur bonum principale hominis eſſe voluptates carnis. 1. p. lect. 51. not. 4. Ibidem.

Homines aliqui animas ſuas vendunt, perdunt, oppignorant, & pro nihilo dant. 1 p. lect. 52. art. 2. f. 97.

Homo vitioſus judicat, quod nemo poſſit vivere virtuosè. 2. p. lect. 62. art. 1. not. 2. f. 118.

Hominis miſerabilis educatio deſcribitur. 1. p. lect. 90. in expl. text. f. 162.

Hominibus eſt neceſſaria ſcientia ſuorum flagitiorum, quæ perpetrârunt, beneficiorum, quæ reportarunt, & ſuppliciorum, quæ meruerunt. 1. p. lect. 110. art. un. f. 194.

Hominem Deus conſtituit propter tria, nempè ad dominandum per potentiam, ad ordinandum per ſapientiam, & ad judicandum per clementiam. 1. p. lect. 119 in expl. text. f. 209.

Hominem præſumptuoſum bene deſcribit S. Bernardus. 1. p. lect. 122. art. 1. in expl. 1. p. fol. 221.

Homo qualiter ſe habere debeat erga quadruplices inimicos. 2. p. lect. 131. art. un. f. 238.

Homines ſolent nomina nova aſſumere ratione novæ dignitatis, ratione celandæ veritatis, & ratione facti alicujus heroici. Applicatio pulchra ad Chriſtum. 2. p. lect. 135. art. un. in expl. 1. p. f. 244.

Homines pugnare debent contra tres hoſtes, nimirum Diabolum, mundum & carnem. 2. p. lect. 136. art. un. in expl. 2. p. f. 246.

Homo Christianus debet menſurare mundanæ gloriæ vanitatem, præſentis vitæ brevitatem, & futuræ vitæ jucunditatem. 2. p. lect, 143. art. 1. ſol. 258.

Homo ex abuodantia piarum lachrymarum, ex dimiſſione injuriarum, & deſiderio ſupernorum poteſt conjicere ſe habere gratiam Spiritus ſancti. 2. p lect, 146. art. 1. fol. 254.

Ly Homo pulcbrè explicatur. 2. p. lect, 149. art. un. poſt expl. 3. p. fol. 270.

Homo in præſumprione propriæ perfectionis, acceptatione nimiæ laudis, in delectatione fœmineæ affectionis, & ſimulatione fictæ probitatis ſæpè decipitur. 2 p. lect. 166. art. un. ſol. 295.

Homo in hac vita conſtitutus eſt medius inter cœlum & infernum. 2 p. lect, 170. in not. poſt expl. text.

Homo ſibi poteſt inferre triplicem mortem, nempè culpæ, naturæ & gehennæ. 2. p. lect, 180. in expl. text. ſol. 314.

Homines arguendi ſunt de oblivione divinorum beneficiorum, propriorum delictorum, ſalutarium mandatorum & familiarium amicorum. 2. p. lect. 184. art. 1. fol. 321.

Homo habens grande caput, collum breve, & venas graciles, eſt ſomnolentus. 2. p. lect, 192. art. un. in expl. 1. p. fol. 332.

Homines ſeducuntur illecebrosâ ſenſualitate, præſumptuosâ temeritate, malitioſa ſeveritate, & pernitioſa familiaritate. 2. p. lect, 207. art. uo.

Homo eſt de parentela divina tripliciter. 2. p. lect, 207 art. un. in expl. 1. p.

Homo ſuperbus & ſimul luxurioſus, eſt monſtrum, quia eſt homo per naturam, Diabolus per ſuperbiam, & taurus per luxuriam. 2. p. lect. 212. art. art. 1. in expl. 4. p.

Hoſpes aut peregrinus hoſpitio ſuſceptus ſolum habet uſum domus, lecti. & aliarum rerum, ſed non dominium. 1. p. lect, 17. a t. 2. in expl. 5. p. fol. 29.

Hoſpes receptus debet eſſe contentus per ſui receptionem, pro ea gratias agere, in domo ſe recipientis nihil dominari, & cavete nimiam frequentationem unius loci. 2. p. lect, 210. art. 2.

Hoſpitalitas Deo grata debet habere hilaritatem ſine murmuratione, ſecuritatem ſine turbatione, ſatnritatem ſine diminutione, & pietatem ſine negotiatione. 2. p. lect, 210. art. 1.

Hoſpitalitas recta diſponit ad Dei cognitionem, confert temporalium multiplicationem, excludit divinam ultionem, & meretur Dei & Angelorum ſuſceptionem. 2. p. lect. 210. art. 3.

Hugo a à S. Victore exactè deſcribit infernum 1. p. lect, 27. art 2. in expl. 4. p. fol. 47.

I.

IAcob pro uxore ſervivit quatuordecim annis. 1. p. lect. 45. art. 2. in expl. 1. p. fol. 85.

Jacob iter in Meſopotamiam, & quomodo acceperit Rachel pro uxore. 2. p. lect, 130. in expl. text. fol. 234.

Jacob debuit prius in uxorem ducere Liam, quæ erat lippis oculis, antequam acciperet Rachel. Applicatio pulchra. 2. p. lect. 130. art. un. in not. propè finem. fol. 235.

Jacob rediens in patriam cum duabus ſuis uxoribus Lia & Rachele, ſuſtinuit tres difficultates in via. 2. p. lect. 131. in expl. text. fol. 236.

Jacob honorando Patrem ſuum Iſaac meruit benedictionem, quam Iſaac etiam cognito errore habuit ratam. 2. p. lect. 175. art. un. in expl. 1. p. fol. 307.

Jacob benedicens duobus filiis Joſeph; nempè Manaſſen & Ephraim, benedixit manu dextrâ Ephraim, & ſiniſtrâ Manaſſen. 2. p. lect. 175. art. un. in expl. 3. ibid.

Jactatores pompoſi inaniter ſe jactant 2. p. lect, 212. art. 1. in expl. 1. p.

Jaſpis habet tres proprietates, & quomodo eas exerceat 1. p. lect, 92. art. 2. in expl. 3. p. f. 165.

Jæbnſæus interpretatur præſepe, & figurat gulam, quæ vinci debet per donum ſcientiæ. 2. p. lect, 204. art. un. in expl. 6. p. fol. 352.

Jeſus filius Syrach non fuit author libri ſapientiæ 1. p. lect. 2. art. 2. fol. 3.

Jeſus eſt nomen honoris & excellentiæ, nomen amoris & benevolentiæ. nomen valoris ac omnipotentiæ. 2. p. lect. 135. art. un. f. 244.

Idioma Regni cæleſtis eſt veritas & regni Diaboli idioma eſt mendacium. 1. p. lect. 11. art. un. in expl 3. p. fol. 19.

Ignis purgativus totius mundi, erit productus ſupernaturaliter, 1. p. lect. 72. art. 2. dico 3. fol. 126.

Ignis quem Jeremias abſconderat, duravit per ſeptuaginta Annos, & extinctus eſt, quando Antiochus vendidit ſacerdotium. 1. p. lect, 132. art. un. in expl. 1. p f. 239.

Ignis in aqua, moraliter loquendo, eſt Spiritus ſanctus in muliere ſancta. 2. lect. 182. poſt expl. textus, in not. fol. 317.

Ignis Inferni eſt corporalis, agitque in damnatos tanquam inſtrumentum divinæ virtutis. 2. p. lect. 189. art. un. ſol. 327.

Ignis de Thuribulis Chore & aliorum Levitarum egrediens, eoſdem in favillam redegit, & conſumpſit quatuordecim mille, & ſeptingentas perſones. 2. p. lect. 203. in expl. text. fol. 349.

Imagines ſacras non adoramus, ſed honoramus 2. p. lect, 158. art. un. dico 3. f. 282.

Imaginibus aſtronomicis non eſt licitum uti 2. p. lect, 160. art. 2. fol. 285.

Imagines aſtronomicæ & nigromanticæ in quo differant? Ibid. in fine art. 2.

Imperator eſt Rex Regum, & omnes antecellit, ſoli tamen ſummo Pontifici debet ſubeſſe 2. p. lect, 200. art. un. in expl. 1. p. fol. 344.

Impii cur recedant à Deo? 1. p. lect. 37. in expl. text. fol. 64.

Impii ambitioſi ad honores, dejiciuntur cum confuſione 1. p. lect. 56. in expl. text. fol. 104.

Impii in judicio conſternabuntur ſine conſolatione. 1. p. lect, 57. in expl text. ibid.

Impii in judicio præſentabuntur perſonaliter ſine procuratore, 1. p. lect. 57. in expl. text. ib.

Impii in judicio accuſabuntur criminaliter ſine defenſore,1.p.lect.57. in expl.text.ibid.

Impii nobiles, divites ac potentes, habent malos conſiliarios & officiales, 1.p.lect.65.poſt expl.text.122.

Impii damnati bene deſcribuntur ab Hugone,2.p.lect.181.art.un.in expl.3.p.fol.316.

Improperium quid ſit, 1.p.lect.28.art.1.f.48.

Incontinentia eſt fugienda, 1.p.lect.6. art.1. fol. 9.

Incontinens & intemperatus multum differunt, quia incontinens peccat ex paſſione, intemperatus autem ex malitia & perverſa conſuetudine,1.p.lect.28.in expl.text.fol 48.

Indorum conſuetudo fuit, quod marito habente plures uxores defuncto,uxor,quæ ipſum plus aliis dilexit,ſponte unà cum illo cremaretur.1.p.lect. 45.art.2.in expl 4 p.fol. 86.

Infernale ſpatium habet quatuor diſtinctas manſiones,1 p.lect.31.art.1.fol.54.item 2 p.lect. 189.art.un.in fol.ad 2.fol. 327.

Infernus eſt regnum horroris, 1.p. lect. 70. art.2.in expl.3.p.fol.132.

Informitas corporalis eſt ſagitta Chriſti,1.p. lect.66.art.1.in expl.2.p.fol.124.

Infirmitas corporalis eſt veluti arcæ pretioſæ concatenatio, ſocii fugientis arreſtatio, & hoſtis reſiſtentis expurgatio, 1.p. lect.93.art.1. fol.166.

Ingratitudo hominum erga Deum, eſt quadruplex,3.p.lect.186.art.un.fol. 323.

Ingrati homines Deum propter beneficia accepta,non honorantes,ſunt ſimiles porcis, 2. p lect.186.art.un.in expl.2.p. fol.ib.

Ingrati, qui contra Deum per beneficia accepta pugnant,ſunt ſimiles cuculo,ibid. in expl. 4.p.

Iniqui conſpiratores non habent veram pacem 2.p.lect.167.art.un.in expl.2.p.fol. 297.

In initio naſcentis Eccleſiæ fuerunt plura miracula facta,quam modo fiunt,vel futura ſint tempore Antichriſti, & cur? 2.p.lect. 133. art.1. fol.240.

Injurias proprias tolerare laudabile eſt, ſed injurias contra Deum ſufferre,impium eſt, 2. p. lect.167.art.un.in expl.3.p.fol.297.

Innocentia converſationis meretur Dei benedictioné,2.p.lect.175.art.un.in expl 3.p.f.307.

In operibus Dei magis relucet miſericordia, quam juſtitia,1.p.lect.53.art.2.dico 2.fol. 99.

In partibus omnibus cordis diſciſſi S. Ignatii Martyris, fuit inſcriptum aureis litteris hoc nomen Jeſus,2 p lect.135.art.un.in expl.20.fol.245.

Inſtitutio Regia poteſt eſſe licita quadrupliciter.nimirum divina proviſione, Eccleſiæ collatione,generis ſucceſſione,&populi electione, 2.p.lect. 200.art.un.in expl.2.p.fol.344.

Invidi ambulant viam difficilem,tenebroſam, 1.p.lect.62.art.1.in expl.4.p.fol. 117.

Invidia rectè comparatur febri ordinariæ.2. p.lect.179.art.un.in expl.3.p.fol. 313.

Invidi ſemper ſunt triſtes, 2.p.lect.188. art. un.in expl.1.p.fol. 326.

Invidus exacte deſcribitur,ibid.

Invidia eſt oſtium iniquitatis, 1.p.lect.30.art. 2.fol 53.

Invitatoria ſeu *venite* ſunt quatuor,quæ cantantur à voluptuoſis, malitioſis, ambitioſis & ſanctis ſeu religioſis,1.p.lect.20,art.2.fol.34.

S.Joan.Evangeliſta quomodo aureolam virginitatis habeat? 1.p.lect. 40.art. in fol.ad 5.f.75.

Joannem & Jacobum Chriſtus durè increpavit, quando ignem de cœlo venire volebant ad ulciſcendam injuriam,2.p.lect.181.art.un. in expl.2. p. fol. 316.

Job valde diſcretè uxorem ſuam correxit,1.p. lect.45.art.2.in expl.3.p.fol. 86.

Eique plus dedit de bonis temporalibus quam abſtulit, 1.p. lect.94. art. un.in expl.1.p. fol.168.

B.Jordanus ſecundus generalis Ord. Præd. quid reſponderit quibusdam religioſis interrogantibus de ordinis noſtri ſuſtentatione,cum nihil habeamus, 1.p.lect.26. art.un.in expl.1. p. fol.45.

Beatus Jordanus quid reſponderit alicui fratri interroganti,quid melius ſit, an orare,an legere ſacramScripturam? 1.p.lect.62 art.1. Not. 1.fol.118.

Joſeph duas ſpeciales tribulationes ſuſtinuit, nimirum quod fuerit venditus à ſuis fratribus, & quod fuerit diffamatus ab uxore Putifaris Domini ſui; & quomodo Deus ipſum liberavit,2.p.lect.131.in expl.text.fol. 238.

Joſeph ſomnia interpretatus eſt, & factus ſuit primus Regia miniſter,ibid.

Iracundi ambulant per viam difficilem tumultuoſam,1.p.lect.62.art.1.in expl.6.p.f.117.

Ira facit injuriam,Deo,proximo, & ſubjecto proprio,2.p.lect.126.art.un.f.226.

Iracundus facit Deo injuriam in tribus, 2.p. lect.126.art.un.in expl.1.p.ibid.

Iracundus proximo tripliciter injuriatur,ibidem in expl. 2.p.

Ira ſubjecto proprio ſubtrahit tria bona,ibidem in expl.3.p.

Ira rectè comparatur febri acutæ, 2 p.lect. 179 art.un.in expl.2.p.fol.313.

Ira Dei eſt indeclinabilis per virium humanarum poteſtatem,2.p.lect.206.art.un.dico 1.f.

Ira Dei non debilitatur temporis tarditate, ibidem dico, 1. fol.356.

Ira Dei ſubinde propter peccatum unius hominis erga plures ſeſe effundit,ibid.dico 3.

Ira Dei non mitigatur niſi per humilitatem, ibid. dico 4.

Iraëlitæ in deſerto habuerunt longam & periculoſam peregrinationem,victorioſam hoſtium expugnationem,& miraculoſam ſitis extinctionem,1 p.lect.136.in expl.text.f.245.

Iſraëlitæ in deſerto fuerunt peregrini viatores,bellatores glorioſi,& veri Dei cultores,2.p. lect.136.art.un.f.246.

Judas fictè planxit mortem ſuæ uxoris,2.p. lect.164 art.un.in expl.1.p.f.292.

Judæi Deū rogare volentes aſperſerunt capita ſua cineribus, 1.p.lect.16.art 3.in expl.3.p.27.

Judæi accuſant Chriſtum de 12. punctis,1.p. lect.24.in expl.text.f.40.

Judæorum accuſatio de Chriſto quo ad ſex puncta refellitur,1 p.lect.24.art.1.f.41.

Judæorum duæ aliæ accuſationes contra Chriſtum refelluntur,1.p.lect.25.intra expl.text. fol.42.

Judæorum aliæ quatuor accuſationes contra Chriſtum refelluntur,1.p.lect.26.intra explicat. text.f.44.

Judæi volebant experiri,an Chriſtus ſit infallibilis

libilis veritatis,impaſſibilis poteſtatis,infinibilis æternitatis,& invincibilis divinitatis, 1.p. lect. 27.in expl.text.f.46.

Judices aliqui non rectè judicant propter perſonarum acceptionem, aliqui ob perverſam intentionem, & aliqui ob debiti ordinis prætermiſſionem, 1. part. lect. 77. artic. unic f.145.

Judex qui tulit iniquam ſententiam ex certa malitia,tenetur ad reſtitutionem,1.p.lect. 77. poſt expl.text.not.1,f 144.

Judex ut legem juſtitiæ cuſtodiat debet habere exquiſitam cauſæ diſcuſſionem,facilis credulitatis excluſionem,& deliberatam ſententiæ pronuntiationem,1.p.lect.77.art.2.f.145.

Judices,ac prælati,ut Deo poſſint reſpondere debent perfectè colere Deum,& erga proximum juſtitiam exercere,1.p.lect.80.in expl.text. f.150.

Judices humani ſæpè contra aliquem pauperculum pronuntiant ſententiam, & contra graviter delinquentes impunè permittunt tranſire, 2.p.lect.187.art.un.in expl.3.p.f. 324. & in 1.p. lect 77. art.1.f.145.

Judicium ut ſit actus juſtitiæ,tria requirit; nimirum ut procedat ex inclinatione juſtitiæ,ex legitima authoritate,& ut feratur ſecundum regulas prudentiæ, 1.p.lect.77.ar .2.poſt expl.3.p. f. 145.

Judicia Dei ſunt magna, propter judicis infallibilitatem, juriſdictionis generalitatem, juſtitiæ inflexibilitatem & potentiæ incomprehenſibilitatem, 2.p.lect.187.art.un.f.325.

Judicium divinum rectè comparatur arcui, 1.p.lect.8.art.4.f.14.

Julius Cæſar non dixit militibus ſuis *ite*,ſed venite mecũ, 2.p.lect.197.art.un.in expl.4.p.f.341.

Juſtinianus Imperator ſumma diligentia, ſummis vigiliis, & prudentiſſimorum virorum conſiliis ac ſolertia leges condidit,2.p. lect. 99. art.un.in expl.1.p.f.343.

Juſtus eſt ille qui facit juſtum ex amore juſtitiæ,1.p.lect.3.art.1.f. 4.

Juſtum faciunt quatuor genera hominum, qui tamen non ſunt dicendi juſti,1.p. lect.3. art. 1.fol.4.

Juſtus & impius differunt vivendo,moriendo,patiendo,pœnitendo.1.lect.31.art.2.f.54.

Juſti ſtare debent ad quatuor actus,nimirum ad videndum,docendum,teſtificandum & pugnandum,1.p.lect.58.in expl.text.f. 108.

Juſti dominabuntur poſt hanc vitam in bonore,coronabuntur in decore,& conſervabuntur ſub bono tutore,1.p.lect.70.in expl.text.101

Juſtus in hac vita gaudere debet de ſui Domini infinita bonitate, de ſuæ conſcientiæ puritate,& de ſui proximi proprietate,1.p.lect.95. art.1.f.169.

Juſtè corripiens debet cavere primò,ne ſimili vitio ſit notatus, ſecundò ne corripiat cum impetu,& tertiò ne ſpernet corrigendum, 2.p. lect.175.art.un.in expl. 4.p.f. 307.

Juſtus ex fide vivit, quomodo intelligatur? p.lect.198.art.un.in expl.4.p.f.342.

An juſtitia Reipublicæ ſit magis neceſſaria quam amicitia? 1.p.lect.3 art.f.5.

Juſtitia originalis includit aliquod donum ſupernaturale,1.p.lect.14.art 2.f.23.

Juſtitiæ rectè convenit, quod ſit munimentum præliantis, ornamentum triumphantis, & inſtrumentum judicantis,1.p. lect.14.art.3.ib.

Juſtitia comparatur coronæ, loricæ, & regulæ,ib.

Juſtitia & miſericordia reperiuntur in omni opere Dei,& quomodo? 1.p.lect.53.art.2.f. 98.

Juſtitia Dei quid ſit,ib.

Juvenis non volens addiſcere totam artem, malè facit,ſi non addiſcat partem artis,1.p.lect. 37.art.1.in expl.1.p.f.67.

Juvenes debent cavere ſomnum torpentis otioſitatis,viſcum inficientis ſocietatis,& æſtum præſumentis tumiditatis,1.p.lect.112.art.1.f.198.

Juvenes debent educari ſicut pulli accipitris, ib.in expl.1.p.

Juvenes non debent fieri duces bellorum,ib. in expl.3.p.

Juvenibus ſemper eſt imponenda promptitudo obedientiæ,teneritudo conſcientiæ,& ſollicitudo continentiæ,1.p.lect.112.art.2.f.198.

Juvenes olim venerabantur ſeniores tanquam patres,1.p.lect.112.art.2.in expl.1.p.ib.

Juvenibus prædicanda ſunt,debilitas corporalis virtutis,labilitas temporalis juventutis, & deformitas hyemalis ſenectutis, 1.p.lect.112.art. 3.f.199.

Juventus eſt moribus informanda, arctius caſtiganda,parcius ſuſtentanda, & mitius judicanda,1.p.lect.54.art.un.f.101.

L.

LAbor homini facilis redditur per occupationum varietatem, per collaborantium ſocietatem, & per magnæ mercedis exſpectationem,2.p.lect.170.art.1.

Laborare debemus propter convenientiam permiſſi temporis, propter pœnitentiam commiſſi ſceleris,& propter vehementiam promiſſi muneris,1.p.lect.121.art.un.f.214.

Lacedemonii quomodo fuerint à ſuis uxoribus mirabiliter ex captivitate Spartanorum liberati,1.p.lect.45.art.2.in expl.4.p.f.86.

Lecticam philoſophiæ olim quatuor perſonæ portabant,1.p.lect.55.art.1.in expl.2. f.103.

Leges non debent ſemper aut de facile mutari, in cujus figuram Lex Moſaica in tabulis lapideis fuit ſcripta,2.p.lect.199.art.un.in expl.3.p.f.343.

Leo deſignat ſuperbum, 2.p.lect.142.art.un. in expl.2.p.f.256.

Leo animali ſibi proſtrato parcit,1.p.lect.118. art.un.in expl.2.p.f.208.

Leo citavit omnia animalia ad ſe ut dicant ſuas culpas,2.p.lect.187.art.un.in expl.3. p.f. 325.

Liber ſapientiæ intitulatur à ſapientia, quatenus hæc eſt collectio omnium virtutum intellectualium,& moralium,1.p.lect.2.art.1.f.3.

Liberales erga pauperes ſæpè mirabiliter magis abundant, 2.p.lect.175.art.un.in expl.2.p. f.307.

Liberiam duplicem dat nobis Deus,unam pro hyeme hujus vitæ, & alteram pro paſchate æternæ gloriæ,1.p.lect.123,art.ũ.in expl.2.p.f.217

Libido nimia ac ſuperflua etiam in conjugatis eſt aliquod peccatum,1.p.lect.44.art.un.f.84

Licitum eſt jurare,ſi adſint judicium,juſtitia & veritas,2.p.lect.152.art.un.dico 2.f.274.

Licitum eſt contra Saracenos, & infideles Chriſtianorum perſecutores ſuffragante authoritate Eccleſiæ bellum gerere, 1.p.lect.66.art.3. f.124. & 125.

Lingua

Lingua cur ſit homini data, & quæ ſint ejus officia? 1.p.lect.10.art.1.f.16.

Locus inferni erit ſimpliciter loquendo tenebroſus; nihilominus ex divina diſpoſitione erit in inferno aliquid luminis, obducti tamen aliqua caligine vel umbroſitate, 1.p.lect.71.art.3. f.134.

Loth per ebrietatem cum utraque ſua filia commiſit inceſtum, 1.p.lect.122.art.2.in expl. 4. p.f.281.

Ludus moderatè exercitus eſt bonus, & conducit vitæ humanæ, 1. p.lect.60.poſt expl. text. not.3.f.112.

Ludus eſt duplex nimirum diſciplinatus & ſervilis.2.p.lect.173.art.un.in expl.1.p.f.304.

Ad ludum licitè faciendum requiritur condecentia honeſtatis, conſervatio probitatis & carentia ſuperfluitatis, 2.p.lect.173 art.un.f.305.

Lumiuis participatio ſit dupliciter, 1.p.lect. 104.art.un.in not.f.183.

Luxuria rectè comparatur Lepræ, 2.p. lect. 179.art.un. in expl.2.p.f.313.

Luxurioſi ambulant viam difficilem lutoſam 1 p.lect 62.art.un in expl.3.p.f. 116.

Luxurioſi ineptè ſe excuſant à vocatione divina per voluptatem carnalis delectationis, 2.p. lect.145.art.2 in expl.3.p.f. 263

Luxurioſi hominis idolum moraliter loquendo eſt fœmina pulchra & ornata, 2. p. lect. 163,art.un.in expl.4.p.f. 291.

M.

Magnitudo miſericordiæ Dei declaratur, 1.p.lect.118,art.un.in expl.3.p.f.208.

Magnitudo ſcientiæ in peccante, reddit eum pœna dignũ 2.p.lect.177,art.1. in expl.1.p.f.310.

Malitia ejuſque tres ſpecies quomodo ſint fugiendæ, 1.p.lect.6.art.1.f.9.

Malitia mulierum quanta ſit, declaratur in uxore Job, & in Dalila amica Samſonis, 1.p.lect. 38.art.un.in expl 2.p.f.69.

Malitioſi cantant invitatorium ſeu *venite* cogitemus, 1.p.lect.10.in expl 2.p.f.34.

Malitioſi habent triplex invitatorium, nimirum, venite cogitemus, venite percutiamus cum lingua, & venite occidamus eum, 1.p. lect. 20. art.2.poſt expl.2.p.f. 35.

Malitioſa conſpiratio eſt ſagitta diaboli in arca mundanæ conſcientiæ, 1.p.lect.66,art.1. in expl.3.p.f.124.

Malitiæ currum cum quatuor equis & duobus aurigis pulchrè deſcribit S. Bernardus, 2 p. lect.180.poſt expl.text.in not. f.314.

Malitia mulieris ſuperat malitiam colubri, Leonis & Draconis, 2.p.lect.180.poſt expl. text. in not.f. ibid.

Mala mulier rectè comparatur colubro, Leoni & Draconi, 2.p.lect.180.art.un.f. 315.

Mali prælati ſunt ſimiles milvis, 1.p.lect.78 art.un.in expl. 4.p.f.147.

Mali prælati patris æterni poteſtatem venduut, 2.p.lect.132 art.un.in expl.1 p.f.239.

Malitia fecit Herodem ſtultum, 2.p.lect.180. poſt expl. text. in not. f. 314.

Malus ſenex poteſt in fine utiliter pœnitere licet hoc rarò contingat.1.p.lect.49 art.2.f.91.

Mamilla qua Chriſtus tanquam nutritius nos lactat, eſt Spiritus ſanctus; & hanc mamillam aliqui ſugentes mordent, alii eam repellunt, & alii unguibus lacerant, 2.p. lect.124. art. un.f.219.

Manna fuit vera figura ſacræ Euchariſtiæ, 2. p.lect.183.poſt expl.text.in not. f. 318.

Manus divinæ protectionis habet quinque digitos, nimirum pro pollice poteſtatem in puniendi, pro indice perſpicacitatem diſcernendi, pro medio benignitatē differendi, pro medico pietatem miſerendi, & pro auriculari facilitatem exaudiendi 2.p.lect.98.art.un.f.176.

Marcus Camillus nullum recepit ad caſtra niſi eſſet victor.2.p.lect.204.art.un.in fine.f.352

S.Maria eſt ſtella maris, 1. p. lect.36, art.2. in expl.1.p.f. 63.

S.Maria Virgo quomodo fuerit facta digna habitatio Dei, 2.p.lect. 159.poſt expl.text. f. 283.

S.Martinus in medio Latronum exiſtens dixit ſe nunquam fuiſſe magis ſecurum, 2. p.lect. 153.art.un.in expl.1.p.f.275.

Martius menſis fuit bello dedicatus, & Aprilis Veneri, & cur? 2.p.lect. 167.art. un.in expl.1. p.f.297.

Matronæ cujuſdam pulchrum dictum quæ filias nobilium educabat in magna diſciplina, 1. p. lect.54.art.un.in expl.3.p.f.102.

Medicus non curat infirmum ſtatim & in inſtanti, ſed lentè & ſucceſſivè. Applicatio de Chriſto nos curante, 2.lect. 129. art.2.in expl.1. p.f. 232.

Meditatio incinerationis, ſeu corruptionis aut reſolutions corporum humanorum in elementa, deſervit contra ſuperbos delicatos & pigros.1.lect.16.art.2.f.27.

Meditatio corruptionis corporum humanorum fugat tentationem, ſervat devotionem, & ornat orationem, 1.p.lect.16.art. 3.f.27.

Memoria beneficiorum eſt continuò poſſidenda, memoria bonorum exemplorum aliis exhibenda, & memoria damnorum aliis relinquenda, 1.p. lect. 113.art.un.f.200.

Memoriam beneficiorum tria impediunt, nimirum proſperitas, curioſitas & voluptas, 1. p.lect.113.art.un.ib.

Mendacium dedecet hominem propter tria, nimirum quia eſt Dei rationalis indago, Dei filialis propago, & Dei naturalis imago, 1.p.lect. 11.art.un.f.18.

Medacium rectè comparatur ſerpenti, ib.

Mendacium facit hominem filium diaboli, qui eſt pater mendaciorum, 1.p.lect.11. art. un. in expl. 2.p.ib.

Mendax in judicio reſiſtit à Chriſto tanquam à prima veritate, 1.p.lect 11.art.un.ib.

Mercatores rectè comparantur perdicibus, 2. p.lect.65.art.un.in expl.2.p.f. 122.

Mens humana ordinatur ad Deum per tres virtutes Theologicas, 1.p.lect.4.in expl.text. f.6.

Metella Uxor Syllæ impudiciſſima fuit, 1.p. lect.45.art.2 in expl.4.p.f.86.

Miſericordia Dei erga homines eſt fortis, intenſivè, extenſivè, & durativè, 2.p.lect.127. art.1.f.22.

Miſericordia hominis erga hominem plerumq; eſt debilis intenſivè, extenſivè & durativè, 2.p.lect.127. art.2.f.229.

Monachus quidam matris ſuæ nudas tibias noluit tangere, & cur? 1.p.lect.38.art.un.in expl. 1.p.f.69.

Mors Chriſto illata fuit doloroſa, ignominioſa & injurioſa, 1.p.lect.28.art.3.f.49.

Mors triplex explicatur, 1.p.lect.12 art 2.f.20.

Mors Chriſti fuit ignominioſa ex parte temporis, loci, & ſociorum. 1.p.lect.28.art.3. in expl. 2 p.f.49.

Mors eſt pœna inflicta propter peccatum primi Parenos, 1.p.lect.48.art.2.ib.

Mors eſt à nobis meditanda, inevitanda, & non formidanda, 1 p.lect.48.art.2 ib.

De Motibus ſtellarum poteſt haberi ſcientia qualiter omni tempore natæ ſint moveri, niſi Deus aliter miraculoſe diſponat, 1.p.lect.99 art. un.f.177.

Moyſes in ſuperiori parte lavacri in margine poſuit ſpecula, & cur? 1. p. lect. 102. in expl. text.f.182.

Moyſes volens redire in patriam ſuam, ne impediretur ab uxore ſua, dedit ei gemmam cauſativam oblivionis. Applicatio, 1.p lect. 113. art.un.in expl.2.p.f.200.

Moyſes compoſuit illud canticum, Cantemus Domino glorioſe, &c. quod cantaverunt filii Iſraël poſtquam exiverunt ex Ægypto 2.p. lect.135.in expl.text.f.244.

Moyſes interpretatur aſſumptus de aquis, 2. p.lect 141.art.un.in expl.7.p.f.255.

Moyſes quando legem ſcriptam accepit, fuit 40. diebus cum Domino Deo, & continuò jejunavit, 2.p.lect..99.art.un.in expl.1.p.f.343.

Mulier vicit eos qui armis vinci non poterant, 1.p.lect 22.art.2.f.38.

Mulier mala, eſt acutiſſimum telum diaboli, 1.p.lect.38.art.un.in expl.2.p.f. 69.

Mulier cur formata ſit ex coſta, & non ex pede 1.p.lect.45.art.2.in expl.2.p.f.85.

Mulier compta & petulana eſt ſagitta diaboli in arcu concupiſcentiæ, 1.p.lect. 66.art.1.in expl.1.p.f.125.

Multi petunt à Deo valde ſegniter caſtitatem 1 p.lect.117.poſt expl.text.f.205.

Multum errant qui libidinoſe delectantur in ſpecie aliena, 2. p. lect.156.art.1.in expl.2.p.fol. 279.& 280.

Mundus eſt regnum timoris, 1. p.lect.70.art. 2.in expl.2 p.f.132.

Mundo contra nos argumentanti debemus reſpondere negativè. 1.p.lect.80 art.un. in expl. 2 p.f.150.& 151.

Mundus invitat homines ad convivium, & apponit eis pro tribus ferculis, delitias, divitias, & honores, 1.p.lect 111.art.2.f.196.

Mundus rectè comparatur mari propter inquietudinem tempeſtatis, amaritudinem acerbitatis, & propter invaletudinem ſanitatis, 2.p. lect.134.art.1.f.242.

Mundus pugnat contra nos duplici manu, 2. p.lect.135.art.un.in expl.2.p.f.246.

Murmuratio quid ſit, 1.p.lect.9.in expl. text. fol. 14.

Murmurant homines contra Deum propter quatuor cauſas, 1.p.lect.9.art.un.f 15.

Murmur populi contra Moyſen & Aaron ratione ſacerdotii, quomodo Deus ſedaverit? 1.p.lect.94.art.un.in expl.3.p. 168.

N.

Nabuchodonoſor ſolus valebat adorari tanquā Deus, 2.p.lect.165.in expl.text.f.293

Nabuchodonoſor ob ſuperbiam virtute ſua dejectus eſt, 2 p.lect.179.art.un.in expl.1.p. f.313.

Narciſſus quomodo in florem ſui nominis converſus ſit? 2.p.lect 156.art.1.in expl.1.p.f.280.

Navi periclitanti quadrupliciter ſuccurritur, nimirum per mercium exonerationem, per foraminum obſtructionem, per aquæ ejectionem, & per anchoræ fixionem. 1.p.lect. 64. art. 1.in expl.3.p.f.120.

Negligentia quid ſit? 1. p.lect. 37. art.2 poſt expl.2.p.f.68.

Negligentiæ actua, an & quando ſit peccatum mortale, 1.p.lect.37.art 2.ib.

Nero fuit viſus balneare in auro bullienti, 1. p.lect.56.art.un.poſt.expl.4.p.f.106.

Nero fuit Sodomita, & puerum quendam nomine Sporum caſtratum, & veſtibus fœmineis indutum ſolemniſſimis nuptiis loco uxoris copulavit, 2.p.lect.129.in fine expl.text.f.232.

Ad Nigromant. cum vocatus diabolus obſtruxit nares propter nimiam luxuriam nigromantici, 1.p.lect.119.in expl.2.p.f.210.

Nihil poteſt melius dici quàm Deo gratias, 2.p.lect.186.art.un.in expl.2.p.f.324.

Nimius ſomnus cauſat Epilepſiam, Epialthen, & Lethargiam, 1.lect.82.art.un. poſt expl. 3.p.f.154.

Nimia levitas, perverſa voluntas, & laſciva voluptas corrumpunt ingenium, 1. p. lect. 117. art.3.f.206.

Nimis Lugere defunctos amicos, ob decem rationes diſſuadetur, 2.p.lect.164.art.un.in expl. 3 p.f.292.

Ninus Rex Aſſyriorum primus mortuo ſuo patri Belo erexit ſimulacrum, ipſum colendo ut Deum, 2.p.lect.164.in expl.text.f.291.

Noë filium ſuum Cham damnavit primò ſervitute, & quare? 1. p. lect.21.art.2.in expl.1. p.f.36.

Noë bene potus jacuit denudatus, & à proprio ſuo filio deriſus fuit, 1.p.lect.122. art 2.in expl.1.p.f.215.

Noë cum Uxore ſua & Filiis ſuis præſervatus fuit à diluvio univerſali, 2.lect.126.in expl. text. fol.226.

Nobiles milites rectè ſalconibus comparantur, 1.p.lect.65. art.un.in expl.1.p.f.122.

Noctis ſunt ſeptem horæ quæ pulchrè explicantur, 2.p lect.201.in expl.text.f. 345.

Nomen ſuum aliqui magnificant per oſtentationem, aliqui malè vivendo vilificant, alii virtuoſè vivendo dignificant, 1.p.18 art. 1.f.30.

Nomen virtuoſi debet habere honorem honeſtatis, & favorem pietatis, 1.p.lect.18.art.2.f 31.

In Nortfoldia inventæ ſunt raræ muſcæ, in quarum una ala erat ſcriptum *Ira* in altera autem ala *Dei* 2.p.lect.206.art.un.dict0 2.f. 356.

Novitius ante profeſſionem examinatur circa quinque puncta, & qualiter? 1.p.lect. 33.art. un.in expl.2.p.f.17.

Nubes quomodo generetur, 1.p.lect.17.poſt expl.text.f.28.

Nugacitas eſt aſſuetudo dicendi nugas, 1. p. lect.51.not.2.f.96.

Nutritius noſter eſt Chriſtus Dominus, 1.p. lect.124.art.un.in expl.1.p.f.218.

O.

Obſervatio ſignorum ad præcognoſcendos futuros eventus quando ſit licita? 2.p.lect. 160.art.1.f.284.

Omnes horæ canonicæ cur finiantur per Deo gratias 2. p. lect. 196. in expl. 2. f. 335.

Omnia animalia habent certum tempus pariendi præter mulierem 1. p. lect. 89 poſt expl. text. in not. f. 161.

Omnia debemus facere in numero, pondere, & menſura. 2. p. lect. 143. poſt expl. text. f. 258.

Omnis quodammodo Deus facit propter hominem 2. p. lect. 143. art. 2. in expl. 1. p. f. 259.

Omnis Eccleſiaſtica perſona moraliter loquēdo debet habere in corpore ſuo poderem, rationale in pectore & diadema in capite 2. p. lect. 205. fol. 353.

Omnis virtuoſus eſt nobilis, & omnis vitioſus eſt ignobilis 2. p. lect. 207. art. un. in expl. 1. p. fol. 356.

Onix comparatur iræ 2. p. lect. 126. not. un. in expl. 3 p. f. 227.

Oppreſſio proximi fit per violentiam, ſapientiam, & negligentiam. 1. p. lect. 23. poſt expl. text. fol. 39.

Oppreſſio poteſt fieri cum ordine juris & cōtra ordinem juris, 1. p. lect. 23. art. 1. fol. 39.

Oppreſſores proximi habent cor ſaxeum. 1. p. lect. 23. poſt expl. text. fol. 39.

Oppreſſio pauperum, pupillorum, & viduarum eſt peccatum clamans ad Deum pro vindicta. 1. p. lect. 69. art. 1. in expl. 1. p. f. 129 & ſeq.

Opprimere, eſt alium contra vires & voluntatem premere 1. p. lect. 23. art. 1. fol. 39.

Opera noſtra bona ſupernaturalia, ſunt de condigno meritoria, vitæ æternæ, ex gratia Dei & Principis noſtri Chriſti, 1. p. lect. 63. art. 1. f. 62.

Opera pœnitentiæ, & Eleemoſynæ comparantur fructibus palmæ. 2. p. lect. 41. art. un. in expl. 2. fructus. f. 76.

Oportet nos reſpondere Deo, Diabolo, Mundo, & Carni, contra nos arguentibus 1. p. lect. 80. art. un. f. 150.

Oratio dominica eſt efficaciſſima, & aliis præponenda. 2. p lect. 139 art. 1. in expl. 1 p. f. 252

Oratio devota eſt ſcala noſtræ aſcenſionis, ſcutum noſtræ defenſionis, nuntius noſtræ legationis, & redditus noſtræ ſubjectionis. 2. p. lect. 203. art. un. f. 350.

Ordo eſt parium & diſparium rerum, cuique ſua tribuens diſpoſitio. 2. p. lect. 199. art. un. in expl. 4. p. fol. 344.

Orpheus ubi invenerit uxorem ſuam, quamdiu quæſivit 1. p. lect. 52. art. 1. in expl. 2. p. f. 97.

Orpheus dixit principalem partem libidinis eſſe in talo. 2. p. lect. 205. art. un. in expl. 1. p. f. 354.

Ortigometra eſt avis Regia, & idem quod coturnix 2. p. lect. 176. in expl. text. f. 308.

Oſtenditur pulchrè quomodo Deus à nobis quæri non poſſit, niſi prius jam aliquo modo habeatur à nobis. 1. p. lect. 81. poſt expl. text. in not. fol. 152.

Otio vacando David commiſit adulterium, 2. p. lect. 167. art. un. in expl. 1 p. f. 297.

Ovidius nomen ſuum magnificare volebat per ſuam poëſin 1. p. lect. 18. art. 1. in expl. 1. p. f. 30

Ovidius pulchrè deſcribit labilitatem juventutis. 1. p. lect. 112. art. 3. in expl. 2. p. f. 199.

Ovidius etiam pulchrè deſcribit ſenectutem, in expl. 3. p. ibid.

Ly Os juſti meditabitur ſapientiam, pulchre explicatur 2. p. lect. 213. in expl. text. in fine. & in art. un. f 366.

Os juſti Theologi ad huc ut dignè ſacræ Scripturæ difficultatem attrahat, debet ſeparari à luto lubricæ vilitatis, expurgari per calculum cæleſtis ſanctitatis, cibari libo ſolidæ veritatis, & ornari gladio ſeveritatis. 2. p. lect. 213. art. un. dico 2. fol 366.

Os poteſt evomere ſeptem vitia, per quæ proximus injuriari poteſt 1. p. lect. 28. art. 1. fol. 48.

P.

PAlladii Abbatis pulchrum dictum. 2. p. lect. 205. art. un. in expl. 2. p. f. 353.

Papa dum conſecratur accenditur ei ſtupa. 1. p. lect. 16. art. 2. f. 27.

Parentes & amicos Chriſto contradicentes, vel viam virtutis impedientes, qualiter oporteat ſpernere? 2. p. lect. 139. art. 2. in expl. 2. p. f. 252.

Partus hominis ordinariò fit menſe nono, ſubindè tamen etiam fit menſe ſeptimo, octavo, vel etiam decimo. 1. p. lect. 89. poſt expl. text. f. 161.

Paſtores ſiu Prælati mali, & iniqui moraliter loquendo carent omnibus ſenſibus. 2. p. lect. 174. art. un. fol. 306.

Pater cæleſtis reſpectu hominum ſervat liberalitatem ſufficientis exhibitionis, ſi ei rectè ſerviamus; regularitatem convenientis caſtigationis, ne delinquamus; & hilaritatem allicientis reconciliationis, ſi ad eum redeamus 1. p. lect. 26. art. un. fol. 43.

Pater poteſt præcipere filio ea quæ pertinent ad domeſticam converſationem & adminiſtrationem domus, ſeu familiæ, & quæ pertinent ad bonos mores ſequendos præceptos à Deo. 1. p. lect. 43. art. 4. fol. 81.

Pater non poteſt præcipere filio ingreſſum religionis, ibid.

Patrē carnalem per propagationem debemus in vitæ neceſſariis ſupportare, Chriſto contradicentem repudiare, & æternis memoriis cogitare 2. p. lect. 139. art. 2. f. 252.

Patri noſtro ſpirituali debemus exhibere obedientiam, benevolentiam, & honorem 2. p. lect. 139. art. 3. f. 253.

Pater ſpiritualis debet eſſe columnā ignis per exuſtionem vitiorum, & etiam debet eſſe columna nubis per ſuavitatem virtutum 2. p. lect. 139. art. 3. ibid.

Patres noſtri antiqui agendo pœnitentiam quatuor fecerunt notabilia 2. p. lect. 181. art. un. in expl. 1. p. f. 316.

Ly Pater accipitur eſſentialiter & notionaliter. 2. p. lect. 195. art. 2. in expl. 2. p. f. 337.

Pauca ſciens ſæpè ſe per verba inania jactat, 2. p. lect. 201. art. 3. in expl. 4. p. f. 346.

Pavonis caro bene cocta poſt multū temporis fit iterum cruda, 1. p. lect. 111. art. 1. in expl. 3. p. f. 196.

Pauperes involuntarii murmurant contra Deum. 1. p. lect. 9. art. un. in expl. 4. p. f. 16.

Paupertas eſt triplex egeſtatis, honeſtatis, & vanitatis, 1. p. lect. 23. art. 2. f. 39.

Pauperes voluntarii ſunt ſimiliores Chriſto in converſatione, validiores in tentatione, & beatiores in remuneratione. 1. p. lect. 23. art. 3. ibid.

Pauperes voluntarii in rei veritate ſunt divites. 1. p. lect. 23. art. 3. in expl. 3. p. ibid.

Pauperes voluntarii in extremo die judicii judicabunt nationes aſſeſſoria dignitate 1. p. lect. 35. art. 2. f. 61.

Pœna damnatorum erit corporalis 1. p. lect. 73. art. un. fol. 138.

Pœnitentiam differe non eſt conſultum 1. p. lect. 15. art. 2. fol. 25.

Pœnitens poteſt habere triplicem dolorem. 1. p. lect. 59. art. un. f. 111.

Pœnitentia deſignatur per ſcalam quam vidit Jacob 2. p. lect. 130. art. un. f. 235.

Pœnitentiæ documenta ſunt examen conſcientiæ, amaritudo compunctionis, plenitudo confeſſionis, & fortitudo ſatisfactionis. 2. p. lect. 148. art un. fol. 268.

Pœnitens comparatur mulieri parturienti cum dolore, 2.p.lect.148.art.un.in expl.2.p.ibid.

Per pœnitentiam Chriſtum nobis reconciliamus, Angelos lætificamus, animas noſtras reformamus, & dæmones confutamus, 2.p.lect.149.art.un.f.269.

Pœnitentia ut ſit reformativa, debet habere integritatem, taciturnitatem & diuturnitatem, 2.p.lect.149.art.un.poſt expl.3.p.f.270.

Pœnitentes veri laborant fructuoſe, 2.p.lect.170.art.2.in expl.2.p.

Peccator rectè comparatur phrenetico, qui ſanatur per ſanguinem Chriſti, 1.p. lect.37. in expl.text.f.64.

Ad peccatum primi parentis tres creaturæ concurrerunt, & ad peccatum cujuscunque hominis tria concurrunt, 2.p.lect.141.poſt expl. text.in not.f.254.

Peccata ſeptem capitalia comparantur ſeptem beſtiis, 2.p.lect.142.art.un.f.256.

Peccatores carnales non habent veram pacem, 2.p.lect.167.art.un.in expl.1.p.f.297.

Peccatores delinquentes laborant infructuoſe, 2.p.lect.170.art.2.in expl.1.p.

Peccatum rectè comparatur ſomno propter ſomni interpretationem, ſenſuum ligationem, & judicis deceptionem, 2.p.lect.192.art. 1.f.332.

Peccata moraliter loquendo, ſicut tenebræ naturales, cauſant deceptionem, terrorem, deſolationē, & dormitionē, 2.p.lect.195.art.1.f.336.

Peccatores non monſtruoſi ſe inaniter jactant, 2.p.lect.212.art.7.in expl.4.p f.363.

S. Pauli caput amputatum, ter nomen Jeſus exclamavit, 2.p.lect.135.art.un.in expl.2.p.f.245.

Pecuniæ qualiter omnia obediunt, pulchrè declaratur, 2.p. lect.154.art. un.circa finem in expl.3.p.f.277.

Pecunia præjudicat ſapientiæ in uſurpando ejus actum, in præcipiendo, in diſcernendo & protegendo, 1.p.lect.92.art.2.f.165.

Perdix alterius Perdicis ova furatur & illa educit, ſed pulli ſemper ſequuntur matrem veram, quæ ova procreavit, 1.p.lect.65. art. un.in expl.2.p.f.122.

Pentapolis vocantur quinq; civitates quæ erant circa Jordanem, ubi nunc eſt mare mortuum, 2.p. lect.128.in expl.text f. 230.

Per Jacob & Eſau deſignantur moraliter ſpiritus & caro, 2 p.lect.130.art.un.ſol.235.

Peccator pœnitens alio modo punitur quam impœnitens, 1.p.lect.6.in expl.text.f 9.

Peccata per pœnitentiam condonata, revelanda ſunt in judicio generali, 1.p.lect.8 art.2.f.13

Peccatum rectè vocatur mora animæ per ſimilem defectum, effectum, & aſpectum, 1.p.lect. 12.art.1.f.19.

Peccatoribus ſunt quatuor gravia, nimirum onera peccatorum, opera mandatorum, vicinum beneficium, & divinum judicium, 1.p.lect.25.art. 2.f.43 & 44.

Peccatum in ratione offenſæ divinæ eſt infinitum.1 p.lect.25.art.2.in expl.1.p.ib.

Peccata ſeptem capitalia excæcant ſpiritualiter 1.p.lect.25.art.2.ib.

Peccatores in extremo judicio per nullam viā poſſunt evadere impuniti, 1.p.lect.35.art.1. f.60.

Peccator debet ſpem ſuam ponere in beatiſſima Virg. Maria, 1.p.lect.36.art.2.in expl.3 p.f.64.

Peccatores habuiſſe diram conſummationem diverſis exemplis oſtenditur, 1.p.lect.43. poſt expl.text.f.80.

Peccatum concludit in judicio, excludit à regno Dei, & includit in inferno, niſi obſtet Dei miſericordia, 1.p.lect.53.art.1.f.99.& ſeq.

Peccator voluptuoſus aſſimilatur ſimiæ habenti duas proles, 1.p.lect.57.in expl.text.f.107.

Peccatores inveterati cur non ſtatim emolliantur ad pœnitentiam, 1.p.lect.61.art.1.in expl. 1.p.f.114.

Perjuri malitioſi ipſo facto negant, ſe Deum noſſe, quatenus eſt veritas, 2.p.lect.154. art. un. in expl.3.p.f. 277.

Perjurus eſt infidelis Deo, injurioſus proximo & pernitioſus ſibi ipſi, 2.p.lect.168. art.un. f.298.

Perjurus quantum in ſe eſt, plus contemnit Chriſtum, quam ſui crucifixores, ib. in expl.1. p.

Perjurus diverſa mala incurrit pejerando, ib. in expl.3.p.

Peregrinus bonus in via exiſtens, quotidie ſocios malos vitare, quotidie cōputare, & quotidie terminum recogitare debet, 2.p. lect.147. art.1. f.267.

Peregrinus bonus vitare debet theſauri oſtenſionem, hoſpitis deceptionem, & ſui ipſius nimiam onerationem, 2.p. lect 147.art.2. ib.

Pernitioſi perſecutores, puniuntur ſine conſolatione, 1.p.lect.56.in expl.text.f.104.

Perquiſitores pecunioſi ſe inaniter jactant, 2.p.lect.212.art.1.in expl.3.p.f.363.

Perverſi cur modo non turbentur, 1. p. lect. 59.in expl.text.in not.f. 111.

Peſtis magna in Æthiopia ſuſtulit ab hominibus omnem memoriam, ita ut homines obliti fuerint omnium patrum ſuorum, filiorum ſuorum, & propriorum nominum. Applicatio, 1.p. lect.113.art.un.in expl.1.p.f.200.

Peſtes infernales natæ ſunt de nocte ab Acharonte, 2.p.lect.195.art.1, in expl.text.f.308.

Petrus amputando auriculam Malcho, peccavit ſolum leviter, 1.p.lect.66.art 4.f.125.

Pheretæus interpretatur diſſeminans terram, & figurat luxuriam, quæ vinci debet per ſapientiam ſeu ſaporem cæleſtium, 2.p.lect.204.art. un.in expl.7.p.f.351.

Philo Judæus non eſt author Libri Sapientiæ, 1.p.lect.2.f.2.

Philo rectè deſcribit tres filios Noë, nimirum Sem, Cham, & Japhet, & quid iſti fecerint, 2. p. lect.127.in expl. text.f.228.

Philoſophi antiqui uſq; ad mortem ſtuduerunt, 1.p.lect.55.art.1.in expl.4.p.f.103.

Philoſophi pro defuncto Ariſtotele oraverunt, dicentes, ille qui ſuſcipit animas philoſophorum ſuſcipiat animam tuam, 2.p.lect.153.art. un.in expl.2.f 276.

Philoſophi in nativitate pueri lugebant, in ejus autem morte lætabantur & cur? 2. p. lect. 164.art.un.in expl 3.p.f.292.

Philoſophi cujusdam pulchra reſponſio de ſibi detrahente, 2.p.lect. 201.in expl.3.p. f.364.

Puthifar Princeps militiæ Pharaonis nimis citò credidit ſuæ uxori, 1.p.lect.77.art.2.in expl. 1.& 2.p.f.145.

Pincerna Pharaonis exiſtens in ſua proſperitate oblitus eſt Joſephi, 1.p.lect. 113. art.un.in expl.1 p.f.200.

Pythagorici diſciplina, eſt tacere per quinquennium, 2.lect.201.art.3.in expl.4.p.f.347.

Plato dixit hominem magis proficere ab inimicis dicentibus ſibi ſuos defectus, 1.p.lect.59. in expl.text.in not.f.111.

Plato

Plato quid ſenſerit de anima? 1. p. lect. 113. art. un. in expl. 1. p. f. 200.

Poderis veſtis Pontificalis quæ & qualis ſit? 2. p. lect. 205. in expl. text. f. 353.

Poma, quæ creſcunt circa mare mortuum, intus ſunt repleta cinere 1. p. lect. 18. art. 2. in expl. 2. p. f. 31.

Prædicator verbi Dei, eſt ſagitta procedens ab arcu lucis ſcripturæ, 1. p. lect. 66. art. 1. in expl. 1. p. f. 123. & comparatur gallis, 1. p. lect. 65. art. un. in expl. 4. p. ib.

Prælatos & in dignitate poſitos Deus in judicio de quatuor interrogabit, 1. p. lect. 8. art. 3. fol. 14.

Prælati comparantur Aquilis, 1. p. lect. 65. art. un. in expl. 3. p. f. 122.

Prælato etiam malo tenetur ſubditus reverentiam exhibere; & cur? 1. p. lect. 76. poſt expl. text. not. 3. f. 144.

Prælatus ut dignè præſit debet eſſe luminoſus per rectam informationem, operoſus per ſanctam occupationem, gratioſus per piam compaſſionem & animoſus per juſtam correctionem, 1. p. lect. 78. art. un. f. 146.

Prælati ſunt ſtellæ ibidem in expl. 1 p.

Prælati Eccleſiaſtici ſunt Theſaurarii Chriſti, & tenentur alere pauperes, 1. p. lect. 83. art. un. in expl 2. p. f. 155.

Prælati debent habere rectitudinem conſcientiæ, & fortitudinem reſiſtentiæ contra malos, 2. p. lect. 133. art. 2. f. 241.

Prælatus vigilans, comparatur Leoni vigilanti, 2 p. lect. 134. art. 1. in expl. 1. p. f. 242.

Prælati in defectibus ſuorum ſubditorum corrigendis negligentes, non ſervant veram pacem, 2. p. lect. 167. art un. in expl. 3. p. f. 297.

Prælati ſeu præſidentes devoti laborant fructuoſe, 2. p. lect. 170. art. 3. in expl. 4. p.

Prælatus bonus debet habere zelum fervoris, ſtatum vigoris, locum amoris, & motum præceſſoris, 1. p. lect. 197. art. un. f. 340.

Prælatus bonus debet eſſe columna ardens & ſupportans. ib. in expl. 1. & 2. p.

Præmium Beatorum eſt duplex eſſentiale & accidentale, 1 p. lect. 40. art. 2. not. 1. f. 73.

Prærogativæ ſapientiæ adducuntur, 1. p. lect. 116. in expl. text. f. 204.

Principi quæ conveniant. 1. p. lect. 3. in expl. text. f. 4. Item 1. p. lect. 120. art. 2 f. 213.

Principibus & Prælatis cur ſpecialiter dicatur, ut ſervent juſtitiam potius quàm aliam virtutem, 1 p. lect. 9. art. 2. f. 5.

Probabilius eſt quod totum judicium univerſale tam quo ad diſcuſſionem, quàm etiam quo ad accuſationem malorum, & commendationem bonorum, & quo ad ſententiam de utriſque, ſolum mentaliter perficietur, 1. p. lect. 58. art. 2. f. 109.

Probabile tamen etiam eſt quod in judicio univerſali erit diſceptatio, tam mentalis quàm vocalis, ib.

Proles ſecundum jura civilia communiter ſequitur conditiones ventris, ſive matris, in libertatem & ſervitutem, 1. p. lect. 106. art. un. f. 188

Proximo debemus dilectionem, inſtructionem, & ſupportationem, 2 p. lect. 171. art. 1. in expl. 3. p.

Pſittacus naturaliter ſalutat Imperatorem, 1. p. lect. 10. art. 1. f. 16.

Pueri nobiles olim vocabantur prætextati & cur? 1. p. lect. 54. art. un. in expl. 1. p. f. 101.

Pueri cum Daniele abſtinentes à cibo Regis Nabuchodonoſor, inventi ſunt poſt decem dies habere facies pulchriores & corpulentiores, 1. p. lect. 119. art. un. in expl. 3. f. 110.

Pulchritudo corporis eſt bonum defectivum, bonum infectivum, & bonum deceptivum, 1. p. lect. 93. art. 2. f. 167.

Q.

QUales Angelos ex quo ligno & cum quali poſtura Salomon curaverit fieri in propitiatorio, 2. p. lect. 149. art. un. in expl. 2. p. f. 270.

Qualis debeat eſſe prælatus rectè deſcribitur ab Alexandro, 1. p. lect. 114. in expl. text. f. 201.

Qualitates maris rubri deſcribuntur, 2. p. lect. 128. in expl. text. f. 229.

Quando homo glorificabitur, etiam mundus aliquo modo innovabitur, 1. p. lect. 72. art. 2. in expl. 2. p. f. 126.

Quare Jonas dicatur filius Amathi, & quot is pericula evaſerit propter veritatem, 1. p. lect. 86. art. un. in expl. 2. p. f. 158.

Quare prudentia, juſtitia, fortitudo & temperantia, dicantur virtutes cardinales, 1. p. lect. 109. in expl. text. f. 179.

Quatuor opiniones antiquorum de anima refutantur, 1. p. lect. 16. poſt expl. text. f. 26.

Quatuor ſunt pœnitentiæ incitamenta, nimirum amor Chriſti, quem offendimus, dolor pro gratia quam amiſimus, horror pœnæ quam incurrimus, & timor mortis ad quam properamus, 2. p. lect. 144. art. un. f. 260.

Quatuor ſunt impedimenta pœnitentiæ nimirum pudor propalandi, timor reincidendi, ardor delectandi, & torpor pœnitentiam maturandi, 2. p. lect. 144. art. un. dico 2. f. 261.

Quatuor debent hominē movere ad ſerviendū domino Deo, 2. p. lect. 169. in expl. text. f. 299

Quatuor modis ſe excuſare ſolent delinquentes, 2. p. lect. 177. art. 2. f. 310.

Quatuor conditiones requiruntur ad hoc ut Regia authoritas executionem debitam ſortiatur, 2. p. lect. 200. art. un. in expl. 3. p. f. 345.

Qui novit eligere veritatem, abjicere vanitatem, & parvipendere loquacitatem, is cenſetur habere bonum ingeniū, 1. p. lect. 117. art. 2. f. 206.

Quicunque antiquitus hoſpiti peregrino per quinque dies hoſpitium denegavit, vel eos ab omni malo non ſtrenuè defendit, criminis notam incurrit, 2. p. lect. 210. art. 1. in expl. 2. p. f. 361.

Quibus judicium Dei erit durum, quibus durius & quibus duriſſimum? 1. p. lect. 78. in expl. text. f. 146.

Quidam Theologi moderni temporis habent os diſſolutionis alii os detractionis, alii os ambitionis, & alii os adulationis, 2. p. lect. 213. art. un. dico 2. in expl. 4. p. f. 365.

Quindecim gradus juſtitiæ in juſto deſcribuntur, 1. p. lect. 69. art. 2. f. 130.

Quindecim ſigna per quindecim dies præcedent univerſale judicium, & hæc ſigna explicantur, 1. p. lect. 72. art. 1. f. 135.

Quis ſit ordo cadendi in graviſſima peccata, 1. p lect. 37. poſt expl. text. not. 2. f. 67.

Quinque ſunt quæ putrefactionem corporis impediunt, 1. p. lect. 107. art. un. in expl. 3 p. f. 190.

Quinque ſunt quæ putrefactionem peccati impediunt ib.

Quinque juga boum rectè deſignant quinque ſenſus, & pulchrè explicantur, 2. p. lect. 145. art. 2 in expl. 2 p. f. 262. & 263.

Quintilanus egregiè defendit aliquam matronam ſuſpectum de adulterio,ex eo quia peperit æthiopem, 2 p. lect. 130. intra expl. text. fol.234.

Quomodo intelligatur illud Scripturæ de juſtis,Inter Sanctos ſors illorum eſt? 1.p.lect.60. in expl.text.f.112.

Quomodo corpora humana communiter concepta perficiantur in utero matris, 1.p. lect. 89.poſt expl.text.not.3.f.162.

Quomodo ſtudere debeat bonum ingenium, declarat rectè Macrobius 1.p.lect.117.art.1.f.206

Quomodo Brutus oſculando terram tanquam matrem ſuam,primum locum obtinuerit, p.lect.208.art.un.in expl.2. p.f.359.

R.

ROab meretrix vivere juſſa eſt,quia exploratores hoſpitio ſuſcepit,2.p.lect.210. art. 3.in expl.3.p.f.363.

Raphaël quid dixerit timenti Tobiæ ducere in uxorem Saram filiam Raguelis, 1.p. lect. 45. art.2.in expl.1.p.f85.

Rationale ſui pectorale Aaronis, qualis fuerit veſtis pontificalis? 2. p. lect. 205. in expl.2. veſti Pontificalis, f.354.

S.Raymundus de Pennafort tertius Magiſter generalis Ordinis Prædicatorum 40. mortuos ſuſcitavit,& pallio ſuper fluctus maris expanſo,centum ſexaginta ſexmilliaria ſex horis confecit, & Barcinonæ conventum clauſis portis ingreſſus eſt,2.p.lect,61.in expl.text.f. 286.

Redemptio noſtra per Sanguinem Chriſti facta,eſt pretioſa,doloroſa, amoroſa,& gratioſa, 2.p.lect.137.art.un.f.248.

Refectorium ſacræ Scripturæ habet tres menſas,& apponuntur tres diverſi cibi,2.p.lect. 213. art.un. dico 5.

Reges Græcorum in ſua coronatione quæſiti fuerunt, de quali lapide velint ſibi fieri monumentum,1.p.lect.16.art.2.f.27.

In Regis coronatione fit mentio de adminiſtranda juſtitia, ubi etiam aliæ ceremoniæ explicantur,1 p.lect.75.art.2 f.142.

Regi quid conveniat? 1.p.lect.3.in expl.text. f. 4.

Regibus & Principibus ſimpliciter eſt neceſſaria ſapientia.1.p.lect.85.in expl.text. f.157.

Regibus prohibetur copia vini & cur? 1. p. lect.122.art.2.in expl.1.p.f.221.

Regimen perfectum humanæ vitæ requirit providentiam legalium ſtatutorum, temporalium theſaurorum,perſonalium meritorum, & Regalium reſponſorum,1.p.lect.83.art.un.f.155

Regnum tripliciter accipitur,1.p.lect.90.poſt expl.text.in not.f.163.

Rex Philippus,cur filium ſuum Alexandrum ſpecialiter Ariſtoteli imbuendum tradiderit? 1.p.lect.75.art.1.in expl.3.p.f.142.

Rex debet eſſe ſicut Cytharædus,1.p.lect,87, in expl.text.f.159.

Rex Cypri valde turpis. generavit pulcherrimas proles ex aſpectu pulchrarum imaginum. Applicatio,1.p.lect,115.art,un.in expl.2.p.f. 203.

Rex quidam antequam Regium diadema capiti ſuo imponeret,quid dixerit? 2. p. lect.143. art.1.in expl.1.p.f.258.

Rex Probitate & converſatione alios ſibi ſubditos præcellere debet,2.p.lect 200. art.un. in expl. 4.p.f. 443.

Religioſus quæſitus, quot annis eſſet in religione, reſpondit vixi; & quid per hoc intelligatur? 1.p. lect.15.art.2.in fine f.25.

Religioſus ſuſcitatus à mortuis,poteſt ingredi quamcunque religionem, vel manere ſæcularis,1.p.lect.45.art.1.f.84.

Religioſis Clericis convenit ſtudium ſacræ Theologiæ 1.p.lect 96.art.2.f.17.

Religioſis licitum eſt gradum magiſtralem accipere,1.p.lect.96.art.3.f.172.

Remedium adducitur pro curanda ſuperbia 2.p.lect.179.art.un.in expl.1.p.f 313.

Reprobi damnabuntur finaliter, ſeparabuntur potentialiter, & incarcerabuntur localiter, 1.p.lect.73.in expl.text.f.127.

Res pretioſæ ſolent cooperiri chryſtallo, & cur? 1.p.lect.119.art.un.in expl.1. p.f.209.

Reſponſum pulchrum cujusdam Regis nolentis ſubvenire civitati obſeſſæ, 2.p.lect. 206. art.un.dico 2.f.355.

Reſpublica ex perſonis omnino æqualibus non conſtituitur,2.p.lect.199.art. un.in expl. 4. p.f.344.

Reſurrectio omnium hominum generaliter futura eſt,excepto Chriſto domino & Beatiſſima Virgine Maria,1.p.lect.19.art.1.f.82.

Revelare ſecretum de re nulli nociva, nemo tenetur,etiam ex præcepto judicis;ſi tamen tale ſecretum eſſet alicui extra ſigillum confeſſionis communicatum,foretque de re graviter nociva proximo, teneretur talis homo ex præcepto judicis illud revelare;ea tamen quæ ſub vero ſigillo confeſſionis cadunt,nullo modo licitum eſt manifeſtare,1.p.lect.25.art.1.f. 43.

Reverentia erga parentes meretur benedictionẽ Dei,2.p.lect.175.art.un,in expl.1.p.f.307.

Romanus quidam interrogatus cauſam, cur uxorem pulcherrimam repudiaverit, quid reſponderit? 1.p.lect.45.art.2,in expl.4.p.f.86.

Romulus poſt urbem Romam conditam elegit centum conſiliarios, ex quorum conſilio omnia egit,2.p,lect.131.art.un.in expl 2.p.f.237.

Roſarium recitando per Beatiſſimam Virginem Mariam multa à Deo impetramus, 2. p. lect.203.art,un,in expl.2.p.f.350

Rupertus Rex Franciæ, cur compoſuerit illud reſponſorium O conſtantia Martyrum? 1. p.lect.58.in expl.text.circa finem f.109.

Ruſticus bene potus accuſavit uxorem ſuam de pluralitate filiorum, ſed apprehenſo vomere ignito rediit ad ſe,1.p.lect.122.art.2. in expl. 4. p.f.216.

S.

SAcerdos animam efflaturus ex corpore mulierem recedere juſſit,& cur? 1.p.lect.38.art. un.in expl.1.p.f.69.

Sacerdos cæteris paribus fornicando gravius peccat,quam vir adulterando, 1.p.lect. 46.art. 3.f.87.

Sacerdos bonus pulchrè comparatur Angelo in undecim punctis,2.p.lect.183.art.1.f.318.

Sacerdotes boni debent Angelos imitari in ſpiritualitate, intellectualitate, motione orbis, & regimine hominum,2.p.lect.183.art.2.f.319.

Sacramentum pœnitentiæ comparatur piſcinæ probaticæ,quæ habuit quinque porticus,2. p.lect.138.art,2.in expl.1.p.f.250.

Sacra Scriptura eſt petra aquoſa ad potandum, petra melloſa ad cibandum, petra olei perforata ad lenimentum pœnitentium & petra ſcandali deſtinata ad detrimentum diſcredentium,1.p. lect.1.in expl.text.f.2.

Sacra

Sacra Scriptura omnes artes & ſcientias tranſcendit. 1. p. lect, 1. in expl. text. f. 2.

SacraScriptura ſiceſt exercenda à Theologo, ut ipſe non ſolum ſit doctus in ſcientia, ſed etiam in vita. 2. p lect 213. art. un. dico 3. f. 365.

Sacra Scriptura eſt à Theologo perſpicienda per ſeriam conſiderationem. 2. p. lect. 213. art. un. dico 4. f. 366.

Sacra Scriptura eſt recolligenda cum ſaporoſa delectatione 2. p. lect. 213. art. un. dico 5. f. ib.

Sacra Scriptura eſt infuſcabilis in decore, inſeparabilis in vigore, inappretiabilis in valore, & interminabilis in honore, 2. p. lect. 213. art. un. dico 5. in fine fol. ibid.

Sacrificola quidam precibus S. Gregorii Epiſcopi mirabiliter converſus, ipſi in Epiſcopatu ſucceſſit 2. p. lect. 210. art. 2. in expl. 2. p. f. 362.

Salomon fuit Author libri ſapientiæ 1. p. lect. 2. art. 2. f. 3.

Salomonis ſapientia fuit obſuſcata per mulieres 1. p. lect. 22. art. 2. in expl. 2. p. f. 38. & lect. 49. art. 2. in expl. 1. p. f. 91.

Salomon rectè deſcribit tres proprietates ſuperborum. 1. p. lect. 88. in expl. text. f. 160.

Samſon concutiendo duas columnas proſtravit totam domum, & omnes intus exiſtẽtes occidit. 2. p. lect. 197. art. un. in expl. 2 p. f. 440.

Sancti cantant invitatorium, Venite exultemus domino jubilemus Deo. 1. p. lect. 20. art. 2. in expl. 4. p. fol. 35.

Sanctis dicetur, Venite bendicti patris mei ib.

Sancti & devoti homines rectè comparantur pueris ratione parvitatis, puritatis, ſobrietatis, conformitatis, jucunditatis, liberalitatis, & trãquillitatis 1 p. lect. 119. art. un. f. 209.

Sancti tribulationes hujus mundi dulces ſibi reddunt, cogitando de Deo, de morte, & de Chriſto. 2. p. lect, 134. art. 2. f. 243.

Sancti ſunt verè numerati & computati à Deo ſecundum 7. ſpecies Arithmeticæ 2. p. lect. 169. art. un. f. 299.

Sangvis fœcundat lignum aridum, ſanat corpus languidum, & cauſat cementum ſolidum. Applicatio pulchra ad Chriſtum 2. p. lect. 137. art. un. in expl. 2. p. f. 248.

Sapientia accipitur tripliciter, & qualiter accipiatur in hoc libro 1 p. lect. 2 art 1. f. 3.

Sapientia acquiritur amore, labore, humilitate, & ſtabilitate. 1. p. lect. 55. art. 1. f. 103.

Sapientiæ actus eſt informare mores, reprobare errores, & ordinare inferiores. 1. p. lect. 55. art. 3. f. 103. & 104.

Sapientia cordis conſiſtit in tribus ibid. in expl. 2. p. fol. 140.

Sapientia oris cõſiſtit in tribus ib. in expl. 3. p.

Sapientia operis conſiſtit in tribus ibid. in expl. 3. p.

Sapientia æquivocè accepta rectè dividitur in ſapientiam mundialem, beſtialem, & ſpiritualem 1. p. lect, 74. art. 3. f. 141.

Sapientia, ut à nobis inveniatur, debet quæri certo loco, certo tempore, & certo modo. 1. p. lect, 81. poſt. expl. text. not. 2. f. 152.

Sapientia prævenit ſe amantes, & aſſociat ſe illis, qui pro ea vigilant 1. p. lect, 82. in expl. text. ibid.

Sapientia cum facilitate acquiritur, & cum fœlicitate poſſidetur. 1. p. lect. 83. in expl. text. fol. 154. & 155.

Sapientia eſt veluti ſapida ſcientia, & comparatur vino. 1. p. lect. 84. poſt expl. text. in not. f. 156.

Sapientia debet præponi bonis corporalibus exterioribus & interioribus. 1. p. lect. 93. in expl. text. f. 166.

Sapientia habet ſufficientiam celeritatis, & coexiſtentiam præſentialitatis 1 p. lect, 101. in expl. text. f. 180.

Sapientia habet pulchritudinem venuſtatis, magnitudinem puritatis & ſimilitudinem deitatis 1. p. lect, 102. in expl. text. fol. 181.

Sapientia cur ſit dicta Minerva, & Pallas? 1. p. lect. 113. in expl. text. f. 199.

Sara filia Raguelis ſeptem viris tradita erat, quos ſingulos prima nocte dæmonium ſeu Aſmodæus ſuffocabat, virgine intacta permanente. 1. p. lect. 45. art. 2. in expl. 1. p. f. 85.

Saturnus tres filios habuit, nimirum Jovem, Neptunum, & Plutonem, & iſti habuerunt diverſa regna. 2. p. lect. 155. in expl. text. f. 279.

Saul habuit magnam invidiam contra David 2 p. lect, 179. art un. in expl. 3. p. f. 313.

Scala viſa à Jacob deſignat pœnitentiam & hæc ſcala pœnitentiæ habet ſex gradus 2. p. lect. 130. art. un. f 234.

Scipio Africanus pulchro reſponſo milites ſuos perterritos animavit. 2. p. lect, 153. art. un. in expl. 1. p. f. 275. & 276.

Scedulas in quibus ponitur aliquis textus Evangelii, an ſit licitum portare in collo ad pellendam febrim 1. p. lect, 160. art. 3. f. 285.

Semivivus quis dicatur moraliter loquendo. 2. p. lect, 202. poſt expl. text. in not. f. 348.

Senacherib à propriis filiis occiſus eſt. Applicatio. 2. p. lect, 141. art. un. in expl. 1. p. f. 255.

Seneca aſſerit, quod in ſapientem non cadat injuria, aut contumelia, & quomodo? 1. p. lect, 55. art. 2. fol. 103.

Seneca dixit, nondum fœlix eſt, ſi non de turba exiverit. 1. p. lect, 60. poſt expl. text. in not. f. 112.

Senectus bona, eſt veneranda, quia eſt medicina incontinentiæ, moderamen inſolentiæ, examen experientiæ, & libamen pœnitentiæ 1. p. lect, 49 art. 2. fol. 92.

Senes in ſolis annis ſine virtute ineptè honores quærunt. 1. p lect. 42. in expl. text. f. 78.

Senes qui prætendunt maturitatem in crinibus, & ſervant levitatem in moribus, rectè increpantur. 1. p. lect, 49. art. 2. in expl. 3 p. fol. 93.

Senex quidam 60. annis caſtè vixit, & idem virginitatem amiſit. 1. p. lect, 49. art. 2. in expl. 1. p. fol 92.

Senex quidam populum Romanum liberrimè increpavit. 1. p. lect, 49. art. 2. in expl. 2. p. fol. 92. & 93.

Senex quidam interrogatus de modo diſcendi, quid reſponderit? 1. p. lect, 55. art. 1. in expl. 3. p. fol. 103.

Senſus iſtorum verborum. In ſimplicitate cordis quærite illum, pulchrè explicatur 1. p. lect. 4. art. 3. fol. 6.

Sententia definitiva ſupremi judicis, eſt ſagitta Chriſti. 1 p. lect. 66. art. 2. in expl. 3. p. f. 124.

Seria ſacræ Scriptura meditatio temperat corporis voluptatem, mitigat mundi tempeſtatem, prædicat Dei pietatem, & excitat hominis charitatem 2. p. lect, 213. art. un. dico 4. f. 366.

Sermo Dei eſt cibus animæ 1. p. lect, 81. poſt expl. text. not. 1. f. 152.

Sermo divinus curat omnia vitia capitalia 2. p. lect. 179. art. un. fol. 313.

Septem cæcitatibus ſpiritualibus correſpondent ſeptem cæcitates corporales 1. p. lect, 29. art. 2 fol. 58.

Septem ſunt viæ difficiles iniquitatis 1. p. lect. 62. art. 1. fol 117.

Septem creaturæ enumerantur, ex quibus unam diverſi gentiles adorarunt pro vero Deo. 2. p. lect. 155. in expl. text. fol. 278.

Septem vitia capitalia deſignantur per ſeptem gentes. 2. p. lect, 204. art. un. fol. 351.

Septem peccata capitalia vincentes habebunt ſeptem diverſa præmia. ibidem.

Serpens hominem nudum fugit, & inſilit in hominem veſtitum. 1. p. lect, 23. art. 2. in expl. 2. p. f. 40.

Servus Regis vocans ad cænam magnam, deſignat Ordinem Prædicatorum 2. p. lect, 145. art. 1. in expl. 3. p. fol. 262.

Sichem filius Emor, ad primum aſpectum Dynæ, eam rapuit & voluit mori, niſi eam duceret in uxorem. 1. p. lect 45. art. 2. in expl. 1. p. f. 85.

Signum virtutis eſt operari circa bonum arduum & difficile, faciliter, delectabiliter, & perſeveranter. 1. p. lect, 66. poſt expl. text.

Simia patiens inſidias à venatore, accipit unā prolem in brachiis, altera autem proles inſilit ſuper matrem, & ſedet ſuper collum matris etiam invitæ. 1. p. lect. 57. in expl. text. fol. 107.

Simoniacos Chriſtus quaſi propriæ manſuetudinis oblitus execratur. 2. p. lect. 132. art. un. in expl. 1. p. fol. 239.

Simoniaci Chriſtum expellunt de ſuo officio & indiſcretè illum tractant. ibidem.

Simplicitas qualis debeat eſſe ut ſit bona. 1. p. lect, 4. art. 3. fol. 6.

à Simplicitate vera cordis qui excludantur 1. p. lect, 4. art, 3. f. 6.

Simulacra quid ſint? & undè habeant ortum? 2. p. lect, 158. art. un. circa finem fol. 282.

Sirenes quid ſint? 1. p. lect. 64. art. 2. in expl. 1. p. fol. 121.

Sirenum cantica, Circis pocula, & Ceti Inſula, moraliter loquendo per pœnitentiam facile ſuperantur. 1. p. lect. 64. art. 2. Ibid.

Sirophanes Ægyptius primus fuit, qui filio ſuo defuncto ſimulacrum erexit, colendo ipſum ut Deum. 2. lect. 164. in expl. text. f. 291.

Sobrietas rectè comparatur Amithiſto. 1. p. lect. 119. art. un. in expl. 3. p. f. 210.

Socrates cur ſuam malam uxorem non profligaverit ex domo. 1. p. lect. 38. art. un. in expl. 3. p. f. 70.

Socrates irridens duas ſuas uxores, ab una earum poſt habitam contentionem perfuſus fuit urina. ibid.

Socrates 94. annum agens, præſtantiſſimum librū ſcripſit. 1. p. lect, 55. art. 1. in expl. 4. p. f. 103.

Socrates dicebat illos eſſe indignos modica cænâ, qui hac nolebant eſſe contenti. 2. p. lect, 210. art. 2. in expl. 1. p. fol. 361.

Sodomitæ habuerunt undecim incentiva ſuæ libidinis, & quæ? p. lect, 128. art. 1. fol. 230. & 231.

Sol rectè dicitur dux, princeps, & moderator luminum, item mens mundi & cor cœli. 1. p. lect. 104. art. un. fol. 185.

Sol dicitur eſſe primus filius Jovis, & vocatur ſubinde Phœbus; ſubinde Apollo, ſubinde ſol, & cur? 2. p. lect. 155. in expl. text. f. 279.

Somnia oriuntur potiſſimum ex quinque cauſis 2. p. lect. 202. art. un. not. 1. fol. 348.

Somnia quædam ſunt tantum ſigna aliorum effectuum, quædam autem ſunt cauſæ, & quædam ſunt impertinentia ad futuros eventus. 2. p. lect. 202. art. un. not. 2. fol. 348.

Per ſomnia provenientia ex indiſpoſitione corporali aliquid divinare, poteſt aliquando eſſe licitum. 2. p. lect. 202 art. un. dico 1. fol. ib.

Somniorum divinationi univerſaliter indulgere, valde periculoſum eſt. 2. p. lect 202. art. un. dico 3. fol. 349.

Spado dicitur is qui invitus caſtratur 1. p. lect. 40. in expl. text. f 72. & 73.

Spes eſt neceſſaria hominibus hujus vitæ, quatenus ſunt dimicantes, navigantes, & ægrotantes. 1. p. lect, 36. art. 2. fol. 63.

Spes impii ſeu proſperitas in qua confidit, eſt ſicut lanugo, ſpuma gracilis, fumus, & ſicut memoria hoſpitis ſtatim recedentis. 1. p. lect. 68. in expl. textus. f. 128.

Spes noſtræ conſiſtit in charitate adoptionis, veritate promiſſionis, & poteſtate redditionis. 2. p. lect. 151. art, 1. fol. 272.

Spes noſtra debet eſſe ſicut anchora, ſicut mola, ſicut galea. 2. p. lecti 151. art: 2. fol: 273.

Spes & timor ſunt ſicut mola ſuperior & inferior. ibidem in expl. 2 p.

Spiritus ſanctus deteſtatur omnem fictionem deordinatam. 1. p. lect. 6. art: 2 fol. 9.

Spiritus ſanctus apparuit in forma linguæ & cur; 1. p. lect, 10. art: 1. fol. 16.

Spiritus ſanctus rectè perſuadet humilitatem addiſcendi, ſubtilitatem advertendi, aviditatem inquirendi, & ſeveritatem exequendi. 1. p. lect, 75. art. un. fol. 141.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedens dicitur ſanctus, multiplex, unicus ſubtilis, modeſtus, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans omnem bonum actum, hortans ad benefaciendum, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia perſpiciens, capiens omnes ſpiritus intelligibiles, mundus & ſubtilis. 1. p. lect. 100. in expl. text. f. 179.

Spiritus ſanctus venit ſicut lachrymantium conſolator, ſicut ignorantium informator, & ſicut vacillantium confirmator. 1. p. lect. 124. art. un. fol. 218. & 219.

Spiritus ſanctus apparuit in triplici figura, nimirum ignis, linguæ & columbæ. 2. p. lect, 146. art. 1. in expl. 2. p. fol. 264.

Spiritus ſanctus cur in ſpecie nubis ſuper Chriſtum apparuerit, & cur in ſpecie columbæ? 2. lect. 146. art. 1. in expl. 1. & 2. p. f. ibid.

Spiritus ſanctus comparatur rori, unctioni, & melli. ibid. in expl. 2. p.

Spiritus ſanctus cur apparuerit in ſpecie ignis? ibid. in expl. 3. p.

Stans habet quatuor qualitates, quas etiam debet habere bonus Prælatus 2. p. lect. 133. art. 2. in expl. 1. p. f. 241.

Stans eſt promptior ad miniſtrandum, fortior ad dimicandum, aptior ad ambulandum, & utilior ad contemplandum. 1. p. lect, 133. art. 2. in expl. 2. p. ibid.

Status pœnitentiæ rectè comparatur navi propter figuræ qualitatem, vecturæ comoditatem, & jacturæ poſſibilitatem, 1. p. lect, 64. art. 1. f 120.

Stellæ cur nobis appareant eſſe parvæ ? 1. p. lect, 51. not. 3. ful. 96.

Stoici dicebant ſignum ſapientiæ eſſe patientiam. 1. p. lect. 55. art. 2. fol. 103.

Studentes ex bona intentione laborant fructuſè 2. p. lect. 170. art. 2. in expl. 3 p. f. 301.

Stupidi, & de Dei miſericordia diffidentes, ſemper ſunt triſtes. 2. p. lect. 188. art. un. in expl. 4. p. f. 327.

Sunamitis quam charitativa fuerit erga hoſpites 2. p. lect. 210. art. 1. in expl. 4. p. fol. 361.

Superbi ambulant viam difficilem, montoſam 1. p. lect, 62. art. 1. in expl. 1 f. 117.

Superbi rectè comparantur lepuri. ibid.

Superbi per ſubtilitatem dominationis ſe ineptè excuſant à vocatione divina. 2. p. lect, 145. art. 2. in expl. 1. p. f. 262.

Superbi præſumptuoſi ipſo facto negant ſe Deum noſſe, quatenus eſt bonitas. 2. p. lect. 154. art. un. in expl. 2. p. fol. 277.

Superbiens de ſua pulchritudine, rectè comparatur flori. 2. p. lect, 156. art. 1. in expl. 1. p. f. 280.

Superbia inter omnia vitia, eſt magis generoſum, naſcendo magis animoſum invadendo, & magis cantelofum in alliciendo. 1. p. lect. 63. art. 1. fol. 118.

Superbia non parcit loco, nec perſonæ, nec tempori, nec ſtatui. 1. p. lect, 63. art. 1. in expl. 2. p. ibid.

Superbia rectè comparatur Phreneſi 2. p. lect, 179. art. un. in expl. 1. p. fol 313.

Superbia curatur per timorem Dei 2. p. lect, 204. art. un. in expl. 1. p. fol. 351.

Superbiam vincens fit à Deo columna immobilis 2. p. lect. 204. art. un. in expl. 1 p. f. 352.

Superiores Idiotæ moral ter loquendo habent pro idolo ſuo negligentiam addiſcendi. 2. p. lect, 163. art. un. in expl. 3 p. f. 290.

Superſtitiones unde ſic vocentur ? 2. p. lect, 155. in fine expl. text. f. 279.

Suſurratio quid ſit. 1. p. lect, 28. art. 1. f. 48.

T.

TActus Venerei, ſunt peccatum mortale 1. p. lect. 40. poſt expl. text. not 4. f. 73.

Taurus ferox alligatus ficui manſueſcit. 1. p. lect, 61. art. 3. in expl. 2. ſigni f. 115.

Taxus eſt animal honeſtum, & dum advertit, quod vulpes foveam ſuam ingrediendo deturpaverit, abominatur ſuam domum. Applicatio. 2. p. lect, 142. art. un. in expl. 6. p. f. 257.

Tays ſolemnis meretrix de Corintho petiit à Demoſthene pro uno concubitu centum talenta. 1. p. lect, 22. art. 2. in expl. 2. p. f. 38.

Tædioſam viam ambulant acedioſi. 1. p. lect. 62. art. 1. in expl. 7. p. f. 117.

Tenaces & cupidi plerumque ſunt triſtes. 2. p. lect, 188. art. un. in expl. 3. p. f. 327.

Tenebras amant, qui malè agunt, proununturque multa exempla malorum, quæ in tenebris contigerũt 2. p. lect. 195. art. 1. in expl. 1. p. f. 336.

Tenebras mentis invehit conſuetudo peccandi, ibid.

Tentare, quid ſit ? 1 p lect. 32 poſt expl. text. f. 56.

Tentare Deum fit quinque modis. 1. p. lect. 4. art. 1. f. 5. & 6.

Tentare, Deo propriè non convenit. 1. p. lect. 32. poſt. expl. text. fol. 56.

In teſte conſiderantur tria, nimirum natura, conditio, & vita. 1. p. lect, 124. art. un. in expl. 3. p. p. f. 219 & 220.

Theologia eſt Regina omnium aliarum ſcientiarum 1. p. lect. 1. in expl. text. fol. 2.

Theologus debet habere quadruplicem juſtitiam. 2. p. lect, 213. art. un. dicu 3. f. 366

Theſauro ſapientiæ abutuntur ſuppreſſores, & abuſores ſapientiæ. 1. p. lect. 97. art. un. f. 174.

Thimiana quid ſit ? 1. p. lect. 203. in expl. text. f. 2;3.

S Thomas Apoſtolus an verè tetigerit vulnera Chriſti mittendo digitum ſuum in illa, & mittendo manum ſuam in latus Chriſti Domini. 1. p. lect 6. art. 2. in reſponſione ad confirmationem tertii argumenti. fol. 11

S. Thomas Aquinas mulierẽ ſe tentantem titione fugavit. 1. p. lect, 38. art. un. in expl. 1. p. f. 69.

S. Thomas Aquinas in magnis difficultatibus Scripturæ ad orationẽ confugit, per quam magis, quam per ſtudium, ſcientiam ſuam accepit. 2. p. lect. 213. art. un. dico. 1. f. 366.

Timor bonus cauſat in bona perſona de futuris providentiam. de præteritis pœnitentiam. in agendis diligentiam, & bonam aggreſſionẽ atq; cõfidentiã in periculis. 2. p. lect, 194. art. un. f. 335.

Timor in Aegyptiis habuit ſeptem cauſas. 2. p. lect, 194. in expl. text. fol. 335.

Tormenta damnatorum quæ & quot ſint? 1. p. lect. 110. art. un, in expl. 3. p. f. 194.

Trajanus Imperator cum hominibus plebeis fuit valde familiaris 2. p. lect, 197. art. un. in expl. 3. p. f. 341.

Tranquillitas Reipublicæ provenit à ſapienti conſilio, & juſto imperio Regis. 1. p. lect. 87. in expl. text. f. 159.

Tres excuſationes, quas peccatores adferunt de ſuo peccato nihil valent. 1. p. lect 13. art. 1. f. 21.

Tres ſunt in mundo infœlices 1. p. lect, 37. in expl. text. fol. 64.

Tres viri nimis auſteri, & indiſcreti reſpectu ſuarum uxorum referuntur. 1. p. lect. 45. art. 2. in expl. 3. p. f. 86.

Tres ſunt ſpecies iracundorum 1. p. lect, 119. art. un. poſt expl. 7. p. fol 212.

Tres ſpecies iracundiæ debet homo ſanctus vincere, ibid.

Tres ſunt ſpecies negligentium Prælatorum. 1. p. lect 120. art. 2. in not. poſt expl. 3 p. f. 213.

Tres ſunt in mundo ſpecialiter infœlices. 2. p. lect, 158. in expl. text. ful. 282.

Tres ſunt rationes ob quas dolere poſſumus dum boni viri moriuntur. 2. p. lect, 164. art. un. in expl. 2. fol. 292.

Treſcas quid dixerit de fœminis ? 1. lect. 38. art. un. in expl. 1 p. fol. 69.

Tria ſunt media ad acquirendam ſapientiã, nimirum cura, dilectio, & cuſtodia, 1. p. lect, 84. in expl. text. fol. 156.

Tria hæc: memoria, intelligentia, & voluntas, conſtituunt bonum ingenium, 1. p. lect. 117. art. 1. f. 206

Tria Deus præſtitit populo Iſraelitico, nimirum quia eduxit eum de Aegypto, pavit in deſerto per annos 40. & in terram promiſſionis induxit. 2. p. lect. 133. in expl. text. fol 240.

Tria ſunt, quæ faciunt dictum aliquod credibile,

Digitized by Google

dibile, nimirum prudentia, virtus, & benevolentia. 2. p. lect. 198. art. un. in expl. 1. p. f. 342.

Tria nos faciunt honorabiles apud Deum. 2. p. lect. 205. art. un. in expl. 3. p. f. 354.

Triplex eſt ſapientia in bono, quam imitari debemus. 1. p. lect. 74. art. 1. f. 140.

Triplex eſt differentia inter Dominum terreſtrem, & inter Deum tanquam Dominum cæleſtem. 2. p. lect. 150. poſt expl. text. not. f. 271.

Triplex ratio adducitur, cur modo non fiant tot miracula ut priùs. 2. p. lect. 133. art 1. in expl. 2. p. f. 240.

Triplex eſt cauſa inſtitutionis ſacrarum imaginum. 2. p. lect. 158. art. un. dico 2. f. 282.

Triplex eſt honor nimirum obedientiæ, beneficentiæ & affectionis. 2. p. lect. 165. art. un. in expl. 3. p. f. 294.

Triplex iſte honor quibus debeatur. f. ibid.

Triplex eſt genus ludi 2. p. lect. 173. art. un. in fine. f. 305.

Triplicem habemus partem, nimirum ſupernaturalem per creationem, corporalem per curam & conſervationem. 2. p. lect. 139. poſt expl. text. in not. fol. 258 & 259.

Tripliciter aliqui amicos defunctos lugent, nimirum fictè, charitativè, & pertinaciter. 2. p. lect. 164. art. un f. 292.

Tota domus Abimelec, & totus populus Iſrael punitus fuit propter peccatum Achor. 2. p. lect. 206. art. un. dico. 3. f.

V.

V. eſt ſubinde vocalis, ſubinde conſonans, ſubinde nota liberalis, numerum quingentium deſignans 2. p lect. 195. art. 2. in expl. 3. p. fol. 357.

Venite ſeu invitatoria ſunt quatuor, quæ cantantur à voluptuoſis, malitioſis, ambitioſis & religioſis. 1. p. lect. 20. art. 2. f. 34. & 35.

Veritas eſt acquirenda cum ſtudio, defendenda cum odio, & præponenda ſocio. 1. p. lect. 85. art. un. f. 158. & 159.

Veritas eſt triplex, nimirum oris, operis, & intentionis. 1. p. lect. 86. poſt expl. text. in not. ibid.

Vigilantiam nobis perſuadere debent hoſtilitas crudelis rebellationis, utilitas fidelis adminiſtrationis, & debilitas terreſtris inhabitationis. 1. p. lect. 82. art. un. f. 153. & 154.

Ulyſſes quomodo per Sirenes ſecurus tranſiverit? 1. p. lect. 64. in expl. 1. p. f. 121.

Vini uſus moderatè ſumpti, eſt homini licitus 1. p. lect. 21. art. 1. f. 36.

Vini immoderatus uſus cauſat detrimentum libertatis, atramentum honeſtatis, complementum voluptatis & experimentum fatuitatis. 1. p. lect. 21. art. 2. f. 36.

Vinum ſpecialiter prohibetur tribus, nimirum Virginibus, Sacerdotibus & Regibus. 1. p. lect. 21. art. 2. in expl. 2. p. ibid.

Vinum immoderatè ſumptum privat hominem ratione, divitiis, item reddit hominem deriſibilem, & pauperem efficit 1. p. lect. 21. art. 2. poſt expl. 4. p. ibid.

Vindictam pœnitentiæ in hac vita pro noſtris peccatis debemus exercere. 2. p. lect. 181. art. un. in expl 1. p. f. 316.

Vindictam in propria cauſa debemus cavere, & vindictam propter peccata noſtra præcavere. 2. p. lect. 181. art. un. in expl. 2. & 3. p. fol. 316.

Viro non eſt licitum, uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidere. 1. p. lect. 42. art. 2 f. 78. & 79.

Vir Chriſtianus debet numerare divina beneficia ſibi præſtita, peccata à ſe commiſſa, & tempora infructuoſè tranſacta. 2. p. lect. 143. art. 2. f. 250. & 259.

Vir quidam ſubmerſam ſuam malam uxorem, ſemper quæſivit contra curſum aquæ, & cur? 1. p. lect. 38. art. un. in expl. 3. p. f. 70.

Viri Eccleſiaſtici fulgere debent claritate bonæ famæ, bonæ vitæ, & bonæ doctrinæ. 1. p. lect 34. art. 1. f. 59.

Virginitas quadrupliciter accipitur. 1. p. lect. 39. art. un. f. 71.

Virginitas pro ſola integritate carnis ſeu clauſtri virginalis accepta, non eſt virtus. ibid.

Virginitas pro habitu continendi ſe ab omni delectatione venerea, eſt virtus. ibid.

Virginitatem ſumptam pro ſola integritate clauſtri virginalis poteſt Deus reſtituere, non tamen virginitatem amiſſam per experimentum delectationis venereæ. ibid.

Virginitati debetur aureola. 1. p. lect. 40. art. 2. f. 73. & 74.

Virginitas cæteris paribus præcellit honeſtatem conjugii. 1. p lect. 45. in expl. text. f. 84.

Virgines involuntariè corruptæ an habeant aureolam virginitatis? 1. p. lect. 40. art. 2. poſt ſolu. 5. argum. fol. 75.

Virgo Beatiſſima Maria eſt apis mellificans, tellus ſanctificans, & ficus fructificans. 1 p. lect. 41. art. un. in expl. 1. p. f. 76.

Virgo, quæ nupſit, & ante ullam commixtionem vel delectationem veneream conjugalem, ſi moriatur, & priùs doleat, quod non continuaverit propoſitum abſtinendi ab omni delectatione venerea quantumvis licita, adhuc accipit aureolam Virginitatis. 1. p. lect. 40. art. 2. in ſolut. ad 5. argum f. 75.

Virtutes Theologicæ ſunt homini neceſſariæ præter virtutes morales. 1. p. lect. 4. art. 2. fol. 6.

Virtutes cardinales manebunt in patria quantum ad ſuum eſſe formale. 1. p. lect. 14. art. 1. f. 25.

Virtuoſus debet habere teſtimonium à ſuperiore, interiore, & exteriore. 1. p. lect. 18. art. 2. poſt expl. 2. p. f. 31.

Virtuoſus homo non debet negligere ſuam famam. 1. p. lect. 18. art 3. fol. 31.

Virtuoſus debet habere ſcientiam ſine præſumptione, continentiam ſine diſſolutione, & abſtinentiam ſine ingurgitatione in parte nutritiva. 1 p. lect. 122. art. 1. f. 221.

Virtuoſum ſilentium eſt cuſtos conſcientiæ, frænum inſolentiæ, decor innocentiæ, & ſignum ſapientiæ. 2. p. lect. 201. art. 3. f. 347.

Virtus facit Paradiſum terreſtrem & cæleſtem in corde hominis juſti 1. p. lect. 67. art. 2. fol. 127.

Virtus & ſcientia faciunt vitam ſpiritualem animæ. 2. p. lect. 202. poſt. expl. text. in not. f. 348.

Vitæ noſtræ tempus eſt valde exiguum. 1. p. lect. 15. art. 2. f. 25.

Vita humana denuò eſt reparanda in reſurrectione

rectione univerſali. 1. p. lect. 17. art. 1. fol. 28.
Vita humana rectè comparatur herbæ, flori, nubi, rori, hoſpiti, & curſori. 1. p. lect. 17. art. 2 fol. 29.
Vita humana rectè comparatur umbræ in qua eſt indigentia luminis, aſſiſtentia frigoris, & apparentia corporis. 1. p. lect. 19. art. 2. f. 35.
Vita noſtra colluctatio eſt cum diabolo. 1. p. lect. 23. art. 3 in expl. 2. fol. 40.
Vita noſtra virtuoſe inſtituenda requirit, ut videamus ſupernorum præmiorum affluentiam, internam commiſſorum conſcientiam, fraternam proximorum indigentiam, & æternam tormentorum vehementiam. 1. p. lect. 27. art. 2. f. 47.
Vita hominis rectè comparatur Angelis aſcendentibus & deſcendentibus per ſcalam Jacob. 1. p. lect. 62. art. 1. not 1. f. 118.
Vita noſtra habet durationis brevitatem, afflictionis acerbitatem, & ſalutis æternæ incertitudinem. 2. p. lect. 172. art. un. f. 303.
Vitium Sodomiticum clamat ad Deum pro vindicta. 1 p. lect. 69. art. 1. in expl 3. p. f. 129.
Una virtus moralis imperfecta poteſt habe ri ſine alia, non tamen virtus moralis perfecta, quæ ſine prudentia plane eſſe non poteſt. 1. p. lect. 109. art. un. f. 193.
Unde homo ſcire poſſit, quod ad regnum cæleſte vel diabolicum pertineat. 1. p. lect. 11. art. un. in expl. 3. p. f. 19.
Unitas & concordia ubi non eſt, ibi etiam non eſt populus, ſed turba. 2 p. lect. 199. art. un. in expl. 2. p. fol. 343
Voluptas carnalis eſt effæminativa vigoris, accumulativa doloris, & obfuſcativa decoris & ſapientiæ. 1. p. lect. 22. art 2. f. 38.
Voluptuoſi peccatores contererentur ſine condonatione. 1 p. lect. 56. in expl. text. f. 105.
Voluptuoſi cantant, Venite fruamur 1. p. lect. 20. art. 2. in expl. 1. p. f. 34
Vortigerno Regi Britaniæ, mirum aliquod conſilium fuit datum 2. p. lect. 137. art. un. in expl. 2. p f. 248.
Vox tubæ citantis nos ad ſupremum judicium, erit ſonus quidam ſenſibilis, & imperium vocale Chriſti, qua præcipiet mortuis reſurgere. 1. lect 58. art. 1. f. 209.
Urſus eſt animal vorax, & melle delectatur. 2. p. lect 142. art. unico, in expl. 1. p. f. 256.
Utrum in judicio univerſali ſit futura aliqua diſceptatio vocalis? 1. p. lect. 58. art 2 f. 109.
Utrum ignis finalis conflagrationis in infernum cum reprobis demergetur? 1. p. lect. 71. art. 2. f. 133.
Uxor eſt eligenda per diſcretam deliberationem, dirigenda per manſuetam gubernationem, corrigenda per diſcretam informationem, & diligenda per completam communicationem. 1. p. lect 45. art. 2. f. 85.
Uxores ſunt ſubinde gratæ in convivendo, & commoriendo. 1. p. lect. 45. art. 2. in expl. 4. p. f. 86.
Uxor mala, marito nihil communicat de bonis ſuis, ſed tantum dolores & tædia communicat. 1. p. lect 111. in expl. text. fol. 195
Uxor Regis Mitridatis fideliſſimè fuit ipſum ſecuta 1. p. lect. 45. art. 2. in expl. 4. p. f. 86.
Uxor adulterando cæteris paribus plus peccat quam vir. 1. p. lect. 46. art. 1. fol. 87.
Vulcanus unde ſic ſit dictus? 2. p. lect. 155. in expl. text. fol. 278.
Vulpecula non fidit glaciei dum audit murmur aquæ ſub eadem. 1. p. lect. 17. art. 2. in expl. 1. p. f.
Vulpes ſunt beſtiæ inhonſtæ, & fætent, ingrediuntur foveam, quam Taxus ſibi magno cum labore præparavit. 2. p. lect. 142. art. un. in expl. 6. p. f. 257.

Y.

YSys filia Regis Pithi apud Ægyptios colebatur ut Dea. 2. p. lect. 164. in expl. text. fol. 290.

Z.

ZElus quinque modis accipitur. 1. p. lect. 8. art. 1. fol. 12.
Zacharias vidit mulierem quandam in amphora habentem in ore ſuo maſſam plumbi, & quid per hoc ſignificetur? 1. p. lect. 25. art. 2. in expl. 2. p. f. 44.
Zeloſi noſtrorum defectum correctores non ſunt noſtri inimici, ſed amici. 2. p. lect. 131. art. un. in expl. 4. p. f. 237.

FINIS PRIMI INDICIS.

INDEX SECUNDUS

Omnium Lectionum, & Textuum deſcriptorum ex Libro Sapientiæ cum ſua Explicatione, item omnium Articulorum ſub Textibus contentorum.

Præluſio authoris, quæ ſimul eſt

LECTIO PRIMA.

THEMA.

Dominus petra mea & refugium meum 2. Reg. 22. Expl. text. 1. p. fol. 1.

Liber Sapientiæ Salomonis.

LECTIO II.

De quibuſdam ſcitu neceſſariis ante expoſitionem Libri Sapientiæ.

Articulus Primus.

De nomine hujus libri, quod eſt Sapientia, & qualiter in præſenti accipiatur ſapientia, à libri Authore? 1. p. fol. 2. & 3.

Statuuntur duæ concluſiones 1. p. f. ibid.

Articulus Secundus.

Quiſnam ſit author hujus libri Sapientiæ? 1. p. fol. 3.

Statuuntur quatuor concluſiones. ibid.

Articulus Tertius.

Quiſnam ſit finis eorum quæ in hoc libro traduntur? 1. p. fol. 3.

Statuuntur tres concluſiones.

CAPITVLVM PRIMVM.

LECTIO III.

TEXTVS.

Diligite juſtitiam qui judicatis terram Sap. 1. expl. text. 1. p. fol. 4.

Circa illa verba, *diligite juſtitiam*, eſt

Articulus Primus

An quicunque facit juſtum ſit juſtus?

Statuitur concluſio. 1. p. f. 4.

Articulus Secundus

Cur Principibus, & Prælatis potius dicatur diligite juſtitiam, quam diligite prudentiam?

Statuitur concluſio. 1. p. f. 4.

Articulus Tertius.

An Amicitia vel juſtitia magis ſit Reipublicæ neceſſaria 1. p. f. 5.

Statuitur concluſio.

LECTIO IV.

TEXTVS.

Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum 1. p. f. 5.

Explicatio Text.

Circa illa verba, *qui tentas illum*: eſt

Articulus Primus.

Quot ſint modi tentandi Dominum Deum; Statuuntur duæ concluſiones 1. p. f. 5.

Articulus Secundus.

An præter virtutes morales acquiſitas, neceſſe ſit ponere virtutes Theologicas, ordinantes mentem hominis ad Deum. 1. p. f. 6.

Statuuntur duæ concluſiones.

Aticulus Tertius.

Quam energiam habeant verba illa in textu allegata; *In ſimplicitate cordis quærite illum?* 1. p. fol. 6. & 7.

Statuitur concluſio

LECTIO V.

TEXTVS.

Perverſæ enim cogitationes ſeparant à Deo, probata autem virtus corripit inſipientes, quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis 1. p. f. 7.

Expl. Text.

Circa illa verba, *In malevolam animam.* eſt

Articulus Primus.

Cur allegato textu Spiritus ſanctus ſolum dicatur habitare in corpore ſubdito peccatis, in animam autem malevolam dicatur Spiritus ſapientiæ nequidem ingredi? 1. p. f. 7. & 8.

Statuitur concluſio.

Articulus Secundus.

Quot ſint genera malarum cogitationum 1. p. fol. 8.

Statuitur concluſio.

LECTIO VI.

TEXTVS.

Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperveniente iniquitate. 8.

Expl. text. 1. p.

Circa illa verba, *Corripietur à ſuperveniente iniquitate*, eſt

Articulus Primus.

Quot ſint ſpecies mali circa mores ab hominibus fugiendæ? 1. p. f. 9.

Statuitur concluſio.

Articulus Secundus.

An Spiritus ſanctus deteſtetur & fugiat omnem fictionem? 1. p. fol. 9. & 10.

LECTIO VII.

TEXTVS.

Benignus eſt enim Spiritus Sapientiæ, & non liberabit maledictum à labiis ſuis, quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ ejus auditor. Quoniam ſpiritus Domini replebit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia Scientiam habet vocis.

Expl. text. 1. p. f. 11.

Circa illa verba, *Quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ illius auditor*, eſt

Articulus Vnicus.

Quænam corporis membra homo difficillime regat? 1. p. f. 11. & 12.

Statuitur concluſio.

LECTIO VIII.

TEXTVS.

Propter hoc, qui loquitur iniqua non poteſt latere, nec præteriet illum corripiens judicium, in cogitationibus impii interrogatio erit Sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, & ad correptionem iniquitatum illius, quoniam auris zeli audit omnia & tumultus murmurationum non abſcondetur.

Expl. text. 1. p. fol. 12.

Circa illa verba, *Quoniam auris zeli audit omnia*, eſt

Articulus

Articulus Primus.

Quot modis accipiatur ly Zelus, & quomodo accipiatur in allegato textu. *1.* fol. *12.* & *13.*

Statuuntur duæ concluſiones.

Articulus Secundus.

An peccata per pœnitentiam condonata revelabuntur in judicio generali?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. *13.*

Articulus Tertius.

De quibus Dominus Deus Prælatos ſeu in honore conſtitutos interrogabit?

Statuitur concluſio *1.* p. f. *14.*

Articulus Quartus.

An judicium divinum rectè comparetur arcui *1.* p. fol. *14.*

Statuitur concluſio affirmativa.

LECTIO IX.

TEXTVS.

Cuſtodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt.

Articulus Vnicus.

Propter quot cauſas homines mundani & vitioſi contra Deum murmurent? *1.* p. f. *15.*

Statuitur concluſio.

LECTIO X.

TEXTVS.

Et à detractione partita lingua quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit.

Expl. text. 1. p. fol. 16.

Circa illa verba : *Et à detractione partita lingua*, eſt

Articulus Primus.

Adquid homini data ſit lingua?

Statuitur concluſio. 1. p. f. *16.*

Articulus Secundus.

An de detractoribus rectè dicatur in Pſalmis, Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum?

Statuitur concluſio. *1.* p. fol. *12.*

Articulus Tertius.

Quot ſunt modi detrahendi? *1.* p. fol. *17.*

Statuitur concluſio.

Articulus Quartus.

Quot modis nos armare debeamus contra detractionem?

Statuitur concluſio. *1.* p. f. *17.*

LECTIO XI.

TEXTVS.

Os autem quod mentitur occidit animam.

Expl. text. 1. p. fol. 18.

Articulus Vnicus.

Cur mendacium dedeceat ſpecialiter hominem?

Statuitur concluſio. *1.* p. fol. 18.

LECTIO XII.

TEXTVS.

Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum, quoniam Deus non fecit mortem, nec delectatur in perditione vivorum.

Expl. text. 1. p. fol. 19.

Circa illa verba, *Nolite zelare mortem*, eſt

Articulus Primus.

An peccatum rectè dicatur mors animæ?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 19. & 20.

Articulus Secundus.

Quotuplex ſit mors?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 20.

LECTIO XIII.

TEXTVS.

Creavit enim Deus ut eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, non enim eſt illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra.

Expl. text. 1. p. fol. 20. & 21.

Circa illa verba : *Creavit enim Deus ut eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum*, eſt

Articulus Primus.

Quot ſint excuſationes quas peccatores adferre poſſent de ſuo peccato? & an aliquid valeant?

Statuitur concluſio. 1. p. f. 21.

Articulus Secundus.

An quid teneatur homo, ex eo quod Deus creaverit omnia propter hominem?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 21. & 22.

LECTIO XIV.

TEXTVS.

Juſtitia enim perpetua eſt & immortalis, injuſtitia autem mortis acquiſitio. Impii autem manibus & verbis accerſierunt illam, & æſtimantes illam amicam, defluxerunt, ſponſiones poſuerunt ad illam, quoniam morte digni ſunt, qui ſunt ex parte illius.

Expl. text. 1. p. fol. 21. & 22.

Circa illa verba. *Juſtitia eſt perpetua & immortalis*, eſt

Articulus Primus.

An virtutes cardinales nimirum prudentia, juſtitia, fortitudo & temperantia, manebunt in patria?

Statuitur concluſio 1. p. f. 23.

Articulus Secundus.

An juſtitia originalis includat aliquod donum ſupernaturale?

Statuitur concluſio, 1. p. f. 23.

Articulus Tertius.

An juſtitiæ rectè conveniat quod ſit munimentum prælìantis, ornamentum triumphantis, & inſtrumentum judicantis?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 23. & 24.

CAPITVLVM II.

LECTIO XV.

TEXTVS.

Dixerunt impii cogitantes apud ſe non rectè, exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis.

Expl. text. 1. p. fol. 24.

Circa illa verba, *Et non eſt agnitus qui ſit reverſus ab inferis*, ſit

Articulus Primus.

An anima rationalis ſit immortalis; hocque rectè probari poſſit ex divina bonitate, æquitate, & veritate?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 24. & 25.

Articulus Secundus.

An conſultum ſit pœnitentiam differre?

Statuitur concluſio negativa. 1. p. f. 25.

LECTIO XVI.

TEXTVS.

Quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tanquam non fuerimus quoniam ſumus eſſlatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum, quia extinctus cinis erit corpus noſtrum: Spiritus diffundetur tanquam mollis aer.

Expl. text. 1. p. f. 25. & 26.

Circa illa verba, *Quoniam extinctus cinis erit corpus noſtrum.* eſt

Articulus Primus.

Vtrum de lege communi omne corpus humanum ſit in cineres redigendum?

Statuuntur tres concluſiones, 1. p. f. 27.

Articulus Secundus.

An meditatio incinerationis, ſerviat contra ſuperbientes ratione honoris, contra delicatè corpus ſuum nutrientes, & contra pigros?

Statuitur concluſio affirmativa, 1. p. f. 26.

Articulus Tertius.

An intenſa recogitatio incinerationis fuget tentationem, ſervet devotionem, & ornet orationem?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 27.

LECTIO XV.

TEXTUS.

Et tranſit vita noſtra tanquam veſtigium, & ſicut nebula diſſolvetur, qua fugata eſt à radiis ſolis, & à calore illius aggravata.

Expl. text. 1. p. f. 28.

Circa illa verba, *Vita noſtra ſicut nebula diſſolvetur*, eſt

Articulus Primus.

An vita hominis ſit denuo reparanda?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 28.

Articulus Secundus.

An vita præſens convenienter comparetur herbæ, flori, rori, hoſpiti, & curſori?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 29.

LECTIO XVIII.

TEXTUS.

Et nomen noſtrum oblivionem accipiet, & tempus, & nemo habebit memoriam operum noſtrorum.

Expl. text. 1. p. f. 29.

Circa illa verba textus, eſt

Articulus Primus.

Quot modis in præſenti homines ſe diſponãt ad ſuum nomen apud alios divulgandum?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 30.

Articulus Secundus

Utrum nomen cujuslibet virtuoſi debeat habere honorem honeſtatis? tenorem veritatis, & favorem pietatis?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 31.

Articulus Tertius.

Utrum ſit virtuoſum negligere ſuam famam?

Statuitur concluſio negat. 1. p. fol. 31.

LECTIO XIX.

TEXTUS

Umbra tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur.

Expl. text. 1. p. fol. 32.

Circa illa verba, *Nemo revertitur*. eſt

Articulus Primus

An reſurrectio omnium ſit generaliter futura, excepto Chriſto Domino & Beatiſſima Virgine Maria, de qua piè credit Eccleſia, quod in eâ fuerit reſurrectio completa, eaque cum corpore & anima ſit aſſumpta in cœlum?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 32. & 33.

Articulus Secundus.

An Vita humana convenienter umbræ comparetur?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 33.

LECTIO XX.

TEXTUS.

Venite ergo, & fruamur bonis, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter?

Expl. text. 1. p. fol. 33.

Circa illa verba, *Venite fruamur & utamur creatura*, eſt

Articulus Primus.

An homo ex charitate teneatur plus diligerẽ Deum, quam ſeipſum?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. fol. 34.

Articulus Secundus.

De quatuor Venite, ſeu invitatoriis, quæ cantari ſolent à voluptuoſis, malitioſis, ambitioſis, & ſanctis, ſeu Religioſis.

Statuitur concluſio, 1. p. fol. 34. & 35.

LECTIO XXI.

TEXTUS.

Vino pretioſo & unguentis nos impleamus, & non pertranſeat nos flos temporis.

Expl. text. 1. p. fol. 35.

Circa illa verba, *Vino pretioſo nos impleamus*, eſt

Articulus Primus.

Utrum uſus Vini ſit homini licitus?

Statuitur concluſio affir. de vino moderate ſumpto. 1. p. fol. 36.

Articulus Secundus.

An uſus vini immoderatus cauſet detrimentũ libertatis, atramentum honeſtatis, complemẽtum voluptatis, & experimentum fatuitatis?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 36.

LECTIO XXII.

TEXTUS.

Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra; nemo noſtrum expers ſit Luxuria noſtra; ubique relinquamus ſigna lætitiæ; quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.

Expl. text. 1. p. fol. 37.

Quia totus textus eſt de voluptate & luxuria, ideo ſit

Articulus Primus.

An fornicatio ſimplex ſit peccatum?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 37.

Articulus Secundus.

An voluptas carnalis ſit effœminativa vigoris & poteſtatis militaris; accumulativa doloris & diſplicentiæ ſingularis; obfuſcativa decoris & Sapientiæ ſalutaris?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 38.

LECTIO XXIII.

TEXTUS.

Opprimamus pauperem juſtum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec revereamur canos multi temporis, ſit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ, quod enim infirmum eſt, inutile invenitur.

Expl. text. 1. p. fol. 38.

Circa illa verba, *Opprimamus pauperem*, eſt

Articulus Primus.

An liceat per potentiam opprimere proximũ.

Statuitur concluſio, quod contra juris ordinem hoc non liceat. 1. p. fol. 39.

Articulus Secundus.

An triplex reperiatur paupertas in hominib⁹?

Statuitur concluſio affirmativa 1. p. f. 39.

Articulus Tertius.

An voluntarii pauperes propter Chriſtum, ſint Chriſto ſimiliores in converſatione, validiores in tentatione, & beatiores in remuneratione.

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 39. & 40.

LECTIO XX.V.

TEXTUS.

Circumveniamus ergo juſtum quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ, promittit ſe ſcientiam Dei habere & Filium Dei ſe nominat.

Expl. text. 1. p. fol. 40.

Quia textus iſte profertur in perſona judæorũ Chriſtum in ſex punctis accuſantium, ideo eſt,

Articulus Primus.

In quo ſigillatim iſtæ de ſex punctis allegatis accuſationes Judæorum contra Chriſtum refellantur? 1. p. f. 41. *Articulus Secundus.*

An in filiis Dei adoptivis debeat apparere Patris potentia per carnis mortificationem; Filii ſapientia, per ſanctam informationem; & Spiritus ſancti clementia per injuriarum remiſſionẽ?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 41. 42.

LECTIO

LECTIO XXV.

TEXTVS.

Factus eſt nobis in traductionem cogitationum: gravis enim eſt nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ illius. 1.p.fol 42.

Expl. textus in qua refelluntur dua alia accuſationes Iudaorum contra Chriſtum.

Circa illa verba: *Factus eſt nobis in traductionem ſeu propalitionem*, eſt

Articulus Primus.

An aliquis ex præcepto ſui judicis teneatur revelare ſecretum ſuæ fidei commiſſum?

Statuitur concluſio 1.p.fol.43.

Articulus Secundus.

Quænam peccatoribus ſint gravia?

Statuitur concluſio de 4. 1. p. fol. 43. & 44.

LECTIO XXVI.

TEXTVS.

Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis: & præfert noviſſima Iuſtorum, & gloriatur ſe patrem habere Deum.

Expl. textus, in qua refelluntur quatuor aliæ accuſationes Iudaorū contra Chriſtum. 1.p.f:44. & 45. *Articulus Vnicus.*

An Pater cœleſtis reſpectu hominum ſervet liberalitatem exhibitionis, ſi ei ſerviamus; regularitatem convenientis caſtigationis, ea ne delinquamus; & hilaritatem allicientis reconciliationis ſi ad eum redeamus?

Statuitur concluſio affirmativa.1.p.fol:45.

LECTIO XXVII.

TEXTVS.

Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſint illi, quæ erunt noviſſima illius: ſi enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illū de manibus contrariorū.

Expl. text. 1.p fol.46.

Articulus Primus.

An perſecutores Chriſti certo cognoverint ipſum eſſe Deum?

Statuitur concluſio negativa.1.p.fol:46.

Articulus Secundus.

An ad vitam noſtram virtuosè regendam requiratur, quod videamus ſupernorum præmiorum affluentiam, internam commiſſorum conſcientiam, fraternam proximorum indigentiam, & æternam tormentorum vehementiam?

Statuitur concluſio affirmativa.1.p.fol:47.

LECTIO XXVIII.

TEXTVS.

Contumeliâ, & tormentis interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius, morte turpiſſima condemnemus eum, erit enim reſpectus ex ſermonibus illius.

Expl. text. 1.p. fol 48.

Articulus Primus

Quot ſint vitia loquendi, quibus homo proximo ſuo injuriatur?

Statuitur concluſio aſſignando 7. talia vitia. 1.p.fol.48. *Articulus Secundus:*

An Chriſtus fuerit violenter occiſus?

Statuitur concluſio affirmativa.1.p.f. 48. & 49.

Articulus Tertius.

An mors Chriſto illata à Judæis fuerit pœnalis & doloroſa, incurialis & ignominioſa, præjudicialis & injurioſa?

Statuitur concluſio affirmativa.1.p.fol:49.

LECTIO XXIX.

TEXTVS.

Hæc cogitaverunt & erraverunt, excæcavit enim eos malitia eorum, & neſcierunt Sacramenta Dei, neque ſperaverunt mercedem juſtitiæ, neq; judicaverunt honorem animarū ſuarū.

Expl. text. 1.p.fol:50.

Articulus Primus.

An aliqua credenda ſupernaturalia fuerint homini neceſſariò revelanda ad ſalutem?

Statuitur concluſio.1.p.fol:50.

Articulus Secundus.

An ſeptem peccata capitalia inferant cæcitates ſpirituales?

Statuitur concluſio affirmativa.1.p.fol:51.

LECTIO XXX.

TEXTVS.

Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.

Expl. text. 1.p.fol:51.

Circa illa verba: *Fecit hominem inexterminabilem, & invidia intravit mors*, eſt

Articulus Primus.

Utrum corpus primi parentis ſeu Adami fuiſſet incorruptibile, ſi is in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet?

Statuitur concluſio.1.p.fol:52.

Articulus Secundus.

An invidia ſit toxicum charitatis, oſtium iniquitatis, & vitium vel putredo ſanitatis?

Statuitur concluſio affirmativa.1.p.f.52. & 53.

CAPITVLVM TERTIVM.

LECTIO XXXI.

TEXTVS.

Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & ab itinere juſto abierunt in exterminium, & quod in nobis eſt iter exterminii: illi autem ſunt in pace.

Expl. text. 1.p.fol 53.

Circa illa verba: *Iuſtorum animæ Dei ſunt*, eſt

Articulus Primus.

An animæ defunctorum habeant diſtincta receptacula poſt hanc vitā ſibi divinitus deputata?

Statuitur concluſio affirmativa, 1.p.fol 54.

Articulus Secundus.

Quot modis differant juſtus & impius?

Statuitur concluſio, quod differant quadrupliciter, 1.p.fol:54. & 55.

Articulus Tertius.

Qualiter animæ Juſtorum in hac vita ſint in manu Dei?

Statuitur concluſio, 1.p.fol.55.

LECTIO XXXII.

TEXTVS.

Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt: in paucis vexati in multis benè diſponentur. Quoniam Deus tentavit illos, & invenit illos dignos ſe.

Expl. text. 1.p.fol.55. & 56.

Circa illa verba: *Quoniam Deus tentavit illos*: eſt *Articulus Vnicus.*

Cur Deus electos ſuos tentari permittat?

Statuitur cōcluſio, quod propter tria 1. p. f.56.

LECTIO XXXIII.

TEXTVS.

Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum.

Expl. text. 1.p.fol.57.

Circa prima verba textus: *Tanquam aurum in fornace probavit illos*, eſt

Articulus Vnicus.

Qualiter electus à Chriſto probetur?
Statuitur concluſio 1. p. fol. 57. & 58.

LECTIO XXXIV.

TEXTVS.

Fulgebunt juſti & tanquam ſcintilla in arundineto diſcurrent.
Expl. text. 1. p. fol. 58.

Articulus Primus.

An viri Eccleſiaſtici fulgere debeant claritate bonæ famæ, bonæ vitæ, & bonæ doctrinæ?
Statuitur concluſio. 1. p. f. 58.

Articulus Secundus.

An corpus glorioſum habiturum ſit 4. dotes nimirum claritatem, impaſſibilitatem, ſubtilitatem, & agilitatem?
Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 59. & 60.

LECTIO XXXV.

TEXTVS.

Judicabunt ſancti nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.
Expl. text. 1. p. f. 60.

Articulus Primus.

An Peccatores in extremo judicio poſſint evadere impunè?
Statuitur concluſio negativa 1. p. f. 60. & 61.

Articulus Secundus.

An ſancti homines in judicio generali participaturi ſint aliquo modo actum judicandi?
Statuuntur duæ concluſiones 1. p. f. 61.

LECTIO XXXVI.

TEXTVS.

Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi, quoniam donum & pax eſt electis Dei.
Expl. text. 1. p. fol. 62.

Articulus Primus.

An homo per gratiam Dei adjutus poſſit mereri vitam æternam de condigno?
Statuitur concluſio. 1. p. fol. 62.

Articulus Secundus.

An Spes & confidentia hominibus hujus vitæ, quatenus ſunt dimicantes, navigantes, & ægrotantes, ſit neceſſaria?
Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. fol. 63.

LECTIO XXXVII.

TEXTVS.

Impii autem ſecundum quæ cogitaverunt correptionem habebunt; qui neglexerunt juſtum, & a Domino receſſerunt; ſapientiam etenim & diſciplinam qui abjecit, infœlix eſt.
Expl. text. 1. p. fol. 64. & 65.

Articulus Primus

An homines mundo deditі ſint negligentes in addiſcendo morum ſanctitatem, in diſcutiendo propriam perverſitatem, in reverendo Dei majeſtatem, & in ſufferendo proximi neceſſitatem?
Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 67.

Articulus Secundus.

An omnis negligentia ſit peccatum mortale?
Statuitur concluſio. 1. p. f. 68.

LECTIO XXXVIII.

TEXTVS.

Et vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu; & inhabitabilia opera eorum mulieres eorũ inſenſatæ, & nequiſſimi filii eorum, maledicta creatura eorum.
Expl. text. 1. p. fol. 68.
Circa ly *Mulieres inſenſatæ*, eſt

Articulus Vnicus.

An mulieres ſint fugiendæ, quia ſunt libidinoſæ in alliciendo; malitioſæ in convivendo; litigioſæ in colloquendo; & proditioſæ in conſulendo?
Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. fol. 69.

LECTIO XXXIX.

TEXTVS.

Quoniam fœlix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.
Expl. text. 1. p. fol. 68.
Circa ly *Coinquinata*, eſt

Articulus Vnicus.

An Virginitas ſit virtus moralis?
Statuuntur tres concluſiones. 1. p. fol. 71.

LECTIO XL.

TEXTVS.

Et ſpado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima, dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.
Expl. text. 1. fol. 72. & 73.

Articulus Primus.

An liceat alicui ſe ipſum caſtrare propter continentiam ſervandam?
Statuitur concluſio negativa. 1. p. fol. 73.

Articulus Secundus.

An virginitati debeatur aureola?
Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 73. 74. & 75.

LECTIO XLI.

TEXTVS.

Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & qui non concidet radix ſapientiæ
Expl. text. 1. p. fol. 75.

Articulus Vnicus.

An pro bonis convenienter ponatur quadruplex fructus, nimirum fructus Virginalis fœcunditatis, fructus moralis Sanctitatis, fructus doctrinalis fertilitatis, & fructus æternalis fœlicitatis?
Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 76

LECTIO XLII.

TEXTVS.

Filij autem adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemẽ exterminabitur, & ſiquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit noviſſima ſenectus eorum.
Expl. text. 1. p. fol. 77.
Circa ly, *Filij adulterorum*, eſt

Articulus Primus.

An filii debeant aliquod damnum reportare propter defectum natalium?
Statuitur concluſio. 1. p. fol. 78.

Articulus Secundus.

An liceat viro uxorem ſuam actualiter in adulterio depræhenſam occidere?
Statuitur concluſio negativa. 1. p. fol. 78.

Articulus Tertius,

An adulterii gravitas rectè cognoſcatur ex gravi punitione, perverſa prolis procreatione, & datæ fidei violatione?
Statuitur concluſio affirmativa. 1. p, fol. 79.

LECTIO XLIII.

TEXTVS.

Et ſi celerius defuncti fuerint non habebunt ſpem, nec in die agnitionis allocutionem: nationes enim iniquæ diræ ſunt conſummationis.
Expl. text. 1. p. f. 79. & 80.
Circa prima verba textus, eſt

Articulus Primus.

Quotuplex, & qualis ſit differentia inter defunctos?
Stat. concl. quod ſit triplex differentia. 1. p. f. 80.

Articulus Secundus.

Quœ cauſæ nos movere debeant ad ferenda ſuffragia animabus in purgatorio detentis?
Statuitur concluſio, quod 4. ſint cauſæ, 1. p. fol. 80. & 81.

Articulus Tertius.

An fideles defuncti in purgatorio detenti, juſtè con-

ſtè conquerantur contra falſos executores teſtamenti, perverſos Eccleſiaſticos, & ingratos hæredes?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 81.

Articulus Quartus.

Utrum filius teneatur per omnia parentibus obedire?

Statuuntur duæ concluſiones, 1. p. f. 81. & 82.

CAPITVLVM QVARTVM.

LECTIO XXXXIIII.

TEXTVS.

O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis eſt enim memoria illius, quia apud Deum nota eſt, & apud homines.

Expl. text. 1. p. fol. 82.

Articulus Unicus.

An actus matrimonialis poſſit fieri virtuoſè?

Statuuntur ſex concluſiones 1. p. fol. 83.

LECTIO XXXXV.

TEXTVS

Dum præſens eſt, imitantur illam, & deſiderant eam, cum ſe eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum præmia certaminum vincens.

Expl. text. 1. p. fol. 84.

Circa ultima verba textus, eſt

Articulus Primus.

An conjugatus reſuſcitatus à morte, teneatur iteratò uxori ſuperſtiti conjungi?

Statuitur concluſio negativa. 1. p. f. 84.

Articulus Secundus.

An uxor ſit eligenda per diſcretam deliberationem, derigenda per manſuetam gubernationem, corrigenda per diſcretam informationem, & dirigenda per completam communicationē?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 85. & 86.

LECTIO XXXXVI.

TEXTVS,

Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & adulterinæ plantationes, vel ſpuria vitulamina non dabunt radices altas nec ſtabile firmamentum collocabunt. & ſi in ramis in tempore germinaverunt, infirmiter poſita à vento commovebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur.

Expl. text. 1. p. fol. 86.

Circa illa verba, *Adulterinæ plantationes*, eſt

Articulus Primus.

An in actu adulterii gravius peccet vir quam uxor?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 86.

Articulus Secundus.

An fornicando cæteris paribus magis peccet vir quam mulier?

Statuitur concluſio, 1. p. fol. 86.

Articulus Tertius.

An plus peccet cæteris paribus vir adulterando, quàm ſacerdos fornicando?

Statuitur concluſio 1. p. f. 86.

LECTIO XXXXVII.

TEXTVS.

Confringentur enim rami inconſummati, & fructus eorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti; ex iniquis enim omnes filii qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes in interrogatione ſua.

Expl. text. 1. p. fol. 88.

Circa prima verba textus. *Rami inconſummati & fructus inutiles*, eſt

Articulus Primus.

An homines rectè aſſimilentur arboribus vivendo, creſcendo, fructum afferendo, & finaliter decidendo?

tatuitur concluſio aff. 1. p. fol. 88.

Articulus Secundus.

An mali homines faciant fructus inutiles, plenos vermibus corroſivis laſciviæ & carnalis delectationis, ſaporibus amaricativis avaritiæ, & mundialis poſſeſſionis; & refertos humoribus inflativis per ſuperbiam & temporalem ambitionem?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 89.

LECTIO XLVIII.

TEXTVS.

Juſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Expl. text. 1. p. fol. 89.

Articulus Primus.

An mors ſit pœna inflicta pro peccato primi parentis?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 90.

Articulus Secundus.

An mors ſit à nobis meditanda, inevitanda, & non formidanda?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 90. & 91.

LECTIO XLIX.

TEXTVS.

Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.

Expl. text. 1. p. fol. 91.

Circa illa verba, *Senectus enim venerabilis eſt*, eſt

Articulus Primus.

An malus ſenex poſſit in articulo mortis utiliter pœnitere?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 91. & 92.

Articulus Secundus.

An ſenectus bona veneranda ſit, quia eſt medicina incontinentiæ, moderamen inſolentiæ, examen experientiæ, & libamen pœnitentiæ?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 92. & 93.

Articulus Tertius.

An ſenes ſenectutem ſuam accuſantes, nec ſuſtinere valentes; item ſenes ſenectutem ſuam moribus puerorū dehoneſtantes, ſint redarguendi?

Statuitur concluſio, 1. p. f. 93. & 94.

LECTIO L.

TEXTVS.

Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt, & raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus.

Expl. text. 1. p. f. 94.

Circa illa verba. *Vivens inter peccatores*, eſt

Articulus Primus.

An in hac vita homo etiam ad correctionem delictorum tendens, experiatur ſe vivere inter peccatores?

Statuitur concluſio, 1. p. f. 94.

Articulus Secundus.

An Deus electos ſuos transferat de rebellione ad reconciliationem, de diſſolutione ad Religionem & de peregrinatione ad quietem?

Statuitur concluſio affirmativa, 1. p. f. 95.

LECTIO LI.

TEXTVS.

Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona: & inconſtantia concupiſcentiæ transvertit ſenſum ſine malitia.

Expl. text. 1. p. f. 95. & 96.

LECTIO LII.

TEXTVS.

Conſummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima ejus; propter hoc properavit illam educere de medio iniquitatum.

Expl. text. 1. p. f. 96. & 97.

Circa

Circa illa verba, *Placida enim erat anima e-jus Deo.* eſt.

Articulus Primus.

An anima humana pretioſa apud Deum æſtimetur ex tribus, nimirum Primò ex ejuſdem animæ doloroſa amiſſione; Secundò ex diligenti ejuſdem animæ acquiſitione: & Tertiò ex cariſſima ejuſdem redemptione.

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 97.

Articulus Secundus.

Quomodo cupidi animas ſuas vendant, otioſi perdant, ambitioſi oppignorent, & invidi ac iracũdi animas ſuas diabolo plane pro nihilo dent?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 97. & 98.

LECTIO LIII.

TEXTVS.

Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia; quoniam gratia Dei & miſericordia in Sanctos ejus, & reſpectus in electos ejus.

Expl. text. 1. p. fol. 98.

Articulus Primus.

An peccatum concludat, excludat & includat, niſi obſtet divina miſericordia?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 98.

Articulus Secundus.

An in omni opere, miſericordia & juſtitia conjungantur.

Statuuntur duæ concluſiones, 1. p. f. 99. & 100.

LECTIO LV.

TEXTVS.

Condemnat autem juſtus mortuus vivos impios, & juventus celerius conſummata longam vitam injuſti.

Expl. text 1. p. fol. 101.

Articulus Vnicus.

An juventus ſit moribus informanda, arctius caſtiganda, parcius ſuſtentanda & mitius judicanda?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 101. & 102.

LECTIO LV.

TEXTVS.

Videbunt enim finem Sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus. Videbunt enim & contemnent, illos autem Dominus irridebit.

Expl. text. 1. p. f. 102.

Circa illa verba, *Videbunt finem ſapientis*, eſt

Articulus Primus.

An ſapientia acquiratur amore, labore, humilitate, & ſtabilitate?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 103.

Articulus Secundus.

Quale ſit ſignum cognoſcendi ſapientiam?

Statuitur concluſio 1. p. f. 103.

Articulus Tertius.

An actus ſapientiæ ſit informare mores, reprobare errores, & ordinare inferiores?

Statuuntur duæ concluſiones. 1. p. f. 103. & 104

LECTIO LVI.

TEXTVS.

Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce, & commovebit illos à fundamentis, & uſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes, & memoria eorum peribit.

Expl. text. 1. p. f. 104. & 105.

Articulus Vnicus.

An falſi Advocati ſint deteriores meretricibus reſtique aſſimilentur ſtellis errantibus, linguæ, ſtateræ, & Cherubino tenenti flammeum & verſatilem gladium?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 103. & 104.

LECTIO LVII.

TEXTVS.

Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum.

Expli. text 1. p. f. 106. & 107.

Articulus Vnicus.

An vox tubalis præcedens judicium erit aliquo modo cauſa reſurrectionis corporum?

Statuitur concluſio 1. p. f. 147. & 108.

CAPITVLVM QVINTVM.

LECTIO LVIII.

TEXTVS.

Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum.

Expl. text. 1. p. f. 108.

Articulus Primus.

Qualis erit illa vox citans omnes ad univerſale judicium?

Statuitur concluſio 1. p. f. 109.

Articulus Secundus.

An in judicio generali erit aliqua diſceptatio vocalis.

Statuitur concluſio. 1. p. f. 109.

Articulus Tertius.

Quid tenendum ſit de die judicũ univerſalis?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 110.

LECTIO LIX.

TEXTVS.

Videntes turbabuntur terrore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis gementes præ anguſtia ſpiritus, dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes.

Expl. text. 1. p. f. 110.

Circa illa verba, *Intra ſe pœnitentiam agentes*, eſt

Articulus Vnicus.

An dolor pœnitentis poſſit eſſe nimius?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 111.

LECTIO LX.

TEXTVS.

Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.

Expl. text. 1. p. f. 111. & 112.

Circa illa verba, *In deriſum*, eſt

Articiculus Vnicus.

An deriſor monſtret propriam ſtultitiam, ſuſpendat amicitiam, tollat juſtitiam, & intendat malitiam?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 113.

LECTIO LXI.

TEXTVS.

Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.

Expl. text. p. f. 113.

Circa illa verba, *Et Sol intelligentiæ*, eſt

Articulus Primus.

An Chriſtus rectè comparetur ſoli propter operationem vivificantem, apparitionem ſignantem, & declarationem manifeſtantem?

Statuitur concluſio affirmativa 1. p. f. 113. & 114.

Articulus Secundus.

Utrum Chriſtum tamquam ſolem ejuſque radios à nobis ſubtrahant & abſcondant, terra mundialis cupiditatis, nubes temporalis vanitatis; & luna carnalis voluptatis?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 114.

Articulus

Articulus Tertius.

An ſicut ſol in curſu ſuo annuo pertranſit 12. ſigna cæleſtia, ita eadem ſigna cæleſtia Chriſtus tanquam ſol moraliter loquendo pertranſierit?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 114. & 115. & 116.

LECTIO LXII.

TEXTUS.

Laſſati ſumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.

Expl. text. 1. p. f. 116.

Articulus Primus.

An ſeptem ſint viæ difficiles iniquitatis, quarum viarum difficilem & montoſam ſuperbi; ſpinoſam avari; lutoſam luxurioſi; tenebroſam invidi; ſumptuoſam guloſi; tumultooſam iracundi; & tædioſam viam acedioſi perambulent?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 117.

LECTIO LXIII.

TEXTUS

Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis.

Expl. text. 1. p. fol: 118.

Articulus Primus.

An ſuperbia inter vitia ſit magis generoſum naſcendo, magis animoſum invadendo, & magis cauteloſum in alliciendo?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 119.

Articulus Secundus

An avari inſipienter ſe jactent de ſuis divitiis?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 119.

LECTIO LXIV.

TEXTUS.

Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, aut tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit non eſt invenire veſtigium, neque ſemitam ejus in fluctibus.

Expl. text. 1. p. fol. 119.

Circa ultima verba textus, eſt

Articulus Primus.

An ſtatus pœnitentiæ, quem inchoamus, rectè comparetur mari propter figuræ qualitatem, vecturæ commoditatẽ, & jacturæ poſſibilitatẽ?

Statuitur concluſio aff. 1, p. fol: 120.

Articulus Secundus.

An periculoſa Sirenum cantica, Circis pocula, & Cete fallax inſula, moraliter loquendo fœliciter per pœnitentiam ſuperentur?

Statuitur concluſio affir, 1. p. fol. 121.

LECTIO LXV.

TEXTUS.

Aut tanquam avis, quæ tranſvolat in aëre, nullum invenitur argumentum itineris illius, ſed tantum ſonitus alarum, verberans levem ventum, & ſcindens per vim itineris aerem, commotis alis tranſvolavit, & poſt hæc nullum ſignum invenitur itineris illius.

Expl. text. 1. p. fol. 121. & 122.

Articulus Vnicus.

An nobiles milites falconibus; mercatores perdicibus; prælati aquilis; & prædicatores gallis, recte comparentur?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 122. & 123.

LECTIO LXVI.

TEXTUS.

Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum diſtantantem, diviſus aer in ſe continuò recluſus eſt, & ignoratur tranſitus illius.

Expl. text. 1. p. fol. 123.

Articulus Primus.

An diabolus habeat tres arcus, ita ut in arcu carnalis concupiſcentiæ, ſagitta illius ſit mulier compta & petulans; in arcu autem fraternalis invidiæ, ſagitta illius ſit detractio; & tandẽ in arcu mundialis concupiſcentiæ, ſagitta illius ſit malitioſa conſpiratio falſarum ſuggeſtionum?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. fol: 123.

Articulus Secundus.

An Chriſtus habeat triplicem arcum, nimirum lucis ſcripturæ, mortis naturæ, & legis cenſuræ; ita ut ab arcu lucis ſcripturæ procedat tanquam ſagitta prædicator verbi Dei; & ab arcu mortis naturæ egrediatur ſagitta pœnalitatis & infirmitatis, & tandem ab arcu legis cenſuræ egrediatur tanquam ſagitta ultima ſententia definitiva ſupremi Judicis per verbum *Venite*, vel per verbum *Ite*?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. fol: 124.

Articulus Tertius.

An liceat contra Saracenos, & infideles rebelles Chriſtianorum perſecutores, ſuffragante authoritate Eccleſiæ bellare?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 124. & 125.

Articulus Quartus.

An Petrus tempore paſſionis extrahendo gladium, & amputando ſervo auriculam peccaverit? Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 125.

LECTIO LXVII.

TEXTUS.

Sic & nos nati continuò deſinimus eſſe, & virtutis quidem ſignum nullum valuimus oſtendere: in malignitate autem conſumpti ſumus.

Expl. text. 1. p. fol. 126.

Articulus Primus.

An gaudium virtutis excedat gaudium mundi continuitate, puritate, dignitate, & ſalubritate?

Statuitur concluſio aff. 1, p. fol: 126. & 127.

Articulus Secundus.

An virtus faciat quaſi duplicem Paradiſum, terreſtrem videlicet & cæleſtẽ in corde hominis?

Statuitur concluſio affir. 1 p. fol. 127.

LECTIO LXVIII.

TEXTUS.

Alij dixerunt in inferno hi qui peccaverunt, quoniam ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur; & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt; & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.

Expl. text. 1. p. fol. 128.

Articulus Vnicus.

An damnati in inferno agant veram pœnitentiam de ſuo peccato commiſſo?

Statuitur concluſio neg. 1. p. f. 128.

LECTIO LXIX.

TEXTUS.

Juſti autem in perpetuum vivent, apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſſimum.

Expl. text. 1. p. fol. 129.

Articulus Primus.

An oppreſſio pauperum, viduarum, ac pupillorum; clandeſtinum homicidium; peccatum ſodomiticum, & defraudatio operariorum à mercede, ſint peccata clamantia ad Deum pro vindicta? Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 129.

Articulus Secundus.

Quis ſit vere dicendus juſtus?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 130.

LECTIO LXX.

TEXTUS.

Ideo accipient regnum decoris & diadema ſpeciei de manu Domini, quoniam dextra ſua reget illos, & brachio ſancto ſuo defendet eos.

Expl. text. 1. p. fol. 131.

Articulus Primus.

An in Chriſto tanquam in brachio ſit noſtra munitio, noſtra tuitio, & noſtra fruitio?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 131.

Articulus Secundus.

An cælum ſit regnum decoris, mundus regnum timoris, & infernus regnum horroris?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 132.

LECTIO LXXI.

TEXTVS.

Et accipiet armaturam zelus ejus, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum; induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium rectum; ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, acuet diram iram in lanceam.

Expl. text. 1. p. f. 132.

Articulus Primus.

An beati poſt diem judicii gaviſuri ſint de pœnis damnatorum?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 133.

Articulus Secundus.

An ignis purgatorius totius mundi ſeu ignis finalis conflagrationis in infernum cum reprobis demergetur?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 133.

Articulus Tertius,

An damnati punientur per corporales tenebras? Statuitur concluſio 1. p. f. 134.

LECTIO LXXII.

TEXTVS.

Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos, ibunt directè emiſſiones fulguris, & tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſilient, & à petroſa ira plena grandines mittentur, & candeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.

Expl. text. 1. p. fol. 135.

Articulus Primus.

Quæ & quot ſigna juxta Hebræos præcedent judicium univerſale?

Stat. concl circa quindecim ſigna. f. 135. & 136.

Articulus Secundus.

An mundus purgabitur per ignem?

Statuuntur tres concluſiones, 1. p. f. 136.

LECTIO LXXIII.

TEXTVS.

Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tanquam venti turbo dividet eos, & ad eremum deducet omnem terram, & malignitas evertet ſedes potentium.

Expl. text. 1. p. f. 136. & 137.

Articulus Vnicus.

An pœna damnatorum debeat dici corporalis?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 138. & 139.

CAPITVLVM VI.

LECTIO LXXIV.

TEXTVS,

Melior eſt ſapientia quam vires, & vir prudens quam fortis.

Expl. text. 1. p. f. 139.

Articulus Primus.

An triplex ſit prudentia ſerpentis in bono, quam nos imitari debemus.

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 140.

Articulus Secundus.

An vera ſapientia ſit triplex; cordis videlicet, oris, & operis, & unaquæque in tribus conſiſtat? Statuitur concluſio aff. 1. p. fol: 140.

Articulus Tertius.

An ſapientia prout æquivocè ſe habet ad ſapientiam falſam ſeu fictam, & veram, rectè dividatur in ſapientiam mundialem, beſtialem & ſpiritualem? Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 141.

LECTIO LXXV.

TEXTVS.

Audite ergo Reges & intelligite, diſcite judices finium terræ.

Expl. text. 1. p. fol. 141.

Articulus Primus.

An Spiritus ſanctus rectè perſuadeat in hoc textu humilitatem addiſcendi, ſubtilitatem advertendi, aviditatem inquirendi, & ſeveritatem exequendi?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 141. & 142.

Articulus Secundus.

An in Regis coronatione mentio fiat de juſtitia adminiſtranda?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 37. 142. & 143.

LECTIO LXXVI.

TEXTVS.

Præbete aures vos, qui continetis multitudinem & placetis vobis in turbis nationum; quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur.

Expl. text. 1. p. f. 143. & 144.

LECTIO LXXVII.

TEXTVS.

Quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, neq; cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neq; ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.

Expl. text. 1, p. fol: 144.

Articulus Primus.

An aliqui non rectè judicent propter perſonarum acceptionem; aliqui propter perverſam intentionem; & alii propter alii debiti ordinis prætermiſſionem? Statuitur concl. aff. 1. p. f. 145.

Articulus Secundus

An ad hoc ut Judex legem juſtitiæ cuſtodiat, requiratur exquiſita cauſæ diſcuſſio, facilis credulitatis excluſio, & deliberata ſententiæ prolatio? Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 145.

LECTIO LXXVIII.

TEXTVS.

Horrendè, & citò apparebit vobis quoniam judicium duriſſimum in his qui præſunt fiet, exiguo enim conceditur miſericordia. potentes autem potenter tormenta patientur.

Expl. text. 1. p. fol. 146.

Articulus Vnicus.

An Prælatus ad hoc ut dignè præſit debeat eſſe luminoſus per rectam informationem, operoſus per ſanctam occupationem, gratioſus per piam compaſſionem & animoſus per juſtã correctionẽ?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol: 146. & 147.

LECTIO LXXIX.

TEXTVS.

Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Dominus qui eſt dominator omnium; nec verebitur magnitudinem cujuſquam quoniam puſillum & magnum fecit ipſe, & æqualiter eſt ipſi cura de omnib⁹, fortiorib⁹ autẽ fortior inſtat cruciatio.

Expl. text. 1. p. fol. 147. & 148.

Articulus Vnicus.

An perſonarum acceptio ſit peccatum?

Statuitur concluſio. 1. p. f. 148. & 149.

LECTIO LXXX.

TEXTVS.

Ad vos ergo Reges ſunt hi Sermones mei ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis; qui enim cuſtodierint juſtitiam ejus, juſtè judicabuntur, & qui didicerint juſta. invenient quid reſpõdeant.

Expl. text. 1, p. fol: 150.

Articulus Vnicus.

An & quid reſpondere debeamus quatuor contra nos argumentantibus; videlicet, Deo demonſtrativè, mundo perſuaſivè; diabolo ſophiſticè; & carni deductivè, arguentibus?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 150. & 151.

LECTIO LXXXI.

TEXTVS.

Concupiſcite ergo ſermones meos & diligite illos, & habebitis diſciplinam. Clara eſt, & quæ nunquam marceſſit ſapientia, & facile videtur

ab his,

ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt eam.

Expl. text. 1. p. fol. 152.

LECTIO LXXXII.

TEXTVS.

Praeoccupat autem qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat; qui de luce evigilaverit ad illam, non laborabit; aſſedentem enim illam foribus ſuis inveniet.

Expl. text. 1. p. fol. 153.

Articulus Vnicus.

An ad vigilantiam nos movere debeant hoſtilitas crudelis rebellationis, utilitas fidelis adminiſtrationis, & debilitas terreſtris inhabitationis?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 153. & 154.

LECTIO LXXXIII.

TEXTVS.

Cogitare ergo de illa ſenſus eſt conſummatus; & qui vigilaverit propter illam, cito ſecurus erit: quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens, & in viis ſuis oſtendet ſe illis hilariter, & in omni providentia occurret illis.

Expl. text. 1. p. fol. 155.

Articulus Vnicus.

An ad perfectum regimen humanæ vitæ quadruplex providentia ſit neceſſaria, videlicet legalium ſtatutorum, temporalium theſaurorum; perſonalium meritorum; & Regularium reſponſorum?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 155. & 156.

LECTIO LXXXIV.

TEXTVS.

Initium enim illius veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia. Cura ergo diſciplinæ dilectio eſt, & dilectio eſt cuſtodia legum ejus. Cuſtoditio autem legum conſummatio eſt incorruptionis; incorruptio autem facit proximum eſſe Deo. Concupiſcentia itaque Sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.

Expl. text. 1. p. fol. 156.

LECTIO LXXXV.

TEXTVS.

Si ergo delectamini in ſedibus & ſceptris O Reges populi, diligite ſapientiam ut in perpetuum regnetis, diligite lumen ſapientiæ, omnes qui præeſtis populis.

Expl. text. 1. p. f. 157.

LECTIO LXXXVI.

TEXTVS

Quid eſt autem ſapientia, & quemadmodum facta ſit, referam; & non abſcondam à vobis ſacramenta Dei, ſed ab initio nativitatis inveſtigabo & ponam in lucem ſcientiam illius, & non præteribo veritatem, neque cum invidia tabeſcente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ.

Expl. text. 1. p. fol. 157. & 158.

Articulus Vnicus

An veritas ſit acquirenda cum ſtudio, defendenda cum odio, & præponenda ſit ſocio?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 158.

LECTIO LXXXVII.

TEXTVS.

Multitudo ſapientum ſanitas eſt orbis terrarum, & Rex ſapiens populi ſtabilimentum eſt. Ergo accipite diſciplinam per ſermones meos & proderit vobis.

CAPITVLVM VII.

LECTIO LXXXVIII.

TEXTVS.

Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis hominibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt,

Expl. text. 1. p. fol. 160. & 161.

LECTIO LXXXIX.

TEXTVS.

Et in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine; & ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conveniente. *Expl. text. 1. p. fol. 161. & 162.*

LECTIO XC.

TEXTVS.

Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram. Et primam vocem emiſi omnibus ſimilem plorans. In involumentis nutritus ſum & curis magnis. Nemo enim ex Regibus habuit aliud nativitatis initium. Vnus eſt ergo omnibus introitus ad vitã & ſimilis exitus.

Expl. text. 1. p. fol. 162. & 63.

LECTIO XCI.

TEXTVS.

Propter hoc optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & venit in me ſpiritus Sapientiæ & præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.

Expl. text. 1. p. f. 163. & 164.

LECTIO XCII.

TEXTVS.

Nec comparavi illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua: & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.

Expl. text. 1. p. fol. 164.

Articulus Primus.

An argentum rectè comparetur luto ratione deturpationis; retentivæ tenacitatis; & indurationis dãmnificativæ?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. fol. 165.

Articulus Secundus.

An pecunia præjudicet ſapientiæ uſurpando eius actus in præcipiendo, diſcernendo & protegendo?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. fol. 165.

LECTIO XCIII.

TEXTVS.

Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.

Expl. text. 1. p. fol. 166.

Articulus Primus

An infirmitas corporalis ſit veluti arcæ pretioſæ concatenatio, perſonæ ſceleroſæ incarceratio; focii fugientis arreſtatio; & hoſtis reſiſtentis expugnatio?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 166.

Articulus Secundus.

An ſpecies ſeu pulchritudo corporis ſit bonum defectivum, bonum infectivum & bonum deceptivum.

Statuitur concluſio. 1. p. f. 167.

LECTIO XCIV.

TEXTVS.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. *Expl. text. 1. p. fol. 167.*

Articulus Vnicus.

An Dominus Deus ſubinde conferat homini plus de bonis corporalibus, quam ei abſtulit; plus ei concedat quam petitum ſit; ac denique plus tribuat in effectu, quam expreſſerit in ſua promiſſione Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 168.

LECTIO XCV.

TEXTVS.

Et lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam, quoniam omnium horum mater eſt.

Expl. text. 1. p. fol. 68. & 69.

Articulus Primus.

An juſtus in hac vita debeat gaudere de ſui

Domini infinita bonitate, de conſcientiæ puritate, & de ſui proximi proſperitate?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 169.

Articulus Secundus.

An impetuoſos & accedioſos ſapientia antecedat?

Statuitur concluſio negativa 1. p. f. 169. & 170.

LECTIO XCVI.

TEXTVS.

Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.

Expl. text. 1. p. f. 170.

Articulus Primus.

An devotus Scholaris in addiſcendo præponere debeat utilitatem ſubtilitati, humilitatem ſublimitati, & ſoliditatem vanitati?

Statuitur concluſio 1. p. f. 170.

Articulus Secundus.

An liceat clericis Religioſis intendere ſtudio ſcripturarum?

Statuitur concluſio 1. p. f. 170. & 171.

Articulus Tertius.

An liceat Religioſis nomen & ſtatum & honorem magiſtralem recipere?

Statuitur concluſio. affir. 1. p. f. 172.

LECTIO XCVII.

TEXTVS.

Infinitus eſt enim theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei propter diſciplinæ dona commendati.

Expl. text 1. p. f. 106. & 173.

Articulus Vnicus

An Theſauro Sapientiæ abutantur ſuppreſſores, ſubverſores, & abuſores ſapientiæ?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 174.

LECTIO XCVIII.

TEXTVS.

Mihi autem Deus dedit dicere ex ſententia, & præſumere digna horum, quæ mihi dantur, quoniam ipſe ſapientum dux eſt, & ſapientum emendator: in manu enim ipſius & nos & ſermones noſtri & omnis ſapientia, & operum ſcientia diſciplina.

Expl. text. 1. p. f. 175.

Articulus Vnicus.

Utrum manus divinæ protectionis, ſeu gubernationis rectè habeat quinq; digitos; nimirum pro pollice poteſtatem puniendi, pro indice perſpicacitatem diſcernendi; pro medio benignitatem differendi; pro medico pietatem miſerendi; & pro auriculari facilitatem exaudiendi?

Statuitur concluſio affirmativa. 1. p. f. 176.

LECTIO XCIX.

TEXTVS.

Ipſe enim dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram; ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum initium & conſummationem, & medietatem, temporum, morum mutationes, & diviſiones temporum; anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones naturas animalium, & iras beſtiarum; vim ventorum, & cogitationes hominum; differentiam virgultorum, & virtutem radicum; quæcunque ſunt abſconſa & improviſa didici: omnium enim artifex docuit me ſapientiam.

Expl. text. 1. p. f. 176. & 177.

Articiculus Vnicus.

An de motibus ſtellarum poſſit eſſe ſcientia?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 177.

LECTIO C.

TEXTVS.

Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, multiplex, unicus, ſubtilis, modeſtus, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum acutum, quem nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem; omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundꝰ ſubtilis.

Expl. text. 1. p. f. 178. & 179.

LECTIO CI.

TEXTVS.

Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia; attingit autem ubiq; propter munditiam ſuam: vapor enim eſt virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera; & ideò nihil inquinatum in illam incurrit,

Expl. text. 1. p. f. 180.

Articulus Vnicus.

An in Deo tanquam in fonte gratiarum ſit perpetuitas pretioſa, ſuavitas ſaporoſa, & communitas copioſa?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 180. & 181.

LECTIO CII.

TEXTVS

Candor eſt enim lucis æternæ & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.

Expl. text. 1. p. f. 181. & 182.

Articulus Vnicus.

An Chriſtus Dominus fuit candor lucis honeſtiſſimè vivendo, ſpeculum ſine macula rectiſſime docendo, & imago bonitatis benigniſſimè redimendo?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 182. & 183.

LECTIO CIII.

TEXTVS.

Et cum ſit una omnia poteſt, & permanens in ſe omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & prophetas conſtituit. Neminem enim diligit Deus niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat.

Expl. text 1. p. fol. 183.

Articulus Vnicus.

An ſolis amicis Dei conferatur donum prophetiæ?

Statuuntur duæ concluſiones. 1. p. f. 183. & 184.

LECTIO CIV.

TEXTVS.

Eſt enim ſpecioſior ſole; ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata invenitur prior: illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia.

Expl. text. 1. p. fol. 98.

Articulus Vnicus.

An ſol rectè vocetur dux, & Princeps ac moderator luminum reliquorum, mens mundi, & cor cœli?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 185.

CAPITVLVM VIII.

LECTIO CV.

TEXTVS.

Attingit autem à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter; hanc amavi & exquiſivi eam à juventute mea, & quæſivi mihi ſponſam eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.

Expl. text. 1. p. fol. 185. & 186.

Articulus Primus.

An omnia ſubdantur gubernationi divinæ?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 186.

Articulus Secundus.

An Deus omnia diſponat miſericorditer?

Statuitur concluſio 1. p. f. 187.

LECTIO CVI.

TEXTVS.

Generoſitatem illius glorificat contubernium habens Dei, ſed & omnium Deus dilexit eam.

Expl. text. 1. p. f. 187.

Articulus Primus.

An proles ſequi debeat conditionem patris in libertate vel ſervitute?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 188.

LECTIO CVII.

TEXTUS.

Doctrix eſt enim diſciplina Dei, & electrix operum illius:

Expl. text. 1. p. fol. 188.

Articulus Unicus.

An diſciplina Dei ſit à nobis ſuſcipienda patienter, propter caſtigantis dilectionem, peccantis correctionem & tentantis dejectionem?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 187. & 190.

LECTIO CVIII.

TEXTUS.

Et ſi divitiæ appetantur in vita, quid Sapientia locupletius, quæ operatur omnia? ſi autem ſenſus operetur, quis horum, quæ ſunt, magis quam illa eſt artifex.

Expl. text. 1. p. fol. 190.

Articulus Primus.

An divitiæ ſint in triplici differentia, nimirum divitiæ temporales & periculoſæ, ſpirituales & virtuoſæ, æternales & glorioſæ?

Statuitur concluſio 1. p. f. 190. & 191.

Articulus Secundus.

An divitiæ temporales intenſè quæſitæ repellant veritatem à cognitione Dei, ſui & proximi; item ſeveritatem ab æſtimatione, & unitatem ab affectione?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 191.

LECTIO CIX.

TEXTUS.

Et ſi juſtitiam diligit, labores hujus, magnas habent virtutes; ſobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominis.

Expl. text. 1. p. fol. 192.

Articulus Unicus.

An una virtus moralis poſſit perfectè haberi ſine alia?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 193.

LECTIO CX.

TEXTUS.

Et ſimilitudinem ſcientiæ deſideret quis ſed præterita, & de futuris æſtimat; ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit antequam fiant, & eventus temporum & ſæculorum.

Expl. text. 1. p. f. 93.

Articulus Unicus.

An hominibus ſit neceſſaria ſcientia ſuorum flagitiorum, quæ perpetrarunt, & beneficiorum quæ reportarunt, & ſuppliciorum quæ meruerunt?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 194.

LECTIO CXI.

TEXTUS.

Propoſui ergo hanc adducere mihi ad convivendum ſciens, quoniam mecum communicabit de bonis & erit allocutio cogitationis, & tædii mei.

Expl. text. 1. p. fol. 195.

Articulus Primus.

An diabolus homines invitet ad convivium apponendo ipſis tria fercula, nimirum perdices injuſtitiæ, venationes iracundiæ, & pavones ſuperbiæ?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 195.

Articulus Secundus.

An mundus homines invitet ad convivium apponendo ipſis pro tribus ferculis delitias, divitias, & honores?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 196.

Articulus Tertius.

An Chriſtus nobis etiam faciet convivium?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 197.

Articulus Quartus.

An Deus etiam exigat ab homine ſibi parari convivium cum tribus ferculis?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 197.

LECTIO CXII.

TEXTUS.

Habebo per hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores. Juvenis & acutus inveniar in judicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me; tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent.

Expl. text. 1. p. fol. 197.

Circa illa verba, *Juvenis inveniar in judicio*, eſt

Articulus Primus.

An juvenes cavere debeant ſomnum torpentis otioſitatis, viſcum inficientis ſocietatis & æſtum præſumentis tumiditatis?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 98.

Articulus Secundus.

An juvenibus ſit imponenda promptitudo obedientiæ teneritudo conſcientiæ, & ſollicitudo continentiæ?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 98. & 199.

Articulus Tertius

An juvenibus prædicanda ſit debilitas corporalis virtutis, labilitas temporalis juventutis, & deformitas hyemalis ſenectutis.

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 99.

LECTIO CXIII.

TEXTUS.

Præterea habebo per hanc immortalitatem, & memoriā æternam in his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam.

Expl. text. 1. p. fol. 199.

Articulus Unicus.

An memoria beneficiorum ſit continuè poſſidenda, memoria bonorum exemplorum aliis relinquenda?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 200.

LECTIO CXIV.

TEXTUS.

Diſponam populos & nationes mihi erunt ſubjectæ: timebunt me audientes Reges horrendi; in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.

Expl. text. 1. p. fol. 201.

Articulus Unicus.

An bellum poſſit eſſe licitum Chriſtiano?

Statuitur concluſio 1. p. fol. 202.

LECTIO CXV.

TEXTUS.

Intrans in domum meam conquieſcam cum illa, non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.

Expl. text. 1. p. fol. 202.

Articulus Unicus.

An domus bonæ conſcientiæ debeat habere fundamentum ſolidæ doctrinæ, ornamentū virtutum, & exemplorum ſanctorum patrum, & frequens expurgamentum per confeſſionem?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 202.

LECTIO CXVI.

TEXTUS.

Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, quoniam immortalis eſt in cogitatione ſapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honeſtas ſine defectione, & in certamine loquelæ illius ſapientia & præclaritas in communicatione ſermonum illius circuibam quærens ut illam mihi aſſumerem.

Expl. text. 1. p. f. 204.

Articulus Vnicus.

An delectatio ſit triplex, nimirum naturalis beſtialis & rationalis?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 204. & 205.

LECTIO CXVII.

TEXTVS.

Puer eram ingenioſus, & ſortitus animam bonam; & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum, & vidi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det. Et hoc ipſum erat ſumma ſapientia ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.

Expl. text. 1. p. fol. 205.

Circa prima verba textus, *Puer eram ingenioſus*, eſt

Articulus Primus

An hæc tria, memoria, intelligentia, & voluntas moraliter conſtituant bonum ingenium?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 206.

Articulus Secundus.

An is cenſeatur habere bonum ingenium, qui novit eligere veritatem, abjicere vanitatem, & parvipendere loquacitatem?

Statuitur concluſio affir. 1. p. f. 206.

Articulus Tertius.

An nimia levitas, perverſa voluntas, & laſciva voluptas ingenium corrumpant?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 206.

CAPITVLVM IX.

LECTIO CXVIII.

TEXTVS

Deus Patrum noſtrorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & Sapientia tua conſtituiſti hominem, ut Dominetur creaturæ tuæ, quæ à te facta eſt; ut diſponat orbem terrarum in æquitate, & juſtitia, & in directione cordis judicium judicet.

Expl. text. 1. p. fol. 207.

Circa illa verba, *Domine miſericordiæ*, eſt

Articulus Vnicus

An in Chriſto Domino ſit magnitudo miſericordiæ ex naturali proprietate, generali poteſtate, & experimentali hominum neceſſitate?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 207. & 208.

LECTIO CXIX.

TEXTVS.

Da mihi ſedium tuarum Domine aſſiſtricem Sapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis, quoniam ſervus tuus ſum, & filius Ancillæ tuæ. Homo infirmus & exigui temporis. & minor ad intellectum judicii, & Legum. Etenim ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo fugerit ſapientia tua, in nihilum computabitur.

Expl. text. 1. p. fol. 208. & 209.

Articulus Vnicus.

An ſancti & devoti homines rectè comparentur pueris ratione parvitatis, puritatis, ſobrietatis, conformitatis, jucunditatis, liberalitatis, & tranquillitatis?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 209. 210. & 211.

LECTIO CXX.

TEXTVS.

Tu autem elegiſti me Regem populo tuo & judicem filiorum tuorum; & filiarum tuarum & dixiſti me ædificare templum in monte Sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio; & tecum ſapientia tua, quæ novit opera tua, & quæ adfuit tunc cum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid placitum eſſet oculis tuis & quid directum in præceptis tuis.

Expl. text. 1. p. fol. 212.

Circa illa verba, *Elegiſti me Regem*, eſt

Articulus Primus.

An electores prælatorum teneantur eligere meliorem?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 212.

Articulus Secundus.

An Princeps vel Prælatus attendere debeat quod non ſit immiſſus per intruſionem, non remiſſus per diſſimulationem, ut non ſit neglector culparum, & ut non ſit acceptor perſonarum?

Statuitur concluſio aff. 1. p. f. 213. & 214.

LECTIO CXXI.

TEXTVS.

Mitte eam de Cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ; ut mecum ſit & mecum laboret; ut ſciam quid acceptum ſit coram te.

Expl. text. 1. p. fol. 214.

Articulus Vnicus.

An in hac vita laborare debeamus propter convenientiam permiſſi temporis, propter pœnitentiam commiſſi ſceleris, & propter vehementiam permiſſi muneris?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 214. & 215.

LECTIO CXXII.

TEXTVS.

Scit enim omnia illa & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia; erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum juſte, & ero dignus ſedium patris mei.

Expl. text. 1. p. fol. 215.

Articulus Primus.

An virtuoſus debeat habere ſcientiam præſumptione in parte intellectiva; continentiá ſine diſſolutione in parte ſenſitiva; & abſtinentiam ſine ingurgitatione in parte nutritiva?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 216.

Articulus Secundus.

An ebrietas ſit denudatrix omnium ſecretorum, infatuatrix ſenſatorum, alligatrix robuſtorum, & imperatrix flagitiorum?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 216.

LECTIO CXXIII.

TEXTVS.

Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ; corpus enim quod corrumpitur aggravat animum & deprimit, terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.

Expl. text. 1. p. f. 216.

Articulus Vnicus.

An poſt peccatum anima habeat ſibi corpus conjunctum ſicut inſtrumentum ad ſerviendum, & ſicut tegumentum ad ſe tegendum, & ſicut afflictorium ſui ad puniendum?

Statuitur concluſio affir. 1. p. fol. 217.

LECTIO CXXIV.

TEXTVS.

Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? ſenſum autem tuum quis ſciet? at ſi dederis ſapientiam tuam & miſeris ſpiritum tuum de altiſſimis. Et ſic correctæ ſunt ſemitæ eorum, quæ ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerunt homines: nam per Sapientiam ſancti ſunt, quicunque tibi placuerunt Domine à principio.

Expl. text. 1. p. fol. 218.

Articulus Vnicus.

An Spiritus ſanctus venerit ſicut lachrymantium conſolator, ſicut ignorantium informator, & ſicut vacillantium confirmator?

Statuitur concluſio. 1. p. fol. 218. & 219.

CAP. X.

CAPITVLVM X.

LECTIO CXXV.

TEXTVS.

Hæc illum, qui primò formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit & eduxit illum è delicto ſuo, & eduxit illum de limo terræ & dedit illi virtutem continendi omnia.

Expl. text. 1, p. fol. 224.

Articulus Vnicus.

An Adam in ſtatu innocentiæ fuerit ſufficienter cuſtoditus à Deo?

Statuitur concluſio aff. 1, p. fol: 224. & 225.

LECTIO CXXVI.

TEXTVS.

Ab hac ut receſſit injuſtus ab ira ſua per iram homicidii fraternitatis deperiit, propter quod cum aqua deleret terram, ſanavit iterum ſapientiam per contemptibile lignum, juſtum gubernans.

Expl. text. 1. p. fol. 226.

Articulus Vnicus.

An ira faciat injuriam Deo, proximo, & ſubjecto proprio?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 226. & 227.

LECTIO CXXVII.

TEXTVS

Hæc & in conſenſu ſuperbiæ, cum ſe nationes extuliſſent, ſcivit juſtum, & conſervavit ſine querela Deo, & in filiis miſericordiam fortem cuſtodivit.

Expl. text. 1. p. f. 227. & 228.

Articulus Primus.

An miſericordia Dei erga homines ſit fortis intenſivè, extenſivè, & durativè?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 228.

Articulus Secundus.

An miſericordia hominis erga hominem ſit plerumque debilis intenſivè, extenſivè, & durativè?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 229.

LECTIO CXXVIII.

TEXTVS.

Hæc juſtum à pereuntibus impiis liberavit fugientem, deſcendente igne in Pentapolim, quibus in teſtimonium nequitiæ, fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria, ſtans figmentum ſalis.

Expl. text. 1. p. f. 229. & 230.

Articulus Primus.

An diabolo reſiſtere, carnem autem & mundum tanquam hoſtes fugere debeamus?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 230.

Articulus Secundus.

An fœmina ſit fugienda, ſicut venenum Colubri?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. f. 230.

Articulus Tertius.

An fœmina ſenſibiliter lædat virum viſu, voce, & tactu?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 231.

LECTIO CXXIX.

TEXTVS.

Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapſi ſunt, ut ignorent bona ſed & inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuiſſent. Sapientia autem hos, qui ſe obſervant, à doloribus liberabit.

Expl. text. 2. p. fol. 231. 232.

Articulus Primus.

An Sodomitæ habuerint undecim incentiva ſuæ libidinis?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. f. 231.

Articulus Secundus.

An Chriſtus liberaverit homines ſicut medicus ægrotos, ſicut Princeps milites obſeſſos, & ſicut judex injuſta perpeſſos.

Statuitur concluſio aff. 2, p. f. 232. & 233.

LECTIO CXXX.

TEXTVS.

Hæc autem profugum iræ fratris juſtum deduxit per vias rectas & dedit illi ſcientiam Sanctorum, & honeſtavit illum in laboribus & complevit labores illius; in fraude circumvenientium adfuit illi, & honeſtum fecit illum.

Expl. text 2. p. fol. 234.

Articulus Vnicus.

An moraliter loquendo per duos gemellos Eſau & Jacob deſignantur Caro & Spiritus?

Statuitur concluſio 2. p. f. 235.

LECTIO CXXXI.

TEXTVS.

Cuſtodivit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi ut vinceret, & ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia.

Expl. text. 2. p. fol. 139.

Articulus Vnicus.

Quomodo homo ſe habere debeat erga quatuor inimicos, nimirum erga blandos adulatores, falſos conſiliatores, perſequentes detractores, & corripientes ſeu correctores?

Statuitur concluſio 2. p. f. 235. & 237.

LECTIO CXXXII.

TEXTVS

Hæc venditum juſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberavit eum, deſcenditq; cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum, donec illi adferret ſceptrum regni & potentiam adverſus illos, qui ſe deprimebant, & mendaces eos oſtendit, qui maculaverunt eum, & dedit illi claritatem æternam.

Expl. text. 2. p. f. 238.

Articulus Vnicus.

An mali Prælati Patris æterni poteſtatem, falſi aſſeſſores Filii veritatem, & Spiritus ſancti ſanctitatem ficti ſimulatores vendent?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 239.

LECTIO CXXXIII.

TEXTVS.

Hæc populum juſtum, & ſemen ſine querela liberavit à nationibus, quæ eum opprimebant; intravit in animam ſervi Dei, & ſtetit contra Reges horrendos in portentis & ſignis.

Expl. text. 2. p. fol. 240.

Articulus Primus.

An in initio naſcentis Eccleſiæ fuerint plura miracula facta, quam modò fiant, vel futura ſint in fine mundi?

Statuitur concluſio. 2. p. f. 204.

Articulus Secundus.

An prælati habere debeant rectitudinem conſcientiæ & fortitudinem reſiſtentiæ contra malos?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 241.

LECTIO CXXXIV.

TEXTVS.

Et reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum, & deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei & in luce ſtellarum nocte. Et tranſtulit illos per mare rubrum, & tranſvexit eos per aquam nimiam, inimicos autem illorum demerſit in mare & ab altitudine inferorum eduxit eos.

Expl. text. 2, p. fol: 241. & 242.

Articulus Primus.

An mundus rectè comparetur mari propter inquietudinem tempeſtatis, propter amaritudinem

Digitized by Google

dinem acerbitatis, & propter invaletudinem ſanitatis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 242.

Articulus Secundus.

An ſicut aquæ maris dulceſcunt per ſolis elevationem, terræ tranſitionem, & ceræ diſtillationem; ita ſancti tribulationes hujus mundi ſibi dulces reddant elevando mentem in Deum, meditando de morte, & cogitando de Chriſto Salvatore noſtro?

Statuitur concluſio affirm. 2. p. f. 243.

LECTIO CXXXV.

TEXTUS.

Ideò juſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantaverunt Domine nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: quoniam ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas. Direxit opera eorum in manibus prophetæ ſancti.

Expl. text. 2. p. f. 243. & 244.

Articulus Vnicus.

An hoc nomen Jeſus ſit nomen honoris & excellentiæ, nomen amoris & benevolentiæ & nomen valoris ac omnipotentiæ?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 244. & 245.

CAPITVLVM XI.

LECTIO CXXXVI.

TEXTUS.

Iter fecerunt per deſerta, quæ non habitabantur, & in locis deſertis fecerunt caſas: ſteterunt contra hoſtes, & de inimicis ſe vindicaverunt. Sitierunt & invocaverunt te, & data eſt illis aqua de petra altiſſima, & requies ſitis de lapide duro. *Expl. text. 2. p. fol. 245. & 246.*

Articulus Vnicus.

An ſicut Iſraelitæ in deſerto fuerunt peregrini viatores, glorioſi bellatores, & veri Dei cultores ita etiam nos in hac vitâ tales eſſe debeamus?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 246. & 247.

LECTIO CXXXVII.

TEXTUS.

Per quæ enim pœnas paſſi ſunt inimici illorum à defectione potus ſui, & in eis cum abundarent filii Iſrael, lætati ſunt, per hæc, cum illis deeſſent, actum eſt: nam pro fonte quodam ſempiterni fluminis humanum ſanguine dediſti injuſtis.

Expl. text. 2. p. f. 247.

Articulus Vnicus.

An redemptio noſtra per Chriſti Domini Sanguinem facta ſit pretioſa, doloroſa, amoroſa & gratioſa?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 247. & 248.

LECTIO CXXXVIII.

TEXTUS.

Qui cum minuerentur in traductione infantium occiſorum, dediſti illis abundantem aquam inſperatè oſtendens per ſitim, quæ tunc fuit quemadmodum tuos exaltares, & adverſarios eorum necares.

Expli. text. 2. p. f. 249. & 250.

Articulus Primus.

An aquæ propter ſuam ſuperficialem continuationem, naturalem humectationem, rectè comparetur ſapientiæ ſalutari conſiſtendi in ſtudio ſacræ Theologiæ & orationibus devotis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 250.

Articulus Secundus.

An aqua rectè comparetur pœnitentiæ regulari ex eo, quia lavat ſordida, flectit rigida, & coquit cruda?

Statuitur concluſio aff. 1. p. fol. 250. & 251.

LECTIO CXXXIX.

TEXTUS.

Cum enim tentati ſunt, & quidem cum miſericordia diſciplinam accipientes, & ſcierunt, quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur; hos quidem tanquam pater monens probaſti, illos autem tanquam Rex durus interrogans condemnaſti; duplex enim illos acceperat tædium & gemitus cum memoria præteritorum.

Expl. text. 2, p. fol: 251.

Articulus Primus.

An Deum Patrum ſanctitatis debeamus deprecari per devotionem; Patrem poteſtatis venerari per ſubjectionem; & Patrem pietatis imitari per aſſimilationem?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 252.

Articulus Secundus.

An patrèm carnalem debeamus in vitæ neceſſariis ſupportare; Chriſto contradicentem repudiare; & æternis memoriis recogitare?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 252.

Articulus Tertius.

An patri noſtro ſpirituali debeamus exhibere obedientiam, benevolentiam, & honorem?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 253.

LECTIO CXL.

TEXTUS.

Dum enim audirent per ſua tormenta bene ſecum agi, commemorati ſunt Dominum admirantes in finem exitus. Quem enim in expoſitione prava projectum deriſerunt, in finem eventus mirati ſunt non ſimiliter juſtis faciens.

Expl. text. 2. p. fol. 253.

LECTIO CXLI.

TEXTUS.

Pro cogitationibus inſenſatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colebant malos ſerpentes & beſtias ſupervacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium, ut ſcirent quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

Expl. text. 2. p. fol. 254.

Articulus Vnicus.

An & quomodo guloſi ventrem ſuum tanquam Deum colant?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 254. & 255.

LECTIO CXLII.

TEXTUS.

Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa; immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces Leones, aut novi generis ira plenas & ignotas beſtias, aut vaporem igneum ſpirantes, aut odorem fumi proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas emittentes; quarum non ſolum læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere.

Expl. text. 2. p. fol. 255. & 256.

Articulus Vnicus.

An recte per Urſum gula; per Leonem ſuperbia: per beſtiam ira plenam iracundia; per beſtiam ignotam acedia; per beſtiam ſpirantem vaporem igneum luxuria; per beſtiam ejaculantem odorem fumi invidia, & per beſtiam ab oculis ſcintillas emittentem, concupiſcentia oculorum deſignetur?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 256. & 257.

LECTIO CXLIII.

TEXTUS.

Nam & ſine his uno ſpiritu poterant occidi, perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis, & diſperſi per ſpiritum virtutis tuæ: ſed omnia in menſura, pondere, & numero diſpoſuiſti. Multum enim valere tibi ſoli ſuperat ſemper, & virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, qui deſcendit in terram.

Expl. text. 2. p. fol. 257.

Articulus

Articulus Primus.

An homo Chriſtianus debeat conſiderare mundanæ gloriæ vanitatem, præſentis vitæ brevitatem, & futuræ vitæ jucunditatem?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 258.

Articulus Secundus.

An vir Chriſtianus debeat numerare divina beneficia ſibi præſtita, commiſſa à ſe peccata, & tempora à ſe infructuoſè transacta?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 259.

LECTIO CXLIV.

TEXTVS.

Sed & misereris omnium quoniam omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti.

Expl. text. 2. p. fol. 259.

Articulus Vnicus.

Quot ſit pœnitentiæ incitamenta, & pœnitentiæ impedimenta?

Statuuntur duæ concluſiones de 4. impedimentis, 2. p. f. 260. & 261.

LECTIO CXLV.

TEXTVS.

Quomodo autem aliquid permanere poſſet, niſi tu voluiſſes? aut quod vocatum à te non eſſet conſervaretur? parcis nunc omnibus, quoniam tua ſunt Domine qui amas animas.

Expl. text. 2. p. fol. 261.

Articulus Primus.

An Deus peccatores vocet ad ſe verbo, ſigno, & nuntio? Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 262.

Articulus Secundus.

An à vocatione divina ineptè ſe excuſent ſuperbi per ſubtilitatem dominationis; avari per difficultatem terrenæ occupationis; & luxurioſi per voluptatem carnalis delectationis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 262.

Articulus Tertius.

Quænam ſint excuſantium punitiones?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 263.

Articulus Quartus.

An Deus ſpecialiter nos vocet oſtenſionibus exemplorum, promiſſionibus præmiorum, & percuſſionibus flagellorum?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 263.

CAPITVLVM XII.

LECTIO CXLVI.

TEXTVS.

O quam bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in nobis: ideoque hos, qui exerrant artibus corporis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine.

Expl. text. 2. p. fol. 263. & 264.

Articulus Primus

An homo ex abundantia piarum lachrymarum, & ex deſiderio ſupernorum, tamquam ex ſignis poſſit conjicere ſe habere gratiam per Spiritum ſanctum?

Statuitur concl. aff. 2. p. f. 264.

Articulus Secundus.

An gratia Spiritus ſancti detur neceſſariò homini ſe quantum poteſt ad gratiam præparanti?

Statuuntur duæ concluſiones 2. p. fol. 265.

LECTIO CXLVII.

TEXTVS.

Illos enim antiquos inhabitatores terræ tuæ ſanctæ, quos exhorruiſti, quoniam odibilia tibi opera faciebant per medicamina & ſacrificia injuſta, & filiorum ſuorum necationes ſine miſericordia, & comeſtores viſcerum hominum, & devoratores ſanguinis & auctores parentes animarum inauxiliatarum e medio Sacramento tuo, voluiſti perdere per manus parentum noſtrorum ut dignè perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior eſt terra.

Expl. text. 2. p. f. 266.

Articulus Primus.

Quomodo ſe bonus peregrinus habere debeat in viâ?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 266. & 267.

Articulus Secundus

Quænam bonus peregrinus vitare debeat?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 267.

LECTIO CXLVIII.

TEXTVS.

Sed & his tanquam hominibus pepercisti & miſiſti antecessores exercitus tui veſpas, ut illos paulatim exterminarent, non quia impotens in bello eras ſubjicere impios juſtis, aut beſtiis ſævis aut verbo duro ſimul exterminare: ſed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam iniqua eſt natio eorum, & quaſi naturalis malitia eorum. Et quoniam poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum: ſemen enim illorum erat maledictum ab initio.

Expl. text. 2. p. fol. 267.

Articulus Vnicus.

An examen conſcientiæ, amaritudo compunctionis, plenitudo confeſſionis, & fortitudo ſatisfactionis, ſint documenta pœnitentiæ?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 268.

LECTIO CXLIX.

TEXTVS.

Nec timens aliquem veniam dabas peccatis eorum quis enim dicet tibi, quid feciſti, aut quis in conſpectu venit judex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit ſi perierint nationes, quas tu feciſti? Nec enim eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas, quoniam non injuſte judicas judicium, neq; Rex, neque Tyrannus in conſpectu tuo inquirent, de his, quos perdidiſti.

Expl. text. 2. p. f. 269.

Circa illa verba, *Veniam dabas peccatis*, eſt

Articulus Vnicus.

An per pœnitentiam Chriſtum nobis reconciliemus, Angelos lætificemus, animas noſtras reformemus, & dæmones confutemus?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 269. & 270.

LECTIO CL.

TEXTVS.

Cum ergo ſis juſtus juſtè omnia diſponis: ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare, & exterum æſtimas à tua virtute. Virtus enim tua juſtitiæ initium eſt. Et ob hoc, quod Dominus omnium es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim oſtendis tu, qui non crederis eſſe in virtute conſummatus, & horum, qui te neſciunt, advenam traducis.

Expl. text. 2, p. fol: 270. & 271.

LECTIO CLI.

TEXTVS.

Tu autem dominator virtutis cum magna tranquillitate, & cum magna reverentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi, cum volueris, poſſe. Docuiſti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet eſſe juſtum & humanum & bonæ ſpei feciſti filios, quoniam judicans das locum pœnitentiæ in peccatis.

Expl. text. 2 p. fol. 272.

Articulus Primus.

An ſpes conſiſtat in charitate adoptionis, veritate promiſſionis, poteſtate redditionis?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. fol. 272. & 273.

Articulus Secundus.

An ſpes noſtra debeat eſſe ſicut anchora firmitatis, ne à fluctibus moveamur; ſicut mola veritatis ne indebitè conteramur, & ſicut galea ſecuritatis ne ab hoſte lædamur?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 273.

LECTIO CLII.

TEXTVS.

Si enim inimicos ſervorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione, & liberaſti dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitia; cum quanta diligentiâ judicaſti filios tuos, quorum parentibus juramenta, & conventiones dediſti bonarum promiſſionum.

Expl. text. 2. p. fol. 273.

Articulus Vnicus.

An ſit licitum jurare, & quales debeant adeſſe conditiones, ad hoc ut juramentum ſit licitum?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 274.

LECTIO CLIII.

TEXTVS.

Cum ergo nobis diſciplinam das, inimicos noſtros multipliciter flagellas; ut bonitatem tuam cogitemus judicantes. & cum de nobis judicatur ſperemus miſericordiam. Vnde & illis qui in vita ſua inſenſatè & injuſtè vixerunt, per hæc quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta. Etenim in erroris via diutius erraverunt, Deos æſtimantes hæc quæ in animalibus (vel ſecundum aliorum litteram in manibus) ſunt ſupervacua infantium inſenſatorum more viventes. Propter hoc tamquam pueris inſenſatis, judicium eis in deriſum dediſti.

Expl. text. 2. p. fol. 273.

Articulus Vnicus.

An divinam miſericordiam debeamus ſperare imminente tempeſtate temporalis tribulationis; accedente neceſſitate corporalis diſſolutionis; & ſuperveniente perplexitate criminalis deſperationis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 275.

LECTIO C_IV.

TEXTVS.

Qui à ludibriis & increpationibus correcti non ſunt, dignum Dei judicium experti ſunt. In his enim quæ patiebantur, indignè ferebant, in quibus patientes indignabantur. Per hæc, quos putabant Deos, in ipſis cum exterminarentur, videntes illum quem olim negabant ſe noſſe, Deum verum agnoverunt: propter quod & finis condemnationis illorum veniet ſuper illos.

Expl. text. 2. p. fol. 275.

Circa illa verba, *Negabant ſe noſſe Deum*, eſt

Articulus Vnicus.

An avari pecunioſi, ſuperbi præſumptuoſi, & perjuri malitioſi negent in facto ſe noſſe Deum?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 277.

CAPITVLVM XIII.

LECTIO CLV.

TEXTVS.

Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei; & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt: neque operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut girum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, aut lunam, rectores orbis terrarum, Deos putaverunt.

Expl. text. 2. p. fol. 278.

LECTIO CLVI.

TEXTVS.

Quarum etſi ſpecie delectati, Deos putaverunt, ſciant, quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt: ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis: à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator eorum videri.

Expl. text. 2. p. f. 279.

Circa illa verba, *Quarum ſpecie delectati Deos putaverunt*, eſt

Articulus Primus.

An multum errent ii, qui ſuperbiunt de propriæ pulchritudinis vanitate, & qui ex libidine nimis delectantur forma & pulchritudine aliena?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 279.

Articulus Secundus.

An nihil ſit ita potens ſubvertere cor humanum quam concupiſcentia, & amor ſpeciei?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 280.

LECTIO CLVII.

TEXTVS.

Sed tamen in his minor adhuc eſt querela, & hi etiam fortaſſis errant Deum quærentes & volentes invenire. Etenim cum in operibus illius converſantur, & inquirunt; & perſuaſum habent, quoniam bona ſunt quæ videntur; iterum tamen nec his debet ignoſci. Si tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſeculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt.

Expl. text. 2. p. fol. 282.

Circa illa verba. *Dominum non invenerunt:* eſt

Articulus Vnicus.

An Deus per gratiam ſuam ubiq; inveniatur?

Statuuntur duæ concluſiones aff. 2. p. f. 282. & 283.

LECTIO CLVIII.

TEXTVS.

Infœlices autem ſunt, & inter mortuos ſpes illorum, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum artis inventionem, & ſimilitudinem animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.

Expl. text. 2. p. f. 282. & 283.

Articulus Vnicus.

An & cur Apoſtoli introduxerint uſum imaginum in Eccleſia?

Statuuntur tres concluſiones, 2. p. f. 282.

LECTIO CLIX.

TEXTVS.

Aut ſi quis artifex faber de ſylva lignum rectum ſecuerit, & hujus docti eradat corticem omnem, & arte ſua uſus, diligenter fabricet vas in utilem converſationem vitæ, reliquiis autem hujus operis ad præparationem eſcæ abutatur & reliquum horum quod ad nullum uſum facit lignum curvum, & verticibus plenum ſculpat diligenter per vacuitatem; & per ſcientiam ſuæ artis figuret illud, & aſſimilet imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubricâ, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo eſt perliniens, ut faciat & dignam habitationem in pariete ponens. illud confirmans ferro ne fortè cadat, proſpiciens illi, ſciens, quoniam non poteſt adjuvare ſe, imago enim eſt, & opus eſt illi adjutorium.

Expl. text. 2. p. fol. 283.

LECT.O CLX.

TEXTVS.

Et de Subſtantia ſua & de filiis ſuis & de nuptiis votum faciens, inquirit. Non erubeſcit loqui

loqui cum illo, qui ſine anima eſt; & pro ſanitate quidem infirmum deprecatur; & pro vita mortuum rogat, & in adjutorium inutilem invocat; & pro itinere petit ab illo, qui ambulare non poteſt; & de acquirendo, & de operando, & de omni rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis.

Expl. text. 2, p. fol: 284.

Articulus Primus.

An obſervatio ſignorum ad præcognoſcendos eventus futuros, ſit licita vel ſuperſtitioſa?

Statuitur concluſio 2. p. fol. 284.

Articulus Secundus.

An ſit licitum uti imaginibus aſtronomicis effigiatis ſub certa conſtellatione alicujus planetæ?

Statuitur concluſio 2. p. fol. 285.

Articulus Tertius,

An ſcedulæ continentes aliquem textum ex Evangelio, vel Pſalmis, alligatæ ad collum habeant particularem virtutem ad pellendas infirmitates.

Statuitur concluſio. 2. p. fol. 285.

CAPITVLVM XIV.

LECTIO CLXI.

TEXTVS.

Iterum alius cogitans navigare per feros fluctus, iter incipiens ligno portante ſe, fragilius lignum invocat. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, & artifex ſapientiâ ſuâ fabricavit. Tu autem Pater omnia gubernas providentiâ, quoniam dediſti in mari viam inter fluctus ſemitem firmiſſimam; oſtendens quoniam potens es ex omnibus ſanare, etiamſi ſine rate aliquis adeat mare. Sed ut non eſſet vacua ſapientiæ tuæ opera, propter hoc etiam exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt.

Expl. text. 2 p. f. 286. 287. & 288.

Articulus Vnicus.

An Chriſtus rectè vocetur lignum vitæ. Item quot, & quæ conſideranda ſint de Chriſto tanquam de ligno frugifero?

Statuuntur duæ concluſiones. 2. p. f. 288.

LECTIO CLXII.

TEXTVS

Sed & ab initio, cum perirent ſuperbi gegantes; ſpes etiam orbis terrarum ad ratem confugiens remiſit ſæculo ſemen nativitatis, quæ in manu tua erat gubernata. Benedictum enim lignum, per quod fit juſtitia. Per manus autem, per quod fit idolum maledictum eſt & ipſum, & qui fecit illud; quia ille quidem operatus eſt, illud autem cum eſſet fragile, Deus cognominatus eſt. Similiter odio ſunt Deo impius & impietas ejus. Et enim quod factum eſt, cum illo, qui fecit, tormenta patiotur.

Expl. text. 2. p. fol. 288.

Circa illa verba, *Benedictum lignum per quod fit juſtitia*, eſt

Articulus Primus.

An in ligno ſanctæ crucis homo per Chriſtum juſtè rependerit, quod abſtulerat; & diabolus per lignum juſtè devictus fuerit, in quo vicerat?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol: 288.

Articulus Secundus.

An lignum ſanctæ crucis ſit pons, per quem Chriſtus tranſivit, lectus in quo Chriſtus dormivit; ſcala per quem Chriſtus aſcendit, & libra in qua redemptio noſtra pependit?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 289.

LECTIO CLXIII.

TEXTVS.

Propter hoc & in idolis nationum non erit reſpectus; quoniam creatura Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Initium enim fornicationis eſt exquiſitio idolorum, & adinventio illorum corruptio vitæ eſt; neque enim erant ab initio neque erunt in perpetuum; ſupervacuitas enim hominum hæc advenit in orbem terrarum, & ideo brevis illorum finis adinventus eſt.

Expl. text. 2. p. fol. 289. & 290.

Articulus Vnicus.

An hypocritæ ſimulationem bonitatis; avari divites amplitudinem pecuniæ; ſuperiores idiotæ negligentiam addiſcendi; & luxurioſi mulierem comptam, moraliter loquendo habeant pro ſuo idolo?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 290. & 291.

LECTIO CLXIV.

TEXTVS,

Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, invaleſcente iniqua conſuetudine hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta.

Expl. text. 2. p. fol. 291. 292.

Articulus Vnicus.

Quot modis plangi ſoleant amici defuncti?

Statuitur concluſio. 2. p. fol. 292. & 293.

LECTIO CLXV.

TEXTVS.

Hos, quos homines in palam honorare non poterant, propter hoc quod longè eſſent, è longinquo figura illorum allata, evidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt ut illum, qui aberat, tanquam præſentem colerent ſine ſollicitudine.

Expl. text. 2 p. fol. 293.

Circa illa verba, *Imaginem Regis quam honorare volebant*, eſt

Articulus Vnicus.

An debeamus nos pro honoribus dignificare; honores non nimis deſiderare; & honores invicem communicare?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 293. & 294.

LECTIO CLXVI.

TEXTVS.

Provexit autem ad horum culturam, & hos, qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim volens plus placere illi, qui ſe aſſumpſerat elaboravit arte ſua, ut ſimilitudinem in melius figuraret: quo facto multitudo hominum abducta per ſpeciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æſtimaverunt. Ex hac fecit humana vitæ deceptio, quoniam aut affectui aut Regibus deſervientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt.

Expl. text. 2. p. f. 294. & 295.

Articulus Vnicus.

An homines plerumque decipiantur in præſumptione propriæ perfectionis; in acceptatione nimiæ laudis; in delectatione fœmineæ affectionis, & in ſimulatione columbinæ compoſitionis, ſeu probitatis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 295. & 296.

LECTIO CLXVII.

TEXTVS.

Et non ſuffecerat eos erraſſe circa Dei ſcientiam, ſed in magno viventes ſcientiæ bello, & tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios ſuos ſacrificantes; aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes; nec vitam, nec nuptias mundas jam cuſtodiunt. Sed & alius alium occidit per invidiam, aut adulterans contriſtat, & omnia commixta ſunt: ſanguis & homicidium, furtum & fictio, corruptio, infidelitas, tentatio & perjurium, tumultus, bonorum Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ.

Expl. text. 2. p. fol. 296.

Articulus Vnicus.

An carnales peccatores, mundiales & iniqui conſpiratores, item negligentes Prælati in corrigendis defectibus ſuorum ſubditorum, veram pacem poſſideant?

Statuitur concluſio negativa. 2. p. f. 296. & 297.

LECTIO CLXVIII.

TEXTVS.

Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium & finis. Aut enim dum lætantur inſaniunt, aut certe vaticinantur falſa, aut vivunt injuſtè, aut perjurant citò. Dum enim confidunt in idolis, quæ ſunt ſine anima male jurantes, noceri ſe non ſperant. Utraque igitur illis evenient digne, quoniam malè ſenſerunt de Deo, attendentes ad idola, & injuſtè juraverunt in idolo contemnentes juſtitiam. Non enim juramentum eſt virtus, ſed peccantium pœna perambulat ſemper injuſtorum prævaricationem. *Expl. text. 2. p. fol. 298.*

Articulus Vnicus.

An perjuri ſint proditioſi per infidelitatem; contra Deum, injurioſi per falſitatem contra proximum; & punitioſi per iniquitatem contra ſe ipſos?

Statuitur concluſio. 2. p. fol. 290.

CAPITVLVM XV.

LECTIO CLXIX.

TEXTVS.

Tu autem Deus noſter ſuavis & verus, & patiens, & in miſericordia omnia diſponens. Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam. & ſi non peccaverimus, ſcimus, quoniam apud te ſumus computati. Noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt; & ſcire juſtitiam tuam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.

Expl. text. 2. p. fol. 299.

Articulus Vnicus.

An Sancti, & electi, verè ſint numerati à Deo ſeu computati juxta ſeptem ſpecies arithmeticæ?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 299. & 300.

LECTIO CLXX.

TEXTVS.

Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio; nec umbra picturæ labor ſine fructu; effigies ſculpta per varios colores, cujus aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam, & diligit imaginis mortuæ effigiem ſine anima. Malorum enim amatores digni ſunt morte, qui ſpem habent in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.

Expl. text. 2. p. fol. 300.

Articulus Primus.

An homini reddatur labor facilis propter occupationum varietatem; propter collaborantium ſocietatem; & propter magnæ mercedis exſpectationem?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 300. & 301.

Articulus Secundus.

Qualiter homines delinquentes, pœnitentes, ſtudentes & præſidentes, ſeu prælati laborent in hac vita?

Statuitur concluſio. 2. p. f. 301.

LECTIO CLXXI.

TEXTVS.

Sed & ſi figulus mollem terram premens laborioſè fingit ad uſus noſtros unumquodque vas, & de eodem luto fingit, quæ munda ſunt in uſum vaſa, & ſimiliter quæ his ſunt contraria: horum autem vaſorum quis ſit uſus, judex eſt figulus. Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto ille, qui paulo antè de terrâ factus fuerat, & poſt puſillum reducit ſe, unde acceptus eſt, repetitus animæ debitum quam habebat.

Expl. text. 2. p. f. 302. & 303.

Circa illa verba, *Repetitus animæ debitum*, eſt

Articulus Vnicus.

An ſimus debitores Deo tanquam ſuperiori; carni tanquam inferiori; & proximo tanquam æquali?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 302. & 303.

LECTIO CLXXII.

TEXTVS.

Sed eſt illi cura, non quia laboraturus eſt, nec quoniam brevis vita illius, ſed concertat cum aurificibus & argentariis; ſed & ærarios imitatur & gloriam præfert: quoniam res ſupervacuas fingit. Cinis eſt enim cor ejus & terra ſupervacua ſpes illius, & luto vilior vita illius; quoniam ignoravit illum, qui finxit ſe, & inſpiravit ei animam; & amat ea, quæ operatus eſt, & non eum qui inſufflavit illi ſpiritum vitalem.

Expl. text. 2. p. fol. 303.

Circa illa verba, *Brevis eſt vita illius*. eſt

Articulus Vnicus.

An vita noſtra habeat durationis brevitatem; afflictionis acerbitatem; & ſalutis animæ incertitudinem?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 303. & 304.

LECTIO CLXXIII.

TEXTVS.

Sed & æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram, & converſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere undequaque etiam ex malo acquirere: Hic enim ſcit ſe ſuper omnes delinquere, qui ex terra materia fragilia vaſa & ſculptilia fingit. Omnes enim inſipientes, & infelices ſupra modum animæ, ſuperbi ſunt inimici populi Dei, & improperantes illi.

Expl. text. 2. p. fol. 304.

Articulus Vnicus.

An ad ludum licitè faciendum requiratur condecentia honeſtatis; conſervatio probitatis; & carentia ſuperfluitatis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 304. & 305.

LECTIO CLXXIV.

TEXTVS.

Quoniam omnia idola nationum Deos æſtimaverunt, quibus nec oculorum uſus eſt ad videndum; nec nares ad percipiendum ſpiritum; nec auris ad audiendum; nec digiti manuum ad tractandum: ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, finxit illos. Nemo enim ſibi ſimilem homo poteſt Deum fingere; cum enim ſit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis.

Expl. text. 2. p. f. 305. & 306.

Articulus

Articulus Vnicus.

An mali & inſcii paſtores, ſeu ſuperiores, moraliter loquendo careant omnibus ſenſibus?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 306.

LECTIO CLXXV.

TEXTVS.

Melior eſt enim ipſe his quos coluit, quia ipſe quidem vixit cum eſſet mortalis, illi autem nunquam; ſed & animalia miſerrima colunt, inſenſata enim comparata his, illis ſunt deteriora, ſed nec aſpectu, aliquis ex his animalibus poteſt bona conſpicere; effugarunt autem Dei laudem & benedictionem ejus.

Expl. text. 2. p. fol. 306.

Circa illa verba, *Et benedictionem ejus*, eſt

Articulus Vnicus.

An Reverentia erga Parentes, beneficentia erga indigentes; innocentia converſationis; & benigna correptio ad inſolentes promereantur Dei benedictionem?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. f. 306.

CAPITVLVM XVI.

LECTIO CLXXVI.

TEXTVS.

Propter hæc & his ſimilia paſſi ſunt dignè tormenta, & per multitudinem beſtiarum exterminati ſunt: pro quibus tormentis bene diſpoſuiſti populum tuum, quibus dediſti concupiſcentiam delectamenti ſui novum ſaporem, eſcam parans eis ortigometram, ut illi quidem concupiſcentes eſcam, propter ea quæ illis oſtenſa & immiſſa ſunt, & à neceſſaria concupiſcentia, averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam guſtaverunt eſcam.

Expl. text. 2. p. f. 308.

LECTIO CLXXVII.

TEXTVS.

Oportebat enim in illis quidem ſine excuſatione ſupervenire interitum exercentibus Tyrannidem. His autem oſtendere tantum, quemadmodum inimici illorum exterminabantur. Etenim in illis ſupervenit ſæva beſtiarum ira, morſibus perverſorum colubrorum exterminabantur.

Expl. text. 2. p. fol. 309.

Circa illa verba. *Oportebat illis ſine excuſatione ſupervenire interitum.* eſt

Articulus Primus.

An magnitudo ſcientiæ in peccante, ſimilitudo culpæ in judicante, & ineptitudo cauſæ in delinquente, reddant peccantes pœnâ dignos & inexcuſabiles.

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 310.

Articulus Secundus.

Quot modis delinquentes ſe excuſare ſoleant à ſuis peccatis?

Statuitur concluſio. 2. p. fol. 310.

LECTIO CLXXVIII.

TEXTVS.

Sed non in perpetuum ira tua permanſit, ſed ad correctionem in brevi turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis, ad commemorationem mandati legis tuæ, qui enim converſus eſt, non propter hoc quod videbat, ſanabatur; ſed per te omnium Salvatorem. Et in hoc oſtendiſti inimicis noſtris quia tu es, qui liberas ab omni malo. Illos autem locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inventa ſanitas animæ illorum, quoniam digni erant ab hujuſmodi exterminari. *Expl. text. 3. p. fol. 311.*

Circa illa verba, *Sed per te omnium ſalvatorem.* eſt

Articulus Primus.

An Chriſtus rectè fuerit figuratus per ſerpentem æneum, quantum ad morum innocentiam, ſitus eminentiam, vitæ carentiam, & ſalutis efficientiam?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 311.

Articulus Secundus.

An Deus humano generi oſtenderit ſigna benevolentiæ, reminiſcentiæ, providentiæ, & patientiæ?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 312.

LECTIO CLXXIX.

TEXTVS.

Illos autem tuos, nec demonem, nec venenatum vicerunt dentes, miſericordia enim tua adveniens ſalvabat illos. In memoria ſermonum tuorum exterminabantur, & velociter ſanabantur, nec in altam incidentes oblivionem non poſſent tuo uti adjutorio. Etenim neque herba, neque malagara ſanavit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.

Expl. text. 2. p. fol. 312.

Circa illa verba, *Tuus ſermo Domine ſanat omnia*; eſt

Articulus Vnicus.

An ſuperbia phreneſi, ira febri acutæ, invidia febri ordinariæ, acedia Paraleſi, avaritia hydropiſi, gula & ebrietas Epilepſiæ, & luxuria lepræ rectè comparentur, & ſermone Dei curentur.

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 313.

LECTIO CLXXX.

TEXTVS.

Tu es Domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis & reducis. Homo autem occidit per malitiam animam ſuam, & cum exierit ſpiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta eſt, ſed tuam manum fugere impoſſibile eſt.

Expl. text. 2. p. fol. 314.

Articulus Vnicus.

An mala mulier rectè comparetur colubro Leoni & Draconi?

Statuitur concluſio. 2. p. f. 314.

LECTIO CLXXXI.

TEXTVS.

Negantes enim noſſe te impii per fortitudinem brachii tui flagellati ſunt novis aquis, & grandinibus & pluviis perſecutionem paſſi ſunt, & per ignem conſumpti. Quod enim mirabile in aquis erat, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat. Vindex etenim eſt orbis juſtorum.

Expl. text. 2. p. fol. 315.

Circa illa verba, *Vindex eſt enim orbis juſtorum.* eſt

Articulus Vnicus.

An aliquam vindictam pœnitentiæ debeamus exercere propter noſtra peccata, aliam præcavere, & aliam prævidere;

Statuitur concluſio affir. 2. p. f.

LECTIO CLXXXII.

TEXTVS.

Quodam ergo tempore manſuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios miſſa erant animalia, ſed ut ipſi videntes ſcirent, quoniam Dei judicio patiebantur perſecutionem. Et quodam tempore ſupra virtutem ignis in aqua ardebat, ut iniquam terræ nationem exterminarent. *Expl. text. 2. p. fol. 316.*

Articulus Vnicus.

An ſex proprietates aquæ rectè comparentur ſex proprietatibus mulieris ſanctæ?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 317.

LECTIO CLXXXIII.

Textus.

Pro quibus Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlis præſtitiſti eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem, ſubſtantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendiſti, & deſerviens uniuscujusque voluntati, ad quod quilibet volebat convertebatur.

Expl. text. 2. p. fol. 318.

Circa illa verba, *Angelorum eſca*, eſt

Articulus Primus.

An undecim operationes Angeli convenire debeant bono ſacerdoti?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. f. 318.

Articulus Secundus.

An ſacerdotes debeant Angelos imitari in immaterialitate, intellectualitate; motione orbis, & regimine hominum.

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 319.

LECTIO CLXXXIV.

Textus.

Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant, ut ſcirent, quoniam fructus iniquorum exterminabit ignis ardens in grandine, & pluvia coruſcans. Hoc autem iterum, ut nutrirentur juſti, ignis ſua virtutis oblitus eſt, creatura enim tua tibi factori deſerviens excandeſcit in tormentis, adverſus injuſtos & lenior fit ad benefaciendum his, qui in te confidunt.

Expl. text. 2. p. f. 320.

Articulus Primus.

An homines arguendi ſint de oblivione divinorum beneficiorum, propriorum delictorum, ſalutarium mandatorum, & familiarium amicorum?

Statuitur concluſio aff. 2. p fol. 321.

Articulus Secundus.

An animæ in purgatorio detentæ juſte conquerantur contra hæredes ingratos, executores falſos, Eccleſiaſticos non ſervantes fundationem ſibi factam, & contra mendicantes nihil orantes pro eo, qui largas eleemoſynas dedit?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 321.

LECTIO CLXXXV.

Textus.

Propter hoc etiam in omnia tunc transfigurata, omni nutrici gratiæ deſerviebant, ad voluntatem horum, qui a te deſiderabant, ut ſcirent filii tui, quos dilexiſti Domine, quoniam non nativitatis fructus paſcuat homines, ſed ſermo tuus, hos, qui in te crediderunt conſervat.

Expl. text. 2. p. f. 321.

Circa illa verba: dilexiſti Domine. eſt

Articulus Unicus.

An Deus dilectione ſua præveniat tarditatem noſtræ benevolentiæ, abluat fœditatem immundæ conſcientiæ, ſuperet quantitatem noſtræ ſufficientiæ, & præparet voluptatem perennis affluentiæ?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 322.

LECTIO CLXXXVI.

Textus.

Quod enim ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio ſolis calefactum tabeſcebat, ut notum omnibus eſſet, quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare, ingrati enim ſpes, tamquam hibernalis glacies tabeſcet, & diſperibit tamquam aqua ſupervacua.

Expl. text. 2. p. fol. 323.

Articulus Unicus.

Quotuplex ſit ingratitudo peccatorum erga Deum? Statuitur concluſio 2. 1. p. fol. 323.

CAPITULUM XVII.

LECTIO CLXXXVII.

Textus.

Magna enim ſunt judicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua. Propter hoc indiſciplinatæ animæ erraverunt; dum enim perſuaſum habent iniqui poſſe dominari nationi tuæ ſanctæ; vinculis tenebrarum, & longa mortis compediti, incluſi ſub tectis, fugitivi perpetua providentia jacuerunt, vel latuerunt.

Expl. text. 2. p. fol. 324.

Circa prima verba textus, eſt

Articulus Unicus.

An judicia Dei ſint magna propter judicis infallibilitatem, jurisdictionis generalitatem, juſtitiæ inflexibilitatem, & potentiæ incomprehenſibilitatem?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 325.

LECTIO CLXXXVIII.

Textus.

Et dum putant ſe latere in obſcuris peccatis, tenebroſo oblivionis velamento diſperſi ſunt, paventes horrende & cum admiratione vel turbatione nimia perturbati. Neque enim quæ continebat illos ſpelunca, ſine timore cuſtodiebat, quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pavorem illis præſtabant

Expl. text. 2. p. f. 326.

Circa illa verba & perſonæ triſtes. eſt

Articulus Unicus.

An invidi, perfidi, cupidi & ſtupidi ſemper ſint triſtes?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. f. 326.

LECTIO CLXXXIX.

Textus.

Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. Apparebat enim illis ignis ſubitaneus timore plenus, & timore illius percuſſi; quæ facies videbantur, æſtimabant deteriora eſſe, quæ non videbantur.

Expl. text. 2. p. f. 327.

Articulus Unicus.

An ignis corporalis puniat & affligat in inferno damnatos?

Statuitur concluſio. 2. p. f. 327.

LECTIO CXC.

Textus.

Et magicæ artis appoſiti erant deriſus, & ſapientiæ & gloriæ correptio cum contumelia. Illi enim qui permittebant timores, & conturbationes ſe expellere ab anima languente, hi cum deriſu pleni timore languebant. Nam etſi eos nihil ex monſtris perturbabat, tranſitu animalium, & ſerpentium ſibilatione commoti tremebundi peribant, & aerem, quem nulla ratione evadere quis poſſet, negantes ſe videre.

Expl. text. 2, p. fol: 328.

Articulus Unicus.

An ars magica ſit hominibus rationaliter interdicta?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 329.

LECTIO CXCI.

Textus.

Frequenter enim præoccupant peſſima redarguente conſcientia. Cum ſit enim timida nequitia, data eſt in omnium condemnationem. Semper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia, nihil enim eſt timor, niſi præſumptionis adjutorium. Proditio cogitationis auxiliorum, & dum ab intus minor eſt exſpectatio, majorem computat pœnam ejus cauſa, de qua tormentum præſtat.

Expl. text. 2. p. f. 330.

Circa

Circa illa verba, *Præoccupat peſſima redarguente conſcientia.* eſt

Articulus Primus.

An mala conſcientia ſit cauſatrix pravæ transgreſſionis, & vindictrix fractæ profeſſionis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 330.

Articulus Secundus.

An bona conſcientia ſit elevatrix ſuæ depreſſionis, & conſervatrix bonæ poſſeſſionis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 331.

Articulus Tertius.

An aliqui habeant conſcienam laxam, alii infirmam ſeu ſcrupuloſam, alii perturbatam, alii conſcientiam indiſcretam?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 331.

LECTIO CXCII.

TEXTUS.

Illi autem qui in potentem venêre noctem, ab infimis & altiſſimis ſupervenientem eundem ſomnum dormientes, aliquando monſtrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione, ſubitaneus enim animæ illis timor ſupervenerat & inſperatus.

Expl. text. 2. p. fol. 332.

Articulus Vnicus.

An peccatum rectè comparetur ſomno propter ſomni cauſationem, ſomni interpretationem, ſenſuum ligationem, & judicii deceptionem?

Statuitur concluſio affirm. 2. p. f. 332.

LECTIO CXCIII.

TEXTUS.

Deinde ſi quis ex illis decidiſſet cuſtodiebatur in carcere ſine ferro recluſus. Si enim Ruſticus quis erat, aut Paſtor, aut agri laborum operarius præoccupatus eſſet, ineffabilem ſuſtinebat neceſſitatem. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati.

Expl. text. 2. p. f. 333.

Articulus Vnicus.

An juxta ſacram Scripturam detur carcer corporalis coarctationis; conſuetudinalis oppreſſionis, medicinalis expurgationis, & infernalis condemnationis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 333.

LECTIO CXCIV.

TEXTUS.

Sive Spiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos avium ſonus ſuavis, aut vis aquæ diſcurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inviſus, aut mugientium validarum beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo, deficientes faciebant iſtos præ timore.

Expl. text. 2. p. fol. 334.

Circa ultima verba præ timore, eſt

Articulus Vnicus.

An bonus timor cauſet in bona perſona de futuris providentiam, de præteritis pœnitentiam, in agendis diligentiam & in periculis bonam confidentiam?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 335.

LECTIO CXCV.

TEXTUS.

Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis ſuppoſita erat gravis nox imago tenebrarum, quæ ſuperventura illis erat. Ipſi autem ſibi graviores erant tenebris.

Expl. text. 2. p. fol. 335.

Circa illa verba, *Erat gravis illis nox imago tenebrarum*, eſt

Articulus Primus.

An peccata moraliter loquendo ſicut tenebræ naturales, cauſent errorem & deceptionem, terrorem & ſtupefactionem, languorem & deſolationem, & torporem ſive dormitionem?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 336.

Articulus Secundus.

An hoc verbum *Ave* myſtice ſanctiſſimam Trinitatem deſignet?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. fol. 337.

CAPITVLVM XVIII.

LECTIO CXCVI.

TEXTUS.

Sanctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem audiebant, ſed & figuram non videbant, & quia ipſi non per eadem paſſi erant, magnificabant te, & qui ante læſi erant, quia non lædebantur, gratias agebant tibi, & ut eſſet differentia, te Deum petebant.

Expl. text. 2. p. fol. 338.

Articulus Primus.

An gratiarum actio ſit operatio beatorum, perceptorum augmentatio, divinitatis proteſtatio, & noſtræ neceſſitatis demonſtratio?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 338.

Articulus Secundus.

An Deo gratias agere debeamus, propter beneficium creationis, redemptionis, expectationis, juſtificationis, conſervationis & præmiationis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 339.

Articulus Tertius

An debita gratiarum actio debeat habere magnitudinem, alliduitatem, univerſitatem, & hilaritatem?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 339.

LECTIO CXCVII.

TEXTUS.

Propter hoc ignis ardentem columnam habuerunt ducem ignotæ viæ, & ſolem ſine læſura boni hoſpitii præſtitiſti, digni quidem illi erant carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui incluſos cuſtodiebant, & filios ſanctos tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen ſæculo dari,

Expl. text. 2. p. fol. 340.

Circa illa verba, *Ardentem columnam habuerunt ducem*, eſt

Articulus Vnicus.

An bonus prælatus tamquam dux debeat habere zelum fervoris & ſanctæ correptionis, ſtatum vigoris & ſupportationis, locum amoris & communicationis, motum præceſſoris & informatoris?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 340.

LECTIO CXCVIII.

TEXTUS.

Cum cogitarent juſtorum occidere infantes, & uno expoſito filio & liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abſtuliſti, & pariter ipſos in aqua perdidiſti valida. Illa autem nox cognita eſt ante à patribus noſtris, ut verè ſcientes, quibus juramentis crediderunt, animæ quietiores eſſent.

Expl. text. 2. p. fol. 341.

Circa illa verba: *Scientes quibus juramentis crediderunt.* eſt

Articulus Vnicus.

An bona & recta fides, ſeu fiducia impetret remiſſionem peccatorum, dæmoniorum confuſionem, optatorum conſecutionem, & electorum benedictionem?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 342.

LECTIO CXCIX.

TEXTUS.

Abſconſi enim ſacrificabant juſti pueri bonorum juſtitiæ legem in concordia diſpoſuerunt, ſimul in-

mul inter bona & mala recepturos juſtos, patrias decantantes laudes. Reſonabat autem inconveniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

Expl. text. 2. p. fol 343.

Circa illa verba, *Juſtitiæ legem in concordia diſpoſuerunt*, eſt

Articulus Vnicus.

An ad legem pro republica debitè concedendam requiratur ſubtilitas maturæ deliberationis, utilitas ſecuræ cohabitationis, auctoritas manſuræ obligationis, & æqualitas menſuræ ac rectæ diſtributionis?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 343.

LECTIO CC.

TEXTVS.

Similis autem pœna ſervus cum Domino afflictus eſt, & popularis homo Regi ſimilia paſſus, ſimiliter & omnes, ergo uno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad ſepeliendum vivi ſufficiebant, quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio eorum exterminata eſt. De omnibus enim non credentes propter beneficium tunc, cum primum fuit exterminium progenitorum, ſpoponderunt ſe populum Dei eſſe.

Expl. text. 2. p. fol. 344.

Circa illa verba, *Popularis homo ſimilia paſſus eſt*, eſt

Articulus Vnicus.

An ſit prælationis regiæ aliqua neceſſitas, & inſtitutionis ejuſdem congruitas cum exemptionis auctoritate, & bonæ converſationis probitate?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 344.

LECTIO CCI.

TEXTVS.

Cum enim quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cœlo a Regalibus ſedibus venit durus debellator, in medium exterminii terram proſiluit gladius acutus inſimulatum imperium tuum portans & ſtans omnia replevit morte, & uſque ad cœlum attingebat ſtans in terra.

Expl. text. 2. p. f. 345.

Circa illa verba, *Omnipotens ſermo tuus Domine*. eſt

Articulus Primus.

An Angelus exterminator ægypti fuerit bonus?

Statuitur concluſio. 2. p. f. 346.

Articulus Secundus.

An animæ in purgatorio torqueantur per Angelos bonos, vel malos?

Statuitur concluſio. 2. p. f. 346.

Articulus Tertius,

An virtuoſum ſilentium ſit cuſtos conſcientiæ, frenum inſolentiæ, decor innocentiæ, & ſignum patientiæ?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 347.

LECTIO CCII.

TEXTVS.

Tunc continuo viſus malorum ſomniorum turbaverunt illos & timores ſupervenerunt inſperate. & alius alibi projectus ſemivivus, propter quam cauſam moriebatur, demonſtrabat. Viſiones enim, quæ illos turbaverunt, præmonebant, ne inſcii, qualiter mala patiebantur, perirent.

Articulus Vnicus

An divinatio ex ſomniis ſit licita?

Statuuntur tres concluſiones. 2. p. f. 348.

LECTIO CCIII.

TEXTVS.

Tetigit autem & tunc juſtos tentatio mortis & commotio in eremo facta eſt multitudinis. Sed non diu permanſit ira tua. Properans enim homo ſine querela deprecatur pro populis, proferens ſervitutis ſuæ ſcutum, orationem. & per incenſum deprecationem; allegans reſtitit iræ & finem impoſuit neceſſitati, oſtendens quoniam tuus eſt famulus.

Expl. text. 2. p. f. 349.

Circa illa verba, *Proferens, ſervitutis ſuæ ſcutum orationem*, eſt

Articulus Vnicus.

An devota oratio ſit ſcala noſtræ aſcenſionis, ſcutum noſtræ defenſionis, nuntius noſtræ legationis, & redditus noſtræ ſubjectionis.

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 350.

LECTIO CCIV.

TEXTVS.

Vicit autem turbas non in virtute corporis, nec in armatura potentia ſed verbo illum, qui ſe vexabat, ſubjecit, juramenta patrum, & teſtamentum commemorans. Cum enim jam acervatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit & amputavit impetum ignis, & diviſit illam, quæ ad vivos ducebat viam.

Expl. text. 2. p. fol 351.

Circa illa verba, *Vicit autem turbas*, eſt

Articulus Vnicus.

An ſeptem vitia capitalia ſignificata per ſeptem gentes ab Iſraelitis ſuperatas, oporteat expugnare per ſeptem dona Spiritus ſancti?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol. 351.

LECTIO CCV.

TEXTVS.

In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta; & magnificentia tua in diademate capitis illius erat ſcripta. His autem ceſſit, qui exterminabat, & hæc extimuit, erat enim ſola tentatio iræ ſufficiens.

Expl. text. 2. p. fol. 352.

Circa illa verba, *In veſte poderis*. eſt

Articulus Vnicus.

An moraliter loquendo quævis perſona Eccleſiaſtica debeat habere poderem in corpore, rationale in pectore, & diadema in capite?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol.. 354.

CAPITVLVM XIX.

LECTIO CCVI.

TEXTVS.

Impiis autem uſque ad noviſſimum ſine miſericordia ira ſupervenit, præſciebat enim & futura eorum. Quoniam cum ipſi reverſi eſſent, & permiſiſſent, ut ſeducerent, & cum magna ſolicitudine permiſiſſent illos, conſequebatur illos actus pœnitentiæ, adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam ſibi aſſumpſerunt cogitationem inſcientiæ, & quos rogantes projecerant hos tanquam fugitivos perſequebantur.

Expl. text. 2. p. fol. 355.

Circa illa verba: *Uſque in noviſſimum ira ſupervenit*. eſt

Articulus Vnicus.

Quomodo ira Dei ſit indeclinabilis & mitigabilis?

Statuitur concluſio affir. 2. p. fol. 356.

LECTIO CCVII.

TEXTVS.

Ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas, & horum quæ accidebant, commemorationem amittebant, ut ea, quæ deerant tormentis, repleret punitio, & populus quidem tuus mirabi-

mirabiliter tranſiret, illi autem novam mortem invenerunt.

Expl. text. 2. p. f. 356.

Circa illa verba, *Ducebat enim illos digna neceſſitas ad hunc finem.* eſt

Articulus Vnicus.

An quidam homines ſeducantur illecebroſa ſenſualitate, præſumptuoſa temeritate, malitioſa ſeveritate, & pernitioſa familiaritate?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. f.

LECTIO CCVIII.

TEXTVS.

Omnis enim creatura ab initio ob ſuum genus refigurabatur deſerviens tuis præceptis, ut pueri tui cuſtodirentur illæſi, nam nubes eorum caſtra obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat terra, apparuit arida, & in mari rubro, via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio; per quam omnis natio tranſivit, quæ regebatur manu tua, videntes tua mirabilia & monſtra.

Expl. text. 2. p. fol. 358.

Circa illa verba, *Ad genus ſuum refigurabantur.* eſt

Articulus Vnicus.

An genus noſtrum conſiderare debeamus ſervando ex parte patris noſtri Dei, nobilitatem, ex parte matris noſtræ terræ, humilitatem; ex parte fratrum noſtrorum id eſt bonorum operum utilitatem?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 359.

LECTIO CCIX.

TEXTVS.

Tanquam enim equi depaverant eſcam, & tanquam agni exultarunt magnificantes te Domine, quia liberaſti illos. Memores enim adhuc erant eorum, quæ in incolatu eorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium produxit terra muſcas, & pro piſcibus eructavit fluvius multitudinem ranarum. Noviſſimè autem viderunt novam creaturam avium; cum adductis concupiſcentiâ poſtularunt eſcas epulationis. In allocutione deſideriatum deſcendit illis de mari ortygometra.

Expl. text. p. 3. fol. 359.

LECTIO CCX.

TEXTVS.

Et vexationes peccatoribus ſuperveniebant, non ſine illis, quæ ante facta fuerunt, argumentis per vim fluminum. Juſtè enim patiebantur ſecundum ſuas nequitias; etenim in deteſtationem inhoſpitalitatem ſtatuerant. Alii quidam ignorantes non recipiebant advenas, alii autem bonos hoſpites in ſervitutem accipiebant & non ſolum hoc, ſed & alius erat reſpectus illorum, quoniam invitè recipiebant extraneos, qui eiſdem aſi erant iuſtitiis, ſeviſſimis afflixerunt doloribus. Percuſſi ſunt autem cæcitate, ſicut illi in foribus juſti, cum ſubitaneis cooperti eſſent tenebris, unuſquiſque oſtii ſui tranſitum quærebat, nec invenire poterant.

Expl. text. 2. p. fol. 360.

Articulus Primus.

An hoſpitalitas Deo grata debeat habere hilaritatem ſine murmuratione, ſecuritatem ſine turbatione; ſaturitatem ſine diminutione, & pietatem ſine negotiatione?

Statuitur concluſio. 2. p. f. 361.

Articulus Secundus.

An hoſpes receptus debeat eſſe contentus per acceptionem ſui, pro ea gratias agere, in domo ſe recipientis nihil dominari, & cavere nimiam frequentationem unius loci?

Statuitur concluſio aff. 2. p. fol: 362.

Articulus Tertius

An hoſpitalitas diſponat ad Dei cognitionem, conferat temporalium multiplicationem, excludat divinam ultionem, & mereatur Dei & Angelorum ſuſceptionem?

Statuitur concluſio affirmativa. 2. p. f. 362.

LECTIO CCXI.

TEXTVS.

In ſe enim elementa dum convertuntur. ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum conſtituunt, unde æſtimari ex ipſo certo viſu poteſt; agreſtia enim in aquatica convertebantur, & quæcunque erant natantia in terram tranſibant. Ignis in aqua valebat ſuper virtutem ſuam, & aqua extinguentis virtutis ſuæ obliviſcebatur. Flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec diſſolvebant illam, quæ facile diſſolvebatur ſicut glacies bonā eſcā.

Expl. text. 2. p. f. 363.

LECTIO CCXII.

TEXTVS.

In omnibus enim magnificaſti populum tuum Domine, & honoraſti, & non deſpexiſti: in omni tempore, & in omni loco aſſiſtens eis.

Circa illa verba, *Magnificaſti populum tuum Domine.* eſt

Articulus Primus.

An jactatores pomposi; ſimulatores doloſi, perquiſitores pecunioſi, & peccatores monſtruoſi ſeſe inaniter magnificent?

Statuitur concluſio aff. 2. p. f. 364.

Articulus Secundus.

An Deus magnificet hominem producendo artificioſè, redimendo copioſè, juſtificando gratioſè, & beatificando glorioſè?

Statuitur concluſio affir. 2. p. f. 365.

LECTIO CCXIII. & Ultima

THEMA.

Os juſti meditabitur ſapientiam. Pſ. 36.

Expl. text. 2. p. fol. 365.

Articulus Vnicus.

Quomodo notitia ſacræ Scripturæ obtineri poſſit?

Statuuntur quinque concluſiones. 2. p. fol. 366.

FINIS SECVNDI INDICIS.

INDEX TERTIUS

Super omnia Feſta totius Anni.

In Feſto Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Thema.

Cum ortus fuerit ſol de cœlo, videbitis Regem Regum procedentem tanquam ſponſum è thalamo ſuo.

Vel ſit hoc Thema.

Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis: lux orta eſt eis. Iſ. 9.

Chriſtus tanquam ſol pertranſivit omnia ſigna, ſed hodie fuit in ſigno Virginis benedictæ. 1. p. lect. 61. art. 3. fol. 115.

Thema ſecundum

Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Ioan. 1.

De filiis adoptivis Dei. 1. p. lect 24. art. 2. fol. 41 & 42 & lect: 26. art: unico: fol: 45.

Thema tertium.

In propria venit, & ſui eum non receperunt. Ioan. 1.

De hoſpitalitate lect. 210. art. 1. 2. & 3. fol. 361.

Thema quartum.

Gloria in excelſis Deo. Lucæ 2.

Deo gratias agere debemus & dare gloriam propter quatuor. 2. p. lect. 196. art. 2. fol. 339.

Thema quintum

Et homo factus eſt.

Homo pulchrè explicatur. 2. p. lect. 149. art. uni. poſt expl. 3. fol. 269.

Homo menſurare debet tria. 2. p. lect. 143. art. 1. fol. 258.

Vita hominis ſimilis Angelis aſcendentibus & deſcendentibus per ſcalam Jacob. 1. p. lect. 62. art. 1. not 1. fol. 118.

In Feſto S. Stephani Proto-Martyris.

Thema.

Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, Act. 7.

Quomodo nos habere debeamus erga quatuor inimicos. 2. p. lect. 131. art. unico. fol. 235. & 237.

Thema ſecundum

Intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem a dextris Dei.

Iuſti debent *ſtare* principaliter ad quatuor actus. 1. p. lect. 58. in expl text. fol. 108.

Item *ſtans* eſt promptior ad miniſtrandum, fortior ad dimicandum, aptior ad ambulãdum, & utilior ad contemplandum. 1. p. lect. 133. art. un. in expl. 2. fol. 241.

Item ſtans habet quatuor qualitates, quas etiam debet habere bonus prælatus. 2. p. lect. 133. art. 2. in expl. 1 p. fol. 241.

In Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.

Thema primum.

Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, Ioan. 21.

Oſtenditur quod Deus nos ſua dilectione præveniat. 2. p. lect. 185. art. unico fol. 322.

Item amor transformat amantem in amatum 2. p. lect. 207. art. un. in expl. 4. p. fol. 357.

Thema ſecundum

Filioli diligite invicem. 1 Ioan. 1.

S. Ioannes ſuaſit amorem ordinatum, ſed amor humanus inordinatus tria mala cauſat. 1. p. lect. 92. poſt expli. text. in not. fol. 164.

Amor ordinatus pulchrè comparatur igni. 2. p. lect 184. poſt expl. text. in notabili.

Item dilectio pulchrè deſcribitur. 2. p. lect. 121. art. unic. in expl. 3. p fol. 303.

Item dilectio humana habet quatuor defectus, quos non habet amor divinus. 2 p. lect. 185. art. un. in expl. 3 p. fol. 322.

Thema tertium.

Facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor. Ezech. 1.

Per Aquilam deſignatur S Joannes Evangeliſta, proprietas Aquilæ deſcribitur, & quomodo pedem dextrum habeat majorem ſiniſtro. 1. p. lect. 65. art. un. in expl. 3. p. fol. 122.

Thema quartum.

Scimus, quia teſtimonium ejus verum eſt Ioan. 21.

De veritate. 1. p. lect. 86. art. un. fol. 158.

Item lect. 11. art. un. in expl. 3. p. fol. 19.

S. Joannes quomodo aureolam virginitatis habeat. 1. p. lect. 40 art 2. in fol. ad 5. f. 75.

Joannem & Jacobum Chriſtus durè increpavit, & cur? 2. p. lect. 181. art. un. in expl. 3. p. art. fol. 316.

In Feſto ss. Innocentum.

Thema primum

In ore eorum non eſt inventum mendacium. Apoc. 14.

Mendacium ſpecialiter dedecet hominem. 1 p. lect. 11. art. un. fol. 18.

Item mendaces perjuri tribus nocent. 2. p. lect. 168. art. un. fol. 298. & lect. 132. art. un in expl. 2. p. fol. 239.

Thema ſecundum.

Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Apoc. 14.

De mulieribus. Mulier habet magnam malitiam, eſtque acutiſſimum telum diaboli. 1. p. lect. 38. art. un. in expl. 2. p. fol. 69 & 70.

Item 1. p. lect. 66. art 1. in expl. 3. p. fol. 124.

Item 2 p. lect. 180. poſt expl. text. in not. fol. 314.

Thema tertium.

Lactentes interfecti ſunt. Eccleſia in eorum officio.

De mamilla quâ Chriſtus nos tanquam nutritius lactat. 1. p. lect. 124. art. un. fol. 219.

Dominica infra octavam Nativitatis Domini.

Thema primum.

Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Luc. 2.

In his verbis datur occaſio loquendi de virtuoſo ſilentio. 2. p. lect. 201. art. 3. fol. 347.

Thema ſecundum

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Luc. 2.

Mors Chriſto illata, fuit doloroſa, ignominioſa & injurioſa. 1. p. lect. 28. art. 3. fol. 49.

In

Super omnia Feſta totius Anni.

In Circumciſione Domini.

Thema pcimum.

Vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Luca. 2.

Pulchra de nomine Jeſu dicuntur. 2. p. lect. 95. art. un. fol. 244.

Thema ſecundum.

Nomen ejus, lect. 1. p. 18. art. 1. 2. fol. 30. & 31.

Dominica cadente in vigilia Epiphaniæ.

Thema.

Angelus Domini apparuit Ioſeph in ſomno. Matth. 2.

An ſit licitum divinare ex ſomniis. 2. p. lect. 202. art. un. fol. 348.

Thema ſecundum.

Admonitus in ſomno, Matth. 2.

Peccatum rectè comparatur ſomno propter quatuor. 2. p. lect. 102. art. 1. per totum fol. 148.

In Feſto Epiphaniæ.

Thema primum.

Fili præbe mihi cor tuum.

Debemus hodie Chriſto cor noſtrum offerre loco muneris. 1. p. lect. 4. art. 3. fol. 6. & 7. Item lect. 76. poſt expl. text. not. 2. fol. 144.

Thema ſecundum.

Tres Reges obtulerunt ei munera, aurum, thus, myrram. Matth. 2.

Reges de triplici regno. 1. p. lect. 70. art. 2. fol. 131.

Item lect. 76. poſt expl. text. not. 2. fol. 144.

Item bonum regimen debet habere quinque conditiones. 1. p. lect. 114 in expl. text. fol. 201.

Thema tertium.

In thure Sacerdotem magnum conſidera.

Eccleſia in officio hodierno.

Sacerdotes boni debent Angelos imitari in quatuor punctis. 2. p. lect. 183. art. 2. fol. 319.

Dominica infra octavam Epiphaniæ.

Thema.

Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim Luca. 2.

De juventute rectè inſtruenda ac informanda. 1. p. lect. 54. art. un. fol. 101. & 102.

Thema ſecundum.

Invenerunt eum. Luca 2.

A quibus Deus inveniatur, docetur. 1. p. lect. 4. in expl. textus, & art. 5. fol. 5. 6. & 7.

Deus non invenitur in laſcivis voluptatis, nec in divitiis inordinatæ vanitatis. 2. p. lect. 257. art. 2. in expl. concluſionis. fol. 181.

Thema tertium.

In medio Doctorum.

De Doctoribus, quorum aliqui populum quinque, & alii ſeptem panibus paſcunt, 1. p. lect. 97. poſt expl. textus. not. 2. fol. 173.

In Feſto S. Sebaſtiani Martyris.

Thema primum.

Poſuit me ſicut ſagittam electam. Eccl. 49.

De triplici arcu Chriſti & Diaboli, eorumque ſagittis. 1. p. lect. 66 art. 1. & 2. fol. 124. & 125.

Thema ſecundum.

Vſque ad mortem certa pro iuſtitia. Eccl. 3.

S. Sebaſtianus poſtquam ſagittis fuit confoſſus & iterum à S. Irene curatus eſſet, palàm increpavit injuſtitiam Diocletiani, & tandem fuſtibus contuſus eſt; ex vita S. Sebaſtiani.

Juſtitia eſt munimentum prælantis, ornamentum triumphantis, & inſtrumentum judicantis. 1. p. lect. 14. art. 3. fol. 23.

In Feſto Converſionis S. Pauli.

Thema primum.

Ex perſecutore factus eſt vas electionis.

Eccleſia in hodierno officio.

Quomodo Deus mirabiliter electos transferat de rebellione ad reconciliationem. 1. p. lect. 50. art. 2. fol. 95.

Thema ſecundum.

Domine quid me vis facere? Act. 9.

In his verbis clare patet quod S. Paulus habuerit deſiderium aliquid diſcendi à Deo, modus autem diſcendi aliquid à Deo explicatur. 1. p. lect. 75. art. 1. fol. 141.

Paulus converſus Chriſtum reconciliavit, Angelos lætificavit, animam reformavit & Dæmones confutavit. 2. p. lect. 149. art. un. fol. 299. & 270.

Thema tertium.

Stupens ac tremens dixit, Domine quid me vis facere. Act. 9.

Timor bonus cauſat in homine quatuor bona. 2, p. lect 194, art. un. fol. 335.

In feſto Purificationis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

Thema primum.

Accepit eum Simeon in ulnas ſuas, & benedixit Deum. Luca. 2.

Quatuor modis homo meretur benedictionem Dei. 2, p. lect. 175 art. un.

Thema ſecundum.

Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael, Luca. 2.

Chriſtus Dominus fuis candor *lucis*, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis. 2. p. lect. 102, art. un. fol. 182, & 183.

In Feſto S. Matthiæ Apoſtoli.

Thema primum.

Cecidit ſors ſuper Matthiam, Act. 1.

De ſorte. 1. p. lect. 60. in expl. text. fol. 112.

Thema ſecundum.

Oſtende quem elegeris accipere locum Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt impius, Act. 1.

Inter duodecim Apoſtolos erat unus nequam, juſtus homo ſentit ſemper ſe vivere inter peccatores. 1. p. lect. 50. art. 1. fol. 94.

Thema tertium.

Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Matth. 11.

Sanctis jugum Dei leve eſt, ſed peccatoribus quatuor ſunt gravia, 1. p. lect. 25. art. 2. fol. 43.

In Feſto S. Thomæ Aquinatis.

Thema.

Lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, quam ſine fictione didici. Sap 7.

Sapientiam S. Thomas acquiſivit amore, labore, humilitate, & ſtabilitate. 1. p. lect. 55. art: 1 fol: 103.

Thema ſecundum.

Et ſine invidia communico. Sap. 7.

Quinam ſint actus ſapientiæ. 1. p. lect 55. art. 3. fol. 103. & 104.

Thema tertium.

Sapientiam antiquorum exquiret ſapiens. Eccl. 30.

Modus acquirendi ſapientiam præſcribitur à Spiritu ſancto. 1. p. lect. 75. art. 1 fol. 141. Item. 1 p. lect. 81. poſt expl. text. not. 2. fol. 151.

Item 1. p. lect. 83. in expl. text. fol. 155.

Thema quartum.

Coll'tulabunt multi ſapientiam ejus. Sap 7.

De triplici ſapientia, cordis, oris & operis. 1. p. lect. 74. art. 2. in expl. 3. p. fol. 140.

Sapientia in hominibus eſt laudanda propter tria. 1. p. lect. 102. in expl. text. fol. 182.

In Feſto Ioſephi Sponſi Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

Thema.

Ioſeph autem cum eſſet juſtus. Matth. 1.

Iuſtus in hac vita debet gaudere de tribus. 1. p. lect 95 art. 1. fol. 169.

Quis vero ſit dicendus juſtus 1 p. lect. 69. art 2. fol. 130.

Et. 1. p. lect 3. art. 1. fol. 4.

Item de bona conſcientia, quæ facit hominem juſtum. 2. p. lect. 191. art. fol. 330.

Item juſti poſt hanc vitam dominabuntur in honore, coronabuntur in decore & conſervabuntur ſub bono tutore. 1. p. lect. 70. in expl. text. fol. 131.

Thema ſecundum.

Hoc autem teſtimonium Maria eſt. Matth. 1.

Virtuoſus debet habere teſtimonium à ſuperiore, interiore, & exteriore. 1. p. lect. 18. art. 2. poſt expl. 2. p. fol. 31.

In Annuntiatione Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

Thema primum

Ave gratia plena Dominus tecum. Luca. 1.

Ave miſtice Sanctiſſimã Trinitatem deſignat, & pulchrè explicatur. 2. p. lect. 195. art. 2. fol. 337.

Thema ſecundum.

Benedicta tu in mulieribus.

Pulchrè explicantur hæc verba. 1. p. lect. 41. art. un. in expl 1 p. fol. 76.

Thema tertium.

Dominus tecum.

Beatiſſima Virgo pulchrè comparatur lapidi Ethiti, qui in ſe alium parvum lapillum continet. 1. p. lect. 36. art. 2. in expl. 1. p. fol. 63.

Thema quartum.

Ecce ancilla Domini. Luca. 1.

Quomodo Beatiſſima Virgo ſit facta digna Dei habitatio ? 2. p. lect. 159 poſt expl. text. fol. 283.

In feſto Paſchatis, ſeu Dom Reſurrect.

Thema primum.

Venerunt ad monumentum orto jam ſole Marci 16.

Chriſtus rectè comparatur ſoli, qui jam ortus fuit, id eſt, qui jam reſurrexit, quando Maria Magdalena, Maria Jacobi, & Salome venerunt ad monumentum. 1, p. lect. 61, art. 1, 2, & 3, fol. 113, 114, 115, & 116.

Item lect. 14, art. un. fol. 185.

Thema ſecundum.

Filius Dei redemit nos glorioſe, vel, vicit Leo de tribu Iuda.

Oſtenditur, quod Chriſtus nos liberaverit tanquam medicus, tanquam princeps, & tanquam Iudex. 2 p. lect 129, art. 2 fol. 233.

Thema tertium.

Chriſtus mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit. Eccleſia in hodierna præfatione.

Chriſtus dedit nobis triplicem vitam: nimirum naturæ, gratiæ & gloriæ. 2, p. lect. 161, art. un. fol. 287.

Feria ſecunda Paſchatis.

Thema primum.

Nonne ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Luca. 14.

Oſtenditur, quod redemptio noſtra facta per ſanguinem Chriſti, ſit pretioſa, doloroſa, amoroſa, & gratioſa. 2, p. lect. 137, art. un. fol. 248.

Thema ſecundum.

Et eſtis triſtes. Luca 24.

Oſtenditur quod invidi, perfidi, cupidi, & ſtupidi ſemper ſint triſtes. 2, p. lect. 188, art. unico. fol. 326.

Feria tertia Paſchatis.

Thema primum.

Pax vobis. Luca. 24.

Qui non poſſident veram pacem, declaratur. 2, p. lect. 167. art. un. fol. 296, & 270.

Thema ſecundum.

Videte manus meas & pedes meos. Luca 24.

Redemptio noſtra pulchrè deſcribitur. 2, p. lect. 137. art. un. in expl. 1, & 2, p. fol. 248.

Item. 1 p. lect. 110, art. un. in expl. 2. p. fol. 149.

In feſto S. Georgii Martyris.

Thema primum.

Certamen forte dedit illi ut vinceret.

Actus excellentis victoriæ eſt, vincere carnem, mundum & Diabolum. 2, p. lect. 136. art. un. in expl. 2, p. fol. 246.

Thema ſecundum.

Pugnate cum antiquo ſerpente.

Arma quibus ſpecialiter Diabolo reſiſtimus eumque vincimus, ſunt ſobrietas & vigilantia, Item Amor Dei & humilitas. 1, p. lect. 127, art. 1, in expl. 1. p. fol. 228.

Thema tertium.

Accipiet diadema ſpeciei, quia dextera ſua reget illos, & brachio ſuo defendet eos Sap.

Oſtenditur, quod in Chriſto tanquam in *brachio* ſit noſtra munitio, noſtra initio ſeu defenſio, & noſtra finitio 1, p lect. 70. art. 1, fol. 171.

In Feſto ss. Apoſtolorum Philippi & Iacobi.

Thema.

Domine oſtende nobis Patrem. Ioan. 14.

Genus noſtrum conſiderare debemus ſervando ex parte Patris noſtri Dei, nobilitatem. 2, p. lect. 208, art. un. fol. 342.

Thema ſecundum.

Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, Ioan. 14.

Devota oratio eſt ſcala noſtræ aſcenſionis, ſcutum noſtræ defenſionis, nuntius noſtræ legationis, & redditus noſtræ ſubjectionis, 2, p. lect. 203, art. un. fol. 350.

In Feſto Inventionis S. Crucis.

Thema primum.

Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemiſti mundum. Eccleſia in hodierno officio.

Pul-

Pulcherrima dicuntur, 2. p. lect. 162, art. 1, & art. 2, per totum fol. 288 & 289.

Thema ſecundum.

Per lignum ſervi, per ſe ſumus liberi. Eccleſia.

Chriſtus rectè vocatur lignum vitæ, & quæ conſideranda ſint de Chriſto tanquam de ligno frugifero, 2, p. lect. 161. art. un. fol. 287.

In Aſcenſione Domini.

Thema primum.

Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum Eccleſia.

Quomodo Deum Patrem noſtrum debemus deprecari, venerari & imitari, 2. p. lect. 39, art. 1, fol. 252.

Videri etiam poſſunt ibi, quæ dicuntur art. 2, & 3.

Thema. ſecundum.

Elevatis manibus benedixit eis.

De manu Dei pulchra dicuntur, quales quinque digitos habeat, 1, p. lect. 98, art. un fol. 276.

Thema tertium.

Benedixit eis.

Quatuor merentur benedictionem Dei, 2. p. lect. 175, att. un. fol. 307.

Dominica infra octavam Aſcenſionis Domini.

Thema

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, ille teſtimonium perhibebit de me Ioan. 15.

Chriſtus non eguit teſtimonio, quia fuit candor lucis honeſtiſſimè vivendo; ſpeculum ſine macula rectiſſimè docendo; & imago bonitatis, benigniſſimè redimendo. 1, p. lect. 102, art. un. fol. 183.

Thema ſecundum.

Dum venerit Spiritus veritatis qui à Patre procedit, ille vos docebit omnia. Ioan. 15.

Demonſtratur, quod Spiritus ſanctus habeat duodecim pulchras qualitates. 1, p. lect. 100, in in expl. text. fol. 179.

Thema tertium.

Ille vos docebit omnia Ioan. 15.

Spiritus ſanctus nos docet, qualiter diſcere debeamus. 1, p. lect. 75, art. 1, fol. 141.

In feſto ſeu Dominica Pentecoſtes.

Thema primum.

Sedit ſuper ſingulos eorum Spiritus ſanctus Act. 2.

Spiritus ſanctus venit, ſicut lachrymantium conſolator; ſicut ignorantium informator; & ſicut vacillantium confirmator. 2, p. lect. 124, art. un. fol. 228.

Thema ſecundum.

Tu ſeptiformis munere.

Declaratur, quod ſeptem vitia capitalia deſignata per ſeptem gentes, debeant expugnari per ſeptem dona ſpiritus ſancti, 2. p. lect. 204. art. un.

Thema tertium.

Apparuerunt Apoſtolis diſpertita lingua tanquam ignis. Act. 2,

Cur Spiritus ſanctus in forma linguæ apparuerit. & ad quid homini lingua ſit data. 1, p. lect. 10, art. 1, fol. 16.

Feria ſecunda Pentecoſtes.

Thema primum.

Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium.

Oſtenditur quod Spiritus ſanctus ſit mamilla Chriſti quâ nos lactat. 1, p. lect. 124, art. un. fol. 228.

Thema ſecundum.

Sic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret. Ioan. 3.

Ad quid teneatur homo, ex eo, quia Deus omnia creavit propter hominem, ita ut etiam Filium ſuum unigenitum dederit. 1, p. lect. 13, art. 2, fol. 21,

Thema tertium.

Circa hæc verba; Sic Deus dilexit mundum.

Quanta ſit dilectio Dei erga hominem pulchre explicatur. 2. p. lect. 185, art. un. per tot.

Thema quartum.

Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Ioan. 3.

Explicatur, quod tenebras ament ij, qui malè agunt. 2, p. lect. 195, art. 1, in expl. 1, p. fol. 336.

Feria tertia Pentecoſtes.

Thema.

Fons vivus, ignis Charitas, & ſpiritualis unctio.

Spiritus S. comparatur rori unctioni, & melli 2, p. lect. 146, att. 1. in expl. 2, p. fol. 264.

Item cur apparuerit, in ſpecie nubis & columbæ ibidem in expl. 1. & 2. p.

Item cur apparuerit in ſpecie ignis, ibidem in expl. 2, p.

Item lect. 24, att. 2, in expl. 2, p. fol. 42.

Thema ſecundum.

Ieſus iterum dixit eis, ego veni, ut vitam habeant, & ut abundantius habeant. Ioan. 10.

Vita ſpiritualis hominis provenit à gratia Dei: oſtenditur autem, quod in Chriſto vero Deo tanquam in fonte gratiarum ſit perpetuitas pretioſa, ſuavitas ſaporoſa & communicas copioſa. 1, p. lect. 101, art. un. fol. 180.

In feſto ſeu Dominica ſanctiſſimæ Trinitatis.

Thema primum.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Matth. 28.

Hoc verbum Ave pulchrè explicatur, quomodo deſignet tres perſonas in ſanctiſſima Trinitate, & unitatem Eccleſiæ divinæ, 2, p. lect. 195, art. 2, fol. 357.

Thema ſecundum.

Data eſt mihi omnis poteſtas. Matth. 28.

Omnia ſubduntur gubernationi divinæ ſeu poteſtati Dei qui omnia diſponit miſericorditer 1, p. lect. 105, art. 1, & 2, fol. 186, & 187.

Thema tertium

Data eſt mihi omnis poteſtas in terra. Matth. 28.

Iudices & principes habent poteſtatem judicandi in terra, & tamen ob tres cauſas ſæpè non rectè judicant. 1, p. lect. 77, art. 2, fol. 145.

Vnde ut judex ſeu princeps in judicando rectè procedat, requiritur facilis credulitatis excluſio; exquiſita cauſæ diſcuſſio. & deliberata ſententiæ prolatio. 1, p. lect. 77, art. 2, fol. 145.

Item circa idem thema. Chriſtus & Deus non ſtatim utuntur ſua poteſtate ad damnandos homines, ſed lentè procedunt. 1. p. lect. 77, art. 2 per totum. fol. 145.

Item 2, p. lect. 146 in expl. text. fol. 264.

Item 2, p. lect. 148, in expl. text. fol. 262, & 268.

In feſto Corporis Chriſti.

Thema primum.

Angelorum eſca nutriviſti populum,& iterum Panem cæli dedit eu , Panem Angelorum manducavit homo.

Sacra Euchariſtia vocatur Panis Angelorum propter Sacerdotes, qui in ſacra Scriptura Angeli vocantur & ſacram Euchariſtiam conficiunt D bent itaque Sacerdotes boni Angelos imitari in undecim operationibus. 2 p. lect. 183 poſt explicationem textus in notabili & art. 1, fol.318.

Item manna fuit figura ſacræ Euchariſtiæ ibidem.

Item boni ſacerdotes debent Angelos imitari in immaterialitate, intellectualitate, motione orbis & regimine hominum. 2, p. lect. 183 art 2, fol.319.

Thema ſecundum.

Caro mea verè eſt cibus & Sanguis meus verè eſt potus. Ioan 6.

Habet ergo homo à Chriſto ſibi paratum convivium. 1 p. lect 111, art. 3, fol. 197.

Econtra autem homo etiam debet Deo parare convivium ſpirituale, cum tribus ferculis ibidem. art. 4.

Porro cavere debet homo à convivio, ad quod ipſum invitat Diabolus & mundus ibidem art. 1, & 2 fol. 196.

Thema tertium.

Sanguis meus vere eſt potus. Ioan. 6.

Sanguis Chriſti fœcundat lignum aridum, ſanat corpus languidum, & cauſat cæmentum ſolidum. 2. p. lect. 137. art. un. in expl. 2, p. fol. 248.

Dominica infra octavam Corporis Chriſti

Thema.

Homo quidam fecit cœnam magnam & vocavit multos. Luca 14.

Superbi, Avari, & Luxurioſi ineptè ſe excuſant à vocatione divina. 2. p. lect. 145, art. 2, fol. 262.

Thema ſecundum

Et cœperunt ſinguli ſe excuſare. Luca. 14.

Tres excuſationes, quas peccatores afferre poſſunt de ſuo peccato, nihil valent. 1, p. lect. 13 art. 1, fol. 21.

Item quatuor aliæ delinquentium excuſationes rejiciuntur. 2, p. lect. 177, att. 2. fol 310.

Quænam ſint puniriones delinquentium, qui ſe ineptè excuſant, declaratur. 2. p. lect. 145, art. 3, fol. 263

In Feſto S. Ioannis Baptiſtæ.

Thema primum.

Vinum & ſiceram non bibet, Luca. 1.

Vinum moderatè ſumere, eſt licitum: ſed immoderatus uſus vini cauſat quatuor magna mala. 1, p. lect. 21, art. 1 & 2. fol. 36.

Item 1, p. lect. 122. art. 2, in expl. 4. p. fol. 221,

Thema ſecundum,

Et vocabitur nomen eius Ioannes. Luca 1.

Quot modis homines ſe diſponant ad nomen ſuum apud alios divulgandum. 1, p. lect. 18. art 1, fol. 30.

Nomen cujusvis virtuoſi debet habere quatuor. 1, p. lect. 18, art. 2. fol. 31.

Thema tertium.

Apertum eſt illi, ô os Zachariæ. Luca 1

De ſeptem vitiis humani oris. 1, p. lect. 28. art. 1, fol. 48.

Os autem juſti agit Deo gratias. 2 p. lect. 196, art. 2. fol. 339.

Item 2, p. lect. 13, art. un.

In Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Thema primum.

Petrus Apoſtolus & Paulus Doctor gentium ipſi nos docuerunt legem tuam Domine. Eccleſia in officio.

Sancti Apoſtoli Petrus & Paulus verbum divinum prædicaverunt, ſermo autem divinus curat omnia ſeptem vitia capitalia. 2, p. lect. 179, art. un. fol. 313.

Thema ſecundum.

Glorioſi Principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſeparati. Eccleſia.

Glorioſi Principes. Bonus Dux Princeps ſeu Prælatus debet habere zelum fervoris & ſanctæ correptionis, ſtatum vigoris & ſupportationis, locum amoris & communicationis, motum præceſſoris & informatoris. 2, p. lect. 197, art. un. fol. 310.

Thema tertium,

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth. 16.

Expenditur, qualiter Petrus in Deo tanquam in petra ſe fundaverit, & econtra quomodo Chriſtus in Petro tanquam in petra Eccleſiam fundaverit. 1, p. lect. 1, fol. 1.

Thema quartum.

Oliva bona pietatis unica, fide devotos, ſpe robuſtos maximè. Ex officio.

De *fide & ſpe*. Fides multa bona confert. 2. p. lect. 198. art. un. fol. *Spes* noſtra debet habere tria. 2. p. lect. 151. art. 2. fol. 273.

In Feſto Viſitationis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

Thema primum.

Magnificat anima mea Dominum. Luca. 1

Deus quadrupliciter hominem *magnificat*. 2 p. lect. 12. art. 2.

Item quatuor ſunt, qui ſeſe *magnificant* inaniter. ibidem art. 1. fol.

In hunc finem etiam legi poteſt. 2 p. lect. 156. art. 1 fol 279. de iis, qui errant magnificando ſe & ſuperbiendo de pulchritudine propria, & aliena.

Thema ſecundum.

Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Luca. 1.

De ſuperbia, quomodo excellat reliqua vitia. 1. p lect. 63. art. 1. fol. 118.

Thema tertium.

Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui. Luca. 1.

In bonis conſiderandus eſt quadruplex fructus. 1. p. lect. 41. art. un. fol. 76.

Thema quartum.

Et exultavit ſpiritus meus. Luca. 1.

Gaudium virtutis excedit quadrupliciter gaudium hujus mundi, 1. p. lect. 67. art. 1. fol. 126.

In Feſto S. Mariæ Magdalenæ.

Thema primum.

Lachrymis cœpit rigare pedes ejus. Luca 7.

Piæ lachrymæ gratiam Spiritus ſancti habent annexam, 2. p. lect 146. art. 1. fol. 264.

Thema ſecundum.

Maria Magdalena data eſt exemplum Pœnitentiæ, Ex hodierno officio.

Quænam ſint incitamenta & impedimenta Pœnitentiæ? 2. p. lect. 144. art. un. fol. 261. Item per Pœnitentiam Chriſtum reconciliamus, Angelos lætificamus, animas reformamus, & Dæmones confutamus. 2. p. lect. 149. art. un. fol. 269. & 270.

Item quænam ſint documenta Pœnitentiæ, 2. p. lect. 148. art. un. fol. 268.

Item, 2. p. lect. 148. art. un. Ibid.

Thema tertium

Mulier quæ erat in civitate peccatrix. Luca. 7.

Mulieres ſunt fugiendæ propter quatuor cauſas. 2. p. lect. 38. art. un. fol. 69.

Item. 2. p. lect. 180. art. un. fol. 314.

Continentiæ tamen S. Mariæ Magdalenæ poſt pœnitentiam ſervatæ, debetur aureola. 1. p. lect. 40. art. 2. fol. 73. & 74.

Item fœmina eſt fugienda ficut venenum colubri. 2. p. lect. 128. art. 1, fol. 230.

Item fœmina lædit virum, voce, viſu & tactu. 2. p. lect. 128. art. 3. fol. 231.

Thema quartum.

Ejecta ſunt ex ipſa ſeptem Dæmonia Luca. 7.

Per ſeptem dæmonia intelliguntur ſeptem peccata capitalia, & quibus hæc peccata capitalia ſint ſimilia, 2. p. lect. 142. art. un. fol. 256.

Thema quintum.

Cujus lachrymis motus eſt fons ipſe pietatis. Ex hodierno officio.

Chriſtus eſt fons gratiarum tripliciter. 1. p. lect. 101. art. un. fol 180.

In Feſto S. Iacobi Apoſtoli.

Thema primum.

Acceſſit ad Ieſum Mater Filiorum Zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo Matth. 20.

Oratio recta, nobis quatuor emolumenta confert. 2. p. lect. 203, art. un. fol. 350.

Thema ſecundum.

Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram in regno tuo. Matth. 20.

Hæc verba pulchrè explicantur à S. Auguſtino. 1, p. lect. 60, poſt expl. text. not. 1. fol. 112.

In Feſto S. Annæ Matris Beatiſſimæ Virginis Mariæ

Thema primum.

Surrexerunt filij ejus, & beatiſſimam prædicaverunt, vir ejus & laudavit eam.

De parabolis Salomonis. Cap. 31.

Conjunx bona obediendo viro, educando prolem, & diſponendo familiam, poteſt tantum mereri, ut attingat meritum virginis. 1, p. lect. 45, art. 2, fol 85

Thema ſecundum.

Ignis in aqua ardebat. Sap. 16.

Ignis in aqua eſt Spiritus ſanctus in muliere ſancta, 2, p. lect. 181, poſt expl. text. in not. f. 317.

Sex proprietates aquæ pulchrè comparantur ſex proprietatibus mulieris ſanctæ. 2, p. lect. 182, art. un per totum. fol. 317.

In Feſto Portiunculæ.

Thema.

Portio mea Domine.

De tribus portionibus ſeu portiunculis, quas apponit nobis diabolus & mundus; & econtra de convivio ſpirituali, quod parat nobis cum tribus portionibus Chriſtus. Item de tribus portionibus ſeu portiunculis, quas nos Deo præparare debemus. 1. p. lect. 112 art. 2, 3, & 4, fol. 195, 196, & 197.

Item refectorium ſacræ Scripturæ habet tres menſas, & apponuntur nobis tres portiunculæ. 2. p. lect. 213, art un. dico 5, fol. 365.

In Feſto S. Dominici Patris noſtri.

Thema primum.

Os juſti meditabitur ſapientiam.

S. P. Dominicus continuò ſeſe in ſacra Scriptura exercebat, eamque exponendo prædicabat hæreticis. 2. p. lect. 213, in expl. text. & art. un. per totum fol. 365.

Servus Regis vocans ad cœnam magnam, deſignat Ordinem Prædicatorum. 2. p. lect. 145, art. 1, in expl. 3, p. fol. 262.

Thema ſecundum.

Quaſi ſol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei. Sap. 3.

S. P. Dominicus in templo Dei effulſit claritate bonæ famæ, bonæ vitæ, & bonæ doctrinæ. 1, p. lect. 34, art. 1, fol. 59.

Ordinem Prædicatorum inſtitutum à S. Patre Dominico, diu ante prænominavit S. Greg. Papa. 2, p. lect. 145, art. 1, in expl. 3, p. fol. 262.

Thema tertium.

Præco novus & cælitus miſſus in fine ſæculi, pauper fulſit Dominicus, forma præviſus Catuli. ex hodierno officio.

Circa ly pauper, de triplici paupertate; & quod voluntarii pauperes ſint Chriſto ſimiliores in converſatione, validiores in tentatione, & beatiores in remuneratione. 1. p. lect. 23, art. 1, & 2, fol. 39.

Item 1, p. lect. 35, art. 1, fol. ibid. & 40.

Thema quartum.

Pauper in peculio, dives vitâ purâ, paupertatis pretiô cœli tenet jura ex hodierno officio.

Dives. de triplicibus divitiis 1, p. lect. 108, art. 1, fol. 190 & 191.

Pauper in pecunia, quæ præjudicant ſapientiæ in tribus. 1 p. lect. 92, art. 2, 165.

In Feſto S. Laurentii Martyris.

Thema primum.

Theſauros Eccleſiæ dedit pauperibus.

Prælati Eccleſiaſtici ſunt theſaurarii Chriſti & tenentur alere pauperes. 1, p. lect. 83, art. un. in expl. 2, p. fol. 155.

Differentia inter theſaurum divitiarum, & theſaurum ſcientiarum. 1 p. lect. 97 poſt expl. text. in not. 1, fol. 174 & 175.

Theſauro ſapientiæ tres abutuntur. 1, p. lect. 97, art. un. fol. ibid.

Thema ſecundum.

Quo progrederis Pater ſancte ſine filio? non ego te deſero fili. Nos tanquam ſenes levem vitæ curſum ſuſcipimus, te autem manet glorioſior de tyranno triumphus. ex hodierno officio.

Laurentius Sixtum Pontificem tanquam Patrem & ſenem bonum veneratus fuit & rectè quia bona ſenectus veneranda eſt propter quatuor. 1, p. lect. 49. art. 2, fol. 92.

Item 2, p. lect. 139, art. 3, fol. 213.

Digitized by Google

Thema tertium.

Tanquam aurum in fornace, probavit illos. Sap 1.

Qualiter electus à Chriſto probetur. 1, p. lect. 33. art. un. fol. 17.

In feſto Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Thema primum.

Excepit illum Martha in domum ſuam. Lucæ 2.

Domus bonæ conſcientiæ excipiens Deum ſeu Chriſtum debet habere quatuor, 1, p. lect. 115, art. un. fol. 289.

Thema ſecundum.

Maria Virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum, ubi ſui memor, immemor nequaquã exiſtit. ex officio.

Coriolanus ad ſolas preces ſuæ chariſſimæ Matris pepercit Romæ: ſic etiam Chriſtus ad ſolas preces caſtiſſimæ ſuæ Matris parcit peccatori. 2 p. lect. 175, art. un. in expl. 1, p. fol.

Thema tertium.

In omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor. Eccl. 24. vel. Paradiſi porta per te nobis apertæ ſunt. ex hodierno officio

Hæreditas noſtra eſt Paradiſus. Virtus autem facit duplicem Paradiſum in corde hominis, terreſtrem & cœleſtem. 1, p. lect. 67, art. 2, fol 127.

In feſto S. Bartholomæi Apoſtoli

Thema primum.

Gaudete & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cælis.

Ad vitam noſtram virtuoſè inſtituendam requiritur, quod videamus ſupernorum præmiorum aſſluentiam 1 p. lect. 27. art. 2, fol. 47.

Thema ſecundum.

Iam non dicam vos ſervos, vel Amicos.

Chriſtus ſe triplicitèr monſtravit erga Apoſtolos, primum ut ſuperior, ut inferior, & ut æqualis. 2, p. lect. 197, art. un. in expl. 2. p. fol. 341.

Thema tertium.

Ego elegi vos de mundo ut fructum afferatis.

Elicium fructifer interpretatur & figurat Apoſtolos. 1, p. lect. 123 art. un. fol. 217.

In feſto Nativitatis Beatiſſimæ Virginis

Thema primum.

Stella Maria maris hodie proceſſit ad ortum. Eccleſia in officio hodierno.

Beatiſſima Virgo eſt ſtella maris. 1, p. lect. 36. art. 1, in expl. 2, p. fol. 63.

Thema ſecundum.

Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris. Eccl. 24

Beatiſſima Virgo eſt ſicut apis mellificans, vitis lætificans, tellus ſanctificans, & ficus fructificans. 1, p. lect. 41, art. un. in expl. 1, p. fol. 76.

Thema tertium.

Leva eius ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me Cant. 2.

Iuſtorum animæ ſunt quadrupliciter in manu Dei. 1. p. lect. 31, art. 3, fol. 55.

In feſto Exaltationis S. Crucis.

Thema primum.

Nunc judicium eſt mundi. Ioan. 12.

Iudicia Dei ſunt magna propter quatuor cauſas. 2. p. lect 187, art. un. fol. 325.

Item Iudicium divinum rectè comparatur arcui. 1, p. lect. 8, art. 4, fol. 14.

Item 1, p. lect. 78, in expl. text. fol. 146.

Thema ſecundum.

Sicut exaltarunt ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.

Chriſtus rectè comparatur ſerpenti æneo, & rectè fuit figuratus per illum propter quatuor 2 p. lect. 178, art. 1, per totum fol. 311.

In feſto S. Matthæi Apoſtoli.

Thema.

Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Matth. 9.

De divitiis temporalibus & periculoſis, ſpiritualibus & virtuoſis, æternalibus & glorioſis 1, p. lect. 108. art. 1, fol. 190.

Item divitiæ temporales intensè quæſitæ multa mala cauſant. 1, p. lect. 108, art. 2, fol. 191.

Thema ſecundum.

Et ait illi, Sequere me.

Quomodo homo verè ſequatur viam ſalutis. 2, p. lect. 143, art. 1, & 2. fol. 250, & 251.

Thema tertium.

Non veni vocare Iuſtos ſed peccatores. Matth. 9.

Deus Peccatores vocat ad ſe, verbo, ſigno & nutu. 2, p. lect. 145. art. 1. fol. 262.

Item Deus nos ſpecialiter vocat oſtenſionibus exemplorum, promiſſionibus præmiorum & percuſſionibus flagellorum. ibidem art. 4.

In feſto S. Michaelis Archangeli.

Thema primum.

Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum Matth. 28.

Viri ſancti rectè comparantur parvulis in ſeptem punctis. 1, p. lect. 119, art. un. fol. 209 & 210.

Thema ſecundum.

Quis putas major eſt. Matth. 28.

Majoritas honorem adfert: declaratur autem quomodo nos circa honores habere debeamus. 2, p. lect. 165, art. un. fol. 293, & 294.

Thema tertium

Angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.

De bonis ſacerdotibus in quot & in quibus debeant Angeloa imitari. 2, p. lect. 183, art. 1, & 2, fol. 319.

Angelus Aaroni veſtibus Pontificalibus induto reverentiam exhibuit. lect. 205, in fine expl text. fol. 353.

Quales Angelos fecerit Salomon. 2. p. lect. 140, art. un. in expl. 2, p. pulchrè explicatur, fol. 270.

In Feſto ſanctiſſimi Roſarii.

Thema primum.

Veni in hortum, ſoror mea ſponſa.

Chriſtus comparatur hortulano. 1, p. lect. 50, art. 2, in expl. 1, & 2. p. fol. 195.

Regina ſanctiſſimi Roſarii.

Devota oratio ſanctiſſimi Roſarii eſt ſcala noſtræ aſcenſionis, ſcutum noſtræ defenſionis, nuntios noſtræ legationis, & redditus noſtræ ſubjectionis. 2 p. lect. 203, art. un. fol. 350.

Oratio Dominica, quæ ſæpè in Roſario repetitur, eſt efficaciſſima. 2. p. lect. 139, art. 1, in expl. 1, p. fol 252.

Item devota oratio ſanctiſſimi Roſarii eſt, peroratio Beatorum perceptorum augmentatio, divinitatis proteſtatio & noſtræ neceſſitatis demonſtratio 2.p.lect.196.art.1.f.338.

In Feſto S. Franciſci Seraphici.

Thema primum.

Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, Matth.19.

Vel.

Beatus Vir, qui non ſperavit in pecuniæ theſauris.

Argentum, quod amore Chriſti S.Franciſcus reliquit, rectè comparatur luto propter tria, 1.p. lect.92.art.1.f.165.

Thema ſecundum.

Beatus vir, qui non ſperavit in pecunia theſauris.

Benè fecit S.Franciſcus non ſperando in pecunia, utpote quæ præjudicat ſapientiæ in tribus, 1.p.lect.92. art.2.f.165.

Thema tertium.

Franciſcus hic pauper & modicus Cœlum dives ingreditur. Eccleſia in hodierno officio.

De triplici paupertate in hominibus & quod voluntarii pauperes ſint Chriſto ſimiliores, vide 1.p.lect.23.art.1.& 2.f.39.

Voluntarii pauperes judicabunt alios in extremo judicio, 1.p.lect.35.art.2.f.61.

In Feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.

Thema primum.

Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur, Io.15.

Tribulationes hujus mundi ſancti Apoſtoli reddiderunt ſibi dulces per tria media, 2.p.lect. 134.art.2.f.243.

Thema ſecundum.

Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit, Io.15.

Quomodo nos habere debeamus erga quatuor inimicos, 2.p.lect.31. art.un.

Thema tertium.

Eſtote fortes in bello & pugnate cum antiquo ſerpente.

Sancti Apoſtoli habentes rectam conſcientiam fortiter ſteterunt contra malos, qui ſunt membra Diaboli ſeu antiqui ſerpentis, 2.p. lect. 133.art.2 f.241.

Thema quartum.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.

Triplex eſt prudentia ſerpentis in bono, quam imitari debemus, 1.p.lect 74. art.1.f.140.

In Feſto omnium Sanctorum.

Thema primum.

Gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, Matth. 5.

Quales debeamus eſſe in hac vita, ut mercedem copioſam habeamus in altera vita, 2.p.lect. 136.art.un.f.246

Thema ſecundum.

Poſt hac vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, ſtantes ante thronum & in conſpectu agni Apoc.5.

Moraliter loquendo ſancti & electi ſunt verè *numerati* à Deo, ſeu computati juxta ſeptem ſpecies Arithmeticæ, 2. p. lect.169. art. un. fol. 198.

Thema tertium.

Venite Benedicti Patris mei poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

De quatuor *venite*, 1.p. lect. 20. art.2. f. 34. & 35.

Thema quartum.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, Matth.5.

Divinam miſericordiam debemus ſperare in tribus, 2.p.lect.153.art.un.f.275. & 276.

Thema quintum.

Per *aſpera itur ad aſtra.*

Jacob prius debebat ducere Liam, quæ erat lippis oculis, antequam accepit pulchram Rachel. Applicatio pulchra ad propoſitum, 2. p. lect.130 art.un.in not.prope finem, f.235.

Jacob antequam rediit in patriam, tres difficultates ſuſtinuit; ſic etiam nos tribulationes ſuſtinere debemus antequam ad patriam cœleſtem redeamus, 2.p.lect.131.in expl.text.f.238.

Item Joſeph antequam eſſet factus primus miniſter Regis, duas difficultates ſuſtinuit; ita & nos antequam ſimus cohæredes regni cœleſtis, tribulationes pati debemus, 2.p.lect.131.in expl.text.ib.

In Commemoratione fidelium defunctorum.

Thema primum.

Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos Amici mei, quia manus Domini tetigit me, Iob.19.

Diverſæ cauſæ nos movere debent ad ſuccurrendum defunctis, 1.p.art.1. & ſpecialiter, art.2.f.80.& 81.

Defuncti contra quoſdam juſtè conqueruntur, ib.art 3.& 2.p.lect.184.art.2.f.321.

Quot modis plangi ſoleant amici defuncti, 2.p.lect.164.art.un.f. 292.

Thema ſecundum

Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis Iob.14.

Vita noſtra habet durationis brevitatem, afflictionis acerbitatem, & ſalutis æternæ incertitudinem, 2.p.lect.172 art.un. f. 302.

Thema tertium.

Homo natus de muliere, quaſi flos egreditur & conteritur. Iob.14.

Vita hominis rectè comparatur herbæ, flori, rori, hoſpiti & curſori, 1.p.lect.17. art. 2.fol. 29.

Thema quartum.

Natus de muliere fugit velut umbra, Iob.14.

Vita humana rectè comparatur umbræ in tribus, 1.p.lect.19.art.2.f.33.

In Feſto S. Martini Epiſcopi.

Thema primum.

Hic eſt Martinus electus Dei Pontifex, Ex hodierno officio.

Epiſcopus ut dignè præſit, debet eſſe luminoſus, operoſus, gratioſus, & animoſus, 1.p. lect.78.art.un.f.146.

Thema ſecundum.

O virum ineffabilem qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit: Ex hodierno officio.

Hæc verba ſolum poteſt dicere aliquis virtuoſus, qui debet habere tria, 1.p.lect. 128. art.1. fol.221.

Thema tertium.

O Martine præſulum gemma. Ex hodierno Officio.

Epiſcopus & quævis perſona Eccleſiaſtica, debet habere poderem in corpore, rationale in pectore, & diadema in capite, 2. p. lect. 205. art. un. fol 354.

S. Martinus dixit, ſe inter ſumma pericula fuiſſe ſecurum, 2 p.lect. 153. art. un. in expl. 1. f. 275.

In Feſto S. Leopoldi Patroni Auſtriæ.

Thema primum.

Vigilate quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit Matth. 24.

Ad vigilantiam nos tria movere debent, 1.p. lect. 82 art. un. f. 153 & 154.

Thema ſecundum.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere ſibi regnum & reverti Luca 19

Ad perfectum regimen humanæ vitæ quadruplex providentia eſt neceſſaria, 1. p. lect. 83. art. un. f. 155 & 156.

Item omnis virtuoſus *nobilis*, & omnis vitioſus ignobilis, 2 p. lect 107. art. ū. in expl. 1. p. f. 316

Item princeps debet attendere circa quatuor 1. p. lect. 120. art. 2. f. 213.

Thema tertium.

Beatus vir qui timet Dominum.

Homo timens Deum rectè tria conſiderat, & tria numerat, 2. p. lect. 143. art. 1. & 2 f 250. & 260.

In Feſto Præſentationis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

Fructus mei fructus honoris & honeſtatis, Eccl. 24.

Beatiſſima Virgo rectè comparatur ficui arbori fructuoſiſſimæ in India 1. p lect. 41. art. un. in expl. 1. p. f. 76.

Circa ly fructus honoris & honeſtatis Eccl. 24.

Tria nos faciunt honorabiles apud Deum 2. p. lect 205. art. un. f 355.

Item triplicem *honorem* debemus parentibus noſtris, 2. p. lect. 165. art. un. in expl. 3. p. f. 295. & 2. p. lect. 173. art. un. in fine f. 305.

In Feſto S. Catharinæ Virginis & Martyris.

Thema primum.

In conſpectu Principum loquebar ſapientiam

S. Catharina optimi fuit ingenii, dum diſputando confudit quinquaginta Philoſophos. Unde autem bonum ingenium habens veram ſapientiam penſandum ſit, demonſtratur, 1. p. lect. 117. art. 1. 2. & 3. f. 206.

Thema ſecundum.

Sapientiam autem non vincit malitia, Sap. 7.

Vera ſapientia eſt triplex cordis, oris & operis, 1. p. lect 74. art. 2. f 140.

Item ſapientia prout æquivocè ſe habet ad ſapientiam falſam, ſeu fictam, & veram, eſt etiam triplex, 1. p. lect 74. art. 3. f. 141.

Thema tertium.

Specie tua & pulchritudine tua.

Chriſtus dilexit S. Catharinam propter pulchritudinem virtutum, non autem ab ſolam ſpeciem ſeu pulchritudinem corporis, quia hæc eſt bonum defectivum, infectivum & deceptivum, 1. p. lect. 93 art. 2. f. 167.

Thema quartum.

Exſpecto pro te gladium Ieſu Rex bone, tu meum colloca in paradiſo ſpiritum. Ex hodierno officio.

Virtus facit in corde hominis *paradiſum* terreſtrem, & Cœleſtem, 1. p. lect. 67 art. 1. 2. f. 127.

In Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

Thema primum.

Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ Matth. 4.

Mundus iſte rectè comparatur *mari* propter tria, 2 p. lect. 134. art. 1. f. 242.

Thema ſecundum.

Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum, Matth 4.

Homines mundani, & negligentes in quatuor punctis debent capi per prædicationis Apoſtolicæ rete & converti, 1. p. lect. 37. art. 1. f. 65.

Item oportet piſcari homines malos, qui faciunt fructus inutiles, 1. p. lect. 47. art. 2. f 89.

Thema tertium.

O bona Crux ſuſcipe diſcipulum ejus qui pependit in te Magiſter meus Chriſtus. Ex hodierno officio.

Videantur ea, quæ ponuntur in feſto Inventionis, & in feſto Exaltationis ſanctæ Crucis.

In Feſto S. Nicolai Epiſcopi.

Thema primum.

Iuſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.

Homines rectè aſſimilantur arboribus propter tria, 1 p. lect. 47. art. 1. f 88.

Thema ſecundum

Honeſtavit eum in laboribus, & complevit labores illius, Sap. 10.

Laborare debemus in iſta vita propter tria, 2. p. lect. 121. art. un. f. 213.

Item. 2. p. lect. 170. art. 1. & 2. f. 212.

Item, 2. p. lect. 134. art. 1. in expl. 1. p. f. 242.

Thema tertium.

Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit.

Tria nos movere debent ad *vigilantiam* 1. p. lect. 82. art. 2. f. 153.

In Feſto Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Thema primum

Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt, & qui elucidant me, vitam æternam habebunt, Eccl 24.

Peccator debet omnem ſpem ſuam ponere in Beatiſſima Virgine, ut Deo reconcilietur, 1. p. lect. 36 art. 2. in expl. 3. p. f. 64.

Thema ſecundum

Beatus venter qui te portavit, & beata ubera, quæ tu ſuxiſti Luca, 11.

Often-

Digitized by Google

Oſtenditur, quod ſicut Chriſtus fuit lactatus mamillis Beatiſſimæ Virginis, ita Spiritus ſanctus ſit mamilla Chriſti, qua nos lactat, 1.p.lect. 124.art.un f.2 9.]

Thema tertium.

Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, Luca. 11.

Demonſtratur, quod ſermo Dei caret omnia vitia capitalia, 2.p.lect.179.art.un.f.313.

In Feſto S. Thomæ Apoſtoli.

Thema primum.

Dominus meus & Deus meus.

Oſtenditur, quomodo *Deum* Patrem deprecari, venerari, & per aſſimilationem imitari debeamus, 2.p.lect.139.art.1.f. 252.

Thema ſecundum

Deus meus.

Deum verum quem cognovit S. Thomas Apoſtolus, negant ipſo facto avari, ſuperbi & perjuri, 2.p.lect.154.art.un.f. 277.

Item Hypocritæ, avari, ſuperiores Idiotæ, & luxurioſi quale idolum tanquam Deum colant, 2.p.lect.163.art.un.f.290.

Videantur ea, quæ ponuntur in feſto Aſcenſionis Domini, & Dominica in Albis.

Index Concionatorius pro omnibus diebus Dominicis Totius Anni.

Dominica 1. Adventus.

Thema primum.

Erunt ſigna in ſole & Luna & ſtellis, & in terris preſſura gentium, Luca 21.

Quæ, & quot ſigna præcedent judicium univerſale? 1.p.lect.72.art.1.f.135.

Item erunt ſigna ſemivocalia, vocalia, & muta ante judicium univerſale, 2.p.lect.178. art. 2. in expl.3.p.f. 312.

S. Chryſoſtomus & S. Hieronymus pulchrè deſcribunt illam tubam, quæ nos vocabit ad judicium univerſale, 1.p.lect 57. intra expl.textus f. 107.

Item multa de Antichriſto, 1.p.lect.58.art. 3. f.110.

Et 1. p. lect. 61. art. 3. in expl. decimi ſigni fol.115.

Thema ſecundum.

Videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & Majeſtate, Luca 21.

Hoc pulchrè explicatur, 1.p.lect. 57. in expl. text.f.106.

Et l.ect.58.art.[illegible].& 3.f.109.& 110.

Thema tertium.

Præ timore areſcentibus hominibus, Luca 21.

Homines mundani ſunt negligentes & areſcentes circa quatuor, 1 p.lect 37.art.1.f.67.

Dominica 2. Adventus.

Thema primum.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis, Matth.11.

De quadruplici carcere, quem Deus habet pro hominibus, 2.p.lect.193.art.un.f 333.

Thema ſecundum.

Euntes renuntiate Ioanni, cæci vident, Matth.11.

Septem peccata capitalia inferunt *cæcitates* ſpirituales, 1.p.lect 29.art.2.f.50.

Dominica 3. Adventus.

Thema primum.

Tu quis es? Ioann.1.

De bona & mala conſcientia, 2.p.lect.190. art.1.2.& 3 f.329.

Thema ſecundum.

Et confeſſus eſt, & non negavit, Ioan.1.

Mendacium dedecet hominem propter tria, 1.p.lect.11.art.un.per totum, f.18.

Thema tertium.

Propheta es tu?

An donum prophetiæ etiam malis à Deo conferatur? 1.p.lect.103.art.un.f.183.& 184.

Dominica 4. Adventus.

Thema primum.

Anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Luca 2.

Cur ſpecialiter Regibus & principibus dicatur, diligite juſtitiam, quam diligite prudentiam? 1.p.lect.3.art.2 f.5.

Thema ſecundum.

Veniet Ioannes in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, Luca 3.

Non eſt conſultum differre Pœnitentiam, 1.p.lect.15.art.2.f.25.

Item Pœnitentia deſignatur per ſcalam, quam vidit Jacob, 1.p.lect.130.art.un.f.235.

Item Deus lentè procedit in punitione peccatorum, ut patet in Sodomitis, 1.p. lect.77. art. 2.in expl.1.& 2.p.f.145.

Item 2.p.lect.146.in expl.text.f 264.

Item 2.p.lect.148.in expl.textus, f. 267.

Dominica infra octavam Nativitatis Domini.

Vide poſt feſtum Nativitatis Domini, ubi illa Dominica ponitur.

Dominica cadente in Vigilia Epiphaniæ.

Vide poſt feſtum Circumciſionis, ubi illa Dominica ponitur.

Dominica infra octavam Epiphaniæ.

Vide poſt feſtum Epiphaniæ, ubi illa Dominica ponitur.

Dominica 1. poſt octavam Epiphaniæ.

Thema primum.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, Ioan.2.

Quomodo uxor ſit eligenda, dirigenda, corrigenda, & diligenda, 1.p.lect.45.art.2.f.85.

Item uxor, quæ nuptias habuit, debet eſſe fidelis ſuo marito, aliàs adulterando graviſſimè peccat: monſtratur autem adulterii gravitas ex tribus, 1.p.lect.42.art.2.per totum f. 78.

Thema ſecundum.

Guſtavit Architriclinus aquam vinum factam, Ioan. 7.

Uſus vini eſt quidem licitus, ſi moderatè ſumatur, ſed vinum immoderatè ſumptum cauſat quatuor mala, 1.p.lect.21.art.2.f.36.

Item ebrietas quatuor mala cauſat, 1.p.lect. 122.art.2.f.221.

Dominica 2. poſt octavam Epiphaniæ.

Thema primum.

Volo, mundare. Matth. 8.

De Chriſti magna miſericordia, 1. p lect. 118. art. un. f. 207.

Thema ſecundum.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores Matth. 8.

Tenebras mentis invehit conſuetudo peccandi, & pecca um rectè comparatur nocti, 2. p. lect. 195. art. 1. f. 336.

Dominica 3. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Aſcendente Ieſu in naviculam, Matth 8.

Status Pœnitentiæ rectè comparatur *navi* propter t ia, 1. p. lect. 64. art 1. f. 120.

Thema ſecundum.

Domine ſalva nos, Matth 8.

Qualem debeamus habere ſpem erga Deum, 2 p. lect. 151 art. 1. & 2. f. 272. & 273.

Item ſpes noſtra conſiſtit in tribus, nempè in charitate adoptionis veritate promiſſionis, & poteſtate redditionis, 2. p, lect. 151. art. 1 f. 272.

Item ſpes eſt hominibus neceſſaria tripliciter, 1. p. lect. 36 art. 2. f. 63.

Dominica 4 poſt octavam Epiphaniæ.

Thema primum.

Vndè ergo habet Zizania, 2. Matth. 13.

Sodomitæ habuerunt undecim incentiva ſuæ libidinis, ſeorumque Zizaniorum, 2. p. lect. 119 art. 1. f. 231.

Item zizania peccatorum proveniunt ab illecebroſa ſenſualitate, præſumptuoſa temeritate, malitioſa ſeveritate, & pernitioſa familiaritate, 2. p. lect. 207. art. un. f. 357.

Item diverſæ ſpecies mali tanquam zizania, ſunt fugiendæ ab hominibus, 1. p. lect. 6. art. 1. fol 9.

Thema ſecundum.

Inimicus homo hoc fecit, Matth 13.

Per iſtum inimicum intelligitur Diabolus, cui omnibus viribus reſiſtere debemus, 1. p. lect. 128. art. 1. f. 230.

Dominica 5. poſt octavam Epiphaniæ.

Thema primum.

Cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, ita ut volucres cœli habitent in ramis ejus, Matth. 13.

Sicut auceps diverſimodè capit aves, ita diverſimodè capiuntur peccatores à Concionatoribus, & flectuntur ad Pœnitentiam, 2. p. lect. 141. art. un. in expl. 2. p. f. 155.

Thema ſecundum.

Cum autem creverit, fit majus omnibus oleribus, Matth. 13.

Homo pro frugibus terræ creſcentibus debet Deo gratias agere, quæ gratiarum actio debet habere quatuor, 2 p. lect. 196. art. 3. f 339.

Dominica Septuageſimæ.

Thema primum.

Murmurabāt adverſus Patrem familias Matt 20

Homines *murmurant* contra Deum propter quatuor cauſas, 1. p. lect. 9. art. un. f. 15.

Murmur populi contra Moyſen & Aaron ratione Sacerdotii, quomodo Deus ſedaverit? 1. p. lect. 94. art. un. in expl. 3. p. f. 168.

Thema ſecundum.

Hi noviſſimi, qui vocati fuerunt hora undecimā, ſolum una hora fecerunt, & feciſti eos nobis pares, Matth. 20.

An malus ſenex poſſit in fine vitæ utiliter pœnitere, 1. p. lect. 49. art. 1. f 91.

Thema tertium.

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Matth. 20.

Homines mundani ſunt otioſi & negligentes in quatuor punctis, 1. p. lect. 37. art. 1 f 67.

Thema quartum.

Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis.

Malitiæ currus habet quatuor equos, & duos aurigas, ita ex S. Bernardo declaratur. 2. p. lect. 180. poſt expl. text. in not. f 314.

Dominica Sexageſimæ.

Thema.

Semen cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum Luca 8.

Fructus eſt quadruplex, 1. p. lect. 41. art. un. f. 75.

Item fructus ſapientiæ eſt habere rectam viam ad vitam æternam, 1. p. lect. 55. art. 3. f. 103. & 104.

Fructus ſacræ Scripturæ pulchrè deſcribuntur, 2. p. lect. 213 art. un. dico 5 f, 365.

Thema ſecundum.

Semen aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, Matth. 20.

Peccatores delinquentes laborant infructuosè, 2 p. lect. 170 art. 2. in expl. 1. p. f. 301

In die Cinerum.

Thema primum.

Memento homo, quia cinis es, & in cinerē reverteris.

De incineratione pulchra dicuntur, 1. p. lect. 16. art. 1. 2. & 3. f 26. 27. & 28.

Thema ſecundum

Convertimini ad me in toto corde veſtro.

De Pœnitentia, qua convertimur ad Deum pulchra dicuntur, 2. p. lect. 158. art. un. f. 266. & lect. 149 art. un. f. 269.

Dominica Quinquageſimæ.

Thema primum.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam Luca 18.

De *cæcitate ſpirituali*, quam cauſant ſeptem peccata capitalia, 1. p. lect. 29 art 2. f. 50. & 51.

Thema ſecundum

Reſpice, fides tua ſalvum te fecit Luca 18.

Fidem rectam multorum reſpexit Chriſtus eosq; ſanavit, 2. p. lect. 198. art. ū in expl. 3. p. f. 341.

Item fides eſt duplex, nempe informis & formata, ib. in expl. 4. p. f. 341.

Item fides ſeu recta fiducia impetrat remiſſionem peccatorum, Dæmonum confuſionem, optatorum conſecutionem, & electorum benedictionem, 2. p. lect. 198. art. un. f. 342.

Dominica 1. Quadrageſimæ.

Thema primum

Et accedens tentator ait: ſi Filius Dei es dic ut lapides iſti panes fiant, Matth. 4.

Quot ſint modi *tentandi Deum* 1. p. lect. 4. art. 1. f. 5. & 6.

The-

Thema ſecundum.

Et cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſuriit. Matth. 4.

Hoc exemplum Chriſti Domini de jejunio nullatenus obſervant guloſi, qui ventrem ſuum pro Deo colunt. 2. p. lect 141. art. un, f. 255.

Item lect, 142. art. 1. f. 256. & 257.

Dominica 2. *Quadrageſimæ.*

Thema primum.

Transfiguratus eſt ante eos & reſplenduit facies ejus ſicut ſol. Matth. 17.

Chriſtus Dominus fuit candor lucis honeſtiſſimè vivendo, ſpeculum ſine macula rectiſſimè docendo, & imago bonitatis benigniſſimè redimendo, 1. p. lect, 102. art. un. fol. 182.

Thema ſecundum.

Et apparuerunt Moyſes & Elias cum eo loquentes, Matth. 17.

An Moyſes & Elias, verè & realiter cum corpore & anima apparuerint. 1. p. lect. 6. art. 2. in ſol. ad 2 f. 10.

Dominica 3. *Quadrageſimæ.*

Thema.

Cum ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus. Luca 11.

Cur homini lingua ſit data, 1. p. lect, 10. art. 1. fol. 16.

Item per linguam variè detrahimus alteri. ib, art. 3. f. 17.

Item de detractoribus rectè dicitur in pſalmis Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum. ibid, art. 2. f. 17.

Item diverſis modis nos armare debemus contra detractionem ibid, art. 4.

Item homo difficillimè regit, renes, cor & linguam. 1. p. lect, 7. art, un. f. 11. & 12.

Thema ſecundum.

Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum. Luca. 11.

Cogitationum malarum ſunt quatuor genera. 1. p. lect, 5. art. 2. f. 7.

Dominica 4. *Quadrageſimæ.*

Thema primum.

Videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Joan. 6.

Infirmitas corporalis eſt veluti arcæ pretioſæ concatenatio, ſocij fugientis arreſtatio, perſonæ ſceleroſæ incarceratio, & hoſtis reſiſtentis expugnatio 1. p. lect, 93. art. 1. f. 166.

Thema ſecundum.

Eſt Puer unus ibi, qui habet quinque. Joan. 6.

Occaſione hujus termini *quinque* explicantur pulchrè quinque ſenſus hominis per quinque juga boum. 2. p. lect. 145. art, 2. in expl. 2 p. f. 262.

Dominica Paſſionis.

Thema primum.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8.

Refelluntur duodecim puncta in quibus inique & falſè Judæi accuſabant Chriſtum. 1. p. lect. 24. art. 1. f. 41. & lect, 25. in expl. text. f. 42. & lect, 26. in expl. text. f. 44.

Thema ſecundum.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Ioan. 8.

De veritate quomodo ſit arguenda, defendenda, & cui ſit præponenda. 1. p. lect, 86. art. un. f. 158.

Econtra autem mendaces perjuri peccant contra tres. 2. p. lect, 168. art, un. f. 298,

Dominica in Ramis Palmarum.

Thema primum.

Cum palmis occurrerunt Domino. Matth. 21.

Nos quoque occurrere debemus Domino exercendo opera Pœnitentiæ & Eleemoſinæ, quæ comparantur fructibus *palmæ*. 1. p. lect, 41. art. un. in expl, 2. fructus, f. 76.

Thema ſecundum.

Clamabant dicentes; Oſanna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini Matth. 21.

Laus & gratiarum actio erga Deum, qualem hodie turba Chriſto exhibuit, debet habere magnitudinem, aſſiduitatem, univerſalitatem & hilaritatem. 2. p. lect, 196. art. 3. per totum fol. 339.

Thema tertium.

Proſternabant veſtimenta in via, Matth. 21.

Deus pro homine prima veſtimenta invenit, & cur? 1. p. lect. 90. poſt explicationem text. not. 2. ſol. 163.

Dominica Reſurrectionis Domini.

Quare in Feſto Reſurrectionis Domini.

Dominica in Albis.

Thema primum.

Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credã, Ioan 20.

An Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam verè retinuerit ſua quinque vulnera aperta, & S. Thomas Apoſtolus verè digitum ſuum in loca clavorum & manum ſuam in apertum latus Chriſti miſerit 1. p. art. 2. in ſol. ad confirmationem tertii argumenti

Thema ſecundum.

Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis & quorum retinueritis retenta ſunt. Ioan. 20.

Peccatum concludit in judicio, excludit à regno Dei, & includit in inferno, niſi obſtet Dei miſericordia. 1. p. lect, 53. art. 1. f. 98.

Thema tertium.

Hæc ſcripta ſunt ut credatis. Ioan. 20.

Credere Deo, credere Deum, & credere in Deum ſunt diverſa. 2. p. lect, 198, art. un. in. expl. 4. p. f. 342.

Dicta Chriſti erant credibilia, quia in eo fuit prudentia virtus & benevolentia 2. p. lect, 198. art un. in expl. 1. p. f. 341.

Dominica 1. *poſt octavam Paſchæ.*

Thema primum.

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Ioan. 10.

Anima humama eſt pretioſa propter tria & id ò bonus Paſtor animam ſuam dat pro animabus ſuorum ſubditorum lacerandis. 1. p. lect. 52 art. 1. fol. 97.

Thema ſecundum.

Bonus Paſtor. Ioan. 10.

Bonus Paſtor debet habere rectitudinem conſcientiæ, & fortitudinem reſiſtentiæ contra malos. 2. p. lect. 133. art. 2. f. 241.

Bonus Paſtor comparatur Leoni vigilanti. 2. p. lect. 134. art. 1. in expl. 1. p. f. 142.

Item Bonus Paſtor debet habere quatuor. 2. p. lect. 197. art. un. f. 340.

Thema tertium

Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor fugit. Ioan. 10.

Paſtores ſeu Prælati mali & inſcij, moraliter loquendo carent omnibus ſenſibus. 2. p. lect. 174. art, un. f. 306.

Dominica 2. poſt octavam Paſchæ.

Thema primum.

Modicum & jam non videbitis me. Ioan. 16

Chriſtum tanquam ſolem ejuſque radios, à nobis ſubtrahunt & abſcondunt *ne ipſum videre poſſimus* terra mundanæ cupiditatis, nubes temporalis vanitatis, & luna carnalis voluptatis 1. p. lect. 61 art. 2. f. 114.

Thema ſecundum.

Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Ioan. 16.

Gaudium virtutis excedit gaudium mundi quadruplicitur 1. p. lect. 67. art. 1. f. 126.

Dominica 3. poſt octavam Paſchæ.

Thema primum.

Cum venerit ille Spiritus veritatis arguet mundum de peccato Ioan. 16.

Peccatores perverſi cur modo non turbentur? 1. p. lect. 59. in expl. text. in not. fol. 110.

Peccatores inveterati (qui ſimpliciter peccant in Spiritum ſanctum) cur non ſtatim emolliantur ad Pœnitentiam? 1. p. lect. 61. art. 1. in expl. 1. p. fol. 114.

Thema ſecundum.

Cum venerit ille Spiritus veritatis arguet mundum de injuſtitia. Ioan. 16.

Cur Principibus & Prælatis ſpecialiter dicatur, ut ſervent juſtitiam potius quam aliam virtutem. 1. p. lect. 3. art. 2. fol. 5.

Thema tertium.

Cum venerit ille ſpiritus veritatis, arguet mundum de judicio. Ioan 16.

Prælatos ſeu in dignitate conſtitutos Deus in judicio de quatuor interrogabit 1. p. lect. 8. art. 3. f. 14.

Item in judicio mundano tripliciter fit oppreſſio proximi. & ideo Spiritus ſanctus rectè mundum arguet de judicio. 1. p. lect. 23. poſt exp. text. fol. 38.

Dominica 4. poſt octavam Paſchæ.

Thema primum

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16.

Devota oratio quatuor bona habet annexa. 2. p. lect. 127. in expl. text. de oratione Abrahami. f. 228.

Thema ſecundum.

Petite & accipietis. Ioan. 16.

Devota oratio eſt operatio beatorum, perceptorum augmentatio, divinitatis proteſtatio, & noſtræ neceſſitatis demonſtratio. 2. p. lect. 196. art. 1. f. 338.

Dominica infra octavam Aſcenſionis.

Vide poſt feſtum Aſcenſionis.

Dominica Pentecoſtes.

Vide in feſto Pentecoſtes.

Dominica ſanctiſſimæ Trinitatis.

Vide in feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.

Dominica infra octavam Corporis Chriſti.

Vide poſt feſtum Corporis Chriſti.

Dominica 1. poſt octavam ſanctiſſimæ Trinitatis.

Thema primum.

Erant appropinquantes ad Ieſum publicani & peccatores, ut audirent eum. Lucæ 15.

Tria ſunt, quæ reddunt *peccatores* pœnâ dignos. 2. p. lect. 177. art. 1. fol. 310.

Item *peccatores* ineptè ſe excuſant à ſuis peccatis. ibidem art. 2 f. 3 0

Thema ſecundum.

Murmurabant Scribæ & Phariſæi, dicentes, quia hic peccatores recipit. Lucæ 15

Homines murmurant contra Deum ob quatuor cauſas. 1. p. lect. 9. art. un. f. 15.

Thema tertium.

Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente Lucæ 15.

Peccator aſſimilatur phrenetico, qui ſanatur per ſanguinem Chriſti. 1. p. lect. 37. in expl. text. fol 64.

Item documenta Pœnitentiæ ſunt quatuor. 2. p. lect. 148 art un. fol. 268.

Item lect. 149. art. un. fol. 269.

Item Pœnitentia deſignatur per ſcalam quam vidit Jacob. 1. p. lect. 130. art un. f. 235.

Item Sacramentum Pœnitentiæ comparatur piſcinæ probaticæ, quæ quinque porticus habuit. 2. p. lect 137. art. 2. in expl. 1. p. f. 250.

Dominica 2. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth Lucæ. 5.

Stans eſt pro priori ad inimſtandum dimicandum, ambulandum, & contemplandum. 2. p. lect. 133. art. 2. in expl 2 p. f. 240.

Item ſtans habet quatuor qualitates, quæ debent convenire bono Prælato. 2. p. lect. 133. art. 2. in expl. 1. p. f. 240.

Thema ſecundum.

Tota nocte laborantes nihil cœpimus Lucæ 5.

Laborare debemus in hac vita propter tria. 1. p. lect. 121. art. un. f. 213.

Labor redditur homini facilis propter tria. 2. p. lect. 170. art. 1. f. 300.

Qui laborem fructuſè. ibid. art 2. f. 301.

Dominica 3. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio Mat 5.

Ira facit injuriam Deo, proximo, & ſubjecto proprio. 2. p. lect. 126. art. un. f. 217.

Et 2. p. lect. 164 art un. in expl. 2. p. f. 292.

Item ira deſignatur per Abane animal ſimile cervo, quod habet fel in aure 2. p. lect. 142 art. un. in expl. 3 p. f. 256.

Item iracundi ambulant viam difficilem. 1. p. lect. 62 art. 1. in expl. 6. p. f. 117.

Thema

Thema ſecundum.

Si recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſus te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo. Matth. 5.

Injurias proprias tolerare & condonare, laudabile eſt, ſed injurias contra Deum ſufferre, impium eſt. 2. p. lect. 167. art. un. in expl. 3. p. f. 297.

Thema tertium.

Niſi abundaverit Juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Cælorum. Matth. 5.

An Spiritus ſanctus omnem fictionem, qualem etiam habent Hypocritæ, deteſtetur? 1. p. lect. 6. art. 2. fol. 9.

Hypocritæ moraliter loquendo habent ſimulationem ſanctitatis pro ſuo idolo. 2. p. lect. 163. art. un. in expl. 1. p. fol. 290.

Dominica 4. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Miſereor ſuper turbam. Matth. 8.

In Chriſto eſt magnitudo miſericordiæ ex naturali proprietate, generali poteſtate, & experimentali hominum neceſſitate. 1 p. lect. 118. art. un. f. 207.

Item Deus diſponit omnia miſericorditer. 1. p. lect. 105. art. 2. f. 187.

Thema ſecundum.

Suſtulerunt, quod ſuperaverat de fragmentis, ſeptem ſportas. Matth. 8.

Deus ſubindè homini plus confert de bonis temporalibus, quam ei abſtulit, *plus ei concedit, quam petitum eſt*, & plus tribuit in effectu, quam expreſſerat in ſua promiſſione. 1. p. lect. 94 art. un. f. 168. ... ſpecialiter legenda ſunt, quæ dicuntur 1. p. lect. 97. poſt. exp. text. not. 2. f. 173

Dominica 5. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ... veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Matth. 9.

De falſis Advocatis pulchra dicuntur. 1. p. lect. 56. art. un. f. 104. 105. & 106.

Attendite à falſis. Homo in quatuor rebus valde decipitur. 2. p. lect. 166. art. un. f. 295.

Item 1. p. lect. 38. art. un. in expl. 4. p. f. 70.

Thema ſecundum.

Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Matth. 7.

Mali homines faciunt trinos fructus inutiles. 1. p. lect. 47. art. 2. fol. 88.

Dominica 6. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Homo quidam erat dives. Luce. 16.

Divitiæ aliquæ ſunt temporales, aliæ ſpirituales, & aliquæ æternales. 1. p. lect. 108. art. 1. f. 191.

Divitiæ corporales intenſè quæſitæ repellunt veritatem à cognitione ſui, Dei & proximi. 1. p. lect. 108. art. 2. ibid.

Item divitiæ repellunt ſecuritatem ab æſtimatione, & unitatem ab affectione. ibid.

Item divitiæ rectè vocantur ſpinæ. 1. p. lect. 62. art. 1. in expl. 2. p. f. 117.

Thema ſecundum.

Homo dives habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum. Luce. 16.

Cur homini ſit data lingua? 1. p. lect. 10. art. 1. fol. 16.

Per linguam variè detrahimus alteri. ib. art. 3.

De detractoribus rectè dicitur in pſ. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum. 1. p. lect. 10. art. 2. ibid.

Item homo difficile regit renes, cor & linguam. 1. p. lect. 7. art. un. f. 11.

Diverſis modis nos armare debemus contra detractionem. 1. p. lect. 10. art. 4. f. 17.

Detractio eſt ſagitta Diaboli, & tres occidit, loquentem, audientem & abſentem. 1. p. lect. 66. art. 1. in expl. 2. p. f. 123.

Thema tertium.

Redde quod debes. Luce. 16.

De quatuor Deus ſuperiores interrogabit in judicio, ut dent rationem. 1. p. lect. 8. art. 3. f. 14.

Dominica 7. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Cum appropinquaret Jeſus Jeruſalem, videns civitatem, flevit ſuper eam. Luce. 19.

Chriſtus Dominus legitur quatuor vicibus fleviſſe, & cur? 1. p. lect. 90. expl. text. not. 1. f. 163.

Thema ſecundum.

Jeſus fecit quaſi flagellum de funiculis. Luce 19.

Flagellum ſeu diſciplina Dei eſt à nobis ſuſcipienda patienter propter tres cauſas. 1. p. lect. 107. art. un. f. 189.

Thema tertium.

Ejecit vendentes & ementes ex templo. Luce. 19.

Mali Prælati Patris æterni poteſtatem, falſi ... art. un. fol. 239.

Dominica 8. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Duo homines aſcenderunt in templum, unus Phariſæus, ... publicanus, & deſcendit hic juſtificatus.

Quatuor modis differt ... lect. 31. art. 2. f. 54.

Item circa ly *juſtificatus*; An quicunque facit juſtum, ſit juſtus. 1. p. lect. 3. art. 1. fol. 4.

Item ut homo juſtificetur, debet Deum quærere in ſimplicitate cordis 1. p. lect. 4. art. 3. f. 6.

Theme ſecundum.

Non ſum ſicut cæteri hominum. Luc. 18.

De ſuperbia quale ſit vitium, & de reliquis vitiis, & quomodo curentur. 2. p. lect. 179. art. un. fol. 313.

Dominica 9. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Bene omnia fecit. Marci. 7.

De miſericordia Dei, quæ erga homines & fortis intenſivè, extenſivè & durativè 2. p. lect. 127. art. 1. fol. 228.

Thema ſecundum.

Surdos fecit audire, & mutos loqui. Marci. 7.

Miracula Chriſtus fecit ob triplicem cauſam. 2. p. lect. 178. in expl. text. fol. 311.

Thema tertium.

Exiens Jeſus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ. Marci. 7.

Mundus

Mundus iſte rectè comparatur mari pro[illegible] ex tria. 2 p. lect. 134. art. 1. f. 242.

Thema quartum.

Deprecabantur eum ut imponat ei manum. Marc 7.

Manus Dei quales quinque digitos habeat. 1. p. lect, 98. art. un. f. 176.

Dominica 10. poſt octavam Trinitatis.

Thema. primum.

Samaritanus quidam veniens ſecus eum, miſericordia motus eſt Luca. 10.

Parva eſt miſericordia hominis erga hominem. 2. p. lect, 127. art. 2. fol. 229.

Theme ſecundum.

Homo quidam peregrinus deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho Luca. 10.

Hoſpitalitas Deo grata debet habere quatuor conditiones. 2. p. lect. 210. art. 1. f. 361.

Thema tertium.

Quis tibi videtur proximus illi fuiſſe? Luca. 10.

Proximo dei [illegible] tria. 2. p. lect, 171. art. 1. in expl. 3. p. f. 302.

Item 1. p. lect. 95. art. 1. in expl. 3. p. f. 169.

Dominica 11. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Unus ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus accidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Luca. 17.

De gratiarum actione quæ quatuor præſtat [illegible] f. 355.

Item Deo gratias agere debemus propter ſex beneficia 2. p. lect, 196. art. 2. f. 156.

Item beneficiorum debemus eſſe memores. 1. p. lect, 113. art. un. f. 200

Thema ſecundum. [illegible]

Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt? Luca. 17.

Ingratitudo hominum erga Deum, eſt varia, ſeu multiplex. 2. p. lect, 186. art. un. f. 323.

Item [illegible] 184. art. 1. f. 321.

Dominica 12. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ Matth. 6.

Mammonæ ſervit, qui divitiis ſervit. divitiæ temporales ſunt periculoſæ, 1. p. lect, 108. art. 1. fol. 191.

Item divitiæ temporales intenſè quæſitæ, multa mala cauſant. 1. p, lect. 108. art. 2. ibid.

Thema ſecundum.

Nonne vos magis pluris eſtis illis?

Deus per ſuam benevolentiam non ſolum creaturas liberè produxit ſed etiam eas conſervat & diligit *ſpecialiter* tamen *hominem*. 2. p. lect. 144 in expl. text. f. 259.

Item circa ly *pluris eſtis vos*. Deus hominē quadrupliciter magnificat 2. p. lect, 212 art. 1. f. 363.

Dominica 13. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Et ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris ſua. Luca. 7.

Peccatum rectè dicitur *mors* animæ. 1. p. lect, 12 art. 1. f. 19.

Item *mors* eſt quadruplex, 1. p. lect, 12. art. 2. f. 20.

zo. · 1k

Item circa idem thema. *Et ecce defunctus efferebatur. Luca. 7.*

Quot modis ſoleant plangi defuncti? 2. p. lect, 164. art. un. f. 292.

Thema ſecundum.

Accepit omnes timor, & magnificabant Deum. Luca. 7.

Bonus timor in homine cauſat quatuor bona. 2. p. lect, 194. art. un. f. 335.

Peccatores & homines mali propter diverſas cauſas timent, & ſimpliciter timor in Ægiptiis habuit ſeptem cauſas. 2. p. lect. 194. in expl. text. f 335.

Differentia magna eſt inter bonos & malos *timituros* judicem ſupremum. 1. p. lect. 57. in expl. text. fol. 106. & 107.

Thema tertium

Adoleſcens tibi dico Surge, & dedit eum matri ſua. Luc. 7.

Chriſtus quare hunc adoleſcentem ſola voce reſuſcitavit, Lazarum autem cum gemitu, clamore & lachrymis. 2 p. lect. 176. poſt expl. text in not. f. 309.

Item cur fleverit Chriſtus in reſuſcitatione Lazari. 2. p. lect, 164. art. un. in expl. 3. p. f. 292.

Dominica 14. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Cum vocatus fueris Luc. 14.

Deus peccatores ad ſe *vocat* verbo, ſigno & nuntio. 2. p. lect, 145. art. 1. f. 262.

Item Deus nos adhuc tripliciter vocat. ibid. art. 4. f. 263.

Item quod ineptè ſe peccatores excuſent à vocatione divinā ibid. art. 2 f. 262.

[illegible] ſe excuſantium à

Theme ſecundum.

Et ipſi obſervabant eum. Luca. 14.

An *obſervatio* ſignorum ad præcognoſcendos eventus [illegible] licita vel ſuperſtitioſa? [illegible] lect, 160. art. 1. f. 284. & 285.

Dominica 11. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22.

An aliquis ex charitate plus teneatur diligere Deum quam ſe ipſum? 1. p. lect, 20. art. 1. f. 34.

Item Chriſtum oportet diligere, quia eſt fons gratiarum tripliciter, 2. p. lect. 101. art. un. f. 180.

Charitas rectè comparatur igni. 2. p. lect. 184. poſt expl. text. in not. f. 320.

Item dilectio pulchrè deſcribitur. 2. p. lect. 171. art. 1. in expl. 3. p. f. 303.

Thema ſecundum.

Quid vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt. Matth. 22.

De filiis adoptivis. 1. p. lect. 24. art. 2. f. 42.

Et lect. 26. art. un. f. 45.

Dominica 16. poſt octavam Trinitatis.

Theme primum.

Confide fili. Matth. 9.

De confidentia habenda erga Deum 1. p. lect. 36. art. 2. f. 63.

Item ſpes noſtra conſiſtit in charitate adoptionis, veritate promiſſionis, & poteſtate redditionis. 2. p. lect. 151. art. 1. f. 273.

Thema

Thema ſecundum.

Remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9.

Tria reddunt peccantes pœna dignos. 2. p. lect. 177. art. 1. & 2. fol. 310.

Item peccator voluptuoſus aſſimilatur fœminæ habenti duas proles. 1. p. lect. 57. in expl. text. fol. 107.

Dominica 17. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Simile factum eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Matth. 22.

De uxore eligenda, dirigenda, corrigenda & diligenda. 1. p. lect. 45. art. 2. f. 85.

Thema ſecundum.

Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22.

Circa ly *mittite eum*. De ira Dei indeclinabili & inevitabili. 2. p. lect. 206. art. un. dico 1. fol. 355.

Item corpora damnatorum habebunt inexplicabilem gravitatem. 1. p. lect. 25. art. 2. in expl. 4. p. fol. 44.

Item impij ambitioſi ad honores, dejicientur cum confuſione. 1. p. lect. 56. in expl. text. fol. 104.

Item impij in judicio conſternabuntur ſine concluſione & ſine procuratore, & ſine defenſore. 1. p. lect. 57. in expl. text. fol. 107.

Peccata moraliter loquendo ſunt *tenebræ*, cauſant deceptionem, terrorem, deſolationem & dormitionem. 2. p. lect. 195. art. 1 per totum fol. 335.

Thema tertium.

Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Matth. 22.

De tormentis damnatorum.

Pœna damnatorum erit corporalis 1. p. lect. 73. art. un. f. 138.

Item ignis inferni erit corporalis. 2. p. lect. 189. art. un f. 327.

Item locus inferni erit ſimpliciter tenebroſus. 1. p. lect. 71. art. 3. f. 134.

Dominica 18. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Incipiebat jam mori. Joan. 4.

Vita noſtra rectè comparatur *umbræ*. 1. lect. 19. art. 2. fol. 83.

Item vita noſtra rectè comparatur herbæ, flori, nubi, rori, hoſpiti, & curſori. 1. p. lect. 17. art. 1. fol. 29.

Thema ſecundum.

Filius infirmabatur. Joan. 4.

Infirmitas corporalis quatuor habet, quia eſt veluti arcæ pretioſæ concatenatio, perſonæ ſceleroſæ incarceratio, focij fugientis arreſtatio, & hoſtis reſiſtentis expugnatio. 1. p. lect. 93. art. 1. fol. 166.

Thema tertium.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Joan. 4.

Chriſtus *prodigia* ſeu *miracula* fecit ad utilitatem bonorum, converſionem malorum, & ad honorem Dei augendum. 2. p. lect. 178. in expl. text. fol. 311.

Item Chriſtus oſtendit humano generi *ſigna* benevolentiæ, ac miſericordiæ providentiæ & patientiæ. 2. p. lect. 178. art. 2. per totum, f. 312.

Dominica 19. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Redde quod debes. Matth. 18.

Peccatores in judicio non poſſunt evadere impunè, ſed reddent quod debent, ſuſtinendo infallibilem pœnam. 1. p. lect. 35. art. 1 f. 60.

Item Deus ſuperiores interrogabit de quatuor punctis, ut reddant rationem 1. p. lect. 8. art. 3. fol. 14.

Item Deo ſumus debitores ratione delicti, ratione beneficii, & ratione depoſiti 2. p. lect. 171. art. 1. in expl. 1. p. fol. 302.

Thema ſecundum.

Iratus Dominus, tradidit eum tortoribus; ſic & Pater Cæleſtis faciet vobis. Matth. 18.

Ira Dei eſt indeclinabilis, & non mitigatur niſi per humilitatem. 2. p. lect. 206 art. un. dico 4 fol. 355.

Vide Dominicas 17. & 21. poſt octavam Trinitatis de ira & judicio.

Vide quoque de quadruplici carcere. 2. p. lect. 193. art. un. fol. 333.

Item per quæ quis peccat per eadem & punietur 2. p. lect. 141. poſt expl. text fol. 254.

Dominica 20. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Magiſter ſcimus, quia verax es; Matth. 22.

Iſta verba Phariſæi, & Herodiani Chriſto dixerunt ex falſa adulatione.

De adulatoribus vide 2. p. lect. 131. art. un. in expl. p. fol. 238.

Et 2. p. lect. 212. art. 1. in expl. 2. p. f. 364.

Thema ſecundum.

Viam Dei in veritate doces. Matth. 22.

Veritas eſt acquirenda cum ſtudio, defendenda cum odio, & præponenda eſt ſocio. 1. p. lect. 86. art. un. fol. 158.

Thema tertium.

Cujus eſt imago hæc? Matth. 22.

Imagines factas non adoramus, ſed honoramus. 2. lect. 158. art. un. dico. 3. fol. 282.

Imaginibus aſtronomicis non eſt licitum uti. 2. p. lect. 160. art. 2. fol. 285.

Imagines aſtronomicæ & nigromanticæ, in quo differant. ibid. in fine art. 2.

Thema quartum.

Conſilium fecerunt. Matth. 22.

Conſilium variè accipitur. 2. p. lect. 123. in expl. text. f. 216.

Item falſi conſiliatij in judicio vendunt filij veritatem 2. p. l. 132. art. un. in expl. 2. p. f. 239.

Inter malos conſiliarios etiam numerandi ſunt falſi advocati, qui pulchrè deſcribuntur. 2. p. lect. 154 art. un. in expl. 3. p. fol. 277.

Dominica 21. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Domine filia mea modò defuncta eſt. Matth. 9.

Quotuplex ſit differentia inter defunctos 1. p. lect. 43. art. 1. fol. 80.

Diverſæ cauſæ nos movere debent ad ferendum ſuffragia pro animabus in purgatorio, ib. art. 2.

Animæ in purgatorio juſtè conqueruntur contra tria ib. d. art. 3. fol. 81.

Item de morte, quæ eſt pœna inflicta pro peccato primi parentis, 1.p.lect.48.art.1.f.90.

Item mors eſt à nobis meditanda, invitanda, & non formidanda. 1.p. lect.48.art.2.f.90.

Thema ſecundum.

Non eſt mortua puella, ſed dormit, & deridebant eum. Matth 9.

Deriſio quid ſit, 1.p.lect.28.art.1.f.48.

Item, 1.p.lact.60.poſt expl.text.not.2.f.112.

Deriſor demonſtrat propriam ſtultitiam, ſuſpendit amicitiam, tollit juſtitiam, & intendit malitiam, 1.p lect.60.art.un.f.113.

Dominica 22. poſt octavam Trinitatis.

Thema primum.

Veniet cum poteſtate magna & Majeſtate, Matth 24.

Da ſecundo adventu Chriſti lega, 1.p. lect.57. in axpl.taxt.f.106.

Item Chriſtus tanquam ſupremus judex nemini parcet proptar benevolentiam, impotantiam, aut negligentiam, 1.p.lect.79.in expl. taxt. f.147.& 148.

Item ira ſupremi judicis erit indeclinabilis, 2.p.lect.206.art.un.f.355.

Thama ſecundum.

Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.

Juſtitia eſt munimentum prælientis, ornamentum triomphantis, & inſtrumentum judicantis, 1.p. lect.14.art.3.

Thema tertium.

Et mittet Angelos ſuos cum tuba. Matth 24.

Qualis erit illa tuba & vox citans ad judicium univerſale, 1.p.lect.58. art 1. & 3.f.109. & 110.ubi etiam multa notabilia dicuntur de Antichriſto.

Thema quartum.

Cum videritis abominationem deſolationis, qui legit, intelligat, Matth.24.

Abominatio daſolationis aſt dira conſumatio, quam accalerant peccatores nolantes ſe convertere, 1.p.lact.43. poſt expl.not.2 f.81.

Item peccatores habuiſſe diram conſummationem, diverſis exemplis oſtenditur, ib.

Thema quintum.

Ibi erit fletus & ſtridor dentium, Matth.24.

Pœna damnatorum art corporalis, 1.p.lect.73.art.un.f.138.

Ignis tamporalis damnatos affligit, 2.p. lect.189.art.un.f.327.

Ignis conflagrativus totius mundi quantum habet virtuta adurendi, daſcendet in infernum, & augebit illum ignam infarnalem, 1.p. lect.71.art.2.f.133.

Vida ea, quæ dicta ſunt Dominica, 1. Adventus & Dominica 19. poſt octavam Trinitatis.

FINIS TERTII INDICIS.

INDEX QUARTUS.

Deſerviens omnibus Monaſteriorum Superioribus pro celebrandis Capitulis, ſeu Exhortationibus.

Thema I.

In ſimplicitate cordis quærite illum. Sap. 1.

Quomodo Religioſus in ſimplicitate cordis debeat quærere Deum. 1. p. lect. 4. art. 3. fol. 6.

Thema II.

Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Sap 1.

Religioſus non debet habere ſanctitatem fictam, nec debet eſſe Hypocrita. 1. p. lect. 6. in expl. textus fol. 8.

Et debet fugere tres ſpecies mali 1. p. l. art. 1. fol. 9.

Thema III.

Renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ ejus auditor. Sap. 1.

Religioſus debet ſtudere ut benè regat renes, cor, & linguam, quæ homo difficillimè regit. 1. p. lect. 7. art. un. fol. 11.

Thema IV.

Non præteriet illum corripiens judicium. Sap. 21.

De quibus Dominus Deus ſuperiores ſeu Prælatos, & in honre conſtitutos interrogabit. 1. p. lect. 8. art. 3. fol. 14.

Thema V.

Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt. Sap. 1.

Religioſus non debet murmurare contra Deum, ſicut faciunt homines mundani & vitioſi. 1. p. lect. 9. art. un. fol 5.

Thema VI.

Cuſtodite vos à detractione parcite linguæ. Sap. 1.

De malis Religioſis ac detractoribus, rectè dicitur in Pſalmis: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* 1. p. l. 10. art. 2. & 3 fol. 17.

Thema VII.

Os, quod mentitur occidit animam. Sap 1.

Mendacium ſpecialiter dedecet Religioſum. 1. p. lect. 11 art un. fol. 18.

Thema VIII.

Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ. Sap. 1.

Religioſus non debet amare peccatum, quod eſt mors animæ. 1. p. lect. 12. art. 1. fol. 19.

Thema IX.

Creavit Deus ut eſſent omnia. Sap. 1.

Ad quid teneatur homo, & ſpecialiter religioſus, ex eo, quod Deus omnia creaverit propter hominem? 1. p. lect. 13. art. 2. fol. 21. & 22.

Thema X.

Convertimini ad me in toto corde veſtro.

Religioſus nullo modo debet pœnitentiam differre. 1 p. lect. 15. art. 2. fol. 25.

Thema XI.

Memento homo. quia cinis es, & in cinerem reverteris. Vel

Extinctus cinis erit corpus noſtrum. Sap. 1.

Meditatio incinerationis deſervit contra religioſos ſuperbientes ratione honoris; contra delicatè corpus ſuum nutrientes, & contra pigros. 1. p. lect. 16. art. 2. fol. 27.

Item recogitatio incinerationis in homine religioſo fugat tentationem, ſervat devotionem, & ornat orationem. 1. p. lect. 16. art. 3. fol. 27.

Thema XII.

Vita noſtra ſicut nebula diſſolvetur. Sap. 2.

Religioſus facilè allicitur ad benè vivendum, ſi conſideret, quod vita noſtra ſit inſtar herbæ floris, nubis, rotis, hoſpitis & curſoris, quæ omnia citò tranſeunt. 1 p. lect 17. art. 2. fol. 29.

Item vita noſtra rectè comparatur umbræ 1. p. lect. 19. art. 2. fol. 33.

Thema XIII.

Gaudete & exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

Nomen cujuslibet virtuoſi Religioſi debet habere honorem honeſtatis, terrorem veritatis & favorem pietatis. 1. p. lect. 18. art. 2 fol. 31

Thema XIV.

Venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro.

Hoc invitatorium tantum debent cantare boni Religioni, non autem alia tria malorum invitatoria 1. p. lect 20. art. 2. fol. 34.

Thema XV.

Bonum eſt non bibere vinum.

Uſus vini immoderatus in religioſis cauſat quatoor mala. 1. p. lect. 21. art. 2. fol. 36.

Thema XVI.

Molles & carni dediti regnum Dei non poſſidebunt.

Voluptas carnalis in Religioſo eſt effœminativa vigoris, accumulativa doloris, & obſuſcativa decoris, & ſapientiæ. 1. p. lect. 22 art. 2. fol. 38.

Thema XVII.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Religioſi tanquam voluntarii pauperes ſunt Chriſto ſimiliores in converſatione, validiores in tentatione, & beatiores in remuneratione. 1. p. lect 23. art. 3 fol. 40.

Thema XVIII.

Videte quantam Charitatem oſtenderit nobis Deus Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus.

In Religioſis tanquam in filiis Dei adoptivis debet apparere Patris potentia per carnis mortificationem, filii ſapientia per ſanctam informationem, & Spiritus ſancti clementia per injuriarum remiſſionem. 1. p. l. 24. art. 2. fol. 42.

Thema XIX.

In timore & tremore operemur ſalutem noſtram, ſatagendo ut per bona opera certam faciamus vocationem noſtram.

Ut Religioſus virtuosè vivat, debet conſiderare ſupernorum præmiorum affluentiam, inter-

internorum commiſſorum conſcientiam, fraternam proximorum indigentiam, & æternam damnatorum vehementiam. 1. p. lect. 27. art. 2. fol. 47.

Thema XX

A cæcitate cordis libera nos Domine.

vel

Obſcurati ſunt oculi impiorum, ne videant viam ſalutis.

Religioſus debet cavere ſeptem peccata capitalia, quæ invehunt ſeptem cæcitates ſpirituales in anima. 1. p. lect. 29. art. 2. f. 50. & 51.

Thema XXI

Charitas non æmulatur, non agit perperam, non invidet.

Religioſus debet cavere ſummoperè invidiam, quia illa in aliquo monaſterio eſt toxicum charitatis, oſtium iniquitatis, & putredo ſanitatis. 1. p. lect. 30. art. 2. fol. 53.

Thema XXII

Juſtorum animæ in manu Dei ſunt.

Quomodo animæ Religioſorum benè viventium ſint in manu Dei. 1. p. lect. 31. art. 3. f. 55.

Thema XXIII.

Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus. Sap. 3.

Cur Deus religioſos tanquam ſuos electos ex millibus, tentari permittat. 1. p. lect. 32. art. un. fol. 56.

Item quomodo Religioſi tanquam electi probentur a Deo? 1. p. lect. 33. art. un. fol. 57.

Thema XXIV.

Fulgebunt Juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Sap. 3.

Viri Religioſi & Eccleſiaſtici fulgere debent claritate bonæ famæ, bonæ vitæ & bonæ doctrinæ. 1. p. lect. 34. art. 1. f. 59.

Thema XXV.

Fœminas videre non prohibemini, ſed appetere vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. S. Auguſtinus in Regula ſua.

Mulieres debent religioſi fugere, quia ipſæ ſunt libidinoſæ in alliciendo, malitioſæ in convivendo, litigioſæ in colloquendo, & perditioſæ in conſulendo. 1. p. lect. 38. art. un. fol. 69.

Thema XXVI.

Bonorum laborum glorioſus eſt fructus Sap. 3.

Pro bonis religioſis ponitur quadruplex fructus, nempè fructus virginalis fœcunditatis, fructus moralis ſanctitatis, fructus doctrinalis fertilitatis, & fructus æternalis fœlicitatis. 1. p. lect. 41. art. un. fol. 76. 77. & 78.

Thema XXVII.

Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.

Religioſos quatuor cauſæ movere debent ad orandum pro Defunctis. 1. p. lect. 43. art. 2. f. 81.

Et defuncti ſpecialiter & juſtè conqueruntur contra ingratos religioſos, qui benefactoribus ſuis, parum aut nihil orant, nec ſervant fundationem factam. 1. p. lect. 43. art. 3. fol. 81.

Thema XXVIII.

Video homines ſicut arbores ambulantes.

Religioſi rectè aſſimilantur arboribus vivendo, creſcendo, fructum afferendo, & finaliter decidendo. 1. p. lect. 47. art. 2. fol. 88.

Thema XXIX.

Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.

Mors à bono religioſo eſt meditanda ſed non formidanda 1. p. lect. 48. art. 2. f. 90.

Thema XXX.

Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.

Deus bonos ſuos religioſos transfert de rebellione ad reconciliationem, de diſſolutione ad religionem, & de peregrinatione ad quietem. 1. p. lect. 50. art. 2. f. 95.

Thema XXXI.

Qui amat animam ſuam in hoc mundo, perdet eam.

Religioſi cupidi, animas ſuas vendunt; otioſi perdunt, ambitioſi oppignorant, invidi verò & iracundi animas ſuas Diabolo planè pro nihilo dant. 1. p. lect. 52. art. 2. fol. 97.

Thema XXXII.

Propter iniquitatem corripuiſti hominem.

Religioſus debet peccatum vitare, quia hoc includit, concludit, & excludit. 1. p. lect. 53. art. 1. fol. 98.

Thema XXXIII

Ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis.

Religioſa juventus eſt moribus informanda, arctius caſtiganda, parcius ſuſtentanda, & mitius judicanda. 1. p. lect. 54. art un. f. 101.

Thema XXXIV.

Hi ſunt, quos habuimus in deriſum. Sap. 5.

Religioſus deridens alium, monſtrat propriam ſtultitiam, ſuſpendit amicitiam, tollit juſtitiam & intendit malitiam. 1. p. lect. 60. art. un. fol. 113.

Thema XXXV.

Omnem viam iniquitatis odio habui.

Boni religioſi debent cavere ſeptem vias difficiles iniquitatis. 1. p. lect. 62. art. 1. f. 117.

Thema XXXVI.

Pœnitentiam agite, quia appropinquat regnum Dei.

Status pœnitentiæ, quam inchoant Religioſi rectè comparatur navi propter tria. 1 p. lect. 64. art. 1. f. 120.

Thems XXXVII.

Fratres ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.

Religioſi debent præcavere ſtratagemata Diaboli habentis tres arcus, & tres ſagittas. 1. p. lect. 66. art. 1. fol. 123.

Thema XXXVIII.

Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.

Virtuoſi Religioſi gaudium excedit gaudium mundi, continuitate, puritate, dignitate & ſalubritate 1. p. lect. 67. art. 1. fol. 126.

Item virtuoſus Religioſus habet Paradiſum terreſtrem & cæleſtem in ſuo corde. ibid. art. 2. fol. 127.

Thema XXXIX.

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

Religioſus ſuperior debet eſſe luminoſus per rectam informationem, operoſus per ſanctam occupationem, gratioſus per piam compaſſionem, & animoſus per juſtam correctionem. 1. p. lect. 78. art. un. fol. 147.

Thema XL.

Vigilate, quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit.

Ad vigilantiam religioſos movere debent tria. 1. p. lect. 82. art. un. fol. 153.

Thema. XLI.

Bonum eſt portare jugum Domini ab adoleſcentia ſua.

Juvenes religioſi cavere debent ſomnum torpentis otioſitatis, viſcum ſocietatis & æſtum præſumentis inficientis cumiditatis. 1. p. lect. 112. art. 1. fol. 198.

Item Juvenibus eſt imponenda promptitudo obedientiæ, teneritudo conſcientiæ, & ſolicitudo conſcientiæ. 1. p. lect. 112. art. 2. f. 198.

Item juvenibus eſt prædicanda debilitas corporalis virtutis, labilitas temporalis juventutis, & deformitas hyemalis ſenectutis 1. p. lect. 112. art. 3. f. 199.

Thema

Google

Thems XLII.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.

Bonus Religioſus debet habere memoriam beneficiorum ſibi præſtitorum, & memoriam bonorum exemplorum debet aliis relinquere. 1. p. lect. 113. art. un. f. 200.

Thems XLIII.

Beati qui habitant in domo tua Domine.

Bonus Religioſus in domo bonæ ſuæ conſcientiæ, debet habere fundamentum ſolidæ doctrinæ, ornaotentum virtutum, & frequens expurgamentum per confeſſionem. 1. p. lect 115. art. un. f. 203.

Thema XLIV.

Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.

Boni Religioſi rectè comparantur pueris ratione parvitatis, puritatis, ſobrietatis, conformitatis, jucunditatis, liberalitatis, & tranquillitatis. 1. p. lect. 119. art. un. f. 210.

Th-ma XLV.

Mitte eam, nempè ſapientiam de cælis ſanctis tuis, ut mecum ſit, & mecum laboret. Sap. 9.

Bonus Religioſus in hac vita laborare debee propter convenientiam permiſſi temporis, propter pœnitentiam commiſſi ſceleris, & propter vehementiam promiſſi muneris. 1. p. lect. 121. art. un. fol. 213. & 214.

Thems XLVI.

Sobriè, piè, & juſtè vivamus in hoc ſæculo.

Bonus Religioſus debet habere ſcientiam ſine præſumptione in parte intellectiva, continentiam ſine diſſolutiooe in parte ſenſitiva, & abſtinentiam ſine ingurgitatione in parte nutritiva. 1. p. lect. 122. art. 1. f. 221.

Item bonus Religioſus debet fugere ebrietatem quia hæc eſt denudatrix omnium ſecretorum, iofatuatrix ſenſatorum, alligatrix robuſtorum & imperatrix flagitiorum. 1. p. lect. 122. art. 2. f. 221.

Thema XLVII.

Non ſit inter vos ira aut contentio.

Bonus Religioſus debet fugere iram, quia hæc pacit injuriam Deo, proximo, & ſubjecto proprio 2. p. lect. 126. art. un. f. 226. & 227.

Thema XLVIII.

Eſtote fortes in bello & pugnate cum antiquo ſerpente.

Bonus Religioſus Diabolo debet reſiſtère, carnem autem & mundum tanquam hoſtes fugere debet. 2. p. lect, 328. art. 1. f. 230.

Thema XLIX.

Impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. S. Auguſtinus in regula ſua.

Bonus Religioſus debet fugere fœminam ſicut venenum colubri. Tum etiam, quia fœmimina ſenſibiliter lædit virum, voce, viſu, & tactu. 2. p. lect, 128. art. 2. & 3. fol. 230.

Thema L.

Diligite inimicos veſtros & beneficiate his, qui oderunt vos.

Bonus Religioſus quomodo ſe habere debeat erga quatuor inimicos? 2. p. lect, 131. art. un. f. 238.

Thema LI.

Mundus in maligno poſitus eſt.

Mundus rectè comparatur mari propter inquietudinem tempeſtatis, amaritudinem acerbitatis, & invaletudinem ſanitatis: & ideo boni religioſi, qui exiverunt ex mundo ad monaſterium, rectè ſint in illo, ſicut in portu ſecuritatis. 2. p. lect. 134. art. 1. f. 242.

Th ma LII.

Sic currite ut comprehendatis.

Boni Religioſi debent eſſe, ſicut Iſraëlitæ, peregrini viatores, glorioſi bellatores, & veri Dei cutolres. 2. p. lect. 136. art. un. f. 246.

Thems LIII.

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, & lachrymis meis ſtratum meum rigavi.

Boni Religioſi debent amare aquam pœnitentiæ, quia hæc lavat ſordida, flectit rigida, & coquit cruda 2. p. lect, 138. art. 2. f. 250.

Thema LIV.

Gratias agamus Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ. ad Coloſſ. 1.

Boni Religioſi Deum Patrem ſanctitatis deprecari debent per devotionem, patrem poteſtatis venerari per ſubjectionem, & patrem pietatis imitari per aſſimilationem. 2. p. lect. 139. art. 1, fol. 252.

Thema LV.

Præterit figura hujus mundi.

Bonus Religioſus debet conſiderare mundanæ gloriæ vanitatem, præſentis vitæ brevitatem, & futuræ vitæ jucunditatem. 2. p. lect, 143. art. 1. f. 258.

Bonos quoque Religioſus debet numerare divina beneficia ſibi præſtita, commiſſa, à ſe peccata, & tempora infructuoſe tranſacta. 2. p. lect, 143. art. 2. f. 259.

Thems LVI.

Miſereris omnium, quoniam omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter Pœnitentiam. Sap. 11.

Bonus Religioſus debet habere quatuor incitamenta ad Pœnitentiam agendam, & quatuor impedimenta Pœnitentiæ à ſe repellere. 2. lect. 144. art. un. f. 260.

Thema LVII.

Venite ad me omnes.

Deus ad ſacram religionem ſæpè vocat verbo, ſigno, & nuntio. 2. p. lect. 145. are. 1. f. 262.

Subindè autem vocat ad Religionem ſacram, oſtenſionibus exemplorum, promiſſionibus præmiorum, & percuſſionibus flagellorum. 2. p. lect, 145. art. 4: f. 263.

Thema LVIII.

Vocavi & renuiſtis venire, pulſavi & non aperuiſtis mihi.

Inconſtantes Religioſi peſſimè faciunt ſe excuſando à vocatione divina, & quomodo tales puniantur? 2. p. lect. 145. art. 2. & 3. f. 262. & 213.

Thema LIX.

Parcis nunc omnibus agentibus Pœnitentiam, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas. Sap. 11.

Religioſus veram Pœnitentiam agens, debet habere amaritudinẽ compunctionis, plenitudinem confeſſionis, & fortitudinem ſatisfactionis. 2. p. lect. 148. art. un. f. 268.

Thema LX.

Veniam dabis peccatis eorum. Sap. 12.

Bonus Religioſus per Pœnitentiam Chriſtum ſibi reconciliat, Angelos lætificat, animam ſuam reformat, & Dæmones conſultat. 2. p. lect. 149. art. uo. f. 269. & 270.

Thema LXI.

Benedictus Deus. & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. 2. Cor. 1.

Bonus Religioſus divinam miſericordiam debet ſperare imminente tempeſtate temporalis tribulationis, accedente neceſſitate corporalis diſſolutionis, & ſuperveniente perplexitate criminalis deſperationis. 2. p. lect, 153. art. un. f. 275.

Thema LXII.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Mali Religioſi multum errant, qui ſuperbiunt

de propriæ pulchritudinis vanitate, & qui exhibendi nimis delectantur formâ & pulchritudine alienâ 2. p. lect. 156. art. 1. fol. 279.

Thema LXIII.

Induite vos ſicut electi Dei, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem & modeſtiam. ad Coloſſ. 3.

Boni Religioſi non debent honores nimis deſiderare, & honores ſibi invicem communicare. 2. p. lect. 165. art. un. f. 293.

Thema LXIV.

In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Gen. 2.

Religioſo redditur labor facilis propter occupationum varietatem; propter collaborantium ſocietatem; & propter magnæ mercedis exſpectationem. 2. p. lect. 170. art. 1. f. 300.

Thema LXV.

Breves dies hominis ſunt; numerus menſium eius apud te eſt. Iob.

Bonus Religioſus debet conſiderare vitæ præſentis brevitatem, afflictionis acerbitatem, & ſalutis æternæ incertitudinem. 2. p. lect. 172. art. un. f. 304.

Thema LXVI.

Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus. Psal.

Religioſus in quo eſt reverentia erga ſeniores tanquam erga parentes, beneficentia erga indigentes, innocentia converſationis, & benigna correptio ad inſolentes, promeretur Dei benedictionem. 2. p. lect. 177. art. un. f. 308.

Thema LXVII.

Operemur bonum dum tempus habemus, ne forte morte præventi quæramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus.

Bonus Religioſus vindictam pœnitentiæ debet exercere propter ſua peccata, aliam debet præcavere & aliam prævidere. 2. p. lect. 181. art. un. f. 316.

Thema LXVIII.

Sacerdotes incenſum & panes offerunt Deo, & ideo ſancti erunt Deo ſuo.

Bonus ac Religioſus ſacerdos debet ita ſanctè vivere, ut ipſi conveniant unde [illegible] operationes Angeli. 2. p. lect. 183. f. 318.

Item [illegible] Religioſus debet Angelos [illegible] in immortalitate, intellectualitate, [illegible] orbis, & regimine hominum. 2. p. lect. 183. f. 318.

Thema LXIX.

Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.

Mali Religioſi arguendi ſunt de oblivione divinorum beneficiorum, propriorum delictorum, [illegible] mandatorum & familiarium amicorum. 2. p. lect. 184. art. 1. fol. 321.

Et contra tales ægrotos Religioſos non ſervantes fundationem rectè conqueruntur animæ in purgatorio detentæ. 2. p. lect. 184. art. 2. f. 321.

Thema LXX.

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.

Bonus Religioſus debet bene vivere conſiderando, quod Deus præveniat tarditatem noſtræ benevolentiæ, abluat fœlicitatem immundæ conſcientiæ, ſuperet quantitatem noſtræ ſufficientiæ, & præparet voluptatem perennis affluentiæ. 2. p. lect. 187. art. un. f. 322.

Thema LXXI.

In timore & tremore operemur ſalutem noſtram, magna enim ſunt iudicia tua Domine.

Religioſus debet in omnibus benè vivere timendo iudicia Dei magna propter Iudicis infallibilitatem, iuriſdictionis generalitatem, Iuſtitiæ inflexibilitatem & potentiæ incomprehenſibilitatem. 2. p. lect. 187. art. un. f. 325.

Thema LXXII.

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis adinvicem, & eſtis triſtes?

Religioſi invidi, perfidi, cupidi & ſtupidi ſemper ſunt triſtes, animandi autem ſunt ut in hilaritate ſpiritus ſerviant Chriſto. 2. p. lect. 188. art. un. f. 326.

Thema LXXIII.

Teſtimonium bonæ conſcientiæ habere.

Bona Religioſi conſcientia eſt elevatrix ſuæ depreſſionis, & conſervatrix bonæ poſſeſſionis. 2. p. lect. 191. art. 2. f. 331.

Econtra autem mala Religioſi conſcientia, eſt cauſatrix pravæ depreſſionis, & vindicatrix fractæ profeſſionis. 2. p. lect. 191. art. 1. f. 330.

Porro ex Religioſis aliqui habent conſcientiam laxam, alii infirmam ſeu ſcrupuloſam, alij perturbatam, & alij conſcientiam indiſcretam, & has conſcientias debent Religioſi deponere, & uti conſcientiâ diſcretâ. 2. p. lect. 191. art. 3. f. 331.

Thema LXXIV.

Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.

Religioſus ſurgit de ſomno, dum ſurgit de peccato, quod rectè comparatur ſomno propter ſomni cauſationem, ſomni interpretationem, ſenſuum ligationem & iudicij deceptionem 2. p. lect. 191. art. un. f. 332.

Thema LXXV.

Non exibis è carcere, donec reddas noviſſimum nummum.

Bonus Religioſus debet conſiderare carcerem croporalis coarctationis, conſuetudinalis oppreſſionis, medicinalis expurgationis, & infernalis condemnationis. 2. p. lect. 193. art. un. f. 333.

Thema LXXVI.

Initium Sapientiæ, timor Domini.

Bonus timor in Religioſo cauſat de futuris providentiam, de præteritis pœnitentiam, in agendis diligentiam & in periculis bonam confidentiam 2. p. lect. 174. art. un. f. 335.

Thema LXXVII.

Dum putant ſe latere in obſcuris peccatis, tenebroſo oblivionis velamento diſperſi ſunt, paventes horrendè. Sap. 17.

Peccata in malis Religioſis, ſicut tenebræ naturales, cauſant errorem & deceptionem, terrorem & ſtupefactionem, languorem & deſolationem, & torporem ſive dormitionem. 2. p. lect. 195. art. 1. fol. 336.

Thema LXXVIII.

Quia non lædebantur gratias agebant tibi, & ut eſſet differentia, te Deum petebant. Sap. 18.

Bonus Religioſus debet Deo præſtare gratiarum actionem, utpotè, quæ eſt operatio beatorum, perceptorum augmentatio, divinitatis proteſtatio & noſtræ neceſſitatis demonſtratio. 2. p. lect. 196. art. 1. fol. 338.

Item bonus Religioſus debet Deo gratias agere propter beneficium creationis, redemptionis, exſpectationis, iuſtificationis, conſervationis & præmiationis. 2. p. lect. 196. art. 2. f. 339.

Præterea debita gratiarum actio in Religioſo debet habere, magnitudinem, aſſiduitatem, univerſalitatem, & hilaritatem. 2. p. lect. 196. art. 3. f. 339.

Thema LXXIX.

Si cum fiducia aliquid petieritis, credite, quia accipietis.

Bona & recta fides ſeu fiducia alicuius Religioſi impetrat remiſſionem peccatorum, Dæmoniorum confuſionem, optatorum conſecutionem & electorum benedictionem. 2. p. lect. 198. art. un. fol. 342.

Thema

Thema LXXX.

Silentium ſervetur locis & temporibus conſtitutis.

Virtuoſum Religioſi ſilentium eſt cuſtos conſcientiæ, frænum inſolentiæ, decor innocentiæ & ſignum patientiæ 2. p. lect, 201. art. 3. fol. *347*.

Thema LXXXI.

Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Devota Religioſi oratio eſt ſcala aſcenſionis, Scutum defenſionis, nuntius legationis, & redditus propriæ ſubjectionis. 2. p. lect, 203. art. un. f. *350*

Thema LXXXII.

Septies in die laudem dixi tibi. Sap. 18.

Bonus Religioſus ſeptem vitia capitalia debet expugnare per ſeptem dona Spiritus ſancti 2. p. lect, 204. art. un fol. *351*.

Thema LXXXIII.

In veſte Poderis, quam habeat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta. Sap. 18.

Quævis perſona Eccleſiaſtica debet habere poderem in corpore, rationale in pectore, & diadema in capite. 2. p. lect, 205. art. un. fol *354*.

Thema LXXXIV.

Nemo vos ſeducat inanibus verbis.

Religioſi cavere debent, ne ſeducantur illecebroſa ſenſualitae, præſumptuoſa temeritate, malitioſa ſeveritate & pernitioſa familiaritate. 2. p. lect, 207. art. un. fol *357*.

Thema LXXXV.

Dei genus ſumus.

Bonus Religioſus debet conſiderare genus ſuum ſervando ex parte Patris noſtri Dei, nobilitatem; ex parte Matris noſtræ terræ, humilitatem; ex parte Fratrum noſtrorum Angelorum, ſtabilitatem; & ex parte filiorum noſtrorum, id eſt, bonorum operum, utilitatem. 2. p. lect. 208. art. un. f. *358*.

Thema LXXXVI.

Hoſpitalitatem ſervate, quod enim uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

Hoſpitalitas religioſorum eſt Deo grata, ſi habeat hilaritatem ſine murmuratione, ſecuritatem ſine turbatione, ſaturitatem ſine diminutione & pietatem ſine negotiatione. 2. p. lect, 210. art. *1*. fol. *361*.

Præterea Religioſi debent peregrinos hoſpites libenter ſuſcipere, quia hoſpitalitas diſponit ad Dei cognitionem, confert temporalium multiplicationem, excludit divinam ultionem, & meretur Dei & Angelorum ſuſceptionem. 2. p. lect. 210. art. 3. f. *362*.

Thema LXXXVII.

Magnificaſti populum tuum Domine & honoraſti & non deſpexiſti in omni tempore. Sap. 19.

Bonus Religioſus debet conſiderare, quod Deus magnificet hominem producendo eum artificioſè, redimendo copioſè, juſtificando gratioſè & beatificando glorioſè, & ideo Religioſus Dominum debet benedicere in omni tempore. 2. p. lect, 212. art. 2. f. *365*.

FINIS INDICIS QUARTI.

Digitized by Google